Pr.21.

COMMENTARIVS IN IOSVE IVDICVM, RVTH, IV. LIBROS REGVM ET II. PARALIPOMENON.

AVCTORE

R. P. CORNELIO CORNELII A LAPIDE E SOCIETATE IESV,

S. Scripturæ olim Louanij, posteà Romæ Professore.

Cum triplici Indice.

Tomus II. continens lib. 2. 3. 4. Regum, & 11. Paralipomenon.

ANTVERPIÆ

Apud IOANNEM MEVRSIVM.

ANNO M. DC. XLII.

R.21.902

COMMENTARIVS IN IOSVE, IVDICVM, RVTH, IV. LIBROS REGVM ET II. PARALIPOMENON.

AVCTORE

R. P. CORNELIO CORNELII A LAPIDE
E SOCIETATE IESV,
S. Scripturæ olim Louanij, posteà Romæ Professore.

Cum triplici Indice.

Tomus II. continens lib. 2. 3. 4. Regum, & 11. Paralipomenon.

ANTVERPIÆ
Apud. IOANNEM MEVRSIVM.
ANNO M. DC. XLII.

COMMENTARIVS IN LIBRVM SECVNDVM SAMVELIS, SIVE REGVM.

LIber primus descripsit gesta Samuelis, & Saulis regis; hic verò secundus describit gesta Dauidis regis. Occasus enim Saulis fuit ortus Dauidis. Eodem enim die, quo occidit Saul, exortus est Dauid, quasi nouus sol oriens Israeli, qui proinde mox Sauli in regno Iudæ successit.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid Saulis mortem, occiso nuntio qui eum se occidisse dicebat, vlciscitur: mox vers. 17. cum toto Israele solenni pompa & carmine funebri eius mortem luget.

1. FACTVM est autem, postquam mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. 2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, & puluere conspersus caput: & vt venit ad Dauid, cecidit super faciem suam, & adorauit. 3. Dixitque ad eum Dauid: Vnde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. 4. Et dixit ad eum Dauid: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt: sed & Saul & Ionathas filius eius interierunt. 5. Dixitque Dauid ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Vnde scis quia mortuus est Saul, & Ionathas filius eius? 6. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboë, & Saul incumbebat super hastam suam: porrò currus & equites appropinquabant ei, 7. & conuersus post tergum suum, vidensque me vocauit. Cui cùm respondissem: Adsum: 8. dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum. 9. Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est. 10. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quòd viuere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc. 11. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, 12. & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam, super Saul, & super Ionathan filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eò quod corruissent gladio. 13. Dixitque Dauid ad iuuenem qui nuntiauerat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum. 14. Et ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres christum Domini? 15. Vocansque Dauid vnum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est. 16. Et ait ad eum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci christum Domini. 17. Planxit autem Dauid planctum huiusce modi super Saul, & super Ionathan filium eius, (18. & præcepit vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum.) Et ait: Considera Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. 19. Inclyti, Israel, su-

per montes tuos interfecti sunt: quo modo ceciderunt fortes? 20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philisthijm, ne exultent filiæ incircumcisorum. 21. Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo. 22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathæ numquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis. 23. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociores, leonibus fortiores. 24. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. 25. Quomodò ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? 26. Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam. 27. Quòmodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

VERS. 2. IN DIE AVTEM TERTIA APPARVIT HOMO VENIENS DE CASTRIS SAVL] Fabulantur Rabbini hunc hominem nuntiantem Dauidi mortem Saulis, fuisse filium Doëg Idumæi, sicut fingunt Doëg fuisse armigerum Saulis, qui se cum eo occidit; vt dixi lib. 1. c. 31. v. 4.

AMALECITES EGO SVM] Philo, vel potiùs Pseudophilo, in Antiq. Biblicis ait, VERS. 3. Amalecitæ huic nomen fuisse Edab, eumque fuisse filium Agag regis Amalecitarum, quem Samuel interfecerat; & Saulem, audito istum esse Amalecitam filium Agag, dixisse: *Ecce nunc venerunt super me verba Samuelis, quando dixit: Qui natus erit ex Agag, erit tibi in scandalum; vade autem & dic Dauid: Ego occidi inimicum tuum; & dices ei: Hæc dicit Saul, ne memor sis odij mei, & iniustitiæ mea.*

STA SVPER ME, ET INTERFICE ME] q. d. VERS. 9. Incumbe gladio super me, eumque mihi infige, itaque me interfice. Iosephus lib. 7. cap. 1. & 2. censet adolescentem hunc dicere verum, quasi Saul præ pauore & debilitate non valens gladio suo se ipsum occidere, aduocarit hunc iuuenem qui eum occiderit. Sic & R. Leui. Verùm potiùs S. Scripturæ quàm huic iuueni, qui Dauidi adulatur, credendum est, quæ lib. 1. c. 31. v. 2. & 31. disertè asserit, quòd Saul se ipsum occiderit. Mentitur ergo hic iuuenis, dicens se Saulem occidisse, vt gratiam Dauidis per hostem eius Saulem à se occisum aucupetur, inquiunt Theodor. Eucher. Procop. Angelom. Lyran. Abulens. Serarius, Torniel. Salianus & alij. Verè tamen ipse diadema Saulis detulit ad Dauidem, quia peracto prælio, & cæso Saule, sponte vel casu venit in montem Gelboë, ibique Sauli diadema detraxit, inquit Abulens. & Caietan.

QVONIAM TENENT ME ANGVSTIÆ] Chald. *tremor*; Sept. *tenebræ*; Hebr. שחפני *scabat*, id est conclusio, constrictio, angustia, tum cordis, tum hostium, qui me vndique cingunt. Porrò *scabat*, significat quoque vestem ocellatam, quasi ocellis inclusam & conclusam, qualis est lorica reticulata militum, & Ephod pontificis, sicque hîc accipiunt Rabbini; sed variè. Primò enim, R. Leui exponit de lorica reticulata Saulis, q. d. Saul: Occide me, quia ego me transfodere neA queo ob loricam reticulatam quâ tegor. Secundò, alij exponunt de loricis hostium, q. d. Cingunt & constringunt me loricati hostium equites; vnde & Tigur. vertit, *apprehendit me corona*, scilicet equitum. Tertiò, alij in *Midras* explicant de Ephod pontificis, q. d. Tenent & terrent me sacerdotes & pontifex Achimelech, quos iniustè c. 22. occidi: hi à me pœnas exigunt, quasi Saul ex sceleris conscientia cognouerit se adigi ad necem, ob cæsos sacerdotes. Addit Abulens. quæst. 5. Saulem vidisse vmbras & spectra sacerdotum vestibus sacerdotalibus indutorum, quæ ipsum terrebant: Verùm planiùs Noster *scabat*, vertit, *angustiæ*, vnde ei consentit Chald. & Sept. Hinc & Vatab. vertit, *apprehendit me tremor*, vel, *trepidatio*.

ET ADHVC TOTA ANIMA MEA IN ME EST] q. d. Licet vehementer vulneratus sim à sagittarijs, vt dictum est c. 31. 3. tamen adhuc totus viuo, metuoque ne viuus in manus hostium incidam, illique me probrosè excrucient & necent: tu ergo citò transfode & occide me. Alludit ad morem mortuorum: hi enim sensim per partes emoriuntur. Primò enim anima recedit ab oculis, vt non videant; inde ab auribus, vt non audiant; & ita pedetentim recedit à cæteris partibus, donec ipsum cor deserat; quo facto homo plenè moritur. Vnde Arist. *Cor*, inquit, *in homine est primùm viuens, & vltimùm moriens.* Ex aduerso oculi sunt vltimùm viuens, & primùm moriens: in embryone enim, vltimò formantur oculi. Hinc Seneca epist. 30. *Senilis*, ait, *anima in primis labris est, nec magna vi distrahitur à corpore.* Nam vt ait S. Ambros. *mors senibus præ foribus est, iuuenibus in insidijs.*

VT OCCIDERES CHRISTVM DOMINI] putà Saulem, qui à Domino per Samuelem chrismate, siue oleo, vnctus erat in VERS. 14. regem Israelis, ideoque quasi sacer erat & inuiolabilis.

SANGVIS TVVS SVPER CAPVT TVVM] VERS. 16. q. d. Sanguinis tui effusionem tibi tuoque capiti imputa, quia fassus es te occidisse Saulem regem: par enim est vt sanguinem Saulis, quem fudisti, tuo sanguine & morte luas. Hæc enim est lex talionis à Deo sancita. Dices, volenti non fit iniuria: Saul autem volebat & rogabat occidi. Resp. Primò, Saul non poterat hoc velle, nec poterat hîc cedere iure suo. Secundò, esto hîc Sauli volenti occidi propriè non fieret iniuria; fiebat tamen iniuria Deo, qui erat dominus

nus vitæ Saulis; & reip. cuius caput erat Saul. A Iosiæ regis, *Cuius*, inquit, *omnes cantores atque cantatrices vsque in præsentem diem, lamentationem super Iosiam replicant.*

ita S. Thom. 3. p. q. 47. ar. 6. ad 3.

Quæres, an licitè Dauid Amalecitam hunc occidi iusserit, cùm nondum esset rex, nec haberet auctoritatem regiam? Resp. affirmatiuè. Habuit enim hanc potestatem, quia sciebat post mortem Saulis regnum ad se pertinere ex dispositione Dei. Ad hoc enim in regem vnctus erat à Samuele, vt Sauli à Deo reiecto, vel adhuc viuo vt volunt nonnulli, vel potiùs morienti, in regno succederet. ita Abulens. Caiet. Serarius & alij. Adde, Dauidem à Saule fuisse auctoratum belli ducem, vt contra hostes Israelis pugnaret, eosque occideret: hostis autem erat hic Amalecita, quia regem Israelis se occidisse fatebatur. Denique iusserat Deus omnes Amalecitas occidi, vt audiuimus c. 15. ac reus ipse Dauidem pro rege & iudice agnoscebat, vtpote ad quem diadema, regiæ dignitatis insigne, detulerat.

VERS. 18. ET PRÆCEPIT VT DOCERENT FILIOS IVDA ARCVM] Chald. *ad iaciendum arcum.* vnde Beda, Lyran. Abulens. Vatab. Salianus, & alij sic exponunt: Præcepit vt docerent filios Iuda artem militarem, siue artem sagittandi, quia multus erat tum sagittarum vsus; & tribum Iuda hoc tempore præsidium esse oportebat totius populi contra victores Philistæos, q. d. Hortatus est ne desponderent animos in aduersis rebus, sed ad futura se bella instruerent, ne, quemadmodum nunc contigerat vinci à Philistæis arte sagittandi, cùm Saul ipse ijs vulneratus fuerit, totusque exercitus fusus ac fugatus, ita in posterum eueniret.

Verùm, aptiùs cum Serario, Sanchez & Mariana, per *arcum*, accipias ipsum *planctum*, siue threnum, & carmen funebre Dauidis: huius enim titulus erat *arcus*, eò quòd in eo laudaretur arcus & fortitudo bellica Saulis & Ionathæ. Simili modo Psalmi suos habent titulos à quibus denominantur. Sic apud Græcos Ode quædam dicta est *Harmodium*, quia heroïca facta Harmodij celebrat. Aliæ Odæ dictæ sunt *Daphnis* & *Niobe*, quia eos dilaudant. Aliæ vocantur *fistula* & *scutum*, apud Theocritum; sic Psalmos & hymnos in Ecclesia cani solitos vulgò vocamus, *Te Deum Laudamus*, *Magnificat*, *Benedictus*, *De profundis*, *Miserere*, ab eorum initio & titulo siue argumento. Id ita esse patet primò, quia alioqui nulla est hîc connexio: quid enim arcus faciet ad planctum Dauidis? Secundò, quia in LXX. habetur Dauidem edidisse non D simpliciter threnum, sed threnum hunc, seu, vt Noster, *huiusmodi*: deinde in ijsdem nullũ aliud nomen, quod arcui respondeat, præter threnum. Adhæc subiungitur Dauid ideò dixisse, vt doceret filios Iuda; quam rem? ipsum scilicet, quem solum nominarunt, threnum. Tertiò, tradit Iosephus Iudæos ita diligenter threnos istos didicisse, vt ad sua vsque tempora hæserint. Quartò, quia simili modo Ieremias imminente excidio Hierosol. iubet vt filios doceant threnum, & modum plangendi. *Docete*, inquit c. 9. 20. *filias vestras lamentum, & vnaquæque proximum suum planctum.* Tales sunt threni Ieremiæ. Quintò, quia moris fuit huiusmodi carmina docere & discere, vt patet Deuter. 17. & 2. Paral. 35. 25. vbi dicitur Ieremias dictasse threnos de morte

Cornel. à Lapide in lib. 2. Regum.

Tropologicè.

Tropolog. S. Hieron. & ex eo Rupert. Dauid, inquit, dixit vt Dominus *doceret filios Iuda arcum*; id est reges Iuda doceret fortitudinem, vt fortes & intenti essent in timore Domini, & in præceptis Dei, ne per inobedientiam reges Iuda à fortitudine, & timore Domini, sicut Saul, recederent, & eo modo quo ipse perierat, perirent. Fortitudo enim deest omnibus qui tentationibus cedunt, & in peccata corruunt: si enim fortiter ijs resisterent, non peccarent. Quare qui tentatur, maximè egèt fortitudine quam precibus impetrare debet à Deo.

SICVT SCRIPTVM EST IN LIBRO IVSTORVM] *Liber iustorum*, ait S. Hieron. est *liber Samuelis*, vbi continentur Prophetæ iusti, Samuel videlicet, Gad, & Nathan: in quorum libro scriptum esse perhibetur, qualiter Saul recedens à timore per inobedientiam suam perijt. Verùm incongruum est, vt idem liber & auctor citet seipsum: quare alius hic liber esse videtur. Quis & qualis fuerit, dixi Iosue 10. 13. In hoc ergo libro totus hic Dauidis threnus & Epicedium Saulis conscriptus fuit, cuius pars dumtaxat hîc recensetur.

CONSIDERA ISRAEL PRO HIS QVI MORTVI SVNT SVPER EXCELSA (excelsum montem *Gelboe*) TVA VVLNERATI]

INCLYTI, ISRAEL, SVPER MONTES TVOS VERS. 19. INTERFECTI SVNT: QVOMODO CECIDERVNT FORTES?] Hic versus in re & sensu idem est cum priore. Vnde pro his duobus versibus, vnus dumtaxat est in Hebræo, LXX. & Chald. Quare duplex hic versus ortus est ex duplici versione textus Hebraici. Prior ex versione Aquilæ (quam sequitur Procopius) ideoque eum nonnulli codices Vulgatæ editionis, vt Regij, omittunt: posterior ex versione S. Hieron. Hebræa ad verbum habent: *Decus Israelis in excelsis tuis vulneratum est; quomodo corruerunt Heroes?* ita Vatabl. Alloquitur Dauid terram Israel, q. d. O inclyta terra Israel in tuo monte Gelboë vulneratus occubuit Saul cum Ionatha, qui erat decus, desiderium & gloria (hæc omnia enim significat צבי *tsebi*) tua: hi duo enim erant inuicti tui heroës. Chald. vertit, *Steterunt super Israel, super domum fortitudinum vestrarum eleuati sunt occisores, quomodo ceciderunt fortes?* LXX. Romana habent, *Sta Israel super mortuos tuos, in excelsis vulneratos; quomodo ceciderunt potentes?* Pro *sta*, græcè est στήλωσον, q. d. insiste & incumbe fixè in hanc considerationem; Aquila, ἀνάβασον, id est diligenter expende. Est hoc carmen spiritu militari conscriptum, vtpote à Dauide milite de robustis militibus Saule & Ionatha.

MONTES GELBOE, NEC PLVVIA, NEC ROS VERS. 21. VENIANT SVPER VOS, NEQVE (in vobis) SINT AGRI PRIMITIARVM] ex quibus fructus nascantur, quorum primitiæ Deo ex lege offerantur. *Montes Gelboë* in longum porrecti ab Occidente in Orientem per vndecim leucas, sunt in confinio dimidiæ tribus Manasse & tribus Issachar, quorum initium est ab vrbe Iesrahel, & ferè vsque ad Iordanem pertingunt. Videtur Dauid maledicere & sterilitatem imprecari

Montes Gelboë an maledicat Dauid

montibus *Gelboë*, id est creaturæ irrationali, non quatenus creatura Dei est, sed quatenus illa fuit occasio, & locus tantæ cladis Saulis & Hebræorum; quod non est peccatum. Vide D. Thom. 22. q. 76. à 2. Audi S. Ambros. lib. 2. de Cain c. 8. *Natura*, inquit, *ex innocentis soli damnatione, ostendit futura supplicia noxiorum; propter igitur hominum peccata, & ipsa elementa damnantur. Denique Dauid montibus Gelboë perpetua sterilitatis pœnam optauit.*

Simili modo Iob c. 3. maledixit diei natiuitatis suæ, æquè ac Ieremias c. 20. v. 14. eò quòd illa sibi tot malorum fuisset occasio & porta: vide ibi dicta. Addit S. Gregor. 4. Moral. c. 4. per montium sterilitatem, homines, putà Iudæos, puniti: hi enim sua iniquitate meruerunt, vt rex eorum ibidem occideretur.

Resp. negatiuè. Verius tamen est, Dauidem hîc verè & seriò montibus Gelboë non maledixisse, nec eis imprecatum fuisse sterilitatem; sed lusisse militariter, vt animi dolorem significaret; q. d. æquum & dignum esset, vt vos, ô montes Gelboë, in memoriam tantæ cladis priuaremini semper rore & pluuia, ac frugibus & fructibus, eò quòd in vobis hæc clades peracta sit. ita Abulens. Caietan. & alij.

Porrò Rabanus & Glossa dicunt, hanc execrationem fuisse quasi vaticinium, quod reipsa completum sit. Nam montes Gelboë fuisse anteà valde fertiles, posteà summè steriles; idque sentire videtur S. Ambros. 3. Offic. 9. Certum enim est montes Gelboë multis in locis esse petrosos, aridos & steriles, teste Bredenbachio, Adrich. & alijs terræ sanctæ Chorographis. Verùm alij asserunt montes hos tales fuisse ante Dauidem: alij censent sterilitatem hanc eis obtigisse à tempore Eliæ, qui toti Israeli sterilitatem & siccitatem sua imprecatione induxit 3. Reg. 17. 1. ita Magister hist. Scholast. Porrò Abulens. asserit se nosse viros, super quos in monte Gelboë pluuia ceciderit.

Allegor. Allegor. S. Gregor. 4. Moral. c. 4. *Gelboë*, inquit, *interpretatur decursus; per Saul autem vnctum & mortuum, mors nostri mediatoris exprimitur: non immeritò per Gelboë montes superba Iudæorum corda signantur, quæ dum in huius mundi desiderijs defluunt, in Christi, id est vncti, se morte miscuerunt. Et quia in eis vnctus Rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur.*

Porrò Pagnin. in Nom. Hebr. *Gelboë*, inquit, Hebr. idem est quod *aceruus tumoris*, vel, *inflationis*: ibi enim cadunt & ruunt impij, vti ruit superbus Lucifer è summo cælorum, ideoque in Gelboë cæsus est Saul.

Mystic. Mysticè, S. Bernar. serm. 54. in Cant. per *montes Gelboë* accipit dæmones, item tepidos & irreligiosos: hi enim sunt aridi & steriles gratiæ & bonorum operum. Audi S. Bern. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Quàm miser cùm suspicit cælos, in quibus innumeros montes inuestitur diuina claritate fulgentes, diuinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia. Quàm miserior, cùm respicit terram, montes nihilominùs quamplurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate spatiosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cæli, tanquam de saltu sponsi quotidianam capientes benedictionem.*

A Pergit deinde S. Bernard. idque exaggerat: *Cum quanto putamus dolore & rancore aspiciat ille cupidissimus gloriæ, istos in circuitu suo tam gloriosos montes, cùm se, & suos è regione incultos, tenebrosos, bonis omnibus infecundos despiciat, ita vt se sentiat esse opprobrium hominum & Angelorum, qui omnibus exprobrat, secundùm illud in Psalmis: Draco iste quem formasti ad illudendum ei.*

NEQVE SINT AGRI PRIMITIARVM] id est fructuum, è quibus Deo seligantur & offerantur primitiæ. Chald. vertit, *challetha*, (pro quo interpres Latinus, in Biblijs Regijs perperam posuit *Halcha*) id est *placenta* vel collyrida quæ offerebatur quasi fructuum primitiæ.

QVASI NON ESSET VNCTVS OLEO] supple, Saul, qui vnctus fuit à Samuele in regem. Aliqui *tò vnctus*, referunt ad *clypeus*: vnde R. Salomon & Vatab. censent in creatione regis, non solùm regem, sed & clypeum eius, solere vngi oleo, vt ex hac vnctione fieret lubricus ad excutiendum tela hostium; sed sic omnium militum clypei debuissent vngi, vt rectè id confutans argumentatur Abulens. qui quoque clypeum regis vngi solitum asserit: sed alia de causa; scilicet vt eius dignitas æquè ac fortitudo bellandi hac vnctione repræsentaretur; q. d. Clypeus Saul olim vnctus oleo, iam adeò sanguine hostium perunctus est, vt prior illa Dei vnctio in eo non appareat; atque perinde ac si *non esset vnctus oleo*. Fauet Isaias cap. 21. 5. dicens: *Surgite principes, arripite* (Hebr. *vngite*) *clypeos*, vt scilicet sint politi, tersi & fulgentes. Vnde Chald. vertit, *tergite & lucida facite arma*. vide ibi dicta.

A SANGVINE INTERFECTORVM, AB ADIPE FORTIVM, SAGITTA IONATHÆ NVMQVAM REDIIT RETRORSVM] sed penetrauit corpora hostium etiam fortissima & pinguissima, eosque sanguine suo cruentauit, transfixit & interemit, q. d. Ionathas & Saul suis sagittis & gladijs multum sanguinis elicuerunt & fuderunt, multosque vulnerarunt & occiderunt. Minùs rectè ergo nonnulli tò, *à sanguine interfectorum, ab adipe fortium*, referunt nectuntque cum versu præcedenti, quasi hæc verba dent causam cur pluuia & ros super montes Gelboë descendere non debeant, scilicet ob effusum sanguinem Saulis, Ionathæ & Hebræorum, qui in eis interfecti sunt. Porrò Saul facilè erat septuaginta annorum, Ionathas plusquàm quadraginta: nam mox frater eius iunior, scilicet Isboseth, Sauli in regno succedens erat quadraginta annorum, vt audiemus cap. 2. v. 10.

IN MORTE QVOQVE NON SVNT DIVISI] Vers. 23. q. d. Saulem & Ionatham sicut sociam vitam, ita & mors. Amici enim gaudent simul viuere, & simul mori, quia anima amantis magis est in amico amato, quàm in amante. Sic apud Gallos celebrantur *Soldurij*, quasi fortissimi milites, qui sibi mutuò fidem iurabant in prælio, vt vel vincerent, vel simul occumberent: teste Cæsare lib. 3. de Bello Gallico.

Symbol. Eccles. in officio Eccles. hæc verba adaptat SS. Apostolis Petro & Paulo, qui eodem die, mense & anno à Nerone martyrio laureati sunt: *Glorioси*, inquit, *principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, sic & in morte non sunt separati.*

Aquilis velociores, leonibus fortiores. Est Hyperbole,

perbole, q. d. Saul & Ionathas erant velocissimi & fortissimi. Simile epitaphium suo Daphnidi, id est Iulio Cæsari viginti tribus vulneribus in curia confosso, vel Quintilio Varo, cum tribus legionibus in Germania cæso, dat Virgilius Egloga 5. vbi inter cætera ita de eo canit:

Daphni tuum pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq; feri, syluæq; loquuntur.
Daphnin & Armenias curru subiungere tigres
Instituit, &c.

Et inferiùs asserit eum in cælum inter Deos transiatum:

Candidus insuetum miratur limen olympi,
Sub pedibusq; videt nubes & sydera Daphnis, &c.
Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

VERS. 26. AMABILIS SVPER AMOREM MVLIERVM] *Amorem* accipe vel activè, q. d. Quantum mulieres amare solent suos sponsos & filios, tantum ego amauit te, ô Ionatha; vel passivè, q. d. Quantum mulieres amari solent à sponsis & filijs, tantum & amplius tu mihi eras amabilis in delicijs & dilectus. ita Theodor.

Moral. Vide hîc, mirare & imitare, quàm Dauid tot iniuriarum Saulis fuerit immemor, quamque de eius, licet sibi inimicissimi, morte non sit gauisus, sed eam tam seriò luxerit, & tam eleganti Epicedio honestarit; ideoque meruit ei in regnum succedere, ac fauorem tribus Iuda sibi conciliauit, quæ illicò eum in regem suum vnxit. Quocirca S. Chrysost. hom. de virtut. & vitijs docet, inuidiam Saulis noquisse ipsi Sauli, non Dauidi: ipsa enim Sauli infamiam & necem, Dauidi verò gloriam & regnum peperit: *Vulgus*, inquit, *nescit quantò ceteris miseriores habendi sunt, qui dum aliis nocere existimant, seipsos gladio transuerberant: quod suprema prorsùs amentia est, seipsum percutere, & hoc ipsum nescire, sed cùm alium iniuriâ credat afficere, tum verò seipsum omninò iugulare.* Id deinde demonstrat exemplo & antithesi Saulis & Dauidis: *Nonne hic molestia & iniquo dæmone angebatur: ille autem vel sole clarior erat in trophæis, & qua Deum præcipuè colebat, ingenti pietate super æthera notus? Nonne hic tabescebat inuidiâ: ille verò dum tacitè omnia ferret, omnes sibi charitate vinciebat?* Causam subijcit: *Quia hic* (Saul) *militis tremendos armis, ille*, scilicet Dauid, *verò iustitiam innumeris legionibus validiorem, sociam sibi & auxiliarem asciuerat.* Idem Chrysost. hom. 2. de Saule & Dauide, *si mille*, inquit, *habuissent vitas, an non promptè impendissent pro suo duce, iam ex reuerentia, quam hosti præstitit, reipsa perspectum habentes, quàm beneuolum animum gereret erga suos? Ceterùm, qui mitis, ac mansuetus est in eos, à quibus molestia affectus est, multò magis erit erga beneuolos eum affectum gesturus. Quæ profectò res fuit illi maximum securitatis pignus.* Et paulò pòst: *Dauidi*, inquit, *non iam vt homini, sed vt angelo parebant.* Denique S. Ambrosius in Apolog. Dauidis cap. 6. *Inimici*, inquit, *vltus est mortem, flebiliter satis deplorauit interitum: & debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum etiamsi debatur, sed exspectandum, vt suo tempore deferatur.* Vtinam hunc virum imitati essent posteri, non tantas bellorum pestilissemus acerbitates.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid in Hebron vngitur rex super tribum Iuda, ceteris verò vndecim tribubus Abner vers. 8. regem creat Isboseth Saulis filium. Mox vers. 14. Abner & Ioab per duodecim vtrimque milites duellum, indeq; bellum ineunt, in quo vincunt Ioabitæ: Asaël persequens Abner vers. 19. ab eo hasta confoditur. Denique Ioab rogante Abner, ne se suosq; ad desperationem, quæ victori periculosa est, adigat, canit receptui.

1. IGitur post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque Dauid: Quò ascendam? Et respondit ei: In Hebron. 2. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraëlites, & Abigail vxor Nabal Carmeli: 3. sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron. 4. Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est Dauid, quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saul. 5. Misit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum. 6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd feceritis verbum istud. 7. Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi. 8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, 9. Regemque constituit super Galaad & super Gessuri, & super Iezrael, & super Ephraim, & super Beniamin, & super Israel vniuersum. 10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cùm regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnauit: sola autem domus Iuda sequebatur Dauid. 11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est Dauid, imperans in Hebron super domum Iuda, septem

septem annorum, & sex mensium. 12. Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saul, de castris in Gabaon. 13. Porrò Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egressi sunt, & occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cùm in vnum conuenissent, è regione sederunt: hi ex vna parte piscinæ, & illi ex altera. 14. Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. 15. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboseth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid. 16. Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon. 17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner, & viri Israel, à pueris Dauid. 18. Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abisai, & Asaël: porrò Asaël cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis quæ morantur in siluis. 19. Persequebatur autem Asaël Abner: & non declinauit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner. 20. Respexit itaque Abner post tergum suum, & ait: Túne es Asaël? Qui respondit: Ego sum. 21. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & apprehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asaël omittere quin vrgeret eum. 22. Rursumque locutus est Abner ad Asaël: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. 23. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asaël, & mortuus erat, substitebant. 24. Persequentibus autem Ioab & Abisai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt vsque ad Collem aquæ ductus, qui est ex aduerso vallis itineris deserti in Gabaon. 25. Congregatique sunt filij Beniamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum, steterunt in summitate tumuli vnius. 26. Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? an ignoras quòd periculosa sit desperatio? vsquequò non dicis populo vt omittat persequi fratres suos? 27. & ait Ioab: Viuit Dominus, si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum. 28. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt vltrà Israel, neque iniere certamen. 29. Abner autem & viri eius abierunt per campestria, tota nocte illa: & transierunt Iordanem, & lustrata omni Beth horon venerunt ad castra. 30. Porrò Ioab reuersus, omisso Abner, congregauit omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Asaële. 31. Serui autem Dauid percusserunt de Beniamin, & de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt. 32. Tulerúntque Asaël, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: & ambulauerunt tota nocte Ioab & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo peruenerunt in Hebron.

VERS. 1. CONSVLVIT DAVID DOMINVM] per *Vrim*, putà per Abiathar pontificem indutum Rationali, in quo erant *Vrim & tummim*, vt sæpius dixi.

IN HEBRON] Iubet Deus Dauidi vt eat in Hebron, quia ibi, ait Procop. vixerant & sepulti erant patriarchæ, eratque tum Hebron metropolis tribus Iuda; vt scilicet in ea Dauid consecraretur rex, in eaque consecratus à tota deinde tribu facilè vt rex acceptaretur.

VERS. 3. ET MANSERVNT IN OPPIDIS HEBRON] putà in vrbibus Hebroni vicinis, & ab Hebrone dependentibus, quæ alibi vocantur *filiæ*.

VERS. 4. VENERVNTQVE VIRI IVDA, ET VNXERVNT IBI DAVID] quasi contribulem suum: maluerunt enim Dauidem, vtpote suæ tribus, regnare, quàm Isboseth filium Saulis, qui erat ex tribu Beniamin. Sciebant enim Iacobum patriarcham tribui Iuda regnum assignasse, Genes. 49. 10. Sciebant insuper Dauidem iam pridem à Samuele vnctum fuisse in regem, tot tantasque de hostibus retulisse victorias: qua de causa multi ex alijs tribubus, deserto Isboseth, A ad Dauidem transierunt, quorum numerus recensetur 1. Paralip. c. 12.

VERS. 5. ET NVNC RETRIBVET VOBIS QVIDEM DOMINVS MISERICORDIAM ET VERITATEM] Heb. *pietatem & fidelitatem*, scilicet sicut vos vtramque exhibuistis Sauli regi vestro in auferendo & sepeliendo eius corpore, sic & vtramque vobis rependat Deus, ac vobis suppium & misericordem æquè ac fidelem in remuneranda vestra virtute exhibeat. Nota: *Misericordia & veritas* significant omne opus virtutis, tam liberale (qualis est *misericordia*,) quàm debitum (qualis est *veritas*) id est æquitas, fidelitas & iustitia.

VERS. 8. ABNER AVTEM FILIVS NER PRINCEPS EXERCITVS SAVL (eiusque consobrinus: nam *Ner* pater *Abner* erat frater (is, qui erat pater Saulis,) TVLIT ISBOSETH FILIVM SAVL, ET CIRCVMDVXIT EVM PER CASTRA] Hebr. est מחנים *Machanaim*, id est *castra*, vt vertit Noster & LXX. Verùm Chald. Serarius & Varab. *Machanaim*, accipiunt vt nomen proprium loci, in quo Iacob vidit castra Angelorum

A tum se contra Esau defendentium, ideoque locum vocauit *Machanaim*, id est *castra*; Genes. 32. 2. quasi in eodem loco, vtpote tam celebri & sancto, in regem vnctus sit Isboseth ab Abner, ad populi fauorem illi conciliandum: vnde & ibidem regiam sedem constituit: ait Iosephus.

VERS. 9. REGEMQVE CONSTITVIT SVPER GALAAD, ET SVPER GESSVRI, &c. ET SVPER ISRAEL VNIVERSVM] Pro *Gessuri* Heb. LXX. & Chald. legunt, *Asuri*. *Gessuri* erat regio trans Iordanem in Manassensium ditione, sed Manassenses Chananæis in Gessuri degentibus præualere non potuerunt: vnde ex Gessuri quasi Israelis hoste prædas egit Dauid, vt audiuimus lib. 1. c. 27. 8. indeque abduxit filiam regis, quam sibi in vxorem asciuit, & ex ea genuit Absalonem, qui proinde occiso Amnon fratre suo; B Dauidis patris iram fugiens, se contulit ad regem Gessuri quasi ad auum suum maternum, vt audiemus cap. 3. 3. & cap. 13. 37. Quare Isboseth nomine tenus factus fuit *rex Gessuri*, non reipsa.

ET SVPER ISRAEL] hoc est, super ceteras vndecim tribus. Hîc ergo facta est regni Israelis diuisio & schisma. Dauid enim creatus fuit rex tribus Iuda, Isboseth verò ceterarum vndecim; vnde & posteà schisma hoc renouatum fuit sub Roboam nepote Dauidis: huic enim adhæsit sola tribus Iuda, ceteræ verò tribus elegerunt sibi regem Ieroboam. Illud dictum est regnum Iuda, hoc regnum Israel, nomine communi scilicet maiori tribuum parti appropriato.

Porrò Abul. Serarius & alij excusant Isboseth à tyrannide & inuasione regni, eò quòd C illud ipsi hæreditario iure deberetur: licet enim Dauid vnctus esset à Samuele in regem, tamen illa vnctio occulta erat, nec publicata authenticè, ita vt Isboseth teneretur vlli credere, & Dauidi regnum paternum cedere. vnde & Dauid c. 4. 11. eum vocat *virum innoxium*, & eius cædem vltus est. Similiter excusant Abner, cuius pariter necem vindicauit Dauid morte Ioab: alioqui enim Abner grauiter peccasset, procurando Isboseth regnum, si scisset illud Dauidi à Deo esse datum, imò si posteà id resciuisset, licitè non potuisset Isboseth regem fouere & defendere; sed debuisset eum monere vt Dauidi cederet regnum. Porrò fabula est R. Salomonis, quòd, cùm populus Dauidem vellet regem, Abner probarit Isboseth deberi regnum ex D Genes. 35. 18. vbi Iacob filium à Rachele in partu moriente vocatum *Benoni*, id est, filium doloris; nuncupat *Beniamin*, id est filium dexteræ. Dextera enim symbolum est regis & regni. Isboseth enim & Saul erant prognati ex Beniamin, Dauid verò ex Iuda.

VERS. 10. ET DVOBVS ANNIS REGNAVIT] Hinc R. Salomon & Hebræi in *Sederolam* cap. 13. censent Isboseth duobus tantùm annis regnasse, ita vt iis exactis illo occiso, vndecim tribus cateruerint rege per annos quinque cum dimidio, quibus finitis Dauidem sibi regem crearunt.

Sed verius est, Isboseth totidem annis regnasse in Israel, quot annis Dauid regnauit in Iuda, scilicet annos septem cum dimidio; nam mortuo Isboseth, statim in regnum illi successit Dauid, tamque in Iuda quàm in ceteris tribubus omnibus regnauit. Vnde & Iosephus asse-

VERS. 14. DIXITQVE ABNER AD IOAB: SVRGANT PVERI (iuuenes bellicosi) ET LVDANT CORAM NOBIS] *Ludant* luti militari & duello, hoc est duellent inter se. Duellum enim speciem lusus & ludicri spectaculi curiosis spectantibus exhibet: ideoque Romæ populo pugnæ gladiatorum duellantium in amphitheatro quasi ludi exhibebantur. Rursùm, duellum vocatur *lusus*, quia in eo duellantes ostendunt quàm sint periti artis gladiatoriæ, quam nobiles quasi lusu exercent, & exercendo addiscunt: ita Vatab. Tertiò, quia Abner duellum hoc non tam ad victoriam, quàm ad lusum militarem referebat; scilicet vt ostenderet suos milites esse fortiores militibus Dauidis & Ioab. ita Ioseph. Quartò, quia duellum hoc erat quasi velitatio & prolusio ad bellum & prælium generale, quod illicò secutum est; vt pater ex seq. ac fortè, inquit Serarius, & quasi diuinatorium quoddam victoriæ indicium, quo Germani vti olim solebant, vti tradit Corn. Tacitus lib. de moribus Germanorum: *Est*, inquit, *& alia obseruatio auspiciorum, quæ grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patrijs quemque armis committunt; victoria huius vel illius pro præiudicio accipitur.*

Porrò peccauit Abner, tum quia volens fortitudinem suam ostentare æquè ac regni, Isboseth, primus prouocauit Ioabum ad duellum & bellum, vnde iusto Dei iudicio in eodem cæsus victusque est; peccauit & Ioab, sed minùs, quia consensit duello & bello, de morti iniustæ eorum, qui in eo occidendi erant: hoc enim præcesserat iusta belli causa, verbi gratia, damna vel iniuriæ ab Abner vel Isboseth illatæ. Bellum enim capessere non licet, nisi iusta & graui de causa. ita Abul. Si tamen Abner prior inuasisset Ioabum, licitè potuisset, imò debuisset Ioab se ac regem suum Dauidem defendere, ac vim vi repellere, sed id non fecit Abner.

VERS. 16. APPREHENSOQVE VNVSQVISQVE CAPITE COMPARIS SVI] Iosephus, Rabanus & Angelomus, τὸ *vnusquisque*, restringunt ad eos qui erant ex parte Ioab, hos enim singulos *apprehenso capite comparis sui*, id est sui antagonistæ ex parte Abner, eos transfodisse, ita vt salui & victores fuerint Ioabitæ, cæsi verò omnes & soli Abneritæ. Verùm alij passim τὸ, *vnusquisque* generatim vt sonat accipiunt, tamque ad Abneritas, quàm ad Ioabitas referunt, ita vt omnes ad vnum cæsi sint, & vtrimque mutuis vulneribus conciderint. Talis fuit Cadmæa pugna. Fabulantur enim poëtæ Cadmum Agenoris filium & Thebarum conditorem, cùm vidisset socios à dracone interfectos, draconis dentes secuisse, ex quibus orti se mutuis ictibus confoderent.

VERS. 17. ET ORTVM EST BELLVM] Ecce hîc duel-

lum transit in acre bellum totale, vnde ad illud fuit quasi ludus & prælusio vt dixi.

VERS. 18. PORRO ASAEL CVRSOR VELOCISSIMVS FVIT] Ioseph. ait Asaelem adeò fuisse velocem, vt non tantùm homines, sed & equos cursu superaret, quales etiamnum sunt in Hibernia & India. S. Bachiarius epist. de lapsis: *Asaël*, inquit, *velox sicut ceruus à scriptura esse perhibetur, ob hoc credo, quòd incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulserat: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam*, Sap. 9. 15. & colligit hanc Asaëlis puritatem ex eo quòd cum ceruo, vt ipse legit, comparetur: *Velox*, inquit, *erat sicut ceruus: id est qui non solùm perspicacia mentis, inimici laqueos euitabat, verùm etiam serpentum, id est aduersariarum virtutum, interfector existit.* Nam ceruus & visus acumine excellit, & perpetuas cum serpentibus inimicitias exercet.

Tropol. *Asaëles* sunt, qui procurrunt alacres ad quæuis charitatis officia, qualis fuit Cardamas, quem S. Paulinus epist. 5. ad Amandum, Asaëli comparans, ei dat pedes ceruorum: *Nam positus est*, inquit, *in tanta ministerio charitatis, vt in libertate seruiat, in senectute discurrat, & requiem vacationis emeritæ malit in peregrinationis labore, quàm in domestica sede consumere: quia pigrorum vias spinis stratas calcare declinat, ne conuertatur in ærumnam, dum ei de inertiæ infructuoso otio miseræ solicitudinis spina configitur. Exultat itaque impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti, pedissequa pigrorum inopia tamquam bonus cursor occurrat.*

VERS. 23. PERCVSSIT ERGO EVM ABNER AVERSA HASTA IN INGVINE] Heb. in *quinta* scilicet costa vbi residet iecur & fel. Tropol. *Asael* repræsentat nimis feruentes, præcipitantes & furentes, qui non directè, sed indirectè, & ex obliquo reprimendi sunt; nam vt ait S. Gregor. 3. p. Pastor. Admonit. 17. & ex eo Angelomus & Eucherius: *Ex mucrone (directè) percutere est impetu aperta increpationis obuiare, auersa verò hasta persequentem ferire, est furentem tranquillè ex quibusdam tangere & quasi parcendo superare. Asael autem protinùs occubuit, quia commota mentes dum parci sibi sentiunt, & tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo, quòd se erexerant, statim cadunt*: Vnde *Abner* Hebr. idem est quod *patris lucerna*, qualis est prudentia lenis & mansueta corripientis.

AN IGNORAS, QVOD PERICVLOSA SIT DESPERATIO?] Milites enim desperati acerrimè pugnant vt vel vincant, vel, si vincantur, ne inulti moriantur: sed carè vitam suam hosti vendant: quare ex desperatione nascitur spes victoriæ, imò desperatio sæpè est causa victoriæ. Quocirca præclari duces hoc habent principium: *Cum desperato ne pugna. Fugienti hosti aureum sterne pontem.* ita Typhon occiso Ionatha non fuit ausus aggredi paucos eius socios desperatos. Nam *videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reuersi sunt*, 1. Machab. 12. 51. Nec Lysias cum multis, Iudam Machabæum cum paucis inuadere sustinuit. Audi script. ibidem c. 4. 35. *Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quòd parati sunt aut viuere, aut mori fortiter, abijt Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rursùs venirent in Iudæam.* Similia sæpè vidimus in bellis Belgicis. Causam dat Vegetius lib. 3. de Re milit. c. 21. *Ex desperatione*, inquit, *crescit audacia; & cùm spei nihil sit, sumit arma formido. Ideoq; Scipionis laudata sententia est, qui dixit: viam hostibus, quâ fugiant, esse muniendam.* Bene Curtius lib. 4. *Effugit*, inquit, *mortem quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur.* Et rursùs lib. 5. *Ignauiam*, inquit, *necessitas acuit: & sæpè desperatio spei causa est.* Adde Senecam Philosophum lib. 2. Natural. quæst. cap. 59. *Nullus*, inquit, *perniciosior hostis, quàm quem audacem angustiæ faciunt: longeq; violentiùs semper ex necessitate, quàm ex virtute corripimur.* Narrat Iustinus lib. 20. hist. quindecim millia Locrensium cæcidisse centum millia Croton ensium, causamque subijcit: *Quia*, inquit, *omissâ spe victoriæ, in destinatam mortem conspirarunt: tantusq; ardor ex desperatione singulos cepit; vt victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honestè quærunt, feliciter vicerunt.* Hinc est illud Maronis 2. Aeneid.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Et illud Salustianum:

Grauissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.

Vis desperationis.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex Dauidis vxores, & totidem filij in Hebron geniti recensentur. Isboseth culpat Abner luxuriæ: ille deficit ad Dauidem, cum eo q; fœdus init, totumq; Israelem illi subijcit. Mox vers. 23. Ioab Abnerum apud Dauidem proditionis insimulat, eumq; dolosè occidit, sed Dauid eum amarè plangit.

1. FActa est ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid: Dauid proficiscens, & semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. 2. Natique sunt filij Dauid in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezraëlitide. 3. Et post eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porrò tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur. 4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital. 5. Sextus quoque Iethraam, de Egla vxore Dauid. hi nati sunt Dauid in Hebron. 6. Cùm ergo esset prælium inter domum Saul & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saul. 7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner: 8. Quare ingressus es ad concubinam

cubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum aduersùm Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? 9. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, 10. vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam, à Dan vsque Bersabee. 11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. 12. Misit ergo Abner nuntios ad Dauid pro se dicentes: Cuius est terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israel. 13. Qui ait: Optimè: ego faciam tecum amicitias: sed vnam rem peto à te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: & sic venies, & videbis me. 14. Misit autem Dauid nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim. 15. Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, filio Lais. 16. Sequebaturque eam vir suus, plorans vsque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & reuertere. Qui reuersus est. 17. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quàm nudiustertius quærebatis Dauid vt regnaret super vos. 18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicens: In manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israël de manu Philisthiim, & omnium inimicorum eius. 19. Locutus est autem Abner etiam ad Beniamin. Et abiit vt loqueretur ad Dauid in Hebron, omnia quæ placuerant Israeli & vniuerso Beniamin. 20. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris eius qui venerant cum eo, conuiuium. 21. Et dixit Abner ad Dauid: Surgam, vt congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cùm ergo deduxisset Dauid Abner, & ille isset in pace, 22. statim pueri Dauid & Ioab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace. 23. Et Ioab, & omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Ioab à narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abijt in pace. 24. Et ingressus est Ioab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abijt & recessit? 25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis? 26. Egressus itaque Ioab à Dauid, misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante Dauid. 27. Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei, in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius. 28. Quod cùm audisset Dauid rem iam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum, apud Dominum, vsque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner, 29. & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane. 30. Igitur Ioab & Abisai frater eius interfecerunt Abner, eò quòd occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31. Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. porrò rex Dauid sequebatur feretrum. 32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus. 33. Plangensque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. 34. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus fleuit super eum. 35. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quidquam. 36. Omnisque populus audiuit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi. 37. & cognouit omne vulgus & vniuersus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset à rege vt occideretur Abner filius Ner. 38. Dixit quoque rex ad seruos suos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israel? 39. Ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.

PORRO

VERS. 3. PORRO TERTIVS ABSALOM, FILIVS MAACHA FILIÆ THOLMAI REGIS GESSVR] Vetuerat Deus Hebræis coniugium cum Chananæis, ne earum idololatriâ sequerentur: Dauid tamen duxit hic *Maacham filiam regis Gessur* Chananæi, quia ipsa facta est proselyta, & ad Iudaismum se conuertit, vt tradunt Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. Sic Salmon duxit Rahab Chananæam, & Booz Ruth Moabitidem, Matth. 1. Putant nonnulli Maacha à Dauide in prædatione ex Gessuri fuisse abductam, ac deinde in vxorem acceptam, iuxta ritum à Deo præscriptum Deuter. 21. 10. licet id neget Abulensis, qui cum Caietano, Saliano & alijs aliter Dauidem excusat, dicendo, Deum non vetuisse Iudæis connubia cum gentibus omnibus, sed tantùm cum illis quæ incolebant terram promissam. Extra eam autem fuisse Gessuri: quare hanc *Gessuri* esse aliam à *Gessuri*, quam tribui Manasse attribuit Iosue cap. 13. v. 11. & 13.

VERS. 5. SEXTVS QVOQVE IETHRAAM DE EGLA VXORE DAVID] præcipua scilicet & prima ac præ ceteris dilecta. Nam & aliæ iam recensitæ erant vxores Dauidis; vnde Sanchez *rò vxore* per Zeugma refert ad omnes præcedentes Dauidis vxores. Hinc Rabbini, Angelom. Lyran. Caiet. Dion putant *Eglam* esse *Michol*, quam Dauid valdè dilexit: ideoque dictam esse *Eglam*, id est *vitulam*, quòd iuuencula esset & pulchra: sed errant: *Egla* enim fuit fecunda: *Michol* verò sterilis, cap. 6. 23. adeò vt etiam ab ea adoptati, occisi fuerint 2. reg. 21. ac de Michol reducta agitur inferiùs v. 14. ita Ioseph. Abul. Vatab. Serarius, Sanchez & alij.

VERS. 8. QVARE INGRESSVS ES AD CONCVBINAM PATRIS MEI?] vel libidinis causâ, vel vt eam in vxorem ducas, itaque ad regnum aspires, illudque mihi eripias? Calumniam hanc fuisse, & Abner ab ea fuisse innoxium, tradit Iosephus in Græco & Vatab.

NVMQVID CAPVT CANIS SVM EGO ADVERSVM IVDAM HODIE?] Nonnulli τὸ *caput canis*, sic exponunt, vt Abner non se sed Isboseth vocet canem, q. d. Numquid ego sum caput & dux hominis vilis & abiecti, qui instar canis est? putà Isbosethi qui cum suis vilibus asseclis quasi canibus, allatrat Dauidem, eiusque regnum Iuda, ac impudenter quasi canis, obijcit mihi insontitam infamem libidinem.

Melius alij censent Abner de se loqui, seseque vocare *caput canis* (nec enim caput à cane separari potest) idque ob libidinem & impudentiam, quam canes capite maximè præ se ferunt, q. d. Numquid ego tam luxuriosus & impudens sum, vt regis & consobrini mei Saulis vxorem vitiarim, cùm totis viribus eius tuumque honorem & regnum propugnare satagam? Rursùm q. d. Numquid ego sum tam vilis & rixosus, vt sim quasi tuus canis, qui pro tuo regno tuendo iugiter pugnando allatrem Dauidem & Iudæos? ita S. Hieron. in Tradit. Angelom. Abul. & Vatabl. Audi S. Hieron. *Propter te & propter domum patris tui, dicor caput canis esse contra Iudam, eò quòd non reducam domum Israel ad Dauid, quem scio vnctum esse regem, & regnaturum super vniuersum Israel. Caput canis*, se dicit esse, id est vilem, eò quòd à domo Iuda sic haberetur, sicut latratus canis, eò quòd princeps esset canum, id est stultorum hominum.

REDDE VXOREM MEAM MICHOL, QVAM DESPONDI MIHI CENTVM PRÆPVTIIS] Dauid repetijt Michol, tum quia illam diligebat, tum quia illa iniustè à Saule ab eo erat ablata, tum quia ipsa erat filia regis Saulis, quam ipse ab eo emerat cæde centum hostium, vt hac ratione per ipsam quasi filiam regis à se carè emptam ab Israelitis eucheretur ad regnum, ac libentiùs vt rex susciperetur, vtpote qui regiæ stirpi iam esset intertus. VERS. 14.

QVONIAM DOMINVS LOCVTVS EST AD DAVID (de Dauide) DICENS: IN MANV (per manum) SERVI MEI DAVID SALVABO POPVLVM MEVM ISRAEL] Verisimile est id Deum dixisse per Samuelem, cùm ipse iussu Dei ipsum vnxit in regem, etsi hæc verba superiùs in eius vnctione non sint expressa. Sciuit tamen Abner ea Deum dixisse, ex communi sermone & fama, quam sensim ipse inaudiuit, præsertim cùm vidit Deum vbique Dauidem prosperare, ac victorijs contra se & Isbosethum ornare: quare occasione huius contumeliæ ab Isbosetho acceptæ, statuit Deo parere, ac regnum ab Isbosetho ad Dauidem transferre. VERS. 18.

IN VLTIONEM SANGVINIS ASAEL FRATRIS EIVS] Hæc fuit vera causa, cur Ioab occiderit Abner, quia scilicet Abner occiderat Asaëlem fratrem Ioab c. 2. 23. Aliam causam addunt Ioseph. Theodor. & Procop. Dionys. Lyran. Serarius & Salianus, scilicet, quia metuebat Ioab, ne Dauid se amoto Abnerem sibi reconciliatum, vtpote insignem belli ducem, castris suis præficeret, vti præfecerat Saul: vt hac ratione omnes milites & Israelitas, quibus charus erat Abner, magis sibi deuinciret; sciebat enim fore, ait Theodor. vt ille præesset exercitui qui vniuersim Israelem adducebat ad regem: hac enim de causa Ioab occidit Amasam cap. 20. VERS. 27.

Fabulantur Hebræi, Ioab iussisse Abner, vt se doceret modum, quo se excalceare solebat is, qui nolebat ducere vxorem fratris sui sine liberis defuncti; cumque Abner ei obsequens caput ad calceum inclinaret, dolosè à Ioab fuisse obtruncatum.

NEC DEFICIAT DE DOMO IOAB FLVXVM SEMINIS PATIENS, ET LEPROSVS, ET TENENS FVSVM, ET CADENS GLADIO, ET INDIGENS PANE] Videtur Dauid, quasi propheta, prophetice maledicere Ioabo, eiusque posteris, ac prædicere vindictam, quam eis Deus ob cæsum Abner illaturus erat: nisi malis cum nonnullis, verba hæc non tam maledictionem sonare, quàm meritum Ioab, eum scilicet mereri vt his pœnis castigetur, scilicet eum mereri morbum seminis & lepram, item ignominiam, cædem & pauperiem. Porrò *fluxum seminis patiens*, est is, qui laborat gonorrhæa, qui morbus est fœdus, & apud Hebræos infamis, aclaborantem faciebat legaliter immundum & irregularem multipliciter, vt patet Leuit. 10. Adde fluxu seminis laborans inutilis est ad generandum, quia semen profundit. Punitur ergo Ioab hîc sterilitate & ἀτεκνία, idque congruè & appositè, vt scilicet liberi eius nullis filijs suis dent vitam, quam ipse Abneri ademerat. VERS. 29.

ET

ET LEPROSVS] Lepra apud Iudæos erat frequens, eratque morbus horridus, qui hominem faciebat immundum planè & irregularem, vide dicta Leuit. 13.

ET TENENS FVSVM] Sept. σκυτάλην, id est scuticam, seu flagellum quale gestant bubulci & agasones, vel peram ex corio qualem ferunt mendici, vel virgam & baculum, quem tenent cæci & podagrici, qui morbo pedum laborant, vt in incessu non offendant ad lapides & muros: vnde Aquila vertit: *cæcus*. Verum Prouerb. 31. 19. Hebr. פלך *pelech*; Sept. Noster, Pagnin. Vatab. Marinus & alij passim vertunt: *fusum*, vti hîc vertit Noster. Iam Hugo per *fusum*, accipit tympanum, quod subinde pulsat leprosus, vt à sui contactu transeuntes arceat, vtque eleemosynam postulet. Magister Histor. scholast. per *fusum*, accepit ventilabrum ad abigendas muscas, quæ leprosos infestant: muscæ enim ad carnes sanioſas & putridas, quales sunt leprosorum, aduolant, vt saniem sugant. Verùm fusus est propriè instrumentum mulierum, quo nent & fila contorquent, q. d. quia Ioab non vt vir aperto marte, sed occultè & dolosè, vt femina, occidit Abner; hinc posteri eius per ignominiam damnentur ad vilia feminarum ministeria, vt tractent fusum & colum, ac mulieribus in filando subseruiant, vti fecit mulierosus Sardanapalus rex Assyriorum, teste Iustino lib. 1. ac subinde faciunt eunuchi, quibus feminarum regiarum cura committitur: imò vt fecit Hercules, qui à filia regis Ætoliæ, quam deperibat, ita effeminatus est, vt eius iussu fusum torqueret & filaret, vti tradunt vel fabulantur Poetæ. Porrò Dauid non occidit Ioabum, vti merebatur, quia Ioab in manu habebat exercitum, ac potuisset se defendere & rebellare Dauidi, vti Abner rebellarat Isbosetho, eique regnum abstulerat. Distulit ergo vindictam, ac moriens Salomoni iussit vt Ioabum occideret 3. reg. 2. 35. ita Theodor. & Ioseph. qui asserit Ioab cum fratre suo plus potuisse in regno, quàm poterat ipse Dauid.

PLANGENSQVE REX ET LVGENS ABNER] licet anteà sibi aduersarium & ducem hostium suorum. *Quo facto*, ait S. Ambros. in Apolog. Dauid. c. 7. *docuit etiam aduersarijs fidem promissam esse seruandam, honorandamq; & in hoste virtutem.* VERS. 33.

CVMQVE VENISSET VNIVERSA MVLTITVDO CIBVM CAPERE CVM DAVID] Hebr. *vt ciburet Dauidem pane*, id est, vt cogeret eum comedere. ita Vatab. sed meliùs vertit Noster, *cibum capere cum Dauid*, quia tota ciuitas cum Dauide luxit mortem Abner, ideoque funebre conuiuium instituit, quod Sept. vocant παραδειπνον, de quo vide Pollucem, Suidam & Athenæum lib. 7. de Dipnosophistis: Iudæos enim funebre epulum celebrasse, patet Tobiæ 4. 18. & ex Iosepho lib. 2. de bello: & idem factitasse gentiles, ex historijs notissimum est. De Christianis res est clarissima. ita Hebræi, Serarius, Sanchez & alij. Idem liquet ex Ieremia c. 16. 15. & Ezech. c. 24. 17. Vide hîc in Dauide huius ritûs, & conuiuij quo defunctis per alimoniam pauperum suffragabatur, antiquitatem. Huc faciunt Parentalia Romanorum, per quæ parentibus vitâ functis parentabant. VERS. 35.

EGO AVTEM ADHVC DELICATVS, ET VNCTVS REX] scilicet ego rex sum tenellus & nouiter vnctus, ideoque debilis & infirmus in regno & potestate regia, nec in ea firmatus, q. d. Tu ô Ioab occidendo Abner ducem belli Israëlis, creasti mihi periculum, ne totus Israel me regem repudiaret, atque ob hanc cædem me quasi illius secretò conscium à regno in perpetuum excluderet. Alij cum Vatab. vertunt: Ego facilis & clemens sum, licet vnctus sim factusque rex; at Ioab & Abisai qui sunt nepotes mei, inclementiores me sunt. Ego enim peperceram Abner, illi autem eum occiderunt: id enim *clemens* directè opponitur τῷ *duri* quod sequitur. VERS. 39.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baana & Rechab dolosè occidunt Isboseth, caputq; eius deferunt ad Dauidem, qui prò boni nuntij præmio illis mortem rependit.

1. AVdiuit autem Isboseth filius Saul, quòd cecidisset Abner in Hebron: & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est 2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filiis Beniamin: siquidem & Beroth reputata est in Beniamin, 3. & fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vsque ad tempus illud. 4. Erat autem Ionathæ filio Saul filius debilis pedibus, quinquennis enim fuit quando venit nuntius de Saul & Ionatha ex Iezrael. tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cumque festinaret vt fugeret, cecidit, & claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth. 5. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit. 6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt. 7. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in cubiculo, & percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti

tota

tota nocte, 8. & attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius. 9. Respondens autem Dauid Rechab, & Baana fratri eius, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 10. quoniam eum, qui annuntiauerat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11. Quantò magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra? 12. Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos: præcidentesque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

VERS. 2. DVO AVTEM VIRI PRINCIPES LATRONVM ERANT FILIO SAVL] LXX. *Duo viri principes turmarum erant Isboseth filio Saul*; Chald. *Duo viri principes capita duorum exercituum, fuerunt cum filio Saulis*; Vatab. *præfecti copiarum. Latrones* ergo hîc vocantur milites, qui huc illuc prædatum excurrere solent (latrones enim propriè dictos non toleraſſet rex Isboseth) nam hi Hebr. vocantur גדודים *gedudim*: sic olim Romani per *latrones* intelligebant milites mercenarios, eò quòd vt latrones & ex insidijs ad prædandum excurrebant, ait Varro, Festus & Nonius Marcellus. Sic Iephte vocatur, *princeps latronum*, id est militum prædantium, Iudic. 11. 3. Fortè hi duo fuêre duces, siue capitanei, custodiæ regiæ, putà militum prætorianorum, qui Isboſethum stipabant & custodiebant, vt modò faciunt Heluetij: sic enim facilis eis fuit in domum ingressus, & ad Isboseth secretus accessus. ita Salianus.

VERS. 3. ET FVGERVNT BEROTHITÆ] putà *Baana* & *Rechab* iam dicti. fugerunt autem à facie Isboseth apud quem militarant, ob facinus aliquod commissum, quod Isboseth punire volebat. ita Rabanus, Abul. Serarius & alij. Perperàm ergo R. Salomon & Cajet. per *Berothitas* accipiunt omnes ciues & incolas vrbis *Beroth*. Cur enim omnes ciues fugissent? Et quid fuga eorum facit ad historiam præsentem? Nam quod ait R. Salomon, & ex eo Lyran. eos fugisse mortuo Saule metu Philisthæorum, eò quòd eis vicina esset *Beroth*, ex eo refellitur, quòd hi duo duces erant militum Isboseth post mortem Saulis, vti dictum est v. 2.

VERS. 4. ERAT AVTEM IONATHÆ FILIO SAVL FILIVS DEBILIS PEDIBVS] nomine, *Mephiboseth*, vt sequitur. Cur hic inducitur mentio Mephiboseth? Resp. vt significetur ex stirpe Saulis nullum superfuisse masculum regno idoneum: nam *Mephiboseth*, qui solus supererat, erat claudus & deformis, ineptusque ad bella Israelis gerenda: quare mortuo Isboseth (cuius cædes hîc narratur) necessariò à stirpe Saulis regnum fuit transferendum ad Dauidem. ita Abul. Aliter Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. Raban. Caiet. R. Salomon, & alij respondent, scilicet, Baana & Rechab militasse non sub Isboseth, sed sub Ionatha, quare fauisse eius filio Mephiboseth, & voluisse eum creare regem, ideoque conspirasse in necem Isboseth: sed Mephiboseth conspirationem eorum detulisse ad Isboseth, cuius vindictam illos metuentes A fugisse, ac secretò redeuntes eum occidisse, vt Dauidis gratiam inirent. Sed hæc mera est coniectura, nullum in Script. habens fundamẽtum.

QVI DORMIEBAT SVPER STRATVM SVVM MERIDIE] vti multi in Italia alijsque regionibus calidis meridiantur, & meridie leuem somnum capiunt: nam alioqui sanctio medicorum est, *Somnum fuge meridianum*. Chaldæus hunc somnum vocat, somnum regum, dicens: *Et ille* (Isboseth) *dormiens somnum regum*: reges enim vigilantes, qui noctu sæpè pro salute & negotijs regni excubare & nocles ducere insomnes coguntur, somnum captant à meridie. Sicut Epaminondas Dux Thebanorum, ijs festa & conuiuia celebrantibus, indeque dormitantibus, excubare solebat, dicens: *Ego contra hos pernigilo, vt vos securè conuiuemini*; Verè aurea principis sententia. Idem Epaminondas cùm quemdam è vigilibus dormientem transfixisset, ideoque nimiæ seueritatis argueretur: *Talem*, inquit, *eum reliqui, qualem inuenti*; nimirùm *vita, viuentium vigilia, ideoq; vita dormientium mors potiùs est, quàm vita*: vnde Christus in Euangelio crebrò *vigilare* nos iubet.

ET OSTIARIA DOMVS PVRGANS TRITICVM, (iam trituratum, eximendo lapillos, paleas &c. ac singula quasi grana seligendo, vt planè sint pura ad delicias) OBDORMIVIT] scilicet ex labore purgandi, æquè ac ex æstu fessa in somnum incidit. Pulchram & perutilem hac de re Tropologiam affert S. Gregor. lib. 1. Mor. cap. 18. *Ostiaria*, ait, *triticum purgat, cùm mentis custodia discernendo, virtutes à vitijs separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprij domini insidiatores admittit: quia cùm discretionis solicitudo cessauerit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atq; in inguine feriunt: quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire est vitam mentis delectatione carnis perforare.* Damnum verò dormitantis huius custodiæ subijcit, dicens: *Nequaquam verò Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque viriliſq; sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde benè & Isboseth appellatus est, qui custode femina hostilibus gladijs nudatur: Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est, quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaq; virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Eadem ad verbum ex S. Gregor. transcripsit Angelomus, Rupertus & Eucherius: vnde liquet, Eucherium hunc non esse S. Eucherium Lugdunensem Episcopum, qui centum & amplius annis S. Gregorium antecessit; sed Bedam, vel quem illius ævi.

Politicè, discant hîc principes, vel per se vel per fidos amicos excubare, præsertim ijs temporibus quo ceteri dormiunt, vt meridie & noctu: hæc enim tempora captant hostes, vt incautos inuadant & opprimant. Sic Philippus rex Macedonum, pater Alexandri Magni cùm in exercitu dormiuisset, experrectus: *Tutò*, ait, *dormiui, vigilauit enim Antipater.* ita Plutarch. in Apoph. Idem cùm interdiu dormiret, Græcique ad fores conuenientes criminarentur illum, Parmenio eum defendens; *Nolite*, inquit, *admirari si nunc Philippus dormiat: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.* Vera est enim Platonis sententia, quam recenset Laërtius lib. 3. *Nemo dormiens vllâ re dignus est*, quia similis est mortuo. Somnus enim est imago mortis, vti aiebat Alexander Magnus, dictitans ex somno se colligere quòd esset homo mortalis, non Iouis filius, vti nonnulli adulantes dicebant, teste Plutarch. Imò sæpè à somno itur in mortem. vnde Gorgias Leontinus sentiens soporem lethalem obrepere, amico percunctanti: *Quo pacto haberet? Somnus*, inquit, *iam incipit me fratri suo* (morti) *commendare.* ita Ælian. lib. 2.

VERS. 6. INGRESSI SVNT AVTEM DOMVM LATENTER ASSVMENTES SPICAS TRITICI] vt fraus & cædis Isboseth machinatio lateret, si cui vigili occurrerent: videbantur enim esse tritici messores, vel emptores & mercatores, vt vertit Chald. R. Salomon & alij, vnde ex Hebr. veritas, *ingressi sunt in medium domus accipientium frumenta*: licet Hebræi apud S. Hieron. putent eos gestasse spicas tritici, quòd fingerent se eas quasi primitias & munera regi Isboseth oblaturos. Alij, vt spicis faciem tegerent, ne agnoscerentur. Alij censent, eos spicas vitientes detulisse ostiariæ, vt illa solita purgare triticum, spicas exfollicularet & tereret, itaque faceret polentam, quæ priscis erat in delicijs: hoc enim feminarum erat opus. Vnde Abigail polentam obtulit Dauidi, vt eius iram leniret lib. 1. cap. 25. v. 18. ita Sanchez. quæ coniectura est apposita & vero-similis.

ET PERCVSSERVNT EVM IN INGVINE] Hebr. *sub quinta*, scilicet costa, quæ est vltima, sub qua nihil est osseum, sed venter mollis, ideoque ictui & perforationi lethali opportunus.

VERS. 11. QVANTO MAGIS NVNC, CVM HOMINES *Cornel. in lib. Regum.*

A IMPII INTERFECERVNT VIRVM INNOXIVM &c.] Isboseth erat hostis & noxius Dauidi, cum eoque de regno digladians: Dauid tamen eum vocat *innoxium*, quia censebat eum bona fide existimare, ad se, quasi ad Saulis regis defuncti filium, regnum pertinere: nec enim ei liquidò constabat illud ex Dei dono ad Dauidem esse translatum; licet enim fortè audisset Dauidem à Samuele vnctum in regem, tamen ius Dauidis ei non erat liquidum; nam excipere poterat aë dicere, Dauidem vnctum quidem in regem, sed suæ tribus Iudæ dumtaxat, ceteras ergo tribus ad se spectare. Aut, Dauidem vnctum quidem esse in regem, sed vt regnaret eo casu, quo stirps regia Saulis deficeret vt illi succederet: iam autem hanc stirpem nedum defecisse, sed in se perdurare: quare Dauidem non posse exclusa stirpe regia, regnum suum inuadere.

INTERFECERVNT EOS] Fecit id Dauid, vt amoliretur à se suspicionem populi, quòd ipse secretò auctor vel conscius fuisset cædis Isboseth. Rursùm vt amorem suum erga Saulem & Isboseth, licet sibi inimicos ostenderet, itaque clementiæ & beneficentiæ famam sibi apud omnes tribus conciliaret, quæ magnam regi apud subditos benevolentiam & auctoritatem conciliat. Tertiò, vt quasi rex & iudex puniret tantum scelus, ac iniquam cædem regis vlcisceretur. Corpus enim regium omnibus inuiolabile esse debet. VERS. 12.

Porrò Theodor. & Abulens. censent Dauidem hos regicidas crucifixisse. Ioseph lib. 7. c. 2. ait eos exquisitissimis tormentis fuisse affectos: sed nil tale habet Script. quæ innuit eos illicò fuisse occisos, ideoque gladio vel lancea confossos, ac mox manus quibus cædem patrarant, & pedes, quibus ad eam contenderant, fuisse præcisos & suspensos ad perpetuam sceleris memoriam & vindictam.

CAPVT AVTEM ISBOSETH TVLERVNT, ET SEPELIERVNT IN SEPVLCHRO ABNER IN HEBRON] quia Hebron erat locus quasi sanctus, consecratus sepulturæ Abrahæ, Isaac & Iacob; & vt multi volunt, Adæ. Vide dicta Iosue 14. 15.

Porrò pompam funeris Dauid non exhibuit Isboseth, quam exhibuerat Abner, tum quia Abner in ditione sua erat occisus iuxta Hebron; Isboseth verò extra limites regni sui: tum quia Isboseth perpetuò aduersatus erat Dauidi; Abner verò ab Isboseth transierat ad Dauidem, ad eumque ceteras tribus traducere satagebat. Denique cùm Abner occideretur, vehemens omninò erat multorum suspicio, Dauidis iussu vel nutu eum fuisse occisum, quare vt hanc suspicionem eis demeret, opus fuit illi summè honorare Abnerem in funere. ita Abul. Salianus & alij.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VNdecim tribus creant sibi vnguntq; Dauidem regem in Hebron. Mox. vers. 6. Dauid Iebusæis cæsis extorquet arcem Sion, in qua Hiram curat ædificari domum Dauidi: Vbi Dauid vers. 13. multiplicat vxores & filios. Denique vers. 18. cædit Philisthæos primò, & secundò vers. 23. dante Deo signum Dauidi sonitum gradientis in cacumine pyrorum.

1. ET venerunt vniuersæ tribus Israel, ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum & caro tua sumus. 2. Sed & heri & nudiustertius, cùm esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel. 3. Venerunt quoque & seniores Israel ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxeruntque Dauid in regem super Israel. 4. Filius triginta annorum erat Dauid, cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit. 5. In Hebron regnauit super Iudam septem annis & sex mensibus: in Ierusalem autem regnauit triginta tribus annis super omnem Israel & Iudam. 6. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebusæum habitatorem terræ: dictumque est Dauid ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc. 7. Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid. 8. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid, idcircò dicitur in prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum. 9. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit per gyrum à Mello & intrinsecus. 10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo. 11. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: & ædificauerunt domum Dauid. 12. Et cognouit Dauid quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel. 13. Accepit ergo Dauid adhuc concubinas & vxores de Ierusalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt Dauid & alij filij & filiæ: 14. & hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon, 15. & Iebahar, & Elisua, & Nepheg, 16. & Iaphia, & Elisama, & Elioda, & Eliphaleth. 17. Audierunt ergo Philisthiim quòd vnxissent Dauid in regem super Israel: & ascenderunt vniuersi vt quærerent Dauid: quod cùm audisset Dauid, descendit in præsidium. 18. Philisthiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim. 19. & consuluit Dauid Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua. 20. Venit ergo Dauid in Baal Pharasim: & percussit eos ibi, & dixit: Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim. 21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit Dauid, & viri eius. 22. Et addiderunt adhuc Philisthiim vt ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim. 23. Consuluit autem Dauid Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum. 24. Et cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim. 25. Fecit itaque Dauid sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim, de Gabaa, vsque dum venias Gezer.

VERS. 1. ET VENERVNT VNIVERSÆ TRIBVS ISRAEL AD DAVID IN HEBRON] vt eum sibi regem crearent communi omnium consensu, vide 1. Paral. 12. v. 23. & seq. vbi fusè hic tribuum aduentus & ordo describitur.

DICENTES: ECCE NOS OS TVVM, ET CARO TVA SVMVS] hoc est nos cognati tui sumus, ita Chald. ne enim putaret quis Dauid sanguine contingere tribum Iuda dumtaxat, ex qua oriundus erat, ideoque eum solius tribus Iuda esse regem, hac de causa ceteræ vndecim tribus hîc asserunt Dauidem quoque suum esse consanguineum: omnes enim tribus erant consanguineæ, eò quòd ex duodecim fratribus Patriarchis filiis Iacob prognatæ essent. Hæc est ergo prima ratio, cur Dauid sibi in regem eligant, quòd ex eis sit ortus, eisque sanguine iunctus, sequitur ratio secunda.

VERS. 2. SED ET HERI ET NVDIVSTERTIVS, CVM ESSET SAVL REX SVPER NOS, TV ERAS EDVCENS ET REDVCENS ISRAEL] q. d. Tu sub rege Saule magis rexisti populum, quàm Saul, pro eoque feliciter semper pugnasti: par ergo est vt Saule mortuo quasi rex nos regere pergas. Sequitur tertia ratio petita ex Dei decreto & oraculo de Dauidis regno per Samuelem edito.

DIXIT AVTEM DOMINVS AD TE: TV PASCES POPVLVM MEVM ISRAEL] *Pasces*, id est reges: hoc enim est Hebr. רָעָה *tire* & græcum ποιμανεῖς. vnde sciant reges se debere regere pascendo populum, eo modo quo pastor pascit oues: quocirca Homerus Agamemnonem regem ποιμένα λαῶν, id est pastorem populorum.

VERS. 3. PERCVSSIT CVM EIS REX DAVID FORDVS IN HEBRON CORAM DOMINO] id est coram toto cœtu & synagoga populi fidelis, siue duodecim tribuum, cui præsidebat Deus: nam arca Dei non erat in Hebron; quare coram ea hoc fœdus sanciri non potuit. Hoc *fœdus* erat mutua promissio, qua Dauid promittebat se fideliter regnum Israel administraturum iuxta leges à Deo sancitas Deuter. 17. 16. & seq. Israelitæ verò vicissim promittebant se illi obedientes & fideles fore.

VNXERVNTQVE DAVID IN REGEM SVPER ISRAEL] Dauid ter vnctus est in regem Israel: primò, secretò in domo patris à Samuele: Secundò, publicè à sola & tota tribu Iuda: Tertiò, hîc ab omnibus tribubus. Dauid fuit typus Christi, qui tripliciter quoque vnctus est: Primò gratiâ vnionis personalis, propter quam ius adeptus est in omnes Dei electos, vt eorum princeps & caput: Secundò, gratiâ redemptionis in morte: propter quam *Deus exaltauit illum & donauit ei nomen, quod est super omne nomen*, & reipsa regnare cœpit super patres, quos è subterraneis locis eduxit, & paucos Apostolos atque discipulos. Tertiò, gratiâ supremi triumphi, cùm *data est ei omnis potestas in cælo & in terra*, & Spiritu sancto misso de cælo, omnes gentes seruierunt ei: & impletur illud in dies iuxta Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quin & rex triplici iure fuit. Primo vt Deus, *Rex regum, & Dominus dominantium.* Secundò, vt homo, filius & successor Dauidis regis, vnde Nathanael Ioan. 1. 49. *Rabbi tu es rex Israel*: & turbæ venturæ erant, Ioan. 6. 15. *vt raperent eum, & facerent eum regem*, quæ diuinitatem eius non norant: eædemque ingredienti Hierosolymam succlamabant Ioan. 12. 13. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Tertiò, vt Homo-Deus, ex quo dicebat Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* ita Noster, Salianus in Annalib. anno Salomonis 2. nu. 98.

VERS. 4. FILIVS TRIGINTA ANNORVM ERAT DAVID, CVM REGNARE COEPISSET] *Filius triginta annorum*, id est vir triginta annorum. Est Hebraismus, quem explicui lib. 1. c. 11. 1. Hinc patet, Dauidem fuisse iuniorem Ionatha, qui erat quadraginta annorũ & ampliùs, vti ostendi c. 2. 10. Mirum ergo nonnullos censere Dauidem fuisse seniorem Ionatha, quibus fauet S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 32. dicens: *Dauid cùm esset prudentior, Ionatha tamen iunioris consilijs acquiescebat.*

Allegoricè Dauid hîc vti & in aliis omnibus, typus fuit Christi. Audi Angelomum: *Quòd Dauid triginta annorum regnare cœpit, præfigurabat quòd Dominus noster triginta annorum venit ad baptismum, & incipiebat euangelium regni prædicare: cuius regnum sempiternum, & potestas eius alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quaterdenis constat, plenitudinem temporum, & rerum perfectionem significat.* Hoc repræsentauit regnum Dauidis, quod fuit quadraginta annorum.

ET QVADRAGINTA ANNIS REGNAVIT] additis septem mensibus; nam septem annis & sex mensibus regnauit super Iudam, deinde triginta tribus annis super totum Israel: nisi dicas hos triginta tres annos non fuisse integros, & defuisse eis sex menses: sic enim præcisè regnauit quadraginta annis, mortuusque est anno ætatis septuagesimo. Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. dicunt Dauidem regnasse quadraginta annis & sex mensibus; sed hos menses non computari, eò quòd Dauid per sex menses Absalomum fugerit, vel morbo laborarit. Planiùs dicas Script. sæpè numeros integros consignare, & fractiones siue minutias numerorum omittere.

VERS. 6. ET ABIIT REX ET OMNES VIRI QVI ERANT CVM EO, IN IERVSALEM] vt ex Hebron, sedem regni transferret in Ierusalem, eamque faceret regni & synagogæ metropolim, vide quæ de Ierusalem dixi Iudic. 1. & alibi.

NON INGREDIERIS HVC, NISI ABSTVLERIS CÆCOS ET CLAVDOS, DICENTES: NON INGREDIETVR DAVID HVC] Quæres, quinam hi cæci & claudi? Primò, nonnulli putant fuisse imagines & statuas cæcorum & claudorum effictas in muris, vt per eas significarent Iebusæi, arcem Sion ita esse cellam & munitam, vt ipsis nihil agentibus, à statuis istis defendi posset. Secundò, Aben Ezra, R. Salomon cæteriique Rabbini censent fuisse duas imagines duorum patriarchatum, vnam Isaaci cæci, alteram Iacobi claudi, vt per eas admonerentur Israelitæ fœderis, quod cum Isaac & Iacob eorum, pepigerat Abimelech ipsorum auus, Gen. 26. ac proinde abstinerent à bello & inuasione suæ arcis in Sion. Tertiò, Burgens. censet fuisse idola, quæ Iebusæi quasi Deos tutelares collocarint in muris. Quartò, Chald. cæcos & claudos accepit non corporales, sed spirituales: qui scilicet mente cæcutirent & claudicarent, vnde vertit: *peccatores & culpatos.* Quintò, & genuinè veri & propriè dicti hîc intelliguntur cæci & claudi: tales enim milites, quibus in prælio effossi erant oculi, & tibiæ fractæ, Iebusæi collocarunt in muris & turribus altissimis arcis Sion, præsidentes loci munitioni, ad sarcasmum & hostilem irrisionem Dauidis, q. d. Frustra tentas, ô Dauid, oppugnare nostram arcem quæ ita loci natura munita est, vt à solis cæcis & claudis, quos in ea vides defendi possit. Age ergo, si tibi cor est arcem oppugnare, vola in eius muros, & ex eis tolle cæcos & claudos, itaque arce

Cæci & claudi Dauidis quis? Resp. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò, & genuinè.

cem ingredere & occupa; sed scito, post cæcos & claudos, nos oculatos pedibusque & manibus valentes tibi occursuros, & te tuosque è muris deturbaturos. ita Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 2. Procop. Theodor. Angelomus, Abul. Serar. & alij. Sic Tyrij, ait Lyran. in muris Tyri munitissimis constituerunt pygmæos, quasi illi soli eos propugnare sufficerent Ezech. 27. 11. vide ibi dicta.

Addunt Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. & Glossa, Iebusæos à Dauide vocatos fuisse *cæcos & claudos*, id est debiles & inermes, ideoque ipsos hoc conuicium in Dauidem per sarcasmũ retorsisse, eique suos cæcos & claudos obiecisse. q. d. Posuimus in muris nostris defensores cæcos & claudos, quia tu nos cæcos & claudos vocitas: age ergo experire an tales simus, & cum cæcis & claudis hisce dimica, ac videbis non nos, sed tuos milites fieri claudos & cæcos: est hoc scomma militare. Addunt alij, Iebusæos vocasse Hebræos *cæcos & claudos*. Sic enim Manethon, Lysimachus & alij apud Ioseph. lib. 1. contra Appion. conuiciantur Moysen & Hebræos ob lepram, scabiem, aliosque morbos à rege fuisse eiectos. Quare Moysẽ octoginta millia leprosorum, mancorum & mutilorum v. g. cæcorum & claudorum ex Ægypto eduxisse. Scomma ergo hoc in Hebræos detorserunt Iebusæi q. d. Vos Hebræi cum Moyse vestro estis leprosi, mutili, cæci & claudi, ideoque ab Ægyptiis eiecti: vultis ergo occupare arcem nostram Sion? sanè nos experiemini valentiores Ægyptiis, qui vos quasi cæcos & claudos facilè hinc propulsabimus. Insultarunt ergo Dauidi q. d. Tu cum cæcis & claudis tuis Hebræis non ingredieris huc: facesse ergo hinc, & abi redique ad tuos Ægyptios.

VERS. 7. CEPIT AVTEM DAVID ARCEM SION] Nota. Dauid conuiciis Iebusæorum animum non demisit, sed extulit, ac propositis ingentibus præmiis milites incitauit ad arcem Sion inuadendam, qui promissis illecti animosè in arcem conscenderunt, eamque occuparunt, ac cæcos & claudos ibidem à Iebusæis positos deturbarunt. Porrò Dauid anno primo regni sui super totum Israel, qui fuit vitæ eius trigesimus octauus, cepit Sion & Ierusalem, ac sedem regni ex Hebron in illam transtulit, in illaque regnauit triginta tribus annis, vt dictum est v. 5.

VERS. 8. PROPOSVERAT ENIM DAVID IN DIE ILLA PRÆMIVM, QVI PERCVSSISSET IEBVSÆVM, ET TETIGISSET DOMATVM FISTVLAS] id est tectorum imbrices vel canales, per quos aqua è tectis in terram defluebat. q. d. Proposuit Dauid præmium ei qui primus summitates murorum & canalium Sionis apprehendisset, ac eos transiliens in arcem intrasset. Præmium erat vt is fieret dux & princeps militiæ Dauidis. Fecit hoc Ioab, qui proinde licet ob cædem Abner mereretur hoc principatu priuari, tamen ob superatam arcem Sion, quòd scilicet primus in eam, non per cedrum ab Hebræis ad hoc excisam, vt nugantur Hebræi, sed per admotas arci scalas conscendisset, meruit à Dauide in principatu hoc suo confirmari, vt patet 1. Paral. 11. v. 6. Cùm enim vndique scalæ ab Hebræis arci admouerentur, multique per eas in muros euadere contenderent, Ioab omnes superauit, primusque in muros ascendit; vt notam sceleris occisi à se Abner hac generositate & victoriâ deleret, atque Iebusæos arcis custodes occidit ad vnum omnes, excepto vnico Areuna, qui Iudæis erat amicissimus ait Ioseph. Hic enim Dauidi vendidit aream in monte Sion, ad fabricandum in ea templum de quo cap. 24.

ET ABSTVLISSET CÆCOS ET CLAVDOS ODIENTES ANIMAM DAVID] Hinc patet, veros cæcos & claudos, milites Iebusæos positos fuisse in muris Sionis, quos Dauid per Ioab abstulit, &, vt aiunt LXX. Roman. *pugione occidit*. Obiiciebat Marcion Christum non esse filium Dauidis, vel certè ab eo esse degenerem, eò quòd Dauid occidisset cæcos & claudos, quos Christus sanabat. Resp. Tertul. lib. 4. contra Marc. 36. Dauidem occidisse Iebusæos cæcos & claudos *odientes animam Dauid*; at cæci & claudi curati à Christo non odiebant, sed amabant Christum, ab eoque visum poscebant. Quare *cæci* illi & *claudi* Iebusæi resistentes Dauidi repræsentabant ait Angelom. Scribas & Pharisæos, qui spiritualiter erant *cæci*, quia non agnoscebant Christum; & *claudi*, quia ad bona opera erant tardi & inepti, quos proinde Christus redarguit & morte æternâ puniuit, de quibus ipse ait: *Cæci sunt, & duces cæcorum*, Matth. 15. 14. & c. 23. 13. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*.

Mystice ergo, *cæci & claudi* sunt infideles, hæretici & fideles prauè viuentes, qui factis negant, quæ se credere profitentur, quique in via Dei claudicant, nunc Deo nunc mundo seruire & placere conantes. Hi non ingrediuntur templum cæleste. Quocirca S. Paulus Hebr. 12. 13. dicit: *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur*. Oremus ergo cum Psalte Deum, *vt non infirmentur vestigia nostra*, psal. 17. 17. & *vt ponat pedes nostros quasi ceruorum*: ibidem v. 34. *vt viam mandatorum Dei curramus*, Psal. 118. 32. Sapienter S. Ambrosius serm. 68. *Petrus*, ait, *petra est super quam ædificatur Ecclesia, ideoq; sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmat, vti claudo gressum restituit*, Act. 3. 7. & *vt Christianus non iam trepidus & imbecillis possit super petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere*.

IDCIRCO DICITVR IN PROVERBIO: CÆCVS ET CLAVDVS NON INTRABVNT IN TEMPLVM] Hebr. *in domum*, quod Salianus & alij accipiunt de domo, siue palatio Dauidis: Vatab. de arce Sion. q. d. Quia cæci & claudi Iebusæi restiterunt Dauidi in arce Sion, eumque irriserunt; hinc sanxit Dauid, eique hanc pœnam statuit, vt nemo eorum deinceps arcem Sion, & domum suam in arce sitam ingrederetur. Verùm Noster & LXX. domum Dei intelligunt, scilicet *templum*. Porrò poterant Hebræi cæci & claudi ingredi templum vetus, nam eos in illo curauit Christus, Matth. 21. v. 14. Dauid ergo templi ingressu arcuit & prohibuit non Hebræos, sed Iebusæos cæcos & claudos, qui ipsum irriserant, q. d. Vos Iebusæi cæci & claudi superbè insultastis Dauidi, quòd ipse nequiret occupare arcem Sionis: idcirco ipse eâ occupatâ vobis

vobis in congruam pœnam hoc scomma in vos retorquet, statuitque ne quis vestrûm in arcem Sion, & multò minùs in tabernaculum, vel templum in monte Sion ædificatum ingrediatur: quare vestrum dicterium in prouerbium abiit, vt, cùm quem stultæ suæ ostentationis meritas dare pœnas, illamque in caput ostentantis retorqueri homines vident, dicant: *Cæcus & claudus non intrabunt in templum*, q. d. Hic iactabundus donum suum, quod superbè ostentabat, perdidit, eoque in pœnam iactantiæ suæ spoliatus est. Idipsum tamen ad literam dicitur de sacerdotibus, qui si cæci essent vel claudi, arcebantur ministerio templi Leuit. 21. 18. Alij putant hoc prouerbium dici de re impossibili, vt, cùm quid impossibile quis tentat, dicatur ei: *Cæcus & claudus non intrabunt in templum*, q. d. Rem impossibilem tentas eamque possibilem efficere satagis, sed frustrà. Hic fuit primus actus regni Dauidis super totum Israel, scilicet occupatio Sionis, ac regij throni translatio ex Hebron in Sion & Ierusalem. Volebat enim Deus in ea statuere caput regni & synagogæ, eò quòd Christus Dauidis antitypus in eâdem erat prædicaturus & erecturus Ecclesiam, ibique regnum suum spiritualæ inchoaturus: iuxta illud Isaiæ c. 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Ecclesia enim est *Sion*, id est *specula*, quia per fidem speculatur Deum in terris, & per visionem eumdem speculabitur in cælis. Et c. 62. 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur*.

VERS. 9. ET ÆDIFICAVIT PER GYRVM A MELLO] De *Mello* & totius Hierosolymæ situ & structura, vide Adrichom. Atiam & Villalpandum lib. 2. de Templo c. 2. in Apparatu præfectus huius ædificationis fuit Ioab 1. Paral. 11.

Porrò Chald. Cant. 7. 4. vertit, *ædificauit arcem Sion, quæ vocatur Migdala de Libnan, id est turris Libani, quia omnis qui steterit in ea potest numerare omnes turres quæ sunt in Damasco*. Melius idem c. 4. 15. ait ipsam Ierusalem vocari *Libanum*.

MELLO] Hebr. idem est quod plenitudo, vnde Hebræi per *Mello* accipiunt locum comitiorum, quia illic congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alij intelligunt aggerem qui cingebat arcem. Alij putant fuisse fossam circa arcem, quæ dicta sit *Mello* quod aqua impleretur. Alij autumant *Mello* fuisse summitatem, siue verticem montis Sion. Verùm dico cum Ioseph. Villalp. Saliano, Sanchez, Richardo, Adrichom. & aliis Chorographis: *Mello* erat vorago ac vallis profunda & lata valdè, quæ montem Sion à ciuitate inferiori discernebat: atque à porta aquarum, Occidentẽ versùs, vsque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine Dauid montem Sion per gyrum ædificauit ac muniuit. Huius concauitatem Salomon, vt commoda esset platea coæquauit (vnde etiam *platea portæ aquarum vocatur*) eamque ædificiis ornauit, quæ collapsa ab Ezechia restaurata sunt. Hîc Ioas rex Iudæ à suis seruis in descensu Sela occisus est. Iosephi autem ætate hæc vallis *Tyropœon* appellabatur, in quam, vt scribit, domus crebertimæ desinebant: eratque latissima, & habitationibus hominum frequentissima. Verùm nunc vorago ipsa tota repleta est, relictis tamen prioris concauitatis vestigiis. indeque dicta est *Mello*, id est plenitudo, eò quòd ruderibus, saxis & domibus impleta esset. Hic enim liber scriptus est post fabricam Sionis & templi, cùm iam *Mello* esset *Mello*, id est plena.

ET CONCVBINAS] *Concubinæ* non erant meretrices & pellices, sed secundariæ vxores, vtpote inferioris sortis & status, vti iam sæpiùs monui. Quocirca harum filij non numerantur 1. Paral. 3. 9. VERS. 13.

Porrò 1. Paral. 3. v. 6. & 8. repetitur & bis ponitur *Elisama* vnus Dauidis filius, quia scilicet Dauid duos habebat filios, quibus idem nomen *Elisamæ* indidit, vel quia priore mortuo, posteriori idem nomen imposuit, ait Vatabl.

VERS. 17. AVDIERVNT AVTEM PHILISTHIM, QVOD VNXISSENT DAVID IN REGEM SVPER ISRAEL, ET ASCENDERVNT VNIVERSI VT QVÆRERENT DAVID] vt eum initio regni adhuc inualidum & quasi inermem opprimerent, ne viribus auctis & regno confirmato ab eo opprimerentur, vti ab eo oppressi fuerant occiso Goliath 1. Reg. 17. & seq. Vnde Dauid videns se hostibus circũstum, ad Deum confugit, dictauitque psal. 2. *Quare fremuerunt gentes*, &c. vbi ad litteram Philisthæorum contra se conspirationem, Allegor. Iudæorum & gentium contra Christum & Apostolos coniurationem, suamque & Christi de iis victoriam describit.

QVOD CVM AVDISSET DAVID, DESCENDIT IN PRÆSIDIVM] id est locum munitum. ita LXX. putà *in arcem*, vt vertit Chald. & Vatabl. nimirum in arcem Sionis; hæc enim erat munitissima sedes Dauidis, iuxta quam castra metabantur eius hostes Philisthæi in valle vicina dicta *Raphaim*. Sic Noster, *præsidium* passim sumit pro arce vel loco munito. Aut potiùs *præsidium* hoc erat arx munita iuxta speluncam Odollam, in quam se recipere solebat Dauid persequente Saule. ita Vatab. & Salianus.

PHILISTHIIM AVTEM VENIENTES DIFFVSI SVNT IN VALLE RAPHAIM] Vallis quæ adiacet Hierosolymæ, dicta est *Raphaim*, id est Gigantum, à cæsis ibidem à Iosue vel quo alio, Gigantibus: LXX. vertunt, *in valle Titanum*, id est Gigantum. Alludunt enim ad fabulam Titanum, quam poëtæ mutuati sunt à Gigantibus, Genes. 6. Fingunt enim ipsi Giganres fuisse homines vastissimos & superbissimos, qui cum Ioue bellarint, ideoque ab eo fulmine percussi sint. VERS. 18.

DIVISIT DOMINVS INIMICOS MEOS SICVT DIVIDVNTVR (dispérguntur) AQVÆ, vase rupto, vel riuis ex torrente in varias fossas deductis. PROPTEREA VOCATVM EST NOMEN LOCI ILLIVS, BAAL PHARASIM] id est habens rupturam vel fracturam. q. d. Vallis fracturarum, vel planities diuisionum. ita Chald. & alij, vbi scilicet Deus diuisit & dispersit Philisthæos per arma & milites Dauidis. Huius vallis diuisionis meminit Isaias c. 28. 21. VERS. 20.

ET RELIQVERVNT IBI SCVLPTILIA SVA (idola, siue lares, & deos Penates siue tutelares suos) QVÆ TVLIT DAVID] & *combussit* vt addit Chald. idque diserte dicitur 1. Paral. 14. v. 12. Lex enim Deuter. 7. 25. idola iubebat comburi. Rependit Dauid vicem Philisthæis: hi VERS. 21.

Cornel. in lib. Regum.

enim 1. Reg. 5. 2. ceperant arcam fœderis, eamque dicarant Deo suo Dagon.

VERS. 23. GYRA POST TERGVM EORVM, ET VENIES AD EOS EX ADVERSO PYRORVM] Hebr. *bechaim* quod Aquila & Noster vertit, *pyrorum*; Pagn. & Vatab. vertunt, *mororum* quæ cùm stillant humorem quo turgent, flere videntur; Chald. *arborum*; Septuag. κλαυθμῶνος, id est fletus & plorationis, à rad. בָּכָה *bacha*, id est fleuit, vagiit. vnde Ioseph. 7. Antiq. 4. locum hunc vocat, *syluam fletus*: quod Hebræi apud S. Hieron. sic explicant, vt locus hic dictus sit *plorationis*, eò quòd in eo Philisthæi deplorarint tam suam, quàm suorum idolorum stragem; idola ergo suis cultoribus sunt omnis miseriæ & fletus causa, ait Angelom. Addúntque Dauidem irrupisse in castra Philisthæorum eò loci, vbi erant idola, in quibus Philisthæi maximè confidebant: quare iis illicò disturbatis facilè reliqua castra disturbasse. Alij censent Philisthæorum idola dici fletus, quòd iis non nisi lacrymis sacrificari oporteret; alij, quòd arbores istæ cum oculis & lacrymis habeant sympathiam: liquorem enim quasi lacrymas distillant, vnde & lacrymari dicuntur.

Porrò *Clauthmon* nomen erat loci dicti à fletu, vt docet S. Hieron. Eusebius, Adrichom. in locis Hebr. & alij passim: locus hic erat iuxta Hierosolymam in valle Raphaim ad Occidentem, vel, vt S. Hieron. ad Septemtrionem. Vnde hic videtur esse *locus flentium*, de quo Iudic. 2. v. 1. ibi enim Septuag. vertunt, κλαυθμῶνα, vide ibi dicta.

VERS. 24. ET CVM AVDIERIS SONITVM GRADIENTIS IN CACVMINE PYRORVM, TVNC INIBIS PRÆLIVM: QVIA TVNC EGREDIETVR DOMINVS ANTE FACIEM TVAM] Per hunc gressum primò, Ioseph. & Theodor. intelligunt ipsarum arborum in cacuminibus agitationem, cùm nullus flaret ventus. Secundò, Hebræi apud S. Hieron. compactionem & deletionem idolorum per angelos. Tertiò, & genuinè: Angeli, quasi Dei legati, & duces belli, excitabant tragorem quemdam in verticibus arborũ, perinde ac per eos incessissent & processissent ad prælium, pugnaturi cum Dauide contra Philisthæos, vt ipsi percellerentur cùm à fronte tot & tantos hostes sibi imminere audirent, & à tergo instantem Dauidem aduerterent: vnde Chald. vertit, *cùm audieris vocem clamoris in capitibus arborum, tunc confortaberis, quia tunc exibit Angelus Domini ad prosperandum ante te, vt occidat castra Philisthæorum.*

Vide hîc mirum Dei à Dauide inuocati in prælio auxilium & præsidium: voluit enim Deus pro suo Dauide pugnans, vt Philisthæi concluderentur hinc pyreris, inde exercitu Dauidis, vt ipsi strepitu angelorum, quem ipsi quasi armati progredientes ex aduerso Philisthæorum edebant, in pyrorum arboribus, quasi validis hostium manu eos inuadente perculsi diffugerent; & in Dauidis manus inciderent, ibique partim ab eo, partim ab angelis Dauidis tutelaribus cæderentur. ita Abul. & alij. Sed cur Deus signum hoc dedit in sonitu pyrorum, potiùs, quàm amygdalorum, cerasorum, ficuum &c. Resp. primò, quia iuxta Ierusalem in valle Raphaim erat copia pyrorum, adeò vt pyretum hoc dictum sit *vallis pyri*, teste Adrichom. in Descript. Ierusalem, n. 238. ita Lyran. Secundò, quia pyri celsiores sunt ficubus, cerasis, amygdalis, &c: vnde magis conueniebant angelis, qui ex celsis cælis in pyros descendebant, vt excelsum & cælestem strepitum in pyris excitarent, quo Philisthæi percellerentur, cogitantes angelos è cælis contra se pugnare. Tertiò, quia pyrus est mascula, & masculi saporis, ita vt pomus femina esse videatur: vnde repræsentat eos qui masculo sunt animo & virtute, quales sunt angeli & Apostoli. Quartò, quia *pyrum* dicta est quasi *pyra*, eò quòd flammæ similitudinem reddit è lato in acutum tendens, ait Sipontinus. Sic flammei sunt angeli & Apostoli, iuxta illud: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, psalm. 103. 4. Hebr. 1. Quintò, in pyris est proprietas vini, ait Plinius lib. 14. 14. præsertim in falernis ita dictis à potu, quoniam tanta vis succi abundat. Sic Apostoli recepto Spiritu sancto videbantur musto pleni, Actor. 2. æquè ac Angeli. Sextò, pyra sunt densa, ideoque ponderosa, adeò vt nonnulla dicantur libralia. Adhæc pyrorum multæ sunt species. Denique *serotina ad hiemem vsque ad matrem pendent gelu maturescentia, græca, ampullacea, laurea*, ait Plinius, sic graues, varij & perdurantes, imò æterni sunt angeli.

Cur in pyris apparuit angelus?

Primo

Secundò

Tertiò

Quartò

Quintò

Sextò

Simili modo angeli ex alto pugnarunt contra Pharaonem pro Moyse, Exodi 14. 24. & contra Chananæos pro Iosue, c. 10. 14. & pro Barac contra Sisaram, Iudic. 5. 20. & pro Iuda Machabæo contra Lysiam, 2. Machab. 11. 8.

Tropol. Angelom. *per sonitum gradientis in cacumine pyrorum*, inquit, *aduentum Domini significat super celsitudinem Prophetarum & Apostolorum, virtute diuinitatis suæ supergradientem, sicut in Canticis canticorum scriptum est cap. 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Pyrorum autem cacumina arborum significant summitates. Quid per arbores nisi sublimes patres intelliguntur? in quorum cacuminibus dum sonitus auditur, id est, dum in sublimitate vitæ sonus, flante Spiritu sancto, prædicationis intonuit, Dauid noster virtute suæ diuinitatis, qua celsitudinem Sanctorum transcendit, Philisthæos, id est, immundos spiritus superauit.*

PERCVSSIT EOS DE GABAA] quæ alibi VERS. 25. vocatur *Gabaon*; vel certè Gabaa vicina erat Gabaon.

VSQVE DVM VENIAS GEZER] quæ erat vrbs Philisthæorum, ait Ioseph. & patet 3. Reg. 9.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid arcam fœderis religiosè solenni pompa ex domo Abinadab transfert in domum Obededom, inde vers. 14. in Sion ludens & saltans coram ea, vnde ipsum irridet vxor Michol vers. 20. sed eam arguendo compescit Dauid.

1. CONgregauit autem rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. 2. Surrexitque Dauid, & abiit, & vniuersus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adduceret arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam. 3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum nouum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filij Abinadab, minabant plaustrum nouum. 4. Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam. 5. Dauid autem & omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris & tympanis & sistris & cymbalis. 6. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. 7. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. 8. Contristatus est autem Dauid, eò quod percussisset Dominus Ozam; & vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, vsque in diem hanc. 9. Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? 10. Et noluit diuertere ad se arcam Domini in ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in domum Obededom Gethæi. 11. Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius. 12. Nuntiatumque est regi Dauid quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius, propter arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli. 13. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bouem & arietem, 14. & Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. porrò Dauid erat accinctus ephod lineo. 15. Et Dauid & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in iubilo, & in clangore buccinæ. 16. Cumque intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo. 17. Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocausta, & pacifica coram Domino. 18. Cumque complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19. Et partitus est vniuersæ multitudini Israel, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubulæ carnis vnam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, vnusquisque in domum suam. 20. Reuersusque est Dauid vt benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saul in occursum Dauid, ait: Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. 21. Dixitque Dauid ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israel, 22. & ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.

VERS. 2. VT ADDVCERENT ARCAM DEI] ex Gabaa in Sion, tum vt Dauid haberet arcam apud se, & coram ea Deum religiosè coleret & inuocaret; tum vt magis honoraretur arca & Deus in ea, vtpote in vrbe regia, tum vt euaderet maximas calamitates, quas Deus Israeli immiserat ob neglectè habitam arcam in Gabaa, ait Ioseph. licet id neget Abulens.

SVPER QVAM INVOCATVM EST NOMEN DOMINI EXERCITVVM] Est Hebraismus q. d. Quæ vocatur arca Domini, qui dicebatur sedere super alas Cherubim, siue super propitiatorium; ita vt haberet arcam pro scabello pedum suorum, quia inde Angelus in assumpto

corpore de nube pro Deo dabat oracula & re-
sponsa. ita Abulens. Vatab. & alij.

VERS. 3. ET IMPOSVERVNT ARCAM DEI SVPER PLAVSTRVM NOVVM] Fuit error Dauidis ex ignorantia, vel potiùs Leuitarum peccatum: quia arca non debebat vehi plaustro, sed portari humeris sacerdotum vel Leuitarum, vt patet Numer. 4.15. & seq.

TVLERVNTQVE EAM DE DOMO ABINADAB, QVI ERAT IN GABAA] *Gabaa* erat locus vel collis in vrbe Cariathiarim: ibi enim erat domus Abinadab & arca, vt patet 1. Reg. 7.1.

MINABANT, agebant, ducebant, PLAVSTRVM] Oza & Ahio fratres, quòd Abinadab pater eorum iam erat mortuus, vt ex hoc loco colligitur.

VERS. 6. VENERVNT AD AREAM NACHON] ita Hebr. Aquila, Angelom. & alij, licet Septuag. Romæ correcti habeant *Machor*, pro quo 1. Paral. 13. 9. legitur *Chidon*, quia ibidem scutum suum, quo hostes profligauit, Iosue c. 8. v. 18. posuit, ait S. Hieron. in Tradit. siue quia Nachon erat nomen viri & heri areæ, qui alio nomine vocabatur *Chidon*.

EXTENDIT OZA MANVM AD ARCAM DEI, ET TENVIT EAM; QVONIAM CALCITRABANT BOVES] Oza non erat sacerdos, vt vult Angelom. & Glossa; sed Leuita, vt docet S. Hieron. Epist. ad Sabinianum, S. Gregor. 5. Mor. 16. Auctor Mirabilium S. Scripturæ l. 2. c. 12. Ioseph. Serarius & alij, idque satis liquet ex 1. Paral. 26. 15. Quare mirum est D. Soto in 4. dist. 13. q. 3. cui fauet Sanchez, asserete Ozam non fuisse Leuitam; sed laicum.

CALCITRABANT BOVES] Id est, calcitrando videbantur deieçturi arcam in terram: Sept. *circumflectebat eam vitulus*, Chald. *propulerant eam boues*; Vatab. *declinabant eam*. R. Kimchi ex R. Iona, censet boues ob sanctimoniam arcæ viribus destitutos cœpisse deficere & fatiscere, vt membra & iuncturæ eorum viderentur luxari, dissolui & diuidi, eò quòd non boues, sed Leuitæ deberent humeris suis gestare arcam. Verùm 1. Paral. 3. 9. alia causa datur, cùm dicitur, *bos quippe lasciuiens paululum inclinauerat eam*.

VERS. 7. IRATVSQVE EST INDIGNATIONE (id est vehementer iratus & indignatus est) DOMINVS, ET PERCVSSIT EVM SVPER TEMERITATE] Quæres, quare à Deo occisus sit Oza, cùm arcam labantem sustentaret, quod erat officium religiosum? R. Salomon respondet eum percussum ob peccatum Dauidis, qui arcam plaustro imposuerat. Sed hoc est improbabile. Rursum Theodor. ait eum occisum ob præuium aliquod peccatum nobis ignotum & occultum, præsertim quòd in eo existens ausus sit tangere arcam, ait Auctor Mirabil. S. Script. l. 2. cap. 12.

Cur occisus Oza?

Verùm alij certum peccatum assignant: sed varij varium. Primò, S. Hieron. epist. 48. dat hoc, quod Oza arcam humeris non portarit, sed plaustro vexerit. Addunt alij, quòd id fecerit praua Philisthæorum imitatione, de quo lib. 1. c. 6. 7. ita Theodor. Procop. Lyranus. Secundò, alij apud Abul. quòd ipse arcam tangeret illo die, quo nocte præcedente cum vxore rem habuerat, ideoque immundus esset & irregularis: nam & Gentilium sacerdotes dum sacrificabant, debebant esse casti, teste Macrob. lib. 1. Satur. 23. Tertiò, quòd eam tangeret non examinatâ & expurgatâ priùs conscientiâ, ait Pacianus in Paræneſi. Quartò, alij cum Abul. censent eum percussum ob irreuerentiam, quòd irreuerenter tetigerit arcam, idque sine necessitate: leuis enim erat boum calcitratio: nam vt dicitur 1. Paral. 13. *bos*, &c. *paululum inclinauerat arcam*. Addunt, vel potiùs fingunt Rabbini, quòd arca potiùs portaret quàm portaretur. Quintò, alij quòd arcam tetigerit, cùm non esset indutus Ephod & vestibus sacris. Sextò & veriùs, quòd Oza non erat sacerdos, sed Leuita: solis autem sacerdotibus licebat tangere arcam, vt diserte asserit Iosephus, qui erat sacerdos, ideoque legis apprimè peritus lib. 7. Antiq. c. 4. idque clare exprimitur Numer. c. 4. 15. & c. 18. 3. vbi iubentur sacerdotes arcam velo obnoluere; & vectes per angulos arcæ immittere, ne videlicet Leuitæ arcam humeris portantes, eam contingerent, idque sub pœna mortis. Et hoc est quod dicitur: *Percussit eum super temeritate*. ita Iosephus & Ribera lib. 3. de Templo c. 3. Addit Serarius Ozam tetigisse arcam nudam: licet enim ipsa obducta esset velis, tamen vela hæc non erant colligata, sed ita superposita, vt huc illuc vento aut plaustri agitatione agitarentur & ventilarentur. Cùm ergo boues calcitrarent, inclinarunt in vnam partem velamina, sicque accurrens Oza per imprudentiam & incautum zelum nudam arcæ partem tetigit. Ad hoc enim debuissent euocari & adhiberi sacerdotes, qui videntur non affuisse, quia nulli hîc nominantur: idque satis insinuat Dauid 1. Paral. 15. 13. vnde Angelom. & Glossa aiunt eum præsumptuosè & incautè tetigisse arcam. Saluian. lib. 6. de Prouidentia. *Oza*, inquit, *ille Leuites Dei, ipso in officio inofficiosus fuit, qui iniussa præsumpsit*.

Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò verò.* *Tertia.* *Quarta.*

Porro Angelom. Abul. Dion. & alij censent Ozam ista temporali morte castigatum, æternam euasisse. Denique locus iste vocatus est *Percussio Ozæ* vt sequitur; vel *diuisio Ozæ*, vt dicitur 1. Paral. 13. 11. *Diuisio*, qua scilicet Deus diuisit animam Ozæ à corpore, ac Ozam ab hominibus & huius sæculi vita; non autem quòd eius brachium aruerit, & ab humeris, quibus arcam ferre debuerat, sit diuisum, vt aiunt Rabbini nonnulli; Auctor Mirab. S. Script. eum suffocatum asserit.

Alleg. hinc disce quanta puritate & reuerentia accedendum sit ad S. Eucharistiam, in qua non est manna terrestre, quod erat in arca, sed cæleste & diuinum, imò ipse Christus Deus & homo. Audi S. Pacian. in Paræneſ. *Vos appello qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis, qui ad manus sacerdotis in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ accedite, &c. tanta insuit cura diuinæ prouidentiæ, vt audaces manus nec ob auxilium sustineret.* sic & Angelom.

Morales conclusiones. Prima. Secunda.

Tropol. varia hinc documenta eliciunt Patres. Primò, S. Dionis. Areop. epist. 8. laicos non debere se miscere rebus sacris. Secundò, non esse tangendas virgines quæ sunt arca spiritalis Christi. Audi S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium de custodia virgin. *Obtestor te coram Deo & Christo Iesu, & electis angelis eius, ne vasa templi Domini, quæ solis sacerdotibus videre concessum est, facilè in publicum proferas: ne sacrariorum Dei quisquam profanus aspiciat. Oza arcam quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est: neque enim vas aureum & argenteum tam carum Deo fuit, quàm templum corporis virginalis. Præcessit vmbra, nunc veritas est.* Idem epist. 48. ad Sabinianum solicitatorem virginis: *Oza Leuites*, ait, *arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est: quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es?* Tertiò, sacra vasa temere non esse tangenda. ita S. Ephrem tract. de Sacerdot. tom. 1. Quartò, superiorum & sanctorum facta, licet nonnihil à recto declinare videantur, non esse à subditis aliisque iudicanda. Audi S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 10. *Quid est*, inquit, *mens iusti, nisi arca testamenti? Quæ gestata à bobus calcitrantibus inclinatur: quia nonnumquam etiam qui bene præest, dum subiectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionē ex sola dilectione permouetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis casus putatur imperitiæ. Vnde & nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Leuites ergo quasi adiuuans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quiq; fortium facta corripiunt, ipsi à viuentium sorte reprobantur.* Deinde sanctis idipsum applicans: *Quid est*, inquit, *iustum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu reluctare? Quid est iustum de incognita locutione reprehendere, nisi motum eius fortitudini, erroris lapsum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumidè subleuat: quia nequaquam quis sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Vnde rectè & Leuites idem Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur: quia præsumptores quique nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma iudicarent.*

Symbolicè arca est S. Scriptura.

Symbolicè, arca testamenti est S. Scriptura, quam reuerenter tangere, id est legere & audire tenemur: & consequenter arca est anima viri in ea eruditi & sancti. Vnde S. Antonius de Padua ob insignem citationem & explicationem S. Script. in prædicando, à Pontifice vocatus fuit *arca testamenti*. Sic & Gennadius in Catal. Honorati Episcopi Massilienſis os vocat *armarium Scripturarum*. Et Cassianus collat. 14. c. 10. *Continua*, inquit, *meditatio Scriptur. mentem facit arcam testamenti*. Et S. Hieron. in fine c. 2. ad Ephes. *Condatur*, ait, *in nobis arca testamenti, custos legis Domini, & Cherubim scientiæ multitudo, & interiora pectoris nostri in nouum vocabulum transeant, dicamurq; debir, id est oraculum, siue* λαλητήριον, *id est locutorium*.

Et B. Virgo.

Denique arca testamenti est B. Virgo, quæ Christum noui fœderis & testamenti auctorem vtero suo complexa mundo peperit: qui hanc irreuerenter tangit, vtique percutietur à Deo. Sic Nestorius negans illam esse Deiparam percussus fuit, cùm lingua eius blasphema à vermibus erosa computruit. Sic Constantinus Copronymus illam comparans bursæ, quæ exempto auro non nisi vilis est bursa, carbunculo ictus vociferabatur viuum se inextinguibili igni

A traditam esse propter Mariam Deiparam, iubens exinde eam honorari ac celebrari vt Deiparam, ait Glycas ex Cedreno. Vide Paulum Diaconum lib. 21. & Zonaram lib. 3. Sic Caianus mimus blasphemans B. Virginem, ab eadem in somnis correptus, cùm se non corrigeret, manibus & pedibus manè se truncatum reperit, vti refert Ioannes Moschus in Prato spirit. c. 4.

DIVERTIT EAM IN DOMVM OBEDEDOM GETHÆI] Erat hæc domus vel in ipsa vrbe Ierusalem, vel in loco vrbi vicino, vt ait Iosephus; qui & addit, Obededom initio fuisse pauperem, sed iustum, ac Leuitam, idque liquet ex 1. Paral. 16. 3. & c. 16. v. 15. Dices: Quomodo ergo vocatur hîc *Gethæus*, id est Philisthæus, hoc est, vt Theodor. & Procop. *Allophylus*, id est alienigena? Resp. gente erat Iudæus, sed domo fuit Gethæus, quod in Geth natus sit vel habitarit, sicut Elimelech Iudæus habitauit in Moab, Ruth 1. ita Serarius. Porrò *Obededom* hebr. idem est quod *seruiens, colens vel operans rubrum*, ait Pagnin. in nomin. Hebr. Idque appositè, vt rubea & ardens eius deuotio, pietas & charitas denotetur. VERS. 10.

Mysticè, *Geth* hebr. idem est quod *torcular*, quod significat crucem, in qua Christus vitis vera, ait Eucher. calcari & exprimi dignata est, à qua cunctus gentium populus meritò Gethæus, appellari potest, cùm dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. arca Dei ergo, ipseque Deus requiescit in anima Gethæi, id est, fidelis qui amat crucem & mortificationem.

ET BENEDIXIT DOMINVS OBEDEDOM, ET OMNEM DOMVM EIVS] id est prosperauit, & magnis opibus rerumque copia subitò eum cumulauit. ita Ioseph. Tradunt Hebræi apud S. Hieron. omnes eius vxores, ancillas & nurus peperisse masculos, animalia verò gemellos. VERS. 11.

ADDVXIT (illectus benedictione & felicitate, quam ab arca perceperat Obededom) ARCAM DEI DE DOMO OBEDEDOM IN CIVITATEM DAVID] in Sion. hæc enim à Dauide in vrbem exstructa, dicta est ciuitas Dauid, sicut à Romulo condita dictaque est Roma; à Nino Ninive, ab Alexandro Magno Alexandria, ab Antiocho Antiochia, à Seleuco Seleucia, à Ptolemæo Ptolemais, à Constantino Constantinopolis. VERS. 12.

ET ERANT CVM DAVID SEPTEM CHORI] musicorum, qui describuntur 1. Paral. 15. scilicet primus v. 17. secundus v. 18. tertius v. 19. quartus v. 20. quintus v. 21. sextus v. 22. septimus v. 24. vbi *ianitores* vocantur Leuitæ illi qui arcam antecedebant & sequebantur, vt turbam submouerent; & Leuitis arcæ baiulis iter panderent; item ij qui postea in Sion ostiis tabernaculi & templi, in quo erat arca, præficiendi erant.

ET VICTIMA VITVLI] Addunt Sept. *& agni*. Hæc verba desunt in Hebr. & Chald. Est enallage numeri: *victima vituli*, id est victimæ vitulorum: erant enim plures, vt patet ex seq.

CVMQVE TRANSCENDISSENT QVI PORTABANT ARCAM SEX PASSVS, IMMOLABAT BOVEM ET ARIETEM] Ecce hic monitu sacerdotum, qui iam erant præsentes, arca non fuit vecta plaustro, vti factum erat per errorem v. 3. sed VERS. 13.

v.3. sed portata humeris Leuitarum, puta Caa- thitarum, vti Deus iusserat Numer.4.15.

IMMOLABAT] in gratiarum actionem sospitatis omnium, quòd nemo à Deo percuteretur, vti percussus fuerat Oza, atque in supplicem precem, vt Deus continuaret istam suam erga arcam, presbyteros & comites protectionem & clementiam. Vnde 1.Paral.15.26. dicitur: *Cumq; adiuuisset eum Deus ad ambulandum, immolarunt septem tauros, & septem arietes*, videlicet per singulos Leuitarum psallentium choros vnum taurum & vnum arietem. Erant enim septem chori. Quatuordecim ergo victimas obtulerunt, ideoque plura altaria erexerũt, in quibus simul omnes immolarentur, cremato dumtaxat adipe, quod ex lege fiebat in hostiis pacificis, quales hæ erant: alioqui enim in tot victimis mactandis, excoriandis, secandis, cremandis nimis longa fuisset tantæ processionis mora. ita Abul. Denique Serarius censet, ad singulos sex passus has victimas fuisse iteratas. Verùm nil tale habet Script. ac sic processio hæc per totum diem, imò per plures dies durare debuisset: magna enim erat distantia à domo Obededom vsque ad arcem Sion.

Porrò loco citato Paral. fusiùs describitur pompa & iubilus huius processionis & translationis arcæ. Lege illum. hîc tantùm obscura quædam, quæ ibi dicuntur, explicabo. Ibidem ergo v.20 dicitur de Leuitis: *In nablis arcana cantabant*, quod Abul. & alij accipiunt sic q.d. Cantabant arcana mysteria, ideoque voce submissa, ac verbis inuolutis & obscuris. Germanius noster Sanchez per *arcana* accipit psalmos, quorum titulus est עַלְמוֹת *alamoth*, id est arcana & occulta, quales sunt 9. & 45. qui ita aptè solenni huic arcæ translationi congruunt, vt tunc à Dauide compositi videantur. vnde pro *arcana* in lib.Paral.Hebr.pariter est *alamoth*.

Rursum v.21. dicitur *in citharis pro octaua canebant epinicium*, id est carmen triumphale pro victoriis de Philisthæis à Dauide adeptis. Tale carmen sunt psalmi, qui inscribuntur *victori*, scilicet Deo. & Dauidi dicatum, quales sunt psalm. 6. & 11. Horum enim tituli ex Septt. sunt: *In finem pro octaua*, vbi Hebr. est לַמְנַצֵּחַ *lamnatseach*, id est *victori* vel *vincenti*, vt vertit S.Hier. & alij. sed de his plura in psalmis. Videntur ergo tunc psalmos iam dictos quasi epinicium cecinisse Deo pro Dauidis victoriis. Mox v. 22. dicitur: *Chononias autem princeps Leuitarum prophetiæ præerat. Prophetiæ*, id est melodiæ; vnde explicans subdit, *Ad præcinendum melodiam*: nam prophetare sæpè idem est quod laudare & iubilare Deo. Sic enim Samuel & Saul dicuntur prophetasse lib.1.c.19.24. Cogita quantus fuerit hîc tot instrumentorum & cantorum concentus & harmonia. Inde v.26. dicitur: *Cumq; adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri & arietes.* Hebræi *rò adiuuisset*, sic explicant, q.d. Deus eleuauit arcam super humeros Leuitarum, vt illi nullum eius sentirent onus, sed arca seipsam portare & mouere videretur. Verùm dico Deum adiuuisse Leuitas in gestatione arcæ, quia arca tabulis Decalogi lapideis in se inclusis, æquè ac auro quo tegebatur, erat grauis & ponderosa, ac ascensus in montem Sion erat arduus & difficilis: Deus ergo animauit & roborauit Leuitas, vt hilariter & fortiter arcam in ipsam Sionis arcem sursum deferrent. ita Abul. Salianus, Sanchez & alij. Redeamus iam ad nostrum textum & versum.

ET ARIETEM] Hebr. est בְּרִיא *meri* quod æquè ac בָּרִיא *bari* significat animal pingue & saginatum, siue bos, siue ouis sit: hic nequit esse bos, quia is præcessit. igitur est ouis: Vnde Septuag. hîc & alibi sæpè vertunt, *agnum*, qui est aries iunior.

ET DAVID SALTABAT TOTIS VIRIBVS] VERS.14. Nonnulli codices addunt: Et *Dauid percutiebat in organis armigatis*, id est ad armos siue humeros ligatis, q.d. In organis portatilibus: quia enim Dauid simul saltabat, & simul organa pulsabat, debebant illa, vtpote grauia ex humero suspendi, ne saltem vel pulsum impedirent. Verùm hæc verba delenda sunt cum Hebr. Chald. Sept. Roman. Raban. manuscriptis & aliis passim. Videtur *rò armigatis* irrepsisse ex Sept. qui habent in organis ὄργ. ὀτμίνοις, id est concinnis & concinnè modulantibus.

SALTABAT (Varab. *tripudiabat*) TOTIS VIRIBVS (Hebr. & Chald. *in omni fortitudine*) ANTE DOMINVM] id est ante arcam Domini. Quid fecisset Dauid, si veram Dei arcam, puta S. Eucharistiam, ipsumque in ea Christum Dominum conspexisset? Et quid facere conuenit Christianos, cùm eandem in templis consectari, & per plateas solenniter circumduci conspiciunt? Si Dauid tanta pompa concrepantibus tot musicis instrumentis, concinentibus tot Leuitarum choris, cum tot victimis totiusque populi concursu & plausu circumtulit arcam, quid nos facere conuenit, cùm ipse Christus in Eucharistia circumfertur?

Nota & imitare hic insignem Dauidis humilitatem, æquè ac deuotionis feruorem quo meruit fieri pater Christi: quia in arca typica mentis oculis prospiciebat & honorabat Christum antitypum ex se nasciturum. ita Eucher. *Hic*, inquit, *humilitas approbata, superbia damnata, & temeritas vindicata monstratur; quia & ipse Dauid coram arca Domini humiliter saltando non erubuit, mox promissionem filij Dei ex sua stirpe nasciturj suscipere promeruit: & coniux quæ eamdem illius humilitatem despexit, eius semine fecundari non merita, perpetua sterilitatis pœnam luit.*

Porrò S. Ambr. lib.1. Apolog. Dauidis c.6. *Docuit*, ait, Dauid *contuitum regalis potentiæ non habendum, vbi religioni exhibetur officium. Honestum est enim pro religione facere, etsi incongruum sit potestati.* Idem lib.4.Epist.30. ad Sabinum, causam literalem huius saltus dat, dicens: *Ludebat enim Domino puer suus, & ideo amplius placuit: quia ita se humiliauit Deo, vt regale posthaberet fastigium, & vltimum exhiberet Deo quasi seruulus ministerium.* Idem Ambros. serm.25. de sanctis causam huius saltus sublimem, sed mysticam assignat. *Elatus gaudio*, inquit, *in saltationem prorupit. Præuidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Vnde ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ideo ipse præ ceteris prophetiarum auctoribus plus cãtauit, quia latior cunctis per hæc gaudia suos posteros coniugabat: & ad propria vota solito dulciùs inuitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cùm ille ante nuptias tanta exultatione saltauerit ante arcam. Ergo saltauit Propheta Dauid ante arcam.*

arcam. Arcam autem quid nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra semet legem, hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Verumtamen arca intus foris q; auri nitore radiabat, sed & sancta Maria intus foris q; virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti. Audi S. Gregor. lib. 27. Moral. c. 27. (cuius dicta ad verbum more suo transcripserunt Angelomus & Eucherius) *Intueri libet quanta virtutum munera Dauid perceperat, atque in his omnibus quàm forti se humilitate seruabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumq; Israeliticum populum sine vlla contradictione possidere? Et tamen cùm arcam Dei in Ierusalem reuocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, vt creditur, vulgi mos fuerat: Rex se in diuino obsequio per saltum rotat.* Et non ita multis interiectis subiicit: *Ego Dauid plus saltantem stupeo, quàm pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit.*

Porrò saltus hic Dauidis fuit militaris, quasi militis pro arca Dei pugnantis, exultantis & triumphantis. Dauidem imitati sunt Salij Romani, qui erant sacerdotes Martis, sic dicti, quòd in portandis ancilibus saltare solerent: saltus enim militem denotat vegetum, expeditum & animosum: Vnde Ouid. lib.3. Fastor. *Iam dederint Salij à saltu nomina dicta.* Hinc & à Virgil.8. Aeneid. *exultantes Salij* appellantur. Audi Liuium lib. 1. *Numa item Salios duodecim Marti Gradiuo legit, tunicaq; pictæ insigne dedit, & super tunicam aneum pectori tegumen, cælestiaq; arma (quæ ancilia nuncupantur) ferre ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis solemniq; saltatu iussit.*

Denique noster Serarius hîc: Qui hodie, ait, ad nos veniunt ex Syria, testantur Christianos, qui degunt in illis regionibus, die Resurrectionis Domini, nec non aliis celebribus festis, venire in templum cum lyris & citharis, & psalmos inter se cantare, ac vnà saltare, sobriè tamen & modestè; saltare illos aiunt seorsim viros, & seorsim mulieres. sic in Hispania, & India pueri ante Ven. Sacramentum saltando choros & choreas sacras agunt.

Anagogicè S. Ambr. pigri desidia torpent, feruidi exiliunt ad multa & magna virtutum opera, vt per ea in cælum transiliant: *Hæc gloriosa*, ait S. Ambros. lib.4. epist.30. ad Sabinum *sapientis saltatio, quam saltauit Dauid, & ideo vsque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, vt videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: Sedo à dextris meis.* Idem Ambros. lib.2. de Pœniten. c.6. (tomo 3.) *Totum decet*, inquit, *quidquid defertur religioni, vt nullum obsequium quod proficiat ad cultum & obseruantiam Christi, erubescamus. Non ergo illa delitiarum comes, atque luxuriæ prædicatur saltatio: sed qua vnusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardiùs sinat torpere vestigia. Saltabat spiritaliter Paulus, cùm se pro nobis extenderet, & posteriora obliuiscens, priora appetens, contenderet ad brauium Christi. Tu quoque cùm ad Baptismum venis, manus eleuare; pedes quibus ad æternæ conscendas, velociores habere moneris. Hæc saltatio fidei socia, gratiæ comes. Hoc est ergo mysterium: Cantauimus vobis, noui vtique canticum testamenti, & non saltastis: hoc est, non eleuastis animum ad spiritalem gratiam.* Lucæ 7. Idem Ambr. lib.6. in Lucam c.7. docet hanc Dauidis saltationem non fuisse lasciuam, scenicam vel histrionicam; sed honestam, modestam & piam, *Est honesta*, ait, *saltatio, qua tripudiat animus, & bonis corpus operibus eleuatur.*

PORRO DAVID ERAT ACCINCTVS EPHOD LINEO] siue *byssino*, vt dicitur 1.Paral.15.27. byssus enim fit ex lino candidissimo & subtilissimo. Nam ephod polymitum vestis erat solius Pontificis Exodi 28.30. Sacerdotes verò & Leuitæ vestiebantur ephod lineo, à quo hoc Dauidis, vtpote laici, ephod erat diuersum.

DVCEBANT ARCAM TESTAMENTI DOMINI IN IVBILO, ET IN CLANGORE BVCCINÆ] VERS. 15. Addit Ioseph. lib. 8. c. 2. aitque: *Ascendunt q; illò cum victimis, tam rex quàm vniuersus populus ac Leuitæ, libaminibus & multo hostiarum sanguine viam perfundentes, & infinitam vim odoramentorum adolentes, vt circumquaq; totus aër suauitate repletus etiam longè remotis sentiretur.* Additque *diuino auxilio ita roboratos omnes in hac supplicatione, vt nemo lassesceret, ex quo constans esset omnium opinio, aduentare Deum ad inhabitandum recens extructum ac dicatum sibi locum: Nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lassitudo est obortа, dum ad templum peruenirent.*

Allegor. arca significabat Ecclesiam noui testamenti militantem, quam Christus in Sione instituit, ad eamque gentes omnes per Apostolos adduxit, & Iudæos in fine mundi adducet. Audi Eucherium: *Dauid arcam in ciuitatem Dauid induxit, quia Dominus Henoch & Elia prædicantibus, conuertet corda patrum in filios. Boues & arietes immolans, hoc est eos, qui arcam Domini triturant, & ouium eius ducatum gerunt, martyrij sanguine coronans, & ipse quoque sue incarnationis & passionis exemplum eatenus Iudæis non creditum palam manifestans: hoc enim significat, quòd & ipse Dauid accinctus erat ephod lineo, quod de terra procreatum multiplici labore, ad candorem vestis peruehit, sicq; veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit.*

Anagog. arca significabat Ecclesiam Beatorum triumphantem, quam Christus in Sionem cælestem cum triumpho deduxit, præsertim cùm ipse in illud gloriosè cum omnibus S. Patriarchis & Prophetis quadragesimo die post resurrectionem ascendit. Imò arca testamenti repræsentabat Christi humanitatem gloriosam, in qua quasi arca continebatur & absondebatur eius diuinitas. Rursum arca significabat B. Virginem, quam verus Dauid, id est Christus, cum iubilo angelorum omnium & Sanctorum in cælum deduxit & assumpsit.

ET IMPOSVERVNT EAM IN LOCO SVO IN MEDIO TABERNACVLI, QVOD TETENDERAT EI DAVID] VERS. 17. Hoc tabernaculum Dauidis nouum erat, & diuersum ab eo quod fabricarat Moyses Exodi 25. Hoc enim Moysaicum erat in Gabaon. Fuit ergo à Dauide erectum in Sion, vt in eo arcam honorificè collocaret, simulque ante illud erexit altare holocaustorum, in quo victimas immolaret, nam altare à Moyse fabri-

fabricatum cum tabernaculo mansit in Gabaon, indeque postea à Salomone translatum est in templum à se erectum, vt patet 1. Paral. 16. v. 36. & 40.

ET OBTVLIT DAVID HOLOCAVSTA ET PACIFICA CORAM DOMINO] puta coram arca Domini. Porrò Dauid tunc dictauit & cani curauit Psal. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, vt patet ex titulo Psalmi qui est: *In consummatione tabernaculi.* Tunc pariter constituit Leuitas, qui coram arca canerent Psalmum, *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius*, qui recenseretur 1. Paral. 16. 8. ac conflatus est ex Psalmo 104. & 95. ac insuper alios Psalmos.

VERS. 18. BENEDIXIT POPVLO] puta, bene precatus est populo. Verisimile est Abiathar pontificem in tanta solennitate pariter benedixisse populo dicendo: *Benedicat tibi Dominus & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem*, vti præscripserat Deus Numer. 6. 23.

VERS. 19. ET PARTITVS EST, &c: SINGVLIS COLLYRIDAM PANIS VNAM] *Collyrida* erat torta panis vel placentæ, cui dulcearia erant mista ad gustus delicias. Audi Rhodiginum lib. 9. Antiq. c. 16. *Collyra dicta minuti panes, qui idari pueris consueuere. Alicubi tamen collyria dicuntur lalangia; vnde & κολλυριζειν verbum, quo in sartagine lalangiorum percoctio significatur.*

ET ASSATVRAM BVBVLÆ (id est bouinæ; malè ergo in Regiis legitur *bubala*: non enim de bubalis, sed de bobus hîc est sermo) CARNIS VNAM] *Sic* & Sept. hîc æquè ac 1. Paral. 10. 3. Hebr. est אֶשְׁפָּר *espar*, quod compositum ex אֵשׁ *es*, id est igne (q. d. Assum igne) & פַּר *par*, id est iuuencus: vel, vt Marinus in Lexico, conflatum ex אֶחָד *echad*, id est vna, שִׁשָּׁה *sissa*, id est sex, & פַּר *par*, id est iuuencus. q. d. Vna ex sex partibus iuuenci: Pagnin. vertit, *frustum carnis pulchrum.*

ET SIMILAM FRIXAM OLEO] Hebr. אֲשִׁישָׁה *asisa*, quod Vatab. Pagn. Arias & alij Hebraizantes vertunt, *lagenam vini.* hanc enim Dauid pro potu eis dedit cum cibo. Verùm Noster hîc æquè ac Sept. tam hîc quàm 1. Paral. 16. 3. constanter vertunt, *similam frixam oleo*, quibus, vtpote priscis & Hebraicæ linguæ peritissimis, magis credendum est, quàm recentioribus coniectantibus: Vide dicta Cantic. 2. 5. & Osee 3. 1. Potum eis ergo non dedit Dauid, sed iuit vt quisque eum domi ad libitum sumeret, vel si dedit, is hic non exprimitur.

VERS. 20. REVERSVSQVE EST DAVID, VT BENEDICERET DOMVI SVÆ] vt sicut populo bene precatus fuerat, ita bene precaretur suis quoque domesticis qui custodiæ causa in arce remanserant. Rursum *vt benediceret*, id est benefaceret largiendo ipsis eadem vel plura munera, quæ largitus fuerat singulis è populo ob celebritatem & lætitiam translatæ arcæ: ita Serarius, Caiet. Abul. & alij.

ET NVDATVS EST, QVASI SI NVDETVR VNVS DE SCVRRIS] *Nudatus*, non quòd Dauid omnino esset nudus: hoc enim indecens & turpe fuisset, sed quòd deposuisset extimam vestem regalem vt indueret ephod; perinde ac si hodie rex deposito paludamento vestitus thorace & caligis dumtaxat desuper indueret superhumeralem amictum lineum, itaque in processione vel sacrificio Missæ appareret, ac cum cantoribus superpelliceo vestitis caneret. ita Caiet. Michol erat filia regis Saulis, & vxor regis Dauidis; vnde indignum putabat regia sua & Dauidis maiestate, quòd ipse saltaret ante arcam. *Nesciebat ipsa*, ait Theodor. & Procop. *diuini amoris stimulos, qui magnos etiam ad parua excitat.*

Allegor. Angelomus: Dauid transferens arcam, à Michol irrisus est. *Sic Dominus Iesus Christus*, inquit, *cùm testamentum Dei in Ecclesiam suam transferre voluit, hoc est, ex veteri testamento Euangelica præcepta: velut qui noua conderet, à plebe Iudaica comprehensus, atque in cruce suspensus, ludibrium eis fuit. In qua cruce velut nudus eis apparuit, dum potentiam diuinitatis suæ illis absconderet, infirmitatem tantùm carnis ostendit.*

ET LVDAM ET VILIOR FIAM (S. Ambros. VERS. lib. 1. Apol. Dauidis c. 6. legit, *ero nugax ante oculos tuos*) PLVS QVAM FACTVS SVM: ET ERO HVMILIS IN OCVLIS MEIS; ET CVM ANCILLIS, DE QVIBVS LOCVTA ES, GLORIOSIOR APPAREBO] vera enim gloria est humilitas, quæ Dauidem & sanctos gloriosos effecit, dum per heroicam demissionis virtutem se inferioribus associant & quasi æquant, cum eisque abiecta & in speciem vilia obeunt ministeria ad Dei honorem & cultum. Audi S. Gregor. (cuius verba transcribunt Eucher. & Angelom.) lib. 27. Mor. c. vlt. vbi Dauidis sensa sic explicat: *Vilescere coram hominibus appeto, quia seruare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt verò nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi nil se esse nisi puluerem fauillamq; perpendunt; sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, & contra hoc quod de se interiùs cogitant, quasi rigida exteriùs venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, deiectos se exhibendo, contemnunt: sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, & tanto magis in corde elati sunt, quanto ampliùs in specie elationem premunt. Quæ vtraque vnius elationis bella magna Dauid circumspectione deprehendit, mira virtute superauit.* Probat idipsum dum subiicit: *Quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exteriùs non quærit, insinuat dicens: Ludam & vilior fiam. Et quia per hoc quòd vilem se exteriùs prabuit, nequaquam interiùs intumescit, adiungit: Eroq; humilis in oculis meis; ac si dicat: Qualem me exteriùs despiciens exhibeo, talem me & interiùs attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina eleuat, si Dauid ex carne sua venturum Redemptorem nouerat, eiusq; gaudia prophetando nuntiabat, & tamen in semetipso ceruicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens: Eroq; humilis in oculis meis?*

Tropol. S. Bernard. epist. 87. ad Ogerium: *Ludam*, inquit, *vt illudar. Bonus ludus quo Michol irascitur & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuera mundo ridere, quid aliud sæcularibus, quàm ludere videmur: cùm quod ipsi appetant in hoc sæculo nos per contrarium fugimus: & quod ipsi fugiunt, nos appetimus.* Et nonnullis interiectis: *Non est hic ludus puerilis: non est de theatro: qui femineis fœdisq; anfractibus prouocet libidinem, actus sordidos representet. Sed est ludus iucundus, honestus, Lusus sanctorum est.*

festus, grauis, spectabilis, qui cælestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto & religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus Angelis & hominibus. Hoc ludo & nos interim ludamus, vt illudamur, confundamur, humiliemur: donec veniat, qui potentes deponit & exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet.

VERS. 23. IGITVR MICHOL FILIÆ SAVL NON EST NATVS FILIVS VSQVE IN DIEM MORTIS SVÆ] Michol, ait S. Ambr. lib. 4. epist. 30. ad Sabinum, *sterilitatis damnata non edidit sobolem regiam ne superbos crearet* sibi similes, vtpote superba. Communiter docent Interpretes Michol nec ex Dauide, nec ex Phalti, nec ex alio viro vllos procreasse liberos. Videtur Michol naturæ fuisse sterilis: nam per vndecim annos, nupta Dauidi hucusque nullos ei dedit filios, quod sterilitatis vitium Deus illi hîc in pœnam irrisionis Dauidis confirmauit. Addit Pineda lib. 7. de Rebus Salomonis c. 4. Dauidem deinceps eius vsu & copula maritali abstinuisse: sed hoc incertum est.

Dices, c. 21. v. 8. numerantur quinque filij Michol? Nugantur Rabbini dicentes Michol tantùm fuisse sterilem eo tempore quo irrisit Dauidem. Verùs Hebræi prisci apud S. Hieron. & Abulens. respondent illos filios fuisse ex ipsius sorore Merob, sed ab ipsa adoptatos: Iosephus verò non ex Dauide, sed ex altero viro susceptos vult. Si enim, aiunt Theodor. & Procop. ex Dauide & ipsa nati filij fuissent, facilius in reges postea fuissent asscripti, quia & patrem regem & matrem regis filiam habuissent. Sed prior Hebr. responsio est verior, vt patebit cap. 21. 8.

Symbol. Michol repræsentat Paganos, Iudæos, hæreticos, ceteroscque impios qui Ecclesiæ fidem, cæremonias, piorumque hominum facta irrident & calumniantur. ita Eucher. Angelom. & S. Ambros. lib. 1. Apol. Dauid. c. 6. vnde *Michol* hebr. idem est quòd *omnis aqua*, ait Eucher. aqua autem symbolum est persecutionis & persequentium, qui vt aqua in vitia carnalia diffluunt, ideoque veros, pios & spirituales quasi sibi ex diametro aduersos persequuntur.

Denique sensus Michol fuit sensus Gentilium, qui indignum regum æquè ac deorum maiestate censebant canere, psallere, choros agere. Tritum est illud: *Iupiter non cantat, nec citharam pulsat.* Philippus rex filium suum Alexandrum Magnum reprehendit, eò quòd cantasset. Nero quoque ob cantum malè audiuit teste Suetonio. At contrarius fuit in diuinis fidelium etiam magnatum zelus & vsus. Vt alios taceam, ante centum annos Thomas Morus Angliæ Cancellarius & Martyr Dauidem imitatus est, Audi quid de eo scribat Thomas Stapletonius in eius Vita c. 6. pag. 87. *Sed & in ipsa sua ecclesia sacerdoti canenti indutus superpelliceum concinebat. Quod cùm etiam regni Cancellarius faceret, monitus à Duce Northfolciæ, qui aliquando superueniens eum sic cum superpelliceo in choro canentem deprehenderat, hunc eius agendi morem Regi haud dubiè displicituram, vt nimis humilem, ac dignitati quæ fungeretur minùs congruam, respondit: Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo. Iam vero sacerdoti sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat: & interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochiæ suæ, crucem sacerdoti præferebat, vulgaris clerici vel aditui officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imò vehementer gaudens: quasi cum Dauid tripudians ante arcam Domini & dicens: Vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Hucusque Stapleton. *Thom. Mori pietas.*

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid destinat fabricare templum, idq; probat Nathan Propheta; sed admonitus à Deo id reuocat, asserit q; non Dauidem, sed filium eius Salomonem templum ædificaturum. Secundò, Deus Dauidi vers. 16. promittit posteritatem continuam & regnum perpetuum.

1. FActum est autem cùm sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, 2. dixit ad Nathan propheram: Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? 3. Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est. 4. Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: 5. Vade, & loquere ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 6. Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Terra Ægypti, vsque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio. 7. Per cuncta loca, quæ transiui cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi, vt pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? 8. Et nunc hæc dices seruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israel: 9. & fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua: feciq; tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10. Et ponam locum populo meo

Israel,& plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur ampliùs:nec addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut priùs, 11. ex die qua constitui iudices super populum meum Israel: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. 12. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. 13. ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. 14. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. 15. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. 16. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter. 17. Secundùm omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid: 18. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? 19. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus. 20. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? tu enim scis seruum tuum Domine Deus. 21. Propter verbum tuum, & secundùm cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo. 22. Idcircò magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus nostris. 23. Quæ est autem, vt populus tuus Israel, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, & deum eius. 24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: & tu Domine Deus factus es eis in Deum. 25. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es, 26. vt magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus serui tui Dauid erit stabilita coram Domino, 27. quia tu Domine exercituum Deus Israel reuelasti aurem serui tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac. 28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad seruum tuum bona hæc. 29. Incipe ergo, & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus serui tui in sempiternum.

IDem narratur & repetitur 1.Paral.c.17. quod proinde totum huc pertinet. A

VERS. 2. ET ARCA DEI POSITA SIT IN MEDIO PELLIVM] Tabernaculum enim in quo erat arca tegebatur pellibus arietum rubricatis & ianthinis instar papilionis, Exodi 26.14. q. d. Hoc indignum videtur, volo ergo ædificare templū magnificum, vt in eo honorificè collocem arcam Dei. Potrò Dauid fabricam templi non tantùm voluit, sed & vouit, vt patet Psal. 131.v. 2.& seq. Iosephus asserit Dauidem id voluisse ex Dei præcepto: sed errat: nusquam enim Deus præcepit ei vt templum fabricaret, imò volentem inhibuit, vt patet v.5. voluit ergo, vouitque Dauid hanc fabricam ex mero ardentique deuotionis Deique cultus zelo, qui eum adegerat B vt ante arcam coram toto populo totis viribus saltaret, indeque indies creuit in eo hic zelus, præsertim quia præsente arca ipse maiora Dei in se in dies experiebatur beneficia. Quare indignum iudicabat vt ipse habitaret in domo cedrina, Deus verò Deique arca degeret in tabernaculo pelliceo & papilione.

Historiam hanc ita narrat Eupolemus apud Euseb.lib.9.Præpar.Euang.sub finem. *Cùm vellet Dauid templum ædificare Deo, rogauit Deum vt locum ei altaris ostenderet. Ibi ei Angelus apparuit stans super locum vbi altare statuerat Hierosolymis, iussitq; ei templum non statuere, quòd humano sanguine pollutus esset, multaq; bella gessisset. Nomen verò illi fuit Dianathan, eiq; imperauit vt filio ædificationem permitteret, ipse verò, quæ ad apparatum pertinerent, adornaret.* C

DIXITQVE NATHAN AD REGEM: OMNE QVOD EST IN CORDE TVO, VADE, FAC] Nathan erat propheta Dauidi familiaris, & à consiliis, teste S.Epiph. Isidoro & Dorotheo in Vitis Prophetarum: sed quia hîc Deum non consuluit, hinc nec à Deo fuit illustratus, sed erauit; errorem tamen illico admonitus à Deo correxit. Sic Prophetæ subinde loquuntur ex instinctu non Dei, sed iudicij & spiritus proprij, imò propter vsum prophetiæ putant se loqui ex spiritu Dei, cùm loquantur ex suo; tumque errare possunt, & quandoque errant, vti docet Theodor.hîc, & S.Gregor.homil.1.in Ezech.ac S.Thomas 2.2.q.171.art.5. Causam dat Angelomus dicens: *Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetia spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate; vt accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint: & rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint.*

VERS. 5. NVMQVID TV ÆDIFICABIS MIHI DOMVM?] Volitum votumque Dauidis de fabricando templo quoad rem probauit laudauitq; Deus, vt religiosum & pium sanctumque, sed non quoad personam. Noluit enim illud à Dauide fabricari, sed à Salomone. Causa assignatur 1.Paral.22.8. scilicet quòd Dauid continuis in bellis multum effuderat sanguinis: quare indecens erat vt Dauid tanto hominum sanguine cruentatis manibus fabricaret Deo purissimo, mansuetissimo, sanctissimo & clementissimo domum, siue templum. Idipsum ergo voluit fieri à Salomone, qui pace fruens fuit rex pacificus, ideoque typus Christi, qui venit in mundum totus mitis & benignus, vt Ecclesiam fidelium Deo extrueret, eamque in pace gubernaret, B iuxta illud: *Factus est in pace locus eius.* Ita Eucher. Rupert. & Prosper de Promiss. par.2. c.27.

Tropol. significatur, ait ex S.Greg.lib.7. Moral.c.16. Angelomus, quòd *qui vir sanguinum est, hoc est qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per prædicationis officium construere non debet: seu etiam moraliter innuitur, quòd mundus in se esse à vitiis debet, qui alienæ curat corrigere: terrena non cogitet vt desiderijs infimis non succumbat, quatenus tantò perspicacius alijs fugienda prænideat, quantò hæc ipse per scientiam & vitam veriùs declinat. Nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat: & superiectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent.*

Simili modo Deus Geizæ Duci Hungariæ, qui fuit pater S.Stephani primi Hungarorum regis, volenti ædificare templum idipsum per visionem inhibuit: *Habes* enim, inquit, *manus sanguine pollutas, sed filius tuus Stephanus id faciet, ideoq; in præmium primus Hungarorum rex coronabitur.* C

S.Stephanus rex Hungar. Apostolus. Idem confirmauit S. Stephanus Protomartyr apparens Geisæ, iubensque vt filio nomen suum imponeret, eumque ex se Stephanum vocaret. Hic fuit rex sanctus, qui Hungaros ad Christum conuertit. Vnde Pontifex Romanus coronam ei regiam mittens: *Ego*, inquit, *sum Apostolicus, Stephanus verò est Hungariæ Apostolus.* ita habet Vita S.Stephani apud Surium ad diem 20. Augusti.

Anagog. significatur Ecclesia triumphans in cælo gloriosè ædificanda à Christo pacifico, in summa omnium Beatorum pace & securitate, vnione & concordia, æquè ac puritate, innocentia & sanctitate.

VERS. 7. NVMQVID LOQVENS LOCVTVS SVM, &c. QVARE NON ÆDIFICASTIS MIHI DOMVM CEDRINAM?] Deus noluit ædificari templum à Iosue, Gedeone, vel aliquo alio Iudice, quia omnes versati in bellis multum sanguinis fuderunt, fuereque viri sanguinum. ita Angelomus. D

VERS. 10. ET PONAM LOCVM POPVLO MEO ISRAEL] *locum*, scilicet stabilem & felicem; vt scilicet Israelitæ ampliùs non vagentur, non abducantur captiui, non miseram vitam agant, vti fecere hactenus vexati à Philisthæis, aliisque gentibus. vnde explicans subdit:

ET PLANTABO EVM] q.d. Instar plantæ & arboris radicatæ firmabo Israelem in Iudæa, vt in ea firmiter & feliciter conquiescat, ac opulenter & hilariter viuat.

ET HABITABIT SVB EO] id est in eo, scilicet loco suo, quasi in vmbraculo, vt eo vndequaque tectus, stabilis & securus permaneat.

VERS. 11. PRÆDICITQVE TIBI DOMINVS, QVOD DOMVM FACIAT TIBI DOMINVS] *Domum*, id est prolem & familiam regiam: illa enim vocatur *domus* antonomasticè. Caiet. per *domum* accipit Messiam siue Christum, quasi hîc Deus promittat Dauidi Christum ex se nasciturum. Hoc verum est, at in sensu non literali, vt vult Abul. sed allegorico, quem tamen Deus hîc vnà cum literali videtur reuelasse & patefecisse Dauidi, vt patebit ex sequent.

VERS. 12. CVMQVE COMPLETI FVERINT DIES TVI, &c. SVSCITABO SEMEN TVVM POST TE] id est, suscitabo Salomonem ad regnum vt regnet post te: licet enim Salomon iussu Dauidis viuentis vnctus sit in regem, non tamen plenè regnauit Dauide viuo, sed vnctus est ad hoc vt post eum regnaret, eique mortuo in regno succederet.

VERS. 13. IPSE ÆDIFICABIT DOMVM NOMINI MEO] Salomon scilicet, vt patet 2.Paral.28.6. Dauid tamen Salomoni dedit ideam perfectissimam à Deo acceptam totius templi; item maximam auri argentique copiam ad fabricandum templum, vt patet 3.Reg.8.v.16. & seq. & 1.Paral.22. v.8. & seq. ac 2.Paral.33.v.7.

Allegor. Salomon, id est Christus, ædificauit Ecclesiam, quasi regnum & thronum Dei sempiternum, illique Deus verus & proprius est pater, vt sequitur. Vnde Angelom. Eucher. Rup. censent hæc per hyperbolen dici de Salomone, propriè verò & integrè de Christo. Huius enim thronus absolutè est sempiternus, cùm Salomonis thronus respectiuè tantùm fuerit sempiternus, nimirum respectu suæ gentis dumtaxat, quia scilicet semper durauit, quamdiu durauit Israelis resp. & regnum.

VERS. 14. EGO ERO EI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIVM] Quæres, de quo ad literam hîc Deus loquatur, an de Salomone, an de Christo: Primò, aliqui putant quædam ex hisce quæ hîc dicuntur, ad literam competere Christo, quædam Salomoni. ita Theodor. & Procop. Secundò, alij omnia ad literam attribuunt Christo: ille enim est solus verus Dei filius, & regnum eius æternum. ita Angelom. & Glossa. Tertiò, Lyran. & Abul. hæc ad literam accipiunt tam de Christo quàm de Salomone.

Quartò, Hebræi & multi ex Latinis, ad literam interpretantur de Salomone. allegor. de Christo. Hæc sententia verior est, vt patet ex lib.1. Paral. c.28. v.6. vbi hæc omnia Salomoni expressè attribuuntur, *Salomon*, inquit, *filius tuus ædificabit domum meam: ipsum enim elegi in filium, & ego ero ei in patrem, & firmabo regnum eius vsque in æternum.* Et patet, quia Deus loquitur de eo, qui post Dauidem erat fabricaturus templum, quod ædificare volebat Dauid, sed prohibitus fuit à Deo. Hic autem non alius fuit, quàm Salomon. Verùm, quia Salomon erat typus Christi, qui ædificaturus erat Ecclesiam nouam Dei, quæ longè erat potior templo, idque in spiritu prænidebat Propheta, eoque aciem mentis & spiritus sui intendebat, hinc allegorico, sed potiore, sensu hæc dicuntur de Christo; vnde nonnulla, quæ hîc dicuntur, tenuiter & inchoatè dumtaxat competunt Salomoni, plenè verò & per-

perfectè Christo, vt τὸ *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et: *firmabo thronum regni eius vsq; in sempiternum.* De fide ergo est, hunc locum intelligi de Christo. Nam de eo explicat illum S. Paulus Hebr. 1. 5. vbi fusè eumdem explicui. Vnde S. August. lib. 17. de Ciuit. c. 8. & 9. asserit, hîc quædam dici de Salomone vti erat priuata persona; quædam verò vti erat typus Christi. Vide hîc quàm tenerè & ardenter dilexerit Deus Salomonem, vt illum præ omnibus sibi asciscat in filium, velitque eius esse pater, ac paterna in eum officia exercere.

QVI SI INIQVE ALIQVID GESSERIT, ARGVAM EVM IN VIRGA VIRORVM, ET IN PLAGIS FILIORVM HOMINVM] quibus scilicet homines solent castigare suos filios, vt eos non occidant, sed emendent, q. d. Castigabo Salomonem si peccet, paternè vt pater, non seuerè & rigidè vt iudex. Rursùm, castigabo eum sicut castigare soleo homines, scilicet humano more, pœnâ humanâ, temporariâ & clementi, putà morbo, fame, bello: non autem sicut castigaui angelos, quos cœlesti regno priuaui, & gehennæ in æternum addixi: nec sicut castigaui Saulem, quem abieci & regno spoliaui irremissibiliter, & in æternum. Hinc Burgens. & alij colligunt, Salomonem non esse damnatum, sed saluatum; verùm hîc propriè non agitur de salute, sed de regno Salomonis perpetuando in posteros, quamdiu duratura erat Hebræorum resp. & regnum: vnde explicans subdit:

VERS. 15. MISERICORDIAM AVTEM MEAM NON AVFERAM AB EO, SICVT ABSTVLI A SAVL, QVEM AMOVI A FACIE MEA.

VERS. 16. ET FIDELIS ERIT DOMVS TVA, ET REGNVM TVVM VSQVE IN ÆTERNVM] *Fidelis* hebr. נֶאֱמָן *neeman*, id est firma, stabilis, perennans, æterna, iuxta sensum quem dedi v. 13. Et hoc significat Græcum πιστὸς ἔσται.

Allegor. de Christi persona hæc dici nequeunt; fuit enim ipsa impeccabilis, sed de eius membris, putà fidelibus, quos peccantes Deus clementer castigat quasi pater, vt eos emendet.

VERS. 18. INGRESSVS EST AVTEM DAVID ET SEDIT CORAM DOMINO, ET DIXIT: QVIS EGO SVM DOMINE?] nimirùm sedit in tabernaculo coram arca Dei, non ob desidiam, vel mollitiem, sed vt quietiùs, secretiùs, attentiùs & intensiùs oraret, totumque cor suum coram Deo effunderet. Ad hæc enim iuuat sessio. Ita S. August. loco mox citando, & ex eo Eucher. *Sedit*, inquit, *siue propter secretum semotis arbitris, siue propter intimum cordis, vbi erat orantis affectus.* Sic S. Bernardus sedendo solebat meditari, tum quia corpore erat infirmo, lasso & debili; tum vt silentiùs, quietiùs, deuotiùs & diutiùs meditaretur. Corpore enim quiescente, quiescit & spiritus, vt liberè totus Deo attendat & intendat. Addunt Sanchez & alij Dauidem sedisse non in solio aut sede, sed humi in terra & puluere, idque studio humilitatis æquè ac reuerentiæ Dei, vti fecit Iob c. 2. v. 8. & 13. Et Ierusalem vastata à Chaldæis, ideoque lugens & pœnitens, iuxta illud Thren. 1. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas.* Quocirca Iosephus ait Dauidem in faciem suam procidisse, & stratum humi more supplicantis orasse Deum.

Dauid sedendo oraris Cur ?

Aliam sessionis Dauidis causam dat Vatab. dicens, *Nemini sedenti licebat orare Deum, nisi regi.* Sed hoc falsum est. Nam & Elias qui non erat rex, sedens sub iunipero orauit Deum 3. Reg. 19. 4. & Psal. 136. 1. Hebræi in Babylone captiui plangentes & orantes dicunt: *Illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion.* Et Moyses Exodi 17. 12. sedens orabat, vincebatque Amalec: sedit ergo Dauid animo magis quàm corpore, tacitè & tranquillè Dei in se beneficia meditando, & gratias agendo, iuxta illud Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, & tacebit; quia leuauit super se.* Vnde Angelom. *Sedere coram Domino*, inquit, *est beneficia eius in humilitate cordis confiteri.*

S. Simplicianus, qui S. Ambrosio in Episcopatu Mediolanensi successit, proposuit hanc quæstionem S. Augustino, cur Dauid tam pius sedendo orauerit, cùm fideles genuflexi orare soleant, vti orauit Christus in horto Matth. 26. & Stephanus in martyrio Actor. 7. & S. Paulus in ergastulo Ephes. 3. 14. Cui respondet S. August. lib. 2. ad Simplician. quæst. 4. nullum gestum oranti in Lege fuisse præscriptum, sed liberum fuisse quolibet vti, qui cuiusque conditioni & deuotioni foret accòmodus: *Nam & stantes*, inquit, *oramus, sicut scriptum est, Publicanus autem de longinquo stabat; & fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: & sedentes, sicut ecce Dauid & Elias. Nisi autem iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis; Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Cùm enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum animum.* Idem fecere Gentiles: vnde rex Niniue pœnitens prædicante Iona c. 3. 5. sedit in cinere. Plutarchus in vita Numæ Pompilij, qui Romulo Romæ in regno successit pag. 23. scribit Numam sanxisse, eos qui Deum adorant, in orbem se vertere oportere, deinde verò sedere: quo ritu, inquit, & ratas preces, & in bonis perseuerantiam ferè significant; vel non esse Deum interpellandum obiter, & cùm aliis occupamur, sed cùm adest tempus opportunum, quo quiescimus, & ab aliis negotiis, curisque feriamur. Denique Philosophus: *Anima*, inquit, *sedendo fit sapiens*: Subsidentibus enim sessione humoribus, sedantur animæ affectiones, quæ rationem turbant, quibus sedatis clariùs mens videt id, quod verum sanctumque est. De vario orantium situ ritu; fusè disserit Hieron. Mer. lib. 3. de Gymnastica c. 3. Denique rerum spiritualium magistri hanc dant orandi regulam. *In orando & meditando ille corporis habitus tenendus est, qui aptus videtur ad excitandam in nobis internam deuotionem.*

Anima sedendo fit sapiens.

VERS. QVIS EGO SVM DOMINE DEVS, ET QVÆ DOMVS MEA, QVIA ADDVXISTI ME HVCVSQVE?] vt ex pastore ouium faceres regem populorum, ex paupere diuitem, ex vili nobilem, ex incognito celebrem & famosum. Dicant hoc illi, quos Deus ex humili imoque loco ad fastigium dignitatis, v. g. ad Episcopatum, principatum, Apostolatum, extollit non ipsorum merito, sed gratuito Dei dono. Scripsit in hanc Dauidis sententiam homil. S. Chrysost. (vel quisquis est author: stylus enim indicat fuisse Latinum, non Græcum, ac citat S. Cyprianum, quod insolens est apud S. Chrysost.) quæ extat tom. 1. vbi inter cætera ait: *Agnouerat iste sanctus, quod*

Genes. 18. *dixit Abraham Deo: Ego sum terra & cinis. Et singuli ita Deo dixerunt, vt forma esset perfecta humilitatis. Ergo quis sum ego Domine mi? Ecce se nihil esse dixit, & seruum se esse non negauit: quia omnis qui confitetur seruitutem, meretur gratiæ libertatem. Ergo dicit: Quis sum ego Domine mi? Videtis vbique regnare gratiam, vbique pia viscera possidere, cor humile illustrare, benignos sibi redigere, confessores suos ditare.* Et paucis interiectis: *Nouerat se pastorem esse ouium, & non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnouit se ex nihilo fuisse sublenatum; & quia non est oblitus, quis natus erat, perseuerauit in culmine regali.* Vide quæ dixi Ioan. 1. v. 19. ad illa: *Tu quis es?*

VERS. 19. ISTA ENIM EST LEX ADAM DOMINE DEVS] Primò, Angelomus sic explicat q. d. *Ista est lex hominis Domine Deus, vt tibi in simplicitate cordis & puritate seruiat: & tu facias ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere seruo tuo.* Secundò, Vatab. q. d. Ista conditio & sors regalis est hominis præclari & excellentis, non vilis & abiecti, qualis ego sum. Vnde Vatab. Hebr. תּוֹרַת *thorat* id est lex, vertit, *directio*: Chald. verò vertit, *visio*, à rad. רָאָה *raa*, id est, vidit. Tertiò, alij q. d. *Lex Adæ*, id est hominis est vt sit mortalis & moriatur. Quid est ergo, ô Domine, quòd me meumque regnum velis esse æternum? *Lex Adæ* est vt sit miser, pauper & abiectus: quid est ergo quòd me tantis opibus & honoribus cumulas? *Quid est homo quia ita magnificas eum?*

Lex Adam, quæ? Resp. Primò. *Secundò.* *Tertiò.*

Quartò, & genuinè, q. d. Tu Domine votis meis obsecundasti, imò ea præuenisti. *Lex*, enim, id est inclinatio, homini à natura insita ista est, iste communis hominum est mos & vsus, vt non putent sibi omninò satisfactum, esto opulenti sint, honorati & felices, nisi etiam de posteris, eorumque felicitate & gloria prospectum sit, quod tu Domine mihi facere dignatus es, promittens posteros meos semper fore reges, & continuâ serie perpetim mihi in regno successuros. ita Abul. Hugo, Caiet. Dion. & alij. Ratio est, quòd homo naturaliter amet suos filios & posteros perpetim glorioſos, vt in iis semper superstes sit, & æternitatem quandam memoriæ, famæ & gloriæ assequatur. Filij enim sunt quasi pars & membra parentum, qui proinde filios amant vt seipsos, imò magis quàm seipsos.

Quartò, veriùs.

VERS. 20. QVID ERGO ADDERE POTERIT ADHVC DAVID, VT LOQVATVR AD TE? TV ENIM SCIS SERVVM TVVM DOMINE] *scis*, id est, cognoscis, curas, amas, dirigis, exaltas, glorificas. Sic enim explicatur 1. Paral. 17. v. 18. cùm dicitur: *Quid vltrà addere potest Dauid, cùm ita glorificaueris seruum tuum & cognoueris eum?* Hæc enim Dei cognitio & scientia, non est speculatiua & arida; sed practica & fecunda, ac proinde Dei amorem & beneficentiam inuoluit. Sic Apostolus de prædestinatis & electis ad gloriam ait: *Cognouit Dominus, qui sunt eius* 2. Timoth. 2. 19. reprobis verò dicet Christus in die iudicii, *Nescio vos*, Matth. 25. 12.

VERS. 21. PROPTER VERBVM TVVM] q. d. Hæc magnalia mihi præstitisti non propter merita mea, sed vt impleres promissiones tuas, quibus promisisti mihi benefacere, cùm per Samuelem me instituisti & vnxisti regem.

ITA VT NOTVM FACERES SERVO TVO] vt scilicet mihi exhiberes hæc magnalia pro-

A missa, vt ego illa cognoscerem, imò oculis cernerem & manibus palparem.

ET PONERET SIBI NOMEN] vt Israel esset & vocaretur populus Dei, quæ est dignitas eximia, ac titulus summi honoris, æquè ac vtilitatis. ita Vatab. Aut, *vt nomen*, id est famam & gloriam sibi pararet. ita Abulens. VERS. 23.

QVEM REDEMISTI TIBI EX ÆGYPTO, GENTEM, ET DEVM EIVS] vt scilicet Israel sit tua gens & populus, ac tu vicissim sis Deus eius. Vnde explicans subdit: *Et tu Domine Deus factus es eis in Deum.* Secundò, alij referunt ad τὸ *facerentque eis magnalia & horribilia*, scilicet percutiendo Ægypti hostis eorum *gentem & Deum*, hoc est Deos, q. d. Tu, ô Domine, pro tuis Hebræis pugnans, percussisti Ægypti gentem, & deos qui Hebræis aduersabantur. Vnde recentiores passim cùm Chald. ex Hebr. vertunt in ablatiuo, *gente & Deo eius* q. d. redemisti Israel ex Ægypto, ac consequenter ab Ægyptia gente & Deo, id est diis eiusdem gentis. Aut planius referas ad τὸ, *facerentque eis magnalia & horribilia super terram* q. d. Deus pro Hebræis magna & horribilia patrauit miracula tum super terram Ægypti & Chanaan, tum super *gentem & Deum*, id est deos eiusdem. Deus enim multis plagis per Moysen & Iosue afflixit tum ipsam terram Ægypti & Chanaan, tum ipsam gentem Ægyptiorum & Chananæorum, tum deos & idola eorum, ea euertendo & confringendo. ita Sanchez. Hic sensus præ ceteris planior videtur, & magis cõgruere Hebræo, Chald. & Sept. qui pro *gentem*, habent *gentes* in plurali, quod magis septem gentibus Chananæorum & Ægyptiorum, quàm vni Hebræorum genti congruit.

Tò gentem & Deum eius, quidè *Resp. Primò*, *Secundò.*

Tertiò, alij per *Deum*, hebr. *Elohim* intelligunt Moysen, quia Deo constitutus est Deus Pharaonis æquè ac Israelis, vtpotè eius legislator & dux vice Dei Exodi c. 4. 16. & cap. 7. 1. vide ibi dicta q. d. Redemisti ex Ægypto gentem Hebræam, & *Deum eius*, id est Moysen, qui eius erat princeps, dux & ductor loco Dei. *Tertiò.*

Quartò, nonnulli per *Deum* siue *Elohim*, intelligunt S. Michaelem, qui vice Dei erat dux, custos & præses Israelis. Hic enim dum Israelitæ captiui in Ægypto ex eâ liberarentur & liberi exirent, cum eis egrediens ex Ægypto quasi liberari videbatur. *Quartò.*

Quintò, Sept. pro אֱלֹהָיו *Elohaiu* id est *Deum eius* per metathesin legentes אֹהָלָיו *aholau* id est *tabernacula eius*, vertũt, *redemisti tibi ex Ægypto gentes & tabernacula eius.* Hebræi enim ex Ægypto exierunt cum supellectile non tantùm sua, sed & Ægyptiorum, quam commodatò, iussu Dei acceperant, vt spoliarent Ægyptum, Exodi 12. *Quintò.*

SVSCITA] Hebr. הָקֵם *halcem* id est statue, stabili, confirma. VERS. 25.

REVELASTI AVREM SERVI TVI (hoc est, secretò & quasi in aurem ei dixisti:) INVENIT SERVVS TVVS COR SVVM, scilicet paratum, gratum & alacre, VT ORARET TE ORATIONE HAC] & orando, pro tot magnalibus sibi præstitis gratias ageret non condignas, sed sibi possibiles. Alij, *inuenit cor suum*, id est, inuenit consilium, in quiuit, sibi deinceps vsui futurum. Idem argumentum gratiarum actionis ob beneficia sibi præstita, præsertim ob promissa de domo & regno suo perpetuando, ac consequenter de VERS. 27.

Christo ex se nascituro, tractat Dauid Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo:* atque hac gratitudine meruit hæc promissa à Deo sibi confirmari & augeri.

VERS. 29. BENEDICETVR DOMVS SERVI TVI IN SEMPITERNVM] vt semper ex domo & familia mea in regno succedant, ac super Israelem regnent posteri mei, quamdiu durabit Israelis regnum.

Abul. hîc quæst. vlt. tractat quæstionem, An Salomon sit damnatus? & respondet affirmatiuè, idque maximè probat ex eo quòd ipse idola à se erecta moriens non destruxerit, quod vtique facere debuisset, & reipsa fecisset si verè pœnituisset: nam idola hæc trecentis ferè post eum annis destruxit Iosias rex 4. Reg. 23. Si dicas, etiam Asa, Iosaphat & Ezechiam pios reges hęc non destruxisse; respondet, id eos facere non potuisse, eò quòd idololatria inducta per Salomonem, roborata & aucta fuerit per Ieroboam, qui schisma fecit erectis aureis vitulis quasi idolis in Dan & Bethel. Salomon verò ea destruere poterat & debebat, tum quia erat potentissimus, tum quia nullum habebat æmulum, sed in plena pace omnibus sibi obedientibus regnabat. Idem censent Angelomus & Eucherius 4. Reg. 23. Beda in Allegoriis lib. Regum sub finem, ac Prosper lib. parte 2. Prædict. c. 27. *Salomon*, inquit, *elatus in senio, fornicatus mente & corpore, Domino ipsum deserente, malè obsit, metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate huius vitæ turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.* Verùm moderni interpretes in Salomonem mitiores sunt, meliusque de eius salute sperant. Vide dicta Eccli. 47. 22.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid à Deo exclusus à fabrica templi, conuertit se ad bella, quibus pacem & spolia paret Salomoni ad illud fabricandum. Quare hoc capite quinque eius bella recensentur, quibus totidem gentes vicinas subiugauit & tributarias fecit; scilicet primò, Philisthæos vers. 1. secundò, Moabitas vers. 2. tertiò Adarezer, regem Soba, vers. 3. quartò, Syriam Damasci, vers. 5. quintò, Idumæos vers. 14. eorumq; spolia fecit anathemata, Deoq; consecrauit.

1. FActum est autem post hæc, percussit Dauid Philisthiim, & humiliauit eos; & tulit Dauid Frenum tributi de manu Philisthiim. 2. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factusque est Moab Dauid seruiens sub tributo. 3. Et percussit Dauid Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est vt dominaretur super flumen Euphraten. 4. Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subneruauit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. 5. Venit quoque Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarezer regi Soba: & percussit Dauid de Syria viginti duo millia virorum. 6. Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria Dauid seruiens sub tributo: seruauitque Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus est. 7. Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant serui Adarezer, & detulit ea in Ierusalem. 8. Et de Bete & de Beroth, ciuitatibus Adarezer, tulit rex Dauid æs multum nimis. 9. Audiuit autem Thou rex Emath, quòd percussisset Dauid omne robur Adarezer, 10. & misit Thou Ioram filium suum ad regem Dauid, vt salutaret eum congratulans, & gratias ageret: eò quòd expugnasset Adarezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, & in manu eius erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea: 11. quæ & ipsa sanctificauit rex Dauid Domino cum argento & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat, 12. de Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philisthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filij Rohob regis Soba. 13. Fecit quoque sibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria in Valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus: 14. & posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid, & seruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcumque profectus est. 15. Et regnauit Dauid super omnem Israel: faciebat quoque Dauid iudicium & iustitiam omni populo suo. 16. Ioab autem filius Saruiæ, erat super exercitum: porrò Iosaphat filius Ahilud erat à commentariis: 17. & Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erat sacerdotes: & Saraias, scriba: 18. Banaias autem filius Ioiadæ, super Cerethi & Phelethi: filij autem Dauid sacerdotes erant.

Et

VERS. 1. ET TVLIT DAVID FRÆNVM TRIBVTI DE MANV PHILISTHIIM] Hebr. est מֶתֶג הָאַמָּה *metheg haamma* quod Vatab. Pagnin. & alij accipiunt, vt nomen proprium vrbis, quæ fuit quasi *metheghaamma* id est *frænum* ceterarum vrbium vicinarum in Philisthæa. Secundò, alij accipiunt vt nomen appellatiuum significans *frænum cubiti* (*meteg* enim est fræna, *amma* est cubitus, *ha* est articulus *amma*) indeque *frænum tributi* quòd pretium tributi limitatum & definitum sit instar cubiti: *amma* ergo certam pensionem tributi significat. Aquila vertit, *frenū aquæductus*, quod per illam vrbem aqua per canales & riuos deduceretur in totam Philisthæam, ad eam irrigandam & fœcundandam; canali enim aquam ducimus quò volumus, ceu fræno equū. Vnde & Chald. vertit, *instauratio*, vel, *dispositio & commoditas riui*.

Frænum tributi quid? Resp. Primò. *Secundò.*

Tertiò, R. Eliezer in *Midras* propriè accipit *frænum* scilicet Isaac Patriarchæ: Isaac enim, inquit, feriens iuransque pactum cum Abimelech rege Palæstinorum de non inuadenda Philisthæa, Genes. 26. 28. *incidit cubitum vnum freni* siue *chami*, id est capistri asini super quo equitabat, & dedit illis vt esset in manu illorum signum pacti iuramenti. Cererùm cùm rex Dauid vellet ingredi terram Philisthiim, non poterat propter vim pacti iuramenti Isaac. Sed cùm ab illis capistrum hoc abstulit (quia scriptum est, & *tulit Dauid frænum*, vel, *chamum cubiti*) tunc accepit terram Philisthinorum. Verùm nemo non videt hanc fabellam esse & cerebri Rabbinici commentum.

Tertiò

Quartò & genuinè *frænum tributi*, vocatur vrbs Geth, quæ erat in confinio Iudææ & Philisthææ, ideoque per eam Philisthæi frænabant Iudæam: Dauid verò illam occupans per eam frænauit Philisthæam. Abstulit ergo hoc frænum à Philisthæis, eodemque frænauit Philisthæos, imponens illi militare præsidium, quod ipsos sub iugo & tributo contineret. Id ita esse liquet ex eo, quòd sic hic locus explicatur 1. Paral. 18. 1. vbi dicitur. *Factum est autem post hæc vt percuteret Dauid Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias eius* (opida subiecta) *de manu Philisthiim.* ita S. Hier. in Tradit. Sanchez, Serarius & alij. Geth ergo à Dauide & Hebræis vocata est, *metegamma*, id est *frænum tributi*, nomine non proprio, sed appropriato, quia ipsa fuit frænum Philisthæorum cogens illos ad pendendum Dauidi tributum.

Quartò germanè.

Denique nonnulli *metegamma*, propriè vertunt, *frænum cubiti*, & per illud accipiunt dominium & gubernationem: quia sicut nobis subiicimus id quod cubito impositò metimur & premimus; sic frænamus eos, quibus dominamur. Simili catachresi *aurigari* significat regere & imperare: sicut enim auriga fræno & flagello regit equos, sic rex imperio suo gubernat populos. Sic Elias ab Elisæo vocatur *auriga Israelis. Pater mi*, inquit, *currus Israel, & auriga eius* 4. Reg. 2. 12.

VERS. 2. ET PERCVSSIT MOAB] scilicet Moabitas, qui Iudææ erant ad Orientem, sicut Philisthæi ad Occidentem, Syri v. 4. & 5. ad Septemtrionem, Idumæi v. 14. ad Meridiē. Per omnes ergo mundi plagas, vicinas gentes subiugando Dauid victricia arma circumtulit. Vbi Nota, Dauidem hisce omnibus præliis interfuisse, imò præfuisse, ideoque feliciter ea confecisse. Multùm enim ad celerem dubiorum occurrentium resolutionem, ad facilem rerum decretarum executionem, ad milites animandos, & ad difficultates omnes superandas facit ipsa præsentia & præstantia principis: nam, vt ait Virgilius, *vrget præsentia Turni*. Sanè Carolus Quintus tot victoriis fuit illustris, quia ipse præliis penè omnibus interfuit & præfuit. Extat Synesij ad Arcadium Imp. insignis exhortatio, vt ipse bellis intersit, vbi inter alias rationes hanc affert: Onosander Strategetæus c. 42. *Si quid*, inquit, *subitò vsqui opteat imperator, primus ipse manu operi admota consp*iciatur. *Neque enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda, omnium principem, festinandum esse animaduertit, cessare erubescit, imperatiſq; non parere veretur: nec iam vt seruus aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque prouocatus accedit.*

Funiculus coæquans terra quæ? Resp. Primò.

ET MENSVS EST EOS FVNICVLO COÆQVANS TERRÆ] Primò Theodor. q. 23. ad literam verba, vt sonant, accipit. *Tanta*, inquit, *erat vis victoriæ, & tanta erat multitudo eorum, qui capti erant viui, vt eos numerare non permitteret. Quare iussit eos pronos deiici in terram diuisos trifariam, & duas quidem partes occidit, vnam verò viuam reseruauit.* Secundò, Lyran. & Caiet. hæc accipit de turribus & arcibus Moabitarum, quas Dauid planè deiecit, itaque prostrauit, vt eas planè terræ coæquaret. Tertiò, alij accipiunt de agris q. d. Dauid agros, pagos, omniaque loca Moab quasi victor occupauit, & ad libitum suis distribuit perinde ac agros terræ coæquatos facilè funiculo metimur & distribuimus. Aut q. d. Dauid omnino subiugauit Moabitas sibi, adeò vt posset terram & regionem eorum tamquam suam liberè funiculis dimetiri, distribuere, vertere & inuertere ad libitum. Ita Angelomus: *Significat*, inquit, *quod tam libera dispositione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuisit, quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum ducto huc atque inde funiculo diuimit.*

Secundò. *Tertiò.*

Quartò, & genuinè, q. d. Dauid planè Moabitas subegit, humiliauit & prostrauit, ita vt ipsi ab eo viderentur deiecti in terram, terræq; coæquati, adeò vt ipse eos in terra quasi stratos funiculo dimetiri, distribuere, occidere vel viuificare posset, vt sequitur. ita Beda, Serarius, Sanchez & alij. Est metalepsis & metaphora petita ab agricolis, & mensoribus siue geometris, qui terram æquam funiculo demetiuntur, vt tot iugera sementi, tot pascuis, tot vineis, &c. destinent, idque ad libitum: terra enim nulli resistit, & cùm sit æqua, facilè se mensurari distribuique patitur. Simili enim modo Dauidi, quasi victori, omnes Moabitæ subiecti fuêre, vt de eis facere posset, quod liberet: vnde ipse eos quasi funiculis dimensus est, hoc est, eos in duas sortes distribuit, vna sors fuit eorum, quos morti addixit, altera eorum, quos in vita seruauit. Hinc sequitur.

Quartò, optimè.

MENSVS AVTEM EST DVOS FVNICVLOS, VNVM AD OCCIDENDVM, ET VNVM AD VIVIFICANDVM] *Mensus est*, id est mensuram adhibuit duorum funiculorum, siue mensus est

Moabitas duobus funiculis; vnus fuit funiculus mortis, vt eo quasi mensi, hoc est à Dauide designati & damnati, occiderentur; alter verò funiculus fuit vitæ, vt eo mensi, id est à Dauide designati, viuificarentur, id est in vita seruarentur. Est catachresis vel metalepsis: per *duos funiculos*, enim intelligit duas sortes: q. d. Dauid fecit duas sortes Moabitarum, vnam occidendorum, alteram seruandorum in vita; fecit, inquam, pro libito suo quasi victor, sed cum mensura iustitiæ & æquitatis, quæ principem victorem decet, vt scilicet magis noxios sibique resistentes occideret; minùs verò noxios, & sese subdentes, in vita seruaret. ita Caiet. *Funiculus* enim significat hæreditatem & sortem, quia hæc olim non virgis & perticis, vti nunc fit, sed funibus mensurabatur & diuidebatur, illisque mensores cuique hæredi suam sortem & portionem admetiebantur.

Tropol. Angelomus, Dauid, id est Christus, in die iudicij Matth. 25. faciet duas sortes, vnam saluandorum & beandorum, alteram damnandorum. Nam vt ait Psaltes psal. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ.*

Porrò Hebræa hîc obscura sunt. Sic enim ad verbum habent: *Mensus est duos funiculos ad occidendum, & plenitudinis funiculum ad viuificandum.* Quæ verba bifariam dispungi exponique possunt. Vno modo, vt ponatur comma post *occidendum*, fiantque tres sortes q. d. Dauid Moabitas in tres funiculos, siue sortes partesque distribuit, duas addixit morti, tertiam vitæ. ita Chald. Sept. Theodor. Procop. Ioseph. & Græci. Altero, vt comma ponatur post *duos funiculos*, & subaudiatur *rò vnum* q. d. Dauid *mensus est duos funiculos*, vnum *ad occidendum*, alterum *ad viuificandum*. Hunc sensum vt aptiorem secutus est Noster & Latini, eumque exigit *rò plenitudinis* q. d. Dauid paucos Moabitas morti addixit, longè plures verò in vita seruauit. Hoc enim sibi honorificum erat ac vtile, vt à viuis tributa exigeret, quæ occisi & mortui præstare non potuissent. Funiculus ergo occidendorum fuit imminutus, & exiguus, viuificandorum verò plenus, magnus & integer, & hoc significat *rò plenitudinis*: Hoc enim decebat clementem victorem & principem, qualis erat Dauid. Porrò hac de causa *Moab* à Dauide planè subacta, ab eo Psal. 59. v. 10. (tunc enim eum dictauit, vt patet ex eius titulo) vocatur, *olla spei meæ*, id est mancipium meum vilissimum, quasi ad res tantùm culinarias & ollares aptum. Vnde S. Hieron. & Aquila vertunt, *Moab olla lotionis meæ*, in qua scilicet quasi in olla lauer; & Chald. *dum conculcarentur Moabitæ, fædati sunt pedes mei sanguine procerum eius, sicut in olla lotionis.*

VERS. 3. ET PERCVSSIT DAVID ADAREZER FILIVM ROHOB, REGEM SOBA] additur 1. Paral. 18. 3. *regionis Hemath*, id est Syriæ. A Ioseph. lib. 7. c. 5 vocatur, *rex Sophonorum* quæ est Syria cis Euphratem, ait Strabo lib. 16. *Soba* siue *Suba* & *Subal* est pars Syriæ quæ inter Libanum & Antilibanum ac Hermon interiacet, & græcè Cœlesyria, id est caua Syria dicitur ob demissa à decliuitate montium planitiem, ait noster Christoph. à Castro in Amos c. 9. v. 17. Κοιλὰς enim est cauum, idemque Hebr. innuit *Soba*, quod Pagn. interpretatur *abscondens*, eò quòd hæc planities inter montes se abscondat. Potiùs *Soba* hebr. idem est quod *tumida*, eò quòd *Soba* montibus vicinis eleuetur & intumescat, cùm ipsa regio interiecta sit campestris, humilis, depressa & concaua, vtpote altissimis montibus quaquauersùm vallata. Verùm *Soba* non est tota Cœlesyria, sed pars eius dumtaxat. Nam Cœlesyria latè sumpta multas regiones, imò omnes quæ inter Libanum & Hermon montes interiacent complectitur, ait Ptolemæus. *Soba* ergo erat trans Iordanem, confinis dimidiæ tribui Manasse, pergendo ad Euphratem fluuium. Vide Adrichom. in tabula cosmographica tribus Manasse n. 87. vbi *Soba* collocat iuxta Palmiram, ac Amana & Hermon montes, ac Trachonitidem regionem, non longè à Damasco. Vnde & Salomon, cùm ad Palmiram condendam pergeret, huc ducens exercitum, vrbem & regionem hanc sibi asciuit. Sed cùm in senio à Deo ad idola deflexit, Deus suscitauit Razon fugitiuum seruum regis *Soba* qui Israelem infestauit 3. Reg. 11. Postremò Holophernes Iudith 5. populabundus per Syriam *Sobal* exercitum traduxit. Ex *Sobal* ortus est Igaal vnus ex fortissimis militibus & heroibus Dauidis, 2. Reg. 23. 36.

QVANDO PROFECTVS EST VT DOMINARETVR SVPER FLVMEN EVPHRATEM] Hinc patet *Soba* fuisse mediam inter Iordanem & Euphratem, ideoque comprehensam fuisse inter limites terræ promissæ Iudæis à Deo assignatæ; huius enim limites erant, mare Mediterraneum ad Occidentem, & Euphrates ad Orientem, vt patet Deut. 1. 7. & c. 11. 24. Quare quidquid inter mare hoc & Euphratem interiacebat, iure diuino ad Iudæos pertinebat. Hæc ergo iusta belli causa fuit Dauidi inuadendi *Sobæ*, tamquam ad se & Iudæos pertinentem.

Porrò *rò, profectus est*, ambiguum est: potest enim referri ad Adarezer, vti referunt Dion. & Hugo: potest quoque referri ad Dauidem, vti referunt Abul. Vatab. & Mariana.

VERS. 4. ET CAPTIS (à Dauide) EX PARTE EIVS MILLE SEPTINGENTIS EQVITIBVS] Tot fuere primarij & præcipui equites: nam alioqui vniuersim à Dauide captæ fuere mille quadrigæ, & septem millia equitum, vt dicitur 1. Paral. 18. 4. ita Abul. Aut certè cum Serario per *equites* intellige equitum decurias, multiplica enim septingentas decurias equitum per decem, habebis septem millia.

SVBNERVAVIT OMNES IVGALES CVRRVVM] hoc est, vt explicatur 1. Paral. 18. 4. *subneruauit omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reseruauit sibi.* Porrò *subneruare*, est nervos vel suffragines equorum incidere, vt progredi nequeant, & inutiles fiant tam ad bellandum, quàm ad currus trahendum, quod alij, subpernare, vocant. Idem fecit Iosue c. 11.

VENIT QVOQVE SYRIA DAMASCI] id est venerunt Syri qui Damascum inhabitabant, quorum rex erat Adad, ait Ioseph. VERS. 5.

AVDIVIT AVTEM THOV (à Iosepho vocatur *Thonus*) REX EMATH] *Emath* dicta est à conditore Amatho Genes. 10. Eratque duplex, scilicet maior, quæ est Antiochia, & minor, quæ est Epiphania. ita Ioseph. S. Hieron. in Locis, Procop. & alij. VERS. 9.

ET

VERS. 10. ET MISIT THOV IORAM FILIVM SVVM, qui 1. Paral. 18. 10. vocatur *Adoram*. ET IN MANV EIVS ERANT VASA AVREA] q. d. Ioram ferebat secum vasa aurea; vt ea, quasi munera offerret Dauidi; quæ Dauid destinauit templo à Salomone ædificando, vt patet 3. Reg. 15. 15. 1. Paral. 26. 27. & seq.

VERS. 13. FECIT QVOQVE DAVID SIBI NOMEN, id est arcum triumphalem erexit, ait Abul. & Auctor Tradit. apud S. Hieron. Aut, vt Serarius, Sanchez & alij q. d. Dauid hac victoria magnum sibi nomen & famam comparauit apud omnes gentes.

IN VALLE SALINARVM] Audi Adrichom. in tribu Iuda n. 211. *Vallis Salinarum, seu salis, Hebraicè Gemela, aliàs Mela dicta, in qua Dauid percussit octodecim millia Idumæorum, & rediens erexit sibi fornicem triumphalem. Ibidem & Ioab duodecim millia deleuit, & Amasias decem & viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia præcipitauit de rupe & petra Iectehel.* 2. Paral. 25. 4. Reg. 14. Mysticè S. Gregor. 3. Mor. 14. *Dauid*, inquit, *valles salinarum percussit: quia videlicet Redemptor noster sua districtionis examine, in his qui de illo praua sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit*, iuxta illud Roman. 12. *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Vallis ergo Salinarum repræsentat *calorem immoderatæ sapientiæ.* Verba S. Gregor. more suo transcripsere Eucherius & Angelomus.

VERS. 14. FACTA EST VNIVERSA IDVMÆA SERVIENS DAVID] Hic impletum est oraculum & benedictio Isaaci dicta Iacobo 27. 29. *Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Idumæi enim ex Esau fratre Iacobi prognati, hîc seruierunt Dauidi ex Iacob descendenti. ita Procop. & Theodor. Vnde tunc Dauid composuit Psalm. 59. vbi inter cetera ait: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, Idumæam quasi victor possidebo, subiiciam & calcabo. Adibant enim possessionem impositione calcei, siue calceo calcando rem possessam; vnde Chald. vertit, *super Edom proieci calceum meum*: R. Emmanuel vertit, *in Edom proieci chirothecam meam*, quia, inquit, mos erat regum cùm vrbem aliquam munitam obsidebant, vt chirothecam in vrbem proiicerent, quo significabant se ab vrbe non recessuros, nisi eâ captâ, & chirothecâ receptâ. Et hoc est, quod dixit Cicero in Philip. *Solet enim ipse citò accipere manicas* (chirothecas) *nec diutiùs obsidionis metum sustinere.* Hæc ille. Verùm Hebr. נַעַל *naal*, calceum, non chirothecam significat.

Tropol. Dauid, id est Christus, regnat in Idumæa, id est rubeis & carnalibus gentium cordibus, dum per gratiam ea efficit spiritualia & cælestia. ita S. August. S. Hieron. & alij in Psalm. 59.

VERS. 16. IOSAPHAT FILIVS AHILVD ERAT A COMMENTARIIS] id est res gestas Dauidis quotidie per diaria scribebat, erat commentator, vel commemorator factorum memorabilium Dauidis: hoc enim significat Hebr. מַזְכִּיר *maskir.*

VERS. 17. ET SADOC FILIVS ACHITOB, ET ACHIMELECH FILIVS ABIATHAR ERANT SACERDOTES] scilicet summi, id est pontifices. Erant ergo tum ex dispensatione vel conniuentia Dei, simul duo Israelis pontifices, scilicet Sadoc & Abiathar. Cùm enim Abiathar abnepos Heli, descendens ex Ithamar, metuens iram Saulis 1. Reg. 22. 20. fugisset ad Dauidem, Saul cum suis pontificem constituit Sadoc, qui descendebat ex Eleazar seniore filio Aaronis: Sadoc hîc posteà sub Salomone solus obtinuit pontificatum excluso Abiathar, eò quòd ipse cum Adonia nouo rege contra Salomonem conspirasset. Sub Dauide ergo erant duo pontifices conniuente Deo: nam ex lege & prima institutione vnus tantùm debebat esse pontifex. ita Abul. & alij. Ministrabant autem in tabernaculo, & munia pontificia obibant successiuè siue alternis vicibus.

SADOC FILIVS ACHITOB] Alius est hic *Achitob* ab *Achitob* filio Phinees, filij Heli. hic enim ex Ithamar descendit: *Sadoc* verò ex Eleazar, ideoque Sadoc præcipuus & primarius erat pontifex, vt Abiathar videretur eius concessu pontificatu fungi, esseque quasi eius vicarius, vt colligitur ex 1. Paral. 16. 39. Hinc & Sadoc hîc & alibi Abiatharo præponitur, licet eo ætate esset minor, vt patet 1. Paral. 12. 28. vbi *Sadoc* vocatur *puer egregiæ indolis.*

Achimelech filius Abiathar. Ipse *Abiathar* erat Pontifex, vt patet 2. Reg. 15. 35. sed *Achimelech filius* patris sui vices obibat, siue ob patris senium vel infirmitatem, siue ob alias graues eius occupationes, eratque ei proximè in pontificatu successurus. ita Abul. Addunt Beda, Theoph. & Euthym. in c. 2. Marci, *Abiathar* fuisse nomen commune familiæ, proprium verò nomen huius pontificis fuisse *Achimelech.* Idem ergo pontifex ex familia vocabatur *Abiathar*, ex nomine proprio autem *Achimelech*, vt sensus sit, q. d. Achimelech, qui etiam dicitur Abiathar, filius Achimelech, qui etiam à familia communi nomine Abiathar dicebatur, erat sacerdos.

BANAIAS AVTEM FILIVS IOIADÆ, SVPER CERETHI ET PHELETHI] Erant hi fortissimi, fidissimi & prætoriani milites Dauidis. Vnde *Cerethi* hebr. idem est quod, *excindentes*; *Pheleti*, idem quod *liberantes.* Quocirca Ioseph. eos vocat σωματοφύλακες, id est, corporis regij custodes. Hinc fortè à *Cerethi* dicti sunt *Cardaces*, qui erant fortissimi milites apud Persas teste Strabone lib. 15. Vide dicta Ezech. 25. 16. & Sophon. 2. 5. VERS. 18.

FILII AVTEM DAVID SACERDOTES ERANT] *Sacerdotes*, id est principes & aulæ primarij. vide 1. Paral. 18. 17. vocantur, *primi ad manum regis*, id est, primi ad latus regis, quia illud stipabant, erantque proximi Dauidi, quasi filij ab eo educandi & instruendi. Nam primogenitus erat circiter 15. annorum. ita Salianus. Quocirca sacerdotes hi à Sept. vocantur ἀυλάρχαι, id est *aulæ principes*, Palatini, à Chaldæo, *magnates.* Filij enim Dauidis, cùm non ex Leui, cui addictum erat sacerdotium, sed ex Iuda descenderent, non poterant esse sacerdotes propriè dicti. *Sacerdos* ergo hîc per catachresin, idem est quod princeps. Causam siue analogiam affert Forerius in c. 62. Isaiæ v. 6. quòd sacerdos sit minister & familiaris Dei: rex autem est quasi quidam Deus in terra: eius ergo familiares vocantur sacerdotes. Sic & Pineda Iob. 12. v. 19. n. 1. Rex, inquit, est quidam Deus; qui ergo regi

fami-

familiares,ij quidam ſacerdotes eius ſunt. Simile eſt 3.Reg.4.5. *Zabud*, inquit, *filius Nathan ſacerdos* (id eſt Palatinus) *amicus regis*. Addit Gloſſa l. *ſacra loca* ff.de di.lib.1.l.8.regem Dauid fuiſſe ſacerdotem,quia ſcilicet erat propheta pius,qui Pſalmos dictauit, & officia canendi inter Leuitas diſtribuit. Sic Chriſtiani omnes ſunt ſacerdotes, ſed myſtici,iuxta illud : *Vos genus electum, regale ſacerdotium*, 1.Petr.2.& illud: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*, Apoc. 5.10. Vnde S. Hieron.dialogo contra Lucifer. *Sacerdotium laici*,inquit, *Baptiſma eſt*. Quia & apud Romanos laici, qui aliquid ſacri curabant, vocabantur ſacerdotes , eſto non ſacrificarent. Erant enim apud eos varia ſacerdotum genera, nimirùm Flamines, Diales, Martiales, Salij, Quirinales, Pontifices , Reges ſacrorum , ſacrificuli, Galli. Vnde Muſarum ſacerdos vocatur poëta ab Horat. lib. 3. Carm. Hinc & Ouidius lib.3. Am. *purus muſarum*,inquit,*Phœbiq; ſacerdos*.Hinc quoque vates , augures, aruſpices à Plutarcho & Homero Iliade a. vocantur ἱερῆς , id eſt ſacerdotes. Denique quia olim idem erat ſacerdos & princeps , vtifuit Iob, Abraham, Moyſes, &c: hinc Hebr. כֹּהֵן *cohen*, id eſt *ſacerdos*, ſignificat quoque principem.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid Miphiboſeth filium Ionathæ menſæ ſuæ conuiuam facit, eiq; omnia prædia patris Ionathæ & aui Saulis reſtituit.

1. ET dixit Dauid: Putáſne eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? 2. Erat autem de domo Saul, ſeruus nomine Siba : quem cùm vocaſſet rex ad ſe,dixit ei : Túne es Siba? & ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. 3. Et ait rex: Numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Supereſt filius Ionathæ, debilis pedibus. 4. Vbi, inquit, eſt? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo eſt Machir filij Ammiel in Lodabar. 5. Miſit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar. 6. Cùm autem veniſſet Miphiboſeth filius Ionathæ filij Saul ad Dauid, corruit in faciem ſuam, & adorauit. Dixitque Dauid:Miphiboſeth? Qui reſpondit:Adſum ſeruus tuus. 7. Et ait ei Dauid:Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionathan patrem tuum,& reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper. 8. Qui adorans eum,dixit: Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei? 9. Vocauit itaque rex Sibam puerũ Saul,& dixit ei : Omnia quæcumque fuerunt Saul,& vniuerſam domum eius, dedi filio domini tui. 10. Operare igitur ei terram tu,& filij tui,& ſerui tui : & inferes filio domini tui cibos vt alatur:Miphiboſeth autem filius domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam. Erant autem Sibæ quindecim filij, & viginti ſerui. 11. Dixitque Siba ad regem : Sicut iuſſiſti domine mi rex ſeruo tuo, ſic faciet ſeruus tuus : & Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam, quaſi vnus de filiis regis. 12. Habebat autem Miphiboſeth filium paruulum nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibæ ſeruiebat Miphiboſeth. 13. Porrò Miphiboſeth habitabat in Ieruſalem: quia de menſa regis iugiter veſcebatur : & erat claudus vtroque pede.

VERS.1. PROPTER IONATHAM] Ecce quàm fidus & conſtans in amicitia Ionathæ fuit Dauid,vtpote qui non tantùm viuo,ſed & mortuo beneB faciat,ditando eius filium. Nam vt ait Theodoret. *Qui in hoſtes benignus erat, amicorum nunquam obliuiſcebatur*; &, vt inquit Ioſeph. *eorum qui benè vnquam ipſi feciſſent, memor erat maximè.*

VERS.7. RESTITVAM TIBI OMNES AGROS SAVL PATRIS TVI] quos antequam fieret rex,habebat ex paterna hæreditate, vel ſibi acquiſierat: nam quos rex factus comparauit, quaſi bona regia ad ſucceſſorem regem , puta Dauidem, iure communi deuoluta ſunt.

VERS.8. RESPEXISTI SVPER CANEM MORTVVM SIMILEM MEI?] q. d. Reſpexiſti ſuper canem mortuum, qualis ego ſum. ita Vatab. ſe enim aſſimilat, vocatque canem mortuum, vt ſe humiliet ſuamque vilitatem indicet , vtpote qui auo & patre mortuis orphanus, imò paruulus, claudus, miſer & egens relictus,ac ab omnibus neglectus,ſpernebatur quaſi canis mortuus.Sic nuper adoleſcens derelictus & miſer rogatus, quis eſſet ? reſpondit ſe eſſe filium conſiliarij mortui. Chald. vertit,*reſpexiſti ad virum idiotam, qualis ego ſum*.Videtur Miphiboſeth hoc tempore fuiſſe circiter viginti annorum : nam moriente Saule & Ionatha,erat quinquennis;adde 15. circiter annos regni Dauidis, quibus exactis Dauid ad ſe Miphiboſeth acciuit, habebis annos viginti.

DEDI

VERS.9. DEDI FILIO DOMINI TVI] id eſt, dedi Miphiboſeth, qui eſt filius Ionathæ olim domini tui.

VERS.10. ET INFERES FILIO DOMINI TVI] Hîc alius intelligitur dominus , ſcilicet præſens & viuus, putà Miphiboſeth,cùm prior, putà Ionathas, de quo v.9.iam eſſet mortuus. Senſus ergo eſt q. d. colliges agrorum Saulis fruges *filio domini tui*, hoc eſt Michæ filio Miphiboſeth : hic enim iam erat dominus Sibæ , *vt alatur*, ſcilicet Micha cum ſuis famulis.Nam Miphiboſeth pater Michæ alebatur in menſa Dauidis, non à Siba, vt ſequitur. ita Sanchez.

VERS.11. DIXITQVE SIBA AD REGEM : SICVT IVSSISTI DOMINE MI REX SERVO TVO, (mihi) SIC FACIET SERVVS TVVS : ET MIPHIBOSETH COMEDET PANEM SVPER MENSAM MEAM, QVASI VNVS DE FILIIS REGIS] Eſt hîc Antilogia; quomodo enim Siba hîc dicit, Miphiboſeth comeſturum ſuper menſam ſuam, cùm eum paulò antè menſæ ſuæ aſſignauit Dauid? Varij variè hæc conciliant. Primò, Abul.& Auctor Tradit. apud S. Hieron. pro *menſam meam*, legunt, *menſam tuam*. Sed Hebr. & Roman. habent, *menſam meam*. Secundò, Vatab. Caiet. Lyranus & alij interiiciunt & repetunt ex v. 9. *Dixit Dauid* : ſic ergo legunt, *Et dixit Dauid: Miphiboſeth comedet panem ſuper menſam meam*. Verùm *tò dixit Dauid*, hîc non eſt in Hebr.Chald. & Sept, Tertiò,alij accipiunt vt verba Sibæ,ſed ita conciliant: q.d. Siba : Miphiboſeth cibos ex menſa regis allatos comedet ſuper menſam meam. Verùm hoc repugnat v. 13. vbi dicitur Miphiboſeth habitaſſe in Ieruſalem , *quia de menſâ regis iugiter veſcebatur*. Quartò, Sept. & Chald.vertunt,*Et Miphiboſeth comedebat ſuper menſam regis,ſicut vnus de filiis regis*.Hoc verum eſt;ſed non reſpondet textui Hebræo & Latino. Quintò, Vatab.*tò &* explicans per *quamuis* ſic vertit, *Sicut iuſſiſti, ſic faciet ſeruus tuus* (vt ſcilicet alam Micham ; & Miphiboſeth quem hactenus alui, mittam ad menſam tuam) quamuis ego ipſum Miphiboſeth hucuſque in menſa mea aluerim tam ſplendidè,ac ſi eſſet vnus ex filiis regis: Verùm hoc diſſonat à Vulgata, quæ vertit, *Et Miphiboſeth comedet panem ſuper menſam meam.*

Vbi comedit Miphiboſeth?

Reſp.Primò

Secundò.

Tertiò.

Quartò

Quintò.

Dico ergo *tò &*, hîc capi pro *imò*, vti & alibi *Sacrè*, per auxeſim accipitur, q.d. Siba : Sicut iuſſiſti *germanè* rex,ſic faciet ſeruus tuus,vt alat Micham filium Miphiboſeth, quin imò ſi voles, *Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam*, q .d. ſi voles, ego pergam alere Miphiboſeth ipſum tam magnificè, ac ſi eſſet filius regis. ita Sanchez.

Alleg. Dauid extollens abiectum & claudum Miphiboſeth, repræſentat Chriſtum, qui infirma & contemptibilia mundi eligit, vt confundat fortia, 1.Corinth. 1. cùm ſcilicet ipſe, vt ait Angelom.*eum,quem ad ſæculi miniſteria,& mundana negotia exercenda, ſermone & actione debilem conſpicit,ad diuinum miniſterium eligit : quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, decor ignominiæ. Is ergo, cuius lapſ:am & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, Dei dono vtilis ad ſpiritale miniſterium in Eccleſia apparebit.* Et pluribus interiectis: *Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem : vt ſedeat cum principibus , & gloriã ſolium teneat. Contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit , & ſcientia ſpiritali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, qui vocetur Micha. Micha enim, quis eſt, Latinè reſonat: quia frequenter & in admirationem populi tales veniunt : qui nuper è deſpectu mundi ablati, glorioſiùs Eccleſiæ Dei dono apparebunt.*

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hanon rex Ammon legatos Dauidis veſtibus & barba mutilat : Dauid hanc iniuriam bello vlciſcitur,ac per Ioab, regem cum Syris proſligat : Rex verſ.15.aduocato Adarezer,bellum reparat : ſed à Dauide rursùm, magis quàm antè, cæditur.

1. FActum eſt autem poſt hæc,vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo. 2. Dixitque Dauid : Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid,conſolans eum per ſeruos ſuos ſuper patris interitu. Cùm autem veniſſent ſerui Dauid in terram filiorum Ammon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum : Putas quòd propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo vt inueſtigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam,miſit Dauid ſeruos ſuos ad te? 4. Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos. 5. Quod cùm nuntiatum eſſet Dauid , miſit in occurſum eorum : erant enim viri confuſi turpiter valdè , & mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini. 6. Videntes autem filij Ammon quòd iniuriam feciſſent Dauid, miſerunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob,& Syrum Soba, viginti millia peditum , & à rege Maacha mille viros, & ab Iſtob duodecim millia virorum. 7. Quod cùm audiſſet Dauid, miſit Ioab & omnem exercitum bellatorum. 8. Egreſſi ſunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipſum introitum portæ : Syrus autem Soba,& Rohob,& Iſtob

Istob,& Maacha,seorsum erant in campo. 9. Videns igitur Ioab quòd præparatum esset aduersum se prælium, & ex aduerso & post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, & instruxit aciem contra Syrum: 10. reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem aduersus filios Ammon. 11. Et ait Ioab: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi. 12. Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13. Iniit itaque Ioab, & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim fugerunt à facie eius. 14. Filij autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem: reuersusque est Ioab à filiis Ammon, & venit Ierusalem. 15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter. 16. Misitque Adarezer, & eduxit Syros qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. 17. Quòd cùm nuntiatum esset Dauid, contraxit omnem Israelem, & transiuit Iordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerso Dauid, & pugnauerunt contra eum. 18. Fugeruntque Syri à facie Israel, & occidit Dauid de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est. 19. Videntes autem vniuersi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expauerunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel: & seruierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere vltrà filiis Ammon.

VERS. 2. SICVT FECIT PATER EIVS (Naas) MECVM MISERICORDIAM] cùm me fugientem Saulem benignè susceperit, & tutatus est. Res gesta in Script. non narratur, sed ex traditione eam recensent S. Hier. in Tradit. (quem sequitur Angelom. Abul. Glossa, Lyran. Sanchez, & alij) *Quando fugit Dauid à facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas itaque venit in speluncam Odollam, vbi venerunt ad eum pater eius, & mater, & omnis domus eius. Inde venit ad Moab, & dimisit apud eum, patrem & matrem, & omnem domum suam.* Alias Rabbinorum præsertim R. Salomonis solutiones affert Lyranus, sed ab eis confictas, vti ostendit Abulens.

VERS. 4. RASITQVE DIMIDIAM PARTEM BARBÆ] 1. Paral. 19. 4. additur: *Decaluauit, & rasit, & præcidit tunicas eorum.* Triplex ergo fuit hæc ignominia, quam Hanon contra ius gentium legatis Dauidis ad se consolandùm missis irrogauit. Prima, fuit capitis decaluatio: secunda, barbæ non totius sed dimidiæ ad ludibrium rasio. Tertia, vestium longarum & ad pedes (more Orientalium) promissarum vsque ad nates præcisio, ideoque natium denudatio. Hebræi enim laici non vtebantur femoralibus, nisi sacerdotes: quæ omnia tunc temporis erant valdè fœda, ignominiosa & infamia, præsertim apud Hebræos; quia eis iusserat Deus *non radere caput nec barbam* Leuit. 21. v. 5. idque sciebant Ammonitæ, vtpote Hebræis vicini, ideoque ad maius dedecus apud suos, hanc eis insolentiam irrogarunt, imò apud omnes nationes probrosum est barbam vellere. Vnde illud: *Leoni mortuo barbam vellis*, id est, mortuo insultas.

Alleg. Hanon repræsentat Iudæos, qui Christo in passione genas vulserunt, Isaiæ 50. 6.

Tropol. Hanon est diabolus, qui subinde benefacere volentibus, barbam abradit, id est, fortitudinem adimit: barba enim virilitatis & fortitudinis est symbolum. Audi Eucherium: *Sicut Hanon, ita & diabolus princeps huius mundi, plerosq; religiosos & prædicantes per subrepentia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala, in aperta & flagitiosa perpetratag; luxuria detegit, quasi eorum indumenta vsque ad nates abscissa, nudos à dignitate castitatis derelinquit: & in oculis hominum turpia facta, quæ ipse persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus Dauid, Dominus scilicet & Saluator noster, clementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentiæ non excludit: quos & in Iericho, hoc est, sub anathemate pœnitentiæ, & opprobrio meliorum residere iubet: donec sacramenta spiritalia, & fortitudinem mentis, quam peccando perdiderant, satisfaciendo recipiant; & sic demùm in conspectu eius stare valeant.* Hæc omnia ad verbum ex Eucherio (veriùs Beda) transcripsit Angelomus, qui & addit: *sed Christus vindicat suorum iniuriam, cùm non solùm aduersarios suos, nunc per sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo iudicio per instam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet.*

INSTRVXIT ACIEM CONTRA SYRVM: RELIQVAM AVTEM PARTEM POPVLI TRADIDIT ABISAI FRATRI SVO, QVI DIREXIT ACIEM ADVERSVS FILIOS AMMON] Ostendit Ioab in hac diuisione exercitus insignem belli peritiam. Duces enim belli cùm vident se cingi à fronte & à tergo, diuidunt copias, vnamque partem hostibus à fronte, aliam verò iis, qui à tergo imminent, opponunt. Nec enim iidem milites à fronte, & à tergo pugnare possunt: si enim cædant hostes à fronte, cædentur ab hostibus, qui tergo instant. Rursùm quòd selegerit fortissimos milites, quibus inuasit, illicoque strauit Syros: illis enim prostratis, fugit altera acies Ammonitarum quibus instabat Abisai frater Ioab. Idem fecit Iudas Machabæus, quin & Gentiles, vt Scipio, Hannibal, Alexander, &c. ac præ ceteris Claudius Nero, cõsul Romanus, qui Hannibali oppositus, cùm audiret Asdrubalem cum nouo exercitu 56. millium aduentare, vt se cum copiis fratris Hannibalis coniungeret, secretò & celerrimè Hannibale

bale inscio profectus cum selecta suorum manu, se cum castris Liuij Salinatoris socij Consulis coniunxit, itaque inopinatò inuadens Asdrubalem, cum 56. millibus cæcidit, ac victor rediens caput occisi ante Hannibalis fratris stationes proiecit, itaque eum obstupefecit & perculit, vt de fortuna Carthaginis actum esse diceret, seque in extremum Italiæ angulum ad Brutios contraheret, vti narrat Liuius decade 3. in fine lib. 7.

VERS. 18. ET OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CVRRVS, ET QVADRAGINTA MILLIA EQVITVM] Dices, 1. Paral. 19. v. 18. plures numerantur, sic enim habet: *Et interfecit Dauid de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum.* Resp. liber Paralipomenon, vt patet ex nomine, supplet ea quæ in libris Regum omissa sunt, illa verò quæ & ibi dicta sunt obscuriùs, explicat clariùs. Ergo, quòd dicuntur hîc occisi 700. currus, intellige milites pugnantes è curribus: milites enim occiduntur, non currus: vide id confirmat liber Paralip. dicens: *interfecit septem millia curruum*, id est septem millia militum pugnantium è curribus. Erant igitur currus septingenti, sed militum septem millia erant: quilibet enim currus continebat decem milites. Porrò præter quadraginta *millia equitum*, quæ habet liber Regum, liber Paral. addit quadraginta *millia peditum*, ita vt vniuersim tam peditum, quàm equitum cæsa sint 80. millia, præter septem millia pugnantium è curribus. ita Abul. Sanchez, Serarius & alij. Denique Iosephus asserit bellum hoc Ammoniticum finitum esse ineunte hieme.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Lapsus Dauidis in adulterium cum Bethsabee, & homicidium Vriæ.

1. FActum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israel, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem. 2. Dum hæc agerentur, accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valdè. 3. Misit ergo rex, & requisiuit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quòd ipsa esset Bethsabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi. 4. Missis itaque Dauid nuntiis, tulit eam. quæ cùm ingressa esset ad illum, dormiuit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua: 5. & reuersa est in domum suam concepto fœtu. Mittensque nuntiauit Dauid, & ait: Concepi. 6. Misit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum. Misitque Ioab Vriam ad Dauid. 7. Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuitque Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum. 8. & dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. 9. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum aliis seruis domini sui, & non descendit ad domum suam. 10. Nuntiatumque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? 11. Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. 12. Ait ergo Dauid ad Vriam: Mane hîc etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Vrias in Ierusalem in die illa & altera: 13. & vocauit eum Dauid vt comederet coram se & biberet, & inebriauit eum: qui egressus vespere, dormiuit in strato suo cum seruis domini sui, & in domum suam non descendit. 14. Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitque per manum Vriæ, 15. scribens in epistola: Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, vt percussus intereat. 16. Igitur cùm Ioab obsideret vrbem, posuit Vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos. 17. Egressique viri de ciuitate, bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus. 18. Misit itaque Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prælij: 19. præcepitque nuntio, dicens: Cùm compleueris vniuersos sermones belli ad regem, 20. si eum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, vt præliaremini? an ignorabatis quòd multa desuper ex muro tela mittantur? 21. Quis percussit Abimelech filium Ierobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit

a *Cornel. in lib. Regum.* D eum

eum in Thebes? quare iuxta murum acceſſiſtis? dices: Etiam ſeruus tuus Vrias Hethæus occubuit. 22. Abiit ergo nuntius, & venit, & narrauit Dauid omnia quæ ei præceperat Ioab. 23. Et dixit nuntius ad Dauid: Prævaluerunt aduerſum nos viri, & egreſſi ſunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu perſecuti eos ſumus vſque ad portam ciuitatis. 24. Et direxerunt iacula ſagittarij ad ſeruos tuos ex muro deſuper: mortuique ſunt de ſeruis regis, quinetiam ſeruus tuus Vrias Hethæus mortuus eſt. 25. Et dixit Dauid ad nuntium: Hæc dices Ioab; Non te frangat iſta res: varius enim euentus eſt belli; nunc hunc, & nunc illum conſumit gladius, conforta bellatores tuos aduerſus vrbem, vt deſtruas eam, & exhortare eos. 26. Audiuit autem vxor Vriæ, quòd mortuus eſſet Vrias vir ſuus, & planxit eum. 27. Tranſacto autem luctu, miſit Dauid, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor, peperitque ei filium: & diſplicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid, coram Domino.

VERS. 1. FACTVM EST AVTEM, VERTENTE ANNO EO TEMPORE, QVO SOLENT REGES AD BELLA PROCEDERE] ſcilicet exacta hieme, in vere ſequentis anni, putà in Martio, quo Mars dominari ſolet, & reges ad bella procedere.

MISIT DAVID IOAB, &c.] Dauid verò domi remanſit, ideoque incidit in adulterium & homicidium, vnde Theodor q.25. *Dauid*, ait, *cùm eſſet in acie, mentemq; exerceret in belli cura, ex legibus diuinis vitam ſuam adminiſtrabat: paruas autem aſſecutus inducias, paſſus eſt lapſum.* Vide hîc quàm bellum, vt negotium præſtet otio: negotium Dauidem fecit caſtum, otium adulterum.

OBSEDERVNT RABBA] Erat hæc vrbs potens, regia, & metropolis Ammonitarum, ita dicta à magnitudine: *Rabba*, enim, vel *Rabbath*, hebr. idem eſt quod, *multa*, id eſt magna, per enallagen quantitatis diſcretæ pro continua: quanquam verè erat quoque *multa* in numero incolarum & ciuium. Eadem dicta quoque eſt *Ammon* vel *Amman*, & *vrbs aquarum* c. 12. v. 27. eò quòd laboc torrens eam circumfluat. Denique à Ptolemæo Philadelpho ſecundo Ægypti rege, qui Biblia ex Hebræo in Græcum per ſeptuaginta interpretes transferri curauit, ſubiugata, dicta eſt, *Philadelphia*, quod nomen hucuſque retinet.

VERS. 2. ACCIDIT VT SVRGERET DAVID DE STRATO SVO POST MERIDIEM] ſomno & cibo paſtus diſtentuſque, ideoque in venerem procliuis: huius enim ſtimuli ſunt deliciæ regales, deſidia, & ſomnus: in ſomno enim fit cibi concoctio, cuius vltima pars eſt ſemen: quod enim corpori alendo ſuperfluit, vertitur in ſemen. Quapropter ſomnus matutinus caſtis periculoſus eſt: tunc enim peractâ concoctione reliquum alimenti in ſemen tranſit, quod venereas cogitationes motuſque efficit. Qui ergo ſtudent caſtitati, non ſtertant in multam lucem, ſed manè ſurgant, imò auroram cum philomelis Deum laudando præueniant: ac ituri cubitum, ſe B. Virgini & Angelo Cuſtodi ſeriò commendent, vt nocturnas carnis tentationes & diaboli illuſiones impediant: denique cùm primùm cuigilant, illicò mentem ad Deum & Chriſtum orando conuertant, vt à carnalibus cogitationibus eam auertant, has enim & carò ſomno adhuc ſemiſopita, & dæmon tentator ſuſcitare ſolent.

VIDITQVE MVLIEREM SE LAVANTEM EX ADVERSO (Domus enim Vriæ erat vicina, & ex aduerſo palatij Dauidis, vt notat Adrichom. in Tabulis Geographicis) SVPER SOLARIVM SVVM] refer hoc ad *vidit*, non ad *mulierem*: nec enim mulier erat ſuper ſolarium Dauidis, ſed Dauid ambulans ſuper ſolarium, vidit ex aduerſo palatij mulierem ſe lauantem, vt patet ex Hebræo. Minùs rectè ergo Abul. cenſet Dauidem vidiſſe Bethſabee lauantem ſe ſuper ſolarium domus Vriæ mariti ſui: hoc enim indecorum & incommodum fuiſſet. Lauabat ergo ſe vel in domo, vt vult Vatab. vel in horto ad fontem, qui etiamnum oſtenditur, ait Adrichom. & ex eo Serarius & Pineda. Vnde Sept. habent, *vidit Dauid à ſolario mulierem lauantem ſe*; Hebr. *è tecto vidit lauantem*. Hæc fuit noua cauſa lapſus Dauidis, nimirùm viſio mulieris ſeminudæ: Oculi enim ſunt in amore duces: ac proinde impoſſibile eſt laſciuam cogitationem arcere à mente, niſi ab oculis arceatur laſciuus mulieris aſpectus. Vnde Iob c. 31. 1. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*

Audi Clement. Alex. lib. 3. Pædag. c. 11. ſub medium: *Laſciui autem aſpectus, & verſatilibus, & diendi. tamquam conniuentibus oculis intueri, nihil eſt aliud Gnoma. quàm oculis mœchari, cùm per eos cupiditas incat primæ pugnæ præludia.* Quin & Cyrus apud Xenophon. lib. 5. Pædiæ, *Ignis*, ait, *tangentes vrit, pulchri verò etiam eos qui procul aſpiciunt, incendunt, vt amore ardeant.* Sigillatim verò de Dauide S. Chryſoſt. in Pſal. 50. *Aperuit*, ait, *in vano oculos, & ſuſcepit ictum ſagittæ: audiant curioſi, qui pulchritudines alienas conſiderant*, &c. Et S. Auguſt. hom. 21. inter 50. *Sit*, inquit, *caſus maiorum, tremor minorum*, &c. *Boni viri, Eccleſiæ filij, & in Chriſti amore perfecti, audientes tam ſancti viri ruinam, abſtinent oculos, non eos* C *deſigunt in pulchritudine carnis alienæ*, &c. *de longè vidit illam Dauid, de qua captus: mulier longè, libido propè: nunquid tu fortior Dauid, Salomone ſapientior? Si illos tam ſanctos viros incauta familiaritas mulierum, & pernicioſa blandimenta vicerunt; quid de ſe cogitant illi, qui cum extraneis mulieribus, non ſolùm conuerſari, ſed in eâdem domo manere nec metuunt, nec erubeſcunt*, &c? Addit S. Auguſt. nimiam proſperitatem & abundantiam fuiſſe Dauidi ruinæ cauſam; *Idcircò*, inquit, *aduerſus felicitatem acriùs vigilandum eſt.*

Denique Torniellus cenſet Dauidem peccaſſe cum Bethſabee anno regni ſui 15. Salianus verò & Pineda anno regni 19. ætatis verò 49. & hoc veriùs videtur, vti oſtendam c. 12. 24. Hic enim annus eſt ſeptimus climactericus, qui magnam inducit naturæ, indeque affectuum morumque mutationem, ſicut nonus climactericus

A cus eſt annus 63. qui multis magnam alterationem, ac non paucis mortem affert.

BETHSABEE FILIA ELIAM] Tradunt Hebræi apud S. Hieron. hunc Eliam fuiſſe filium Achitophel, ideoque Achitophel poſteà coniuraſſe cum Abſalomo contra Dauidem, vt vitium nepti ſuæ à Dauide illatum vlciſceretur. Id probabile eſſe cenſet ex Hugone Salianus. Poterat enim Achitophel annos 60. eſſe annorum, Eliam pater 40. Bethſabee filia 18. Idem cenſent Abulenſ. Dion. & alij. Porrò *Eliam*, tranſpoſitis literis *Ammiel* vocatur 1. Paral. 3. 5. *Ammiel* enim hebr. idem eſt quod, *populus meus: Deus: Eliam*, verò idem quod, *Deus meus populus*. Denique *Eliam filius Achitophel* fuit vnus ex triginta fortibus Dauidis, æquè ac Vrias Hethæus, vt patet 2. Reg. 23. 34. & 39. ſierique poteſt vt inde coaluerit affinitas Vriæ cum Eliam, ductâ eius filiâ in vxorem, quòd vterque eſſet in cohorte & domo fortium Dauidis, eiuſque pater Achitophel eſſet vir ſapiens, celebris & conſiliarius regis. Tandem Bethſabee (quæ corruptè à Græcis & multis Latinis nominatur *Berſabee*) hebr. dicitur *Bat ſceba* id eſt, filia ſaturitatis, vel *Bat ſcua*, id eſt filia diuitiarum vel ſalutis, ait Pagnin. ac talis euaſit, poſtquàm pœnitens Dauidis vxor facta, ſanctam cum eo egit vitam, imò euaſit prophetiſſa, & Salomonem filium ad omnem pietatem erudituit, vti oſtendi Prouer. 31. v. 1. & ſeq.

VXOR VRIÆ HETHÆI] hoc eſt, Gethæi, inquiunt nonnulli, qui ſcilicet erat ex fortiſſimis & antiquiſſimis militibus Dauidis, qui cum in Geth fugientem ſecuti fuerant, ideoque dicebantur *Gethæi* vel *Hethæi*. *Geth* hebr. ſignificat C *torcular*, idque hîc eſt appoſitum: nam ibi cum Dauide torculari perſecutionis Saulis preſſus fuit Vrias, ac ſimili, imò maiori torculari hic oppreſſus à Dauide. Veriùs Adrichom. in deſcript. tribus Iuda, n. 128. *Eth*, inquit, ſiue *Heth* locus eſt in regione Hebronis, quem *Ethæi* ſiue *Hethæi* populi, ab *Ethæo* ſiue *Hethæo* filio Chanaan orti, incoluerunt: à quibus Abraham ſpeluncam duplicem emit. Ex hoc etiam loco Vrias, vir Bethſabee, fuit oriundus, qui Ethæus ſiue Hethæus teſte Hieronymo, vocitatus eſt. Hoc, vt dixi, videtur verius: Nam *Geth* & *Gethæus* hebr. ſcribitur per *gimel*; *Heth* verò & *Hethæus* per *chet*. *Heth* autem hebr. idem eſt quod, *pauor, terror, contritio*: vnde *Hethæus*, idem eſt quod, *pauorem incutiens, terribilis, conterens*, qualis fuit Vrias D vir fortiſſimus. ita ſentiunt S. Hieron. Adrichom. Salianus & alij. Minùs rectè ergo Procopius & Theodor. cenſent Vriam dici Hethæum, quòd oriundus eſſet ex Hethæis, qui erant vna ex ſeptem gentibus Chananæorum, quos Hebræi duce Ioſue expulerunt, ſed Vriam ad iudaiſmum fuiſſe conuerſum factumque proſelytum: & Abul. qui putat Vriam dici Hethæum, non quòd eſſet Hethæus, ſed quòd in terra Hethæorum habitaſſet. Serarius verò putat Vriam dici Hethæum, quòd ipſe aut ipſius pater contra Hethæos præclari quippiam geſſiſſet, quemadmodum Archias dictus eſt Samius apud Herodotum lib. 3. cùm eſſet alioqui Lacedæmonius. Denique Ioſephus: *Vrias*, inquit, *erat ciuis Hieroſolymitanus magnæ ob fortitudinem tam apud regem, quàm contribules gloriæ. Hieroſolymitanus*, intellige habitatione, aut natiuitate, *Cornel. in lib. Regum.* quòd ibi natus eſſet, licet oriundus ex *Heth*, vti dixi.

VERS. 4. DORMIVIT CVM EA] Adulterium cum ea commiſit. Mirus & profundus fuit hic ſancti regis, Pſaltis & Prophetæ Dauidis lapſus, qui docet nos in timore & tremore operari ſalutem noſtram. Nam S. Baſil. hom. 22. de humilitate, & in Regulis breuior. reſponſ. 81. docet cauſam lapſus & negationis S. Petri fuiſſe præſumptionem quâ dicebat: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Sic & cauſam lapſus Dauidis in homicidium & adulterium, fuiſſe eandem præſumptionem, quòd ſcilicet ſemel gratia ſingulari viſitatus dixerit illud Pſal. 29. 7. *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.* *Præſumptio cauſa lapſus Dauidi.*

Vnde mox pœnam ſubdit: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Idem Pſal. 118. 67. *Priuſquam*, inquit, *humiliarer, ego deliqui; propterea eloquiũ tuum cuſtodiui.* Hinc S. Franciſcus ſuis dabat hoc documentum: *Cùm gratiam acceperis à Deo, dic: Domine cuſtodi in me theſaurum tuum, quia ego illius latro ſum.* ita S. Bonau. in eius Vita cap. de ſtudio orationis. Quocirca S. Columbano adoleſcenti (vt habetur in eius Vita c. 2.) pia femina hoc dedit ſalutis & caſtitatis monitum: *Remineſcêris ſuaſu Euæ Adam dilapſum, Samſonem à Dalilâ ſeductum, Dauid à priſtina iuſtitia, pulchritudine Bethſabeæ corruptũ, ſapientiſſimũ Salomonẽ*, &c. *Perge ô ituenis, perge, euade ruinam, per quam multos comperis corruiſſe, declina viam, quæ inferi ducit ad valuas.* Nugantur hic Rabbini in Thalmud, qui, vt Dauidem excuſent à peccato, dicunt Vriam æquè ac ceteros milites ad bellum euntes, vxori dediſſe libellum repudij; quare illam iam repudiatam & lege ſolutam, potuiſſe nubere Dauidi: Verùm hoc falſum eſſe liquet ex eo, quòd Dauid Vriam è bello accitum, iuſſerit domum ad vxorem ſuam redire, idque ſe factutum neget Vrias v. 11. *Contra eam monita.*

Porrò S. Epiphan. in vita Nathan Prophetæ, & ex eo Abulenſ. aſſerit, Nathan abſentem in ſpiritu præuidiſſe concupiſcentiam Dauidis: quare vt eius peccatum impediret, feſtinanter perrexiſſe Hieroſolymam: ſed Beliar, vel potiùs Belial, id eſt diabolum ei obiecille remoram, nimirùm mortuum quemdam nudum, quem dum ſepelit Nathan; Dauid adulterium commiſit. Cuius rei fides ſit penes S. Epiphan.

Myſticè (quod nouum & mirum eſt) Patres plerique adulterium Dauidis interpretantur de Chriſto Eccleſiam gentium ſibi deſponſante. Vnde S. Ambroſ. lib. 3. in Lucam: *Myſterium* ait, *in figura, peccatum in hiſtoria: culpa per hominem, Sacramentum per Verbum.* Quaſi totum myſterium in eo fuerit, vt Verbum alienam naturam ad ſuam hypoſthaſin, ſicut Dauid alienam vxorem ad ſuum thalamum, coniugarit: Deinde idem typum geſſerit Chriſti Domini Eccleſiam ſibi ex Gentibus in ſponſam cooptantis. Ita quoque D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 87. *Iſte*, inquit, *Dauid grauiter ſceleratèq; peccauit: verumtamen ille deſiderabilis omnibus gentibus, adamauit Eccleſiam ſuper tectum ſe lauantem, id eſt mundantem ſe à ſordibus ſæculi, & domum luteam ſpiritali contemplatione tranſcendentem atque calcantem.* Acſi diceret, quamuis Dauid alienam ſibi vxorem aſſumendo grauiter deliquerit: tamen Chriſtum *Patres myſticè adulterium Dauidis expleant de Chriſto deſponſante ſibi gentiles.*

Dominum sibi Ecclesiam pro Synagoga desponsantem significauit. Addit S. Augustin. & ex eo Beda, Dauid occidisse Vriam, id est Christum occidisse diabolum, eique extorsisse sponsam, scilicet Ecclesiam gentium. Tertiò, S. Gregor. lib. 3. Moral. c. 21. *Dauid*, ait, *est Christus, Bethsabee est lex vetus, quam Christus ab Vria, id est à Iudæis abstulit, sibiq; coniunxit, quia se per illam prædicari declarauit.* Idem ex S. Gregorio descripserūt Eucherius, Angelom. Rupert. & alij: ac similia habet S. Ambros. Apolog. 1. Dauidis c. 3. Pergit S. Gregor. *Vrias ad Ioab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur, quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens, implere renititur, ipse defert iudicium, vnde damnetur.* Vnde concludit: *quid per factum istud Dauide scelestius? quid Vria mundius dici potest? Sed rursùm per mysterium, quid Dauide sanctius, quid Vria infidelius inuenitur? Quando & ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam, & iste per vita innocentiam, in prophetia exprimit culpam.*

Hæc Allegoria est impropria.

Verùm hæ allegoriæ non sunt propriæ & primæ classis, sed secundæ & impropriæ, quia laxiores sunt, nec ex æquo respondent literæ & historiæ. Est enim in eis aliqua quidem proportio & analogia, at non per omnia similis, sed in multis dissimilis. Quod enim Dauid fecit cum peccato, hoc Christus fecit ex sanctitate & misericordia. Quare in his allegoriis Dauid non tam spectandus est, vt initio adulterans cum Bethsabee, quàm vt posteà eam sibi copulans matrimonio. Sic enim repræsentauit Christum despondentem sibi Ecclesiam ex Gentibus.

Rursùm Vrias vir fortis, fidelis & pius; non aptè repræsentat diabolum, nisi quatenùs ipse fuit Hethæus. Si enim per Hethæum accipias Gethæum, oriundum ex Geth, vrbe Philisthinorum; vel Hethæum, id est oriundum ex Hethæis, qui erant vna ex septem gentibus Chananæorum, quas Deus deleri iusserat, vti nonnulli accipiunt; sic rectè Vrias repræsentat diabolum, vtpote patrem impiorum & infidelium, quales erant Hethæi & Chananæi. vide nostrum Salmeronem Prolegomeno 9. c. 10. & 11. Simili modo Osee iussu Dei c. 1. meretricem duxit in vxorem, vt repræsentaret Deum & Christum, qui in Ecclesia sibi copulauit idololatras, qui anteà cum idolis mysticè fornicabantur.

STATIMQVE SANCTIFICATA EST AB IMMVNDITIA SVA] q. d. Abluit corpus aqua lustrali, ritu legis veteris *sanctificata*, id est benedicta, itaque emundauit se ab irregularitate legali, contracta ex congressu cum Dauid, iuxta legem Leuit. 15. 18. verùm peccatum, siue culpam adulterij non abluit, hæc enim non aqua, sed pœnitentia & lacrymis abluenda est.

VERS. 5. MITTENSQVE NVNTIAVIT DAVID, ET AIT: CONCEPI] q. d. ait S. Chrysost. in Psal. 50. *O rex perij. Et ille ait: Quid habes? Prægnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsecùs habeo, in ventre profero proditorem. Si venerit & viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excusationem prætendam? Inueniet me grauidam, & occidet me.* Vnde moraliter infert Chrysost. *Videte & admiramini, Fratres, quantum mali sit delictis & peccatis obnoxium fieri. Rex militem timet, & formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat, & confusionis opprobria metuebat.*

VERS. 6. MITTE AD ME VRIAM HETHÆVM] Causa fuit, ait Abul. vt Dauid liberaret se infamia adulterij, & Bethsabee à morte, ob idem adulterium ab ea perpetratum: vocauit ergo Vriam, vt is putaretur rem habuisse cum Bethsabee vxore sua, itaque infans quem ex Dauide secretò conceperat Bethsabee, putaretur esse filius Vriæ mariti, non Dauidis adulteri. Si enim Vrias post longiorem temporis moram rediisset vxore grauida vel pariente, omnibus notum fuisset hunc filium non esse Vriæ, sed alicuius adulteri, ac tandem inquisitione facta deprehensus fuisset Dauid adulter esse huius fœtus parens. ita S. Chrysost. in Psal. 50.

VERS. 11. ET AIT VRIAS (vir robustior spiritu quàm corpore) AD DAVID: ARCA DEI ET ISRAEL (milites & decem tribus obsidentes Rabba) ET IVDA HABITANT IN PAPILIONIBVS] Hinc patet arcam per Abiathar pontificem ductam fuisse ad castra, & obsidionem Rabba, vt Dei ductu & ope eam expugnarent.

ET EGO INGREDIAR DOMVM MEAM, VT COMEDAM ET BIBAM, &c. PER SALVTEM TVAM ET PER SALVTEM ANIMÆ TVÆ (iuro quòd) NON FACIAM REM HANC] O militem fortem & sanctum, qui tamen indignam sua fide & robore mercedem retulit à Dauide, vtpote ab eo morti destinatus. Ita pij hîc opprimuntur, vt in futuro Christi iudicio exaltentur, beentur & glorificentur coram omnibus Angelis & hominibus. Idem quod Vrias, dicat faciatque Christianus generosè pro Deo & animarum salute laborans, ac labori succumbens & occumbens, sed oriens quieti & gloriæ beatæ æternitatis. Vnde *Vriæ* hebr. idem est quod, *lux mea Deus*, vel *ignis meus Deus*; *Hethæus* idem est quòd, *abscissus*, ait S. Augustin. lib. 22. contra Faustum c. 87.

VERS. 13. ET INEBRIAVIT EVM] vt ebrius domum rediret, & cum vxore dormiret; itaque ipsa ex eo, non ex Dauide fœtum concepisse putaretur. Vide hîc vt vnum peccatum trahat aliud. Et Dauid vt adulterium tegat, procurat fœtum suum supponere Vriæ; quod erat crimen iniustitiæ. Sic hodie adulteræ filios ex adultero susceptos supponunt & arrogant suis maritis; itaque fraudem & iniustitiam committunt, dum hac suppositione efficiunt, vt maritus eos quasi suos alat, & hæredes instituat cum damno verorum filiorum: ad cuius damni restitutionem tenentur adulteræ, quia eius causam dederunt. Rursùm Dauid, vt hanc fœtus sui suppositionem adornet, Vriam inebriat, quod tertium fuit eius peccatum. Nam vt ait S. Augustin. serm. 231. de Temp. *Qui alterum cogit, vt se plus quàm opus est, bibendo inebriet; minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret, quàm eius animæ per ebrietatem noceret.* Et inferiùs ait eum sacrificare diabolo. Et S. Ambros. Apol. 2. Dauid. c. 3. *Oculis*, ait, *excitatur libido, sed ebrietate succenditur; Noë ebrietus est, & qui non inebriatus est diluuio, inebriatus est vino.*

VERS. 14. SCRIPSIT DAVID EPISTOLAM AD IOAB, MISITQVE PER MANVM VRIÆ] quibus scribebat Ioab, vt curaret Vriam ab Ammonitis occidi. Vnde *litteræ Vriæ* æquè ac *Bellerophontis* apud Lucianum, abierunt in prouerbium, ac de iis dicuntur, qui literas sui damni necisue causas

causas perferunt. Opinatur noster Sanchez ex hisce literis Vriæ Gentiles finxisse fabulam Bellerophontis, quòd scilicet ipse acceptis commendatitiis à Præto rege litteris ad Iobatan (quod nomen alludit ad Ioab hîc) in mortem præcipitatus sit. Sic ex Moyse cum Deo loquente, acceperunt fabulam Minois cum Ioue colloquentis; ex Samsone, fabulam Herculis, aliaque plura similia, teste Clemente Alexand. lib. 2. Strom. Fuit hoc quartum & grauissimum Dauidis peccatum, quo vt celaret adulterium ac adultera securè & iugiter frueretur, curauit occidi Vriam militem fortissimum, sibique fidissimum, ne scilicet ipse post bellum domum rediens, vidensque vxorem grauidam vel parientem, sciens se cum ea rem non habuisse, eam vt adulteram traduceret, imò occideret, neue ipsa ad sui tutelam Dauidem auctorem prolis conceptæ, Vriæ assignaret & proderet. Porrò homicidium Dauidis valdè aggrauauit, modus hic, quo eum occidit, qui fuit fraudulentus & proditorius. *Sic ex vitio vitium gignitur*, ait Isidor. *Sicut Dauid non euitauit adulterium, perpetrauit & homicidium.* Vide hîc rursùm quàm libido sibi blanda, aliis sit sæua & crudelis: vt enim suæ voluptati sola indulgeat, alios eâ excludens, ablegat vel occidit. Mysticè Rupert. lib. 11. de Diuin. Offic. c. 1. *Tulit Dauid vxorem*, inquit, *Vriæ Ethæi, ipsumq; Vriam fecit occidi, ferentem in manu sua scriptam mortis suæ sententiam: graue quidem committens piaculum secundùm rem gestam, sed grande præsignans mysterium per Christum regem vitæ, manu fortem atq; desiderabilem, suo tempore peragendum*, &c. Rursum D. Thom. præf. in epist. Canon. *Literæ mortis suæ ait portant viri literati, qui sciunt & docent, & non faciunt. Iste sunt literæ sine sigillo, id est scientia sine vita; & ideò non creditur eis.*

VERS. 16. POSVIT VRIAM IN LOCO, VBI SCIEBAT VIROS ESSE FORTISSIMOS] Addit Ioseph. Ioab Vriæ commendasse fidem & strenuitatem, vt vsque ad mortem pro Dauide & Israele pugnaret, ac socios Vriæ secretò monuisse, vt eum in pugna desererent, atque ab hostibus cingi cædique permitterent. Quid hac re magis proditorium aut scelestum dici fingique potest? Porrò S. Hieron. lib. 1. contra Iouianum asserit Dauidem propter homicidium Vriæ à Deo prohibitum ædificatione templi, sed grauiores eius pœnas audiemus cap. sequent.

VERS. 17. ET MORTVVS EST ETIAM VRIAS] Ecce hic consummatum Dauidis ingrati homicidium, cuius indignitatem graphicè depingit & exaggerat Abul. hîc quæst. 5. in cap. 12. Porrò permisit Deus tam grauiter labi Dauidem: Primò, vt eum humiliaret, vt scilicet ipse sciret se, licet per gratiam esset sanctus Propheta, & Psalmographus; tamen per naturam esse hominem fragilem & procliuem in peccata, vti sunt ceteri. Vnde ipse idipsum iam lapsus confitetur in Psal. 50. *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Secundò, vt in eius lapsu & erectione Deus suam iustitiam æquè ac misericordiam ostenderet: iustitiam in peccati castigatione, misericordiam, in culpæ condonatione: sicut quò maior est morbus vel vulnus, eò maior medici curantis peritia & efficacia ostenditur, ait S. Chrysost. in Psal. 50. Tertiò, ad aliorum exemplum, vt omnes à Dauide

Causa prima ob quam Deus permisit labi Dauidem.

Secunda.

Tertia.

lapso discant cauere lapsus occasiones; ac præsertim incautos feminarum aspectus. Audi S. Ambros. Apol. 2. Dauid. c. 3. *Non te vincat concupiscentia formæ, si non vis vinci; non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur: neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier videtur ad pretium, sed fortis ad vitium: quæ virorum pretiosas animas capit.* Probat id ex Prouer. c. 6. *Ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? vel ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Cauè ergo & tu, ne intra sinum tuæ mentis ignē libidinis & amorem accendas.* Et inferiùs: *si Dauid infirmus, tu fortis? si Salomon lapsus est, tu immobilis? si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum?* Quartò, vt, si nos labi contingat, non desperemus, sed cum Dauide pœnitendo resurgamus; ac lapsus, sit nobis stimulus ad maiorem rigorem & virtutem. Vnde S. Augustin. hom. 21. inter 50. *Multi*, ait, *cadere volunt cum Dauid, & nolunt surgere cum Dauid*, &c. *Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant: audiant qui ceciderunt, vt surgant. Peccatum cum desperatione certa miors*, &c. Et S. Prosper lib. 2. de Prædict. c. 26. *Dauid*, ait, *positus est in exemplum fidelibus, vt discant magis timere prosperа, quàm formidare aduersa. Periculosum enim est animæ dimitti in voluptatibus suis, dicente Domino: Ecce quem diligo castigo*, Prouer. 3. 10. Apocal. 3. 19. *Quarta.*

Vide S. Ambros. in duabus Apologiis quas pro Dauide cōscripsit, vbi priore lib. c. 2. sic ait: *Sancti sicubi fortè, vt homines, corruerunt, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine; acriores ad curredum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina; vt non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse.* Et nonnullis interiectis: *Propositi enim ad imitandum nobis sunt, & ideò curatum est, vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitiis inter tot lubrica huius sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi; cuiusdam superioris naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent.* Vnde post pauca concludit: *Præteriit igitur paulisper illos Dei gratia, vt nobis ad imitationem vitæ eorum fieret disciplina, & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo.*

VERS. 26. PLANXIT EVM] Vriam maritum suum. Planctus hic apud Hebræos erat septem dierum vt ait Ecclesiast. c. 22. v. 13. Romani tamen, & posteà Christiani Imper. vt Gratianus & Theodosius, statuerunt vxori annum ad lugendum mortem mariti, ita vt non nisi exacto anno luctus, posset alteri nubere. Causam dedi Eccles. 22. Verùm nec Dauid nec Hebræi exspectabant annum, vnde mox à morte Vriæ duxit Bethsabee, sicut mox à morte Nabal duxit Abigail lib. 1. Reg. 25. 39.

VERS. 27. FACTA EST EI VXOR, PEPERITQVE EI FILIVM] Filius ergo hic conceptus fuit in adulterio, sed natus in matrimonio, cùm scilicet Dauid Bethsabee, mortuo Vria, duxisset in vxorē. Qua in re peccauit Dauid, quòd scilicet eam, cum qua adulterium commiserat, occiso marito illicò duxerit in vxorem, tacitè approbando prius adulterium & homicidium. Vnde sequitur.

ET DISPLICVIT VERBVM HOC QVOD FECERAT

CERAT DAVID, CORAM DOMINO] Fuit ergo hoc quintum Dauidis peccatum: Iudæis enim vetitum erat ducere illam, quam adulterio polluissent; non tamen erat irritum cum ea matrimonium, vti iam est apud Christianos, vt patet Extr. *de eo, qui vxorem duxit, quam polluit per adulterium.* Vnde cap. sequ. Nathan arguit Dauidem, non tantùm quòd occiderit Vriam, sed etiam quòd occisi vxorem à se adulterio maculatam duxerit; sic enim ait v. 9. *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi.* Et v. 10. *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Hethæi, vt esset vxor tua.* Videtur enim Dauid pulchritudine Bethsabee illectus, eam concupiisse in vxorem, ideoque occidisse Vriam. Nonnulli A tamen cum Saliano Dauidem excusant; quòd illam duxerit, vt eius famæ, pudori & vitæ consuleret, ne vt adultera lapidaretur; atque vt iniuriam Vriæ illatam repararet, vxorem eius honorando, & sibi in reginam ascisendo, eiusque liberos, si quos reliquerat, sibi arrogando. Verùm hos fines postea intendisse, sibique præfixisse videtur Dauid, cùm c. sequ. à Nathan hac de re reprehensus, pœnituit; animumque adulterinis Bethsabee amoribus imbutũ in castum coniugij eius vsum commutauit. Nam hucusque concupiscentiæ suæ obsecutus videtur: nec enim vllum dedit pœnitentiæ signum, nisi postquàm correptus fuit à Nathan, vt audiemus c. sequ.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid à Nathan correptus pœnitet: Deus percutit eius filiolum vers. 15. cui vitam flendo & ieiunando flagitat Dauid, sed frustrà: Quare Dauid ex Bethsabee generat Salomonem Deo dilectum. Denique vers. 27. Dauid expugnat Rabbath, eiusq; ciues atrociter trucidat.

1. MIsit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cùm venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus dives, & alter pauper. 2. Dives habebat oues, & boues plurimos valdè. 3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. 4. Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem; parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini qui venerat ad se. 5. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. 6. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercerit. 7. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, 8. & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, dediq́ue tibi domum Israel & Iuda: & si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora. 9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. 11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. 12. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis. 13. Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. 14. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. 15. Et reuersus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid, & desperatus est. 16. Deprecatusque est Dauid Dominum pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum, iacuit super terram. 17. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum vt surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18. Accidit autem die septima vt moreretur infans: timueruntque serui Dauid nuntiare ei quòd mortuus esset paruulus. dixerunt enim: Ecce cùm paruulus adhuc viueret loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quantò magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?

19. Cùm

19. Cùm ergo Dauid vidisset seruos suos mussitantes, intellexit quòd mortuus esset infantulus; dixitque ad seruos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. 20. Surrexit ergo Dauid de terra: & lotus vnctusque est: cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: & adorauit, & venit in domum suam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit. 21. Dixerunt autem ei serui sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cùm adhuc viueret, ieiunasti & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem. 22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui: dicebam enim: Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? 23. Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille verò non reuertetur ad me. 24. Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam, ingressusque ad eam, dormiuit cum ea: quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum. 25. Misitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus. 26. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. 27. Misitque Ioab nuntios ad Dauid, dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. 28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne, cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria. 29. Congregauit itaque Dauid omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. 30. Et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput Dauid. Sed & prædam ciuitatis asportauit multam valdè: 31. populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta: diuisitque cultris & traduxit in typo laterum: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. Et reuersus est Dauid, & omnis exercitus in Ierusalem.

VERS. 1. MISIT ERGO DOMINVS NATHAN AD DAVID] Vide quàm cæcus per peccatum euaserit Dauid. Nam per nouem menses quibus Bethsabee ex eo conceptum fœtum vtero gestauit & peperit, quasi Dei & sui oblitus, non cogitauit quanta scelera adulterij & homicidij commisisset; sed securus voluptatibus cum Bethsabee indulgebat. Idcircò Deus eius miserens, misit ad eum Nathan, qui scelerum grauitatem ei ostenderet, ac pœnas à Deo decretas denuntiaret.

Nathan hic alius fuit à Nathan filio Dauidis, & fratre Salomonis, vtpote paruulo, & fortè necdum genito. Hic enim Nathan fuit Propheta familiaris Dauidi, cùm quo negotia sua tractare, eiusque consilia sequi solebat Dauid: ideoque meruit hic ab eo corripi, & à via gehennæ in semitam salutis reduci. Dauid enim ita diligebat Nathan, vt ab eo vnum filiorum suorum vocarit Nathan, ait Genebrard. B

DVO VIRI ERANT IN CIVITATE] Nathan sapienter non apertè, sed per ambages orditur correptionem, vt regis animum amoribus sopitum & superbum à somno peccatorum exciteret. Festiuam ergo ei proponit parabolam, per quam gratiosè ei sceleris sui enormitatem ostendit, ne, si clarè idipsum faceret, rex excandesceret, & correptionem sperneret, diceretque, ait S. August. hom. 21. inter 50. *Tu cùm sis pauper & humilis, quomodo ausus es mihi loqui Regi?* Quare sermonem inducit, quasi de alio aliquo, non de Dauide ageret; vt Dauid alium videretur damnare, non seipsum: vnde Græci codices nonnulli hîc præfigunt: *Renuntia*, vel *responde mihi iudicium.* vsus est ergo parabola, vt suo seipsum iudicio rex damnaret, neque ipsum iritaret: *ad secandum & sanandum vulnus cordis eius, ferramentum fecit Deus de lingua eius*, inquit August. hom. C 21. *Sed velut prudens medicus ferrum tegebat*, parabolico scilicet velamento.

Porrò hic est sensus, & hæc applicatio Parabolæ. *Duo viri*, sunt Dauid & Vrias; ille dives, hic pauper. Dauid multas habebat oues, id est vxores; Vrias vnicam, scilicet Bethsabee: hanc ei ademit Dauid per adulterium, itaque grauem ei intulit iniuriam, ac seipsum reum fecit mortis præsentis & æternæ. ita Abul. & alij.

FILIVS MORTIS EST VIR QVI HOC FECIT] q. d. Reus est mortis. Vox enim *filius*, Hebræis cùm iungitur genitiuo pœnæ vel præmij, idem est quod *reus*, vel *dignus*. Sic filius mortis, iræ, gehennæ, est reus mortis, iræ, gehennæ: filius vitæ, gloriæ, resurrectionis, idem est quòd, dignus vitæ, gloriæ, resurrectione. VERS. 5.

OVEM REDDET IN QVADRVPLVM] Hæc enim restitutio furi ouis indicitur Exodi 22. 1. vide ibi dicta. VERS. 6.

ET DEDI TIBI DOMVM DOMINI TVI, ET VXORES DOMINI TVI IN SINV TVO] Pro *vxores* hebr. est נְשֵׁי *naschim*, quod non tantùm vxores, sed & feminas quaslibet significat. *Feminæ* autem, id est, *filiæ* Saulis fuêre Merob & Michol, quas Deus Dauidi dedit vxores: Merob enim à Saule fuit desponsa Dauidi, licet postea per fraudem Saul illi eamdem abstulerit. Rursùs Hebræi tradunt Eglam vxorem Dauidis, fuisse priùs vxorem Saulis, æquè ac Respham: sed hoc refutat Abul. hic quæst. 3. Denique hîc non tam significatur actus, quàm ius & potestas, quòd scilicet Dauid succedens Sauli in regno, habuerit ius in ancillas & vxores Saulis, vt posset eas si vellet sibi matrimonio copulare. ita Lyran. Abul. & alij. VERS. 8.

QVAMOBREM NON RECEDET GLADIVS DE DOMO TVA VSQVE IN SEMPITERNVM] non absolutè, sed respectiuè, scilicet respectu VERS. 10.

domus Dauidis & Israelis, q.d. Quàm diu durabit tua regia stirps, & quàm diu durabit regnum Israelis, faciam vt gladius semper incumbat tibi, domuique tuæ, necab ea recedat, q.d. Tu gladio Ammonitarum Vriam occidisti, idcircò in pœnam non vnus, sed multi è filiis & posteris tuis gladio occidentur. Ita factum: nam ex filiis Dauidis occisi quatuor, scilicet hic paruulus v. 15. Ammon, Absalon, & Adonias, & fortè plures alij. Deinde posteri Dauidis excepto Salomone continua cum hostibus gessere bella, in quibus multi Israelitæ, & prognati ex Dauide & fratribus eius occisi sunt. ita Abul. Salian. & alij.

VERS. 11. ECCE EGO SVSCITABO SVPER TE MALVM DE DOMO TVA] Vt scilicet Absalom filius tuus persequatur re. Nam, vt ait S. Chrysost in Psal. 3. *Vnde est fons peccati, illinc est plagæ supplicij: quia ergo à præcepto Domini exul fugitiuusq; fuerat, propterea filium fugiebat.* Et mox: *Nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret.* Morale deinde documentum subdit, eos, qui in iuuentute cum mulieribus peccarunt, postea incidere in vxores molestas & rixosas, à quibus præterita libidò per Deum castigatur, iuxta illud Eccles. 7. 27. *Qui autem peccator est, capietur ab illa*; quasi ab amorum antidoto, quod peccatorum malos humores consumat. Audi Chrysost. *Vxor tecum bellum gerit, ingresso tamquam fera occurrit, linguam tamquam gladium acuit. Res quidem valdè molesta ac difficilis, quòd auxiliatrix, aduersaria facta est: teipsum tamen examina, numquid in iuuentute in mulierem noui quid attentarij, & quod mulieri à te vulnus insitum est, curetur per mulierem, & alienum vlcus propria vxor chirurgi officio fungens, medicetur; & quamuis quæ secet ignores, nouit tamen Deus medicus. Ipsè enim eâ tamquam ferro aduersùs te vsus est; & quemadmodum ferrum nescit quid agat, futuram autem per ferrum medelam nouit medicus; ita etiam licet ignoret vxor, quæ ferit, & maritus, qui feritur, causam ictus, Deus tamen vt medicus nouit, quid conferat.*

Iuuenes fornicatores incidunt in vxor. molestas.

VERS. 12. EGO AVTEM FACIAM, &c. IN CONSPECTV SOLIS] Absalom enim publicè in solario coram toto Israel violauit vxores patris sui c. 16. 22. nimirùm sic congrua talione solarium supplicij correspondit solario adulterij, vnde Dauid prospexit & concupiuit Bethsabee. Atque patum hoc est. Insuper respondit sol solario, vel potiùs meridianus sol vespertino iam tempori, cùm post meridiem Dauid deambulauit in solatio. Dictum enim est illi: *Tu fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu Israel, & in conspectu solis.* Ergo adulterio nullum est operimentum, sed Deus illud licet occultum in lucem educit & propalat, sicut propalauit hîc omnibus non tantùm Israelitis, sed & gentibus, adeoque sæculis futuris mœchiam & cædem Dauidis. Quanta ergo erit confusio adulteris & sceleratis in die iudicij, vbi coram omnibus Angelis & hominibus Christus cuiusque crimina patefaciet, arguet & damnabit?

VERS. 13. ET DIXIT DAVID AD NATHAN: PECCAVI DOMINO] in Dominum, contra Dominum, idéque coram Domino, eo vidente & intuente, esto coram hominibus idipsum celarim & abscondarim. Hoc verbum *peccaui*, breue est; sed ex intimo cordis sinu profectum, ac profundo humilitatis, compunctionis, pœnitentiæ, religionis & charitatis sensu refertum, vt liquet ex Psal. 50. quem tum dictauit; *Miserere mei Deus*, vbi inter cetera ait: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

Quanta pœnitentia Dauidis ex S. Ambrosio.

Quocirca hanc Dauidis vocem, *peccaui*, Patres examinantes, mirificè exaggerant & celebrant. Primò, S. Ambros. Apol. 1. Dauid c. 2. *Ille*, inquit, *rex tantus & potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmaturâ confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui, si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur, quòd grauiter deliquisset: non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit.* Idem S. Ambros. ibidem c. 4. *Peccauit Dauid*, inquit, *quod solent reges: sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit erumnam, ieiunauit, orauit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere priuati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam; quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quòd peccauit, conditionis est; quòd supplicauit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: diluisse virtutis.* Idem rursùs c. 9. sic ait: *Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa ti propria semper occurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat: si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur; ante oculos eius semper est error proprius: & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam; nec quiescere, nec obliuisci sinit: velut grauis censor exagitat se terrore perpetuo.* Causam subdit Ambros. *Bonæ mentis est vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentunt vulneris acerbitatem; quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur; sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ.* Denique S. Ambros. Exhort. ad pœnitent. *peccaui in tribus syllabis, ait, flamma sacrificij ad cœlum ascendit.*

Secundò, S. Augustin. lib. 22. contra Faustum c. 66. *Hic est*, inquit, *pœnitentia sacrificium* & c. 67. *sinu. Cordis eius, ait, profunda cernebat spiritus Dei, quando correptus per prophetam dixit: Peccaui, continuoq; ad hoc verbum audire meruit, quòd acceperit veniam: ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem? neque enim prætermissa est in illo secundùm comminationem, flagelli paterni disciplina; vt & confessus in æternum hæreditaret, & afflictus temporaliter probaretur.* Si dicas etiam Saulem & Iudam proditorem dixisse *peccaui*; nec tamen ita pœnituisse, vt veniam sint adepti. Resp. S. Augustin. *in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat.* Idem Augustin. hom. 21. inter 50. *Audi*, ait, *Dauidem clamantem, & simul clama: audi gementem, & congemisce: audi flentem, & collacryma re.* Vnde liquet, Dauidem ex vehementia doloris interni prorupisse in profusas lachrymas, gemitus & singultus, qui vocem illi interciperent, vt non aliud effari posset, quàm *peccaui Domino.* Id ita esse liquet ex psal. 6. 7. vbi ait: *Lauabo per singulas noctes lectum meum*: (in quo scelus commisi) *& lacrymis meis stratum meum rigabo.* vbi pro, *Lauabo*, hebr. est אַשְׂחֶה *asche*, id est, *natare faciam*, q.d. Tot fundam lacrymas non tantùm nunc,

nunc, sed per omnem deinceps vitam, vt iis lectus sceleris conscius obruatur, imò innatet.

Ex S. Chrysostomo.

Vnde Tertiò, S. Chrysost. in Psal. 6. & hom. 77. ad populum. *Ne consideres*, ait, *quòd cecidit vt torpeas: sed quantum posteà lacrymarum fuderit, quantum pœnitentiæ, noctes iungens diebus, fontes emittens lacrymarum, lectum lacrymis abluens, saccum indutus*, &c.

Ex Saluiano.

Quartò, Saluianus lib. 2. de Gubern. Dei. *Agnoscit*, inquit, *Dauid reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exoneratur, corde & cultu mutatur, totum regem cum ornatibus suis abiicit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.*

Ex S. Hilario.

Quintò, S. Hilarius in Psal. 118. lit. Pe. v. vlt. *Exitus aquarum: Dauid*, inquit, *tunc cum Nathan propheta arguente crimen suum recognouit & fleuit: nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens: Exitus aquarum transierunt oculi mei: fontes scilicet lacrymarum suarum fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pœnitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.*

DIXITQVE NATHAN AD DAVID: DOMINVS QVOQVE TRANSTVLIT PECCATVM TVVM] Pro *transtulit* hebr. est יהוה *heibir*, id est transire fecit, id est, amouit, *abstulit*, vt vertunt Sept. hîc, ac Noster, & alij passim. Zachar. 3. 4. & Psal. 118. v. 39. Hinc patet, quanta fuerit in Dauide doloris vehementia, vtpote cui dicenti: *peccaui*, Deus statim peccatum remiserit. Ita S. Ambros. Apol. 1. Dauid. c. 2. *Maturitas veniæ*, inquit, *profundam fuisse regis pœnitentiam declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit.* Idem docet S. Augustin. lib. 22. contra Faustum c. 67. imò ipse Dauid Psal. 50. dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Vnde liquet contritionem perfectam, quæ scilicet ex amore Dei super omnia procedit, delere peccata omnia quamuis grauissima, vti fuere adulterium & homicidium Dauidis; ita nimirùm vt Deus contrito illicò omnem culpam & pœnam æternam condonet, eamque in pœnam temporariam commutet: hanc enim ad disciplinam & satisfactionem pœnitenti luendam esse, vti luit hîc Dauid, docent S. Ambros. & Augustin. iam citati, ac S. Gregor. 9. Moral. 27. *Delinquenti*, ait, *Dominus nequaquam parcet, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc loco in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Vide Bellarm. de Pœnit. lib. 4. c. 2. 3. 4.

Quocircà S. Ambros. Theodosium Imp. arguens, quòd ex ira tot millia Thessalonicensium ob deiectam vxoris suæ statuam occidisset, cùm ille diceret Dauidem quoque peccasse cæde Vriæ, subiecit: *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Et reuerà secutus est. Nam iniunctam sibi ab Ambrosio pœnitentiam humiliter suscepit & expleuit. Vide S. Ambrosium in orat. de fune re Theodosij, ac Bellarm. lib. de Principe Christiano in vita Theodosij sub finem.

NON MORIERIS] Hinc videtur, quòd Deus per Nathan intentans Dauidis domui pœnam gladij vsque in sempiternum, etiam in ipsum Dauidem tulerit sententiam mortis, decreueritque vt ipse quoque gladio Ammonitarum vel Absalonis, &c. occideretur, sicut eodem occiderat Vriam: hæc enim est lex talionis, vt qui alium occidit, occidatur, Exodi 21. v. 23. sed ob eximiam eius pœnitentiam, pœnam hanc mitigarit, condonando scilicet ei vitam, dicendo: *Non morieris*: ac simul temperando & minuendo alias cædes, quas domui eius per gladium se immissurum comminatus fuerat. ita Serar. Abul. Lyran. Caiet.

VERVMTAMEN, QVONIAM BLASPHEMARE FECISTI INIMICOS DOMINI] vt dicerent: Ecce quàm scelesti sunt Israelitæ Dei cultores, ac imprimis eorum rex & propheta Dauid; Hæccine est sanctitas populi Dei? hæccine pietas regum & Prophetarum? Certè nostri dij tales non sunt, nec nos tales esse patiuntur. VERS. 14.

Discе hîc quàm graue sit peccatum scandali, præsertim quo fideles infidelibus dant occasionem blasphemandi Deum. Audi Saluian. lib. 4. de Gubern. Dei sub finem, explicantem *rò quia blasphemare fecisti: Deposito diademate, proiectis gemmis, exutis purpurâ; remotâ omni splendoris regij dignitate, cùm pro his omnibus solitarius, gemens, clausus, sacco squalidus, fletu maduus, cinere sordidatus, vitam paruuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, & piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret: sic rogans & obsecrans, obtinere non potuit, cùm tamen; quod fortissimum potentibus adiumentum est, impetraturum se, quod sic à Deo peteret, credidisset. Ex quo intelligi potest, quòd nullum penitus maioris piaculi crimen est, quàm blasphemandi causam gentibus dare. Quicumque enim siue blasphemia aliorum grauiter errauerit, sibi tantùm affert damnationem: qui autem aliòs blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem; & necesse erit, vt sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum.* Et nonnullis interiectis: *Qui verò blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum huius supra criminis humani esse mensuram; quia per conuitia plurimorum, inæstimabilem Deo facit iniuriam. Hoc autem, vt dixi, malum peculiariter tantùm Christianorum est, quia per eos tantùm blasphematur Deus, qui bona dicunt, & mala faciunt: qui, vt scriptum est, Deum verbis confitentur, & factis negant.* Addunt S. Hieron. & Procop. Dauidem dedisse occasionem Ammonitis, Philisthæis, &c. inuadendi se suumque regnum, vtpote qui iam se diuina gratia & fauore per tantum scelus priuasset. VERS. 14.

FILIVS, QVI NATVS EST TIBI, MORTE MORIETVR] Id est certò & irremissibiliter morietur, vt sicut ipse sceleris sui fuit obiectum, sic & eiusdem sit piaculum. Fuit hæc pœna temperata clementiâ. Nam cessit in bonum infantis, vtpote qui in innocentia mortuus, saluus euasit; alioquì fortè instar patris peccaturus & damnandus; atque ipsius Dauidis, vtpote adulterium eius, morte infantis quasi obliterans & sepeliens, trò docet Theodor. sic enim consultum fuit famæ & honori Dauidis, filium enim ex adulterio genitum, quasi dedecus ipsius Deus sustulit, ac pro eo alium legitimum & longè præstantiorem dedit scilicet Salomonem. Addunt nonnulli Dauidem ipsum tunc graui morbo

motbo ad castigandam eius libidinem fuisse percussum à Deo, id enim ipse significat Psalm. 6. qui est primus pœnitentialis, quem proinde mox à peccati pœnitentia composuisse videtur, dum ait: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea*: Et Psal. 37. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis*. ita Salianus.

VERS. 23. NVNC AVTEM QVIA MORTVVS EST, QVARE IEIVNEM] nec enim eum à morte reuocare potero, nec à pœnis Purgatorij liberare, vtpote qui in innocentia mortuus nullas sustineat; secùs est de Absalomo, cuius mortem planxit Dauid inconsolabiliter, quia in peccato parricidij erat mortuus, ideoque damnatus ad gehennam ita S. Hieron. Epist. 24.

VERS. 24. ET CONSOLATVS EST DAVID BETHSABEE] Tradunt Hebræi Bethsabee metuentem ne & aliæ proles similiter morerentur, statuisse abstinere consortio Dauidis, sed Dauidem hunc metum ei exemisse, promittendo ex Deo primum eius fœtum fore vitalem & felicissimum. ita Pineda & Salianus.

QVÆ GENVIT FILIVM, ET VOCAVIT (non mater Bethsabee, vt vult Abul. sed ipse pater Dauid, ait Serar. Caiet. & alij, vt patet ex masculino יקרא *vocauit*, idque iussu Dei, & oraculo Dei edito per Nathan Prophetam 1. Paral. 22. 9.)

Salomonis etymon. NOMEN EIVS SALOMON] id est *pacificus*, quia scilicet iam Dauid Deo per pœnitentiam reconciliatus, pacem & veniam sui peccati acceperat; vnde in signum pacis Deus dederat ei hunc filium, qui toto tempore regni sui futurus erat pacificus, ideoque typus Christi, qui est *pax nostra*. Rursùm *pacificus*, id est dives, felix omniumque rerum copia (hanc enim hebr. significat pax) abundans, ait Abul. Pineda & alij. Audi Deum 1. Paral. 22. 9. *Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam* (Salomon, id est) *pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius.* Notat S. Hieron. in Tradit. in Genes. c. 17, in veteri testamento quatuor antequàm nascerentur, à Deo nomen accepisse, scilicet Ismael, Isaac, Salomonem, & Iosiam.

ET DOMINVS DILEXIT EVM] præuenit eum Deus sua gratia & donis, quia destinabat eum successorem Dauidis, fabricatorem templi, & typum Christi. Vnde pergit Deus loco Paral. iam citato: *Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmabo(que) solium regni eius super Israel in æternum.* Vide dicta c. 7.

VERS. 25. MISITQVE IN MANV NATHAN (id est per Nathan: *manus* enim significat medium vel instrumentum) PROPHETÆ, ET VOCAVIT NOMEN EIVS, AMABILIS DOMINO] hebr. ידידיה *Iedidia*, quod Aquila, teste Theodor. & Procop. vertit, *in Domino*: Symmachus verò, *segregatus ad regnum*; sed clarum est hebraicè peritis significare, *amabilis Domino*, vt vertit Noster, Septuag. Vatab. Chald. Pagn. & alij. Abulens. censet hoc nomen esse appellativum, Pineda verò proprium, ita vt puer hîc propria nomina habuerit duo, scilicet Salomon & Iedidia. Vtrumque concilia dicendo, Iedidia esse nomen commune quidem, sed à Deo appropriatum Salomoni.

Appositè *Iedidia*, putà *Salomon*, fuit filius Dauid, quasi dilectus dilecti. *Dauid* enim *dilectum* significat, sed *Iedidia* ampliùs, scilicet *dilectum Dei* vel *à Deo*.

Nota primò, ex hoc loco v. 24. liquet quòd Salomon paulò post mortem infantis ex adulterio concepti genitus sit, adeoque ei successerit, vt luctum matris leniret & aboleret. Vnde sequitur, Salomonem fuisse primogenitum Dauidis ex Bethsabee. ita Pineda, Salianus, Serar. & alij.

Dices, Salomon vltimo loco ponitur inter filios Bethsabee 1. Paral. 3. 5. vbi dicitur: *Nati sunt ei* (Dauidi) *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabee.* Respondent aliqui, tres priores, scilicet Simmaa, Sobab, & Nathan, non fuisse filios Dauidis, sed Uriæ prioris mariti, quos ipse ex Bethsabee vxore sua genuerit. ita Abul. Lyran. Vatab. Torniellus, Hugo & alij. Sed hoc repugnat textui, qui habet: *nati sunt ei*, scilicet Dauidi, qui præcesserat. Item quòd Lucas genealogiam Christi c. 3. deducat ex Dauide per Nathan; quod falsum esset, si Nathan foret filius Uriæ, non Dauidis. Quare dicendum, ibi non seruari ordinem temporis & natiuitatis, vti nec alibi subinde. Sic enim Genes. 49. alio ordine recensentur & benedicuntur filij Iacob à patre, quàm ab eo geniti sint, Genes. 29. & 30. Sic etiam in filiis Thare ordo generationis non seruatur, vt dixi Genes. 11. 26. ita Theodor. Procop. Caiet. Pineda, Salianus & alij.

Nota secundò, ex hoc loco patet, illicò post mortem infantis conceptum fuisse Salomonem. Hoc enim exigit v. 24. Vbi dicitur: *Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam* (lugentem infantis sui mortem) *ingressus(que) ad eam, dormiuit cum ea; quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon.* Quare perperam nonnulli inter mortem infantis & natiuitatem Salomonis quadriennium interponunt.

Nota tertiò, Hinc probabiliter colligitur Salomonem conceptum fuisse anno 50. ætatis Dauidis, qui fuit regni eius vigesimus, natum verò anno 51. ætatis Dauidis, qui fuit regni eius 21. Nam Dauid mortuus est anno 40. regni sui. Tuncque successit ei Salomon, qui erat circiter viginti annorum, vt liquet ex eo, quòd iamtum genuerat Roboam filium, qui ei in regno successit: quia mortuus est Salomon anno regni sui 40. tumque succedens ei Roboam erat 41. annorum, vt dicitur 3. Reg. 14. 21. Quare necesse est vt Roboam vno anno ante regnum Salomonis, ab eo genitus sit. ita ferè Pineda, Salianus & alij, licet alij aliter sentiant, & varij variè. Hæc magis patebunt 3. Reg. 1.

Quocircà accipe verisimilem hanc de Dauide chronotaxin Saliani & aliorum.

Chronotaxis gestorum Dauidis. Dauid anno ætatis 49. qui fuit regni 19. in æstate peccauit cum Bethsabee, ex qua anno sequenti in vere natus est filius: quo post paucos dies mortuo, mox Bethsabee de Dauide concepit Salomonem, quem post nouem menses peperit anno Dauidis 51. qui fuit regni eius 21.

Eodem anno quo natus est Salomon, paulò post

post eius natalem Deus in pœnam adulterij Dauidis, permisit eius filiam Thamar violari à fratre Ammon, vt audiemus cap. sequ.

Post biennium ab hac violatione, scilicet anno Dauidis 53. qui fuit regni 23. Ammon ab Absalomo fratre germano, & vterino Thamar, occisus est, vt patet c. 13. v. 23.

Absalom ob fratrem Ammonem à se occisum fugit ad auum suum maternum regem Gessur, & apud eum mansit exul tribus annis, putà vsque ad annum Dauidis 56. qui fuit regni eius 26. vt patet c. 13. v. 38.

Finiente hoc anno Dauidis 56. Ioab Absalomum Dauidi reconciliauit per mulierem Thecuitem, sed ita vt Absalom non sit permissus videre faciem patris per biennium, vt patet cap. 14. 28.

Post hoc biennium nimirùm anno Dauidis 58. qui fuit regni 28, Absalom per Ioab inductus est ad Dauidem, qui osculando eum sibi reconciliauit.

Absalom cœpit anno sequente, qui fuit Dauidis 59. ambire regnum, & patri machinari mortem; quare captauit, sibique deuinxit animos plurium Hebræorum per omnes tribus: quo facto, anno proximo, qui fuit Dauidis 60. regni 30. Absalom publicum bellum in patrem mouit, in quo ipse cæsus est & suspensus, ac tribus lanceis à Ioab confossus occubuit, vt patebit c. 18. v. 14.

Dauid deinde vixit adhuc & regnauit annis decem: mortuus est enim anno ætatis 70. regni 40. cui successit Salomon annum agens vigesimum, qui regnauit annis 40. mortuusque est agens annum sexagesimum: iunior cæteris illius ætui, quia libido eius corpus exhauserat, vt citò senescceret & deficeret.

VERS. 26. EXPVGNABAT (id est expugnare satagebat, acriter oppugnabat: nam posteà à Dauide expugnata est v. 29. significatur ergo hîc actus non perfectus, sed inchoatus) VRBEM REGIAM] *Rabbath*, siue Philadelphiam; sic dicitur Psal. 128. v. 1. *sæpè expugnauerunt*, id est oppugnarunt, *me*, vnde sequitur: *Etenim non potuerunt*, id est, non præualuerunt, *mihi*.

VERS. 27. ET CAPIENDA EST VRBS AQVARVM] Sept. & Chald. *& cepi vrbem aquarum*. Vnde Caiet. & Serar. opinantur vrbis Rabbath duas fuisse partes, vnam interiorem, alteram exteriorem, quæ dicta sit *vrbs aquarum*, quam ceperit Ioab; sed interiorem capiendam reseruarit Dauidi. Verùm versio Vulgata, quæ habet, *capienda est* (& hoc exigit *vau* conuersiuum in hebr. quod est in יעבם *vegam*, hoc enim vertit præteritum in futurum) contrarium indicat, scilicet Ioab non cepisse quidquam, sed totam vrbem capiendam reseruasse Dauidi, quare *vrbs aquarum*, non est alia quàm *Rabbath*. ita Ioseph. Lyran. Hugo, Abul. Dion. & alij.

Dices, 1. Paral. 20, 1. dicitur: *Percussit Ioab Rabba*. Resp. *percussit*, quia, vt paulò antè ibidem præcesserat, Ioab vastauit totam regionem circumcircà & multos ciuium Rabba occidit, ac tandem aduocato Dauide eam cepit. Tota enim virtus & laus expugnatæ & vastatæ vrbis Rabba debebatur Ioab, licet ipse ex modestia laudem hanc dederit Dauidi; sed cur *Rabbath* vocatur *vrbs aquarum*? Resp. Abul. eò quòd alluatur Tigri & Euphrate, sicut iisdem alluitur Haran siue Charræ in Mesopotamia, & Babylon in Chaldæa. Verùm Tigris & Euphrates longè absunt à Philadelphia. Aliter respondent nonnulli cum Lyrano, scilicet, quòd vrbs hæc sita esset in locis palustribus, ideoq; aquis abundaret. Verùm dico cum Serario, Saliano, Adrich. & aliis, causam esse, quòd Philadelphiam circumfluat torrens laboc, qui ortus ex Arabiæ montibus regionem Ammonitarum terminat, & in Iordanem influit, vti docet S. Hieron. in Locis Hebr. Porrò Ammonitæ his aquis præsidentes putabant vrbem esse inexpugnabilem, ideoque Ioab & Hebræos obsidentes contempserunt, eorumque obsidionem per annum sustinuerunt.

VERS. 28. NVNC IGITVR, &c. CAPE EAM, NE, CVM A ME VASTATA FVERIT VRBS, NOMINI MEO ASCRIBATVR VICTORIA] Mirare hic fidelitatem & modestiam ducis Ioab, qui refutans gloriam vrbis mox capiendæ sibi debitam, quam belli duces adeò ambire solent, eam in solidum transcribit in regem suum Dauidem.

Vnde Tropol. discant Christiani gloriam suorum operum licet heroicorum totam resignare in Dauidem verum, id est in Christum & Deum, quia ipse eorum est causa totalis: licet enim homo per naturam & liberum arbitrium ea liberè operetur; tamen tota diguitas eorumdem est à gratia Christi. Opus enim charitatis v. g. libertatem habet ab homine, quòd scilicet sit opus liberum non coactum vel necessarium, sed à Christi gratia habet quòd sit supernaturale, Deo gratum, & meritorium gloriæ æternæ. Soli Christo ergo debetur eius decus, laus & gloria. Hoc est quod ipse ait: *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ 48. 11. Ipse enim totam vtilitatem, meritum & præmium operis boni liberaliter donat homini operanti, omnem verò eius gloriam sibi reseruat. Vnde 24. seniores *mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia.* Apoc 4. 10. ac consequenter creasti ipsum liberum arbitrium nostrum, eique vim cooperandi gratiæ tribuisti, ac gratia tua præueniente illud & excitasti ad bene operandum, ac operanti per gratiam cooperantem cooperatus es. Dicamus ergo cum Psalte cùm quid boni agimus. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Psal. 113. Vnde Alleg. Angelom. *Dux Dauid*, inquit, *contra hostes bellum agit, cùm ordo sanctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum fidei opponit. Sed finis certaminis & triumphus belli ad regem Christum solummodò defertur: quia ipsi omnis potestas & potentia regni asseritur. Deus est enim (secundùm Apostolum) qui operatur in nobis & velle & perficere, & ipse triumphat nos semper in Christo Iesu.*

VERS. 30. ET TVLIT DIADEMA REGIS EORVM (hebr. *Melchom*, id est *idoli*, siue Dei eorum, qui habebat formam מלך *melech*, id est *regis*) PONDO (habens in pondere, siue ponderans) AVRI TALENTVM] Audi 1. Paral. 20 2. *Tulit Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitq; sibi inde diadema*, putà ex parte eius, totum enim auri pondus, putà talentum Dauid capite suo gestare

non

non potuisset. Talentum enim Hebræorum A continebat libras 125. vti ostendi Tract. de mensuris in fine Pentateuchi. Quis rex ferret in capite coronam 125. librarum? partem ergo talenti Dauid impendit coronæ suæ, reliquum verò in alia templi vel palatii sui ornamenta distribuit. Nisi quis dicat Dauidem hoc diadema non gestasse in capite, sed supra caput alligari vel affigi iussisse in throno & conopæo regio, vt capiti sedentis Dauidis in throno iugiter immineret, quod sat est verisimile.

Alleg. Angelomus: *Coronam, inquit, regis populi hostilis Dauid de capite tulit, & diadema inde sibi formauit: cùm Redemptor noster ex contraria potestate regnum auferens, sibimet insigne decorum parauit. Quæ autem melius corona Dauid intelligitur, quàm conuentus populi Catholici? quæ caput nostrum, regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit, & dignè conuersans decenter coronat? Omnis enim sanctorum* B *labor, & certamen atque victoria, ad honorem cœlestis regis refertur: quia ipse est, cui omne genu flectitur, cœlestium & terrestrium atque infernorum: & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Hucusque Angelomus.

VERS. 31. POPVLVM QVOQVE EIVS ADDVCENS SERRAVIT, ET CIRCVMEGIT SVPER EOS FERRATA CARPENTA] quæ scilicet rotis ferreis & dentatis ad frumentum è spicis excutiendum instructa erant, ait S. Hieron. in Amos c. 1. Vnde 1. Paral. 20. 3. dicitur: *& fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & contererentur*, iuxta illud Virgil. Georg. 1.

Tribulaq; trahęq; & iniquo pondere rastri.

Sic Damasceni *triturauerunt in plaustris ferreis Galaad*, Amos 1. 3.

ET TRADVXIT IN TYPO LATERVM] Vatab. *coniecit eos in fornacem lateritiam*, vel *calcariam.*, in qua scilicet coquuntur lateres vel calx, vt in ea vstularentur. sic & Serarius, Sanchez & alij. Hebr. enim מַלְבֵּן *malben* (pro quo perperam Caiet. legit מַלְכֵּן *malchen*) significat *lateristicinam*, hoc est locum vbi fiunt lateres. Verùm quia duplex est hic locus: nam primò lateres formantur ex luto in area, deinde coquuntur in fornace, hinc incertum est, ait Marinus in Lexico, an *malben* priorem locum, an posteriorem significet: plures censent posteriorem significare, q.d. Sicut in loco vbi ex argilla formantur lateres, massa limosa cum paleis identidem à figulis finditur, vt fiat debita commistio, & diuersæ materiæ vnio, ex qua formentur lateres: ita Dauid Ammonitas instar massæ limosæ dissecuit, & crebris gladiorum ictibus discidit D & laceravit. Hoc exigit Vulgata vertens, *in typo laterum*: *typus* enim vel significat similitudinem (q.d. instar laterum) vel potiùs officinam, formam & formationem laterum. q.d. Sicut in officina lateritia formantur lateres, crebrò massam limosam traducendo, id est voluendo, subigendo, calcando, adæquando, miscendo, findendo, scindendo; sic pariter Dauid Ammonitas in area, & fortè officina lateritia *traduxit*, id est voluit, subegit, calcauit, discidit & dissecuit. ita S. Hieron. in Tradit. *Diuisit*, inquit, *eos cultris, sicut lateres diuidi solent, qui ex paleis & luto conficiuntur.* Sic & Angelom. Lyran. & alij. Explicat enim τὸ *diuisitq; eos cultris*, & omnia præcedentia lacerationem significant, non vstionem. Accedit Chald. qui vertit. teste Pagn. in Lexico, *Serrauit*, vel *raptauit*, vel *laceravit eos in plateis*, id est lateristicinis: has enim Chald. vocat *plateas*, eò quòd in eis ordinatè ponantur strata laterum, vti ponuntur & ordinantur lapides in pauimento platearum: vnde figuli suos lateres in quadrum dispositos ita ordinant, vt plateas facere videantur. Accedunt Sept. qui vertunt, *transire fecit* vel *traduxit eos*, διὰ τῆς πλινθίδ. (perperam Compl. & alij legunt πλινθίδ, quod græcè nihil significat, licet ipsi vertant, *aciem*) id est per lateristicinam. Addit Theodor. in c. 21. πλινθίον significare quoque aciem quadratam, sicut quadrantur lateres; quasi Dauid coëgerit Ammonitas transire per hanc Hebræorum aciem, vt ab ea hastis & gladiis confoderentur, quod Galli dicunt, *Passer par les piques.*

Porrò noster Sanchez censet Dauidem hæc fecisse ante peccati sui pœnitentiam, quo tempore Dauid in fermento erat, & in medio peccatorum æstu alius à seipso, quique libentius suis affectibus, quantumcumque immoderatè profusis, quàm Dei voluntati seruiebat. Quare putat Dauidem in hac suppliciorum acerbitate grauissimum commisisse peccatum. Verùm alij censent Dauidem hæc fecisse eo ordine, quo hîc narratur, scilicet post pœnitentiam (in eius enim mercedem & præmium hanc Dauidi victoriam dedisse videtur Deus) ideoque eum à peccato sæuitiæ excusant, eò quòd atrocibus hisce suppliciis castigare debuerit atroces iniurias & opprobria; legatis suis ex amicitia missis C contra omne ius gentium irrogata, item alia, quæ Naas pater Hanon Galaaditis erat comminatus, scilicet effossionem oculorum lib. 1. c. 11. quodque Ammonitæ crebrò inuasissent Iudæam, ac Hebræis sæpè bellum mouissent, ac vicinas gentes & reges ad inferendum Dauidi bellum concitassent. ita Theodor. Caiet. & Salianus, qui & addit: Dicamus quoque cum Lyrano & Dion. hæc supplicia non toti populo, sed aliquibus de singulis ciuitatibus illata fuisse: iis videlicet qui auctores fautoresue fuerant iniuriæ & contumeliæ Dauidis legatis illatæ; quorum quia vestes medias ignominiosè dissecuerant, medij ferris dissecari meruerunt: & quia cultris & nouaculis eorum capita abraserant, iure cultris & gladiis capite aut aliis etiam membris truncati. Quòd si curribus, vt fieri solet, vel trahis impositos legatos circumduxerant, & aulicis totique populo deridendos exhibuerant, ferratis curribus & carpentis meritò substerni & conteri potuerunt. Et cùm Ammonitæ in suis sacrificiis deo Moloch, siue Melchom, offerendis crudelissimi fuissent, vt qui suos infantes per ignem traducere, vel inter brachia candentis idoli concremare soliti essent, vt ait Dauid Kimchius, meritò & ipsi per incensam fornacem traducti, aut in eam etiam conjecti fuerunt.

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AMnon vim infert Thamar: quare ab Absalomo fratre Thamar inuitatus ad conuiuium v. 23. in eodem occiditur. Mox vers. 34. Absalom fugit ad auum suum maternum regem Gessur.

1. FActum est autem post hæc, vt Absalom filij Dauid sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius Dauid, 2. & deperiret eam valdè, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur vt quippiam inhonestè ageret cum ea. 3. Erat autem Amnon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valdè. 4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5. Cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cumque venerit pater tuus vt visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum vt comedam de manu eius. 6. Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, vt faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius. 7. Misit ergo Dauid ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens, in oculis eius coxit sorbitiunculas. 9. Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixitque Amnon: Eiicite vniuersos à me. Cumque eiecissent omnes, 10. dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclaue, vt vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclaue. 11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea. 12. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel: noli facere stultitiam hanc. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi vnus de insipientibus in Israel: quin potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi. 14. Noluit autem acquiescere precibus eius, sed prævalens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea. 15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade. 16. Quæ respondit ei: Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod antè fecisti, expellens me. Et noluit audire eam: 17. sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Eiice hanc à me foras, & claude ostium post eam. 18. Quæ induta erat talari tunica: huiuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus vtebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. 19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans. 20. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace: frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. 21. Cùm autem audisset rex Dauid verba hæc, contristatus est valdè, & noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. 22. Porrò non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eò quòd violasset Thamar sororem suam. 23. Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oues Absalom in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim: & vocauit Absalom omnes filios regis, 24. venitque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oues serui tui: veniat, oro, rex cum seruis suis ad seruum suum. 25. Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cùm autem cogeret eum, & noluisset ire, benedixit ei. 26. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse vt vadat tecum. 27. Coëgit itaque Absalom eum, & E dimisit

dimisit cum eo Amnon & vniuersos filios regis. Feceratque Absalom conuiuium quasi conuiuium regis. 28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Obseruate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt. 30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem vnus. 31. Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua: & cecidit super terram, & omnes serui illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. 32. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quòd omnes pueri filij regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem eius. 33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filij regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est. 34. Fugit autem Absalom. & eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis. 35. Dixit autem Ionadab ad regem: Ecce filij regis adsunt: iuxta verbum serui tui sic factum est. 36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt & filij regis: & intrantes leuauerunt vocem suam, & fleuerunt: sed & rex & omnes serui eius fleuerunt ploratu magno nimis. 37. Porrò Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo Dauid filium suum cunctis diebus. 38. Absalom autem cùm fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. 39. Cessauitque rex Dauid persequi Absalom, eò quod consolatus esset super Amnon interitu.

VERS. 1. FACTVM EST AVTEM POST HÆC, VT ABSALOM FILII DAVID SOROREM SPECIOSISSIMAM, VOCABVLO THAMAR, ADAMARET AMNON FILIVS DAVID] Ergo erat *Thamar* soror Amnon agnata, putà ex eodem patre Dauide sed ex alia matre; Amnon enim natus erat ex Achinoam Iezraelitide. Eadem Thamar soror erat germana Absalomi ex eodem patre Dauide, & eadem matre, scilicet Tholmai filia regis Gessur, vt dictum est c. 3. v. 2. ideoque Absalom sororis suæ germanæ stuprum vltus est cæde Amnon fratris sui. Porrò *Thamar* hebr. idem est quod, *palma: Absalom* (quem concisè & corruptè multi nominant Absalon) *patris pax: Amnon, fidelis & stabilis*: quare hæc nomina non nisi per antiphrasin dictis personis competunt, sicut bellum dicitur, quasi minimè bellum & pulchrum. Amnon enim fuit infidelis & instabilis: Absalom turbauit regnum Dauidis. Thamar vitium passa est, quod palma inuicta non patitur.

VERS. 2. ITA VT PROPTER AMOREM EIVS ÆGROTARET] Hic morbus amoris à medicis vocatur ἔρως, id est amor, quo homo totus langueſcit, macreſcit, marceſcit, & contabeſcit ex amoris vehementia. Hoc morbo laborabat sponsa Cant. 2. 5. dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, vide ibi dicta. Simili morbo, sed carnali laborabat Antiochus Seleuci regis filius ex amore Stratonices nouercæ suæ contabescens, idque præ pudore exprimere non audens. Causam hanc morbi deprehendit Erasistratus medicus, cùm ad introitum Stratonices videret Antiochum languentem rubore perfundi, & spiritu increbreſcere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum reciprocare; protinusque rem Seleuco patri exposuit, qui Stratonicen concessit filio, vt eum in vita seruaret, teste Appiano in Syriacis, & Valerio Max. lib. 5. c. 7. Eumdem morbum diabolus immisit sanctimoniali cuidam, vt se moritutam clamaret, nisi ad eam veniret Benedictus Monachus, id est dæmon quidam, qui speciem monachi assumpserat, seque vocabat Benedictum; quam S. Equitius suis precibus & meritis sanitati, menti & castitati restituit, vti narrat S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 4.

CVM ESSET VIRGO] quæ domi à patre Dauide in Gynecæo, vel potiùs Parthenone inter ceteras virgines filiasque regis magna cura & custodia seruabatur.

LOQVERE AD REGEM, ET NON NEGABIT VERE ME TIBI] Existimabat puella simplex & ignara legis id posse fieri: licitum enim esse coniugium inter fratrem & sororem, si illa dumtaxat esset agnata, ex alia scilicet matre, vti erat Thamar; hoc enim licitum esse censuit R. Salomon apud Lyran. sed errauit. Lex enim Leuit. 18. 17. expressè omne coniugium inter fratres & sorores, etiam ex altero dumtaxat parente, vetat sub pœna mortis. Certè si Thamar idipsum sciuit, hanc excusationem suæ violationi præexuit, vt tempus redimeret, & ex periculo tam euidenti elaberetur, ac manus Amnon amore furentis euaderet, vt innuit Ioseph. & asserit Serarius.

OPPRESSIT EAM] Ecce stuprum Amnonis VERS. vim inferentis sorori suæ. Permisit hoc Deus ad castigandum adulterium Dauidis patris. Amnon enim fuit filius Dauidis primogenitus, eique dilectissimus qui patris libidinem secutus, vitiauit suam sororem. Hinc discant patentes esse casti, vt filios exemplo magis quàm verbo VERS. 19. doceant castitatem. Si enim sint incesti, filij eorum incestus imitabuntur.

ET EXOSAM EAM HABVIT AMNON ODIO VERS. MAGNO NIMIS] Naturalis ratio huius odij, ait Caiet. à philosophis redditur, quòd in tanto amore multa fiat seminis effusio, quæ valdè alterat & immutat dispositionem & temperiem interiorum humorum, & consequenter affectus mutat in contrarium, putà amorem in odium; quia sentiunt damna ingentia sui amoris & libidinis effusæ. Audi Aristot. lib. 4. problem. 11. *Cur adolescentuli cùm primò concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas re peractâ odio habent? An quòd mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tamquam sontem, ad quam sese applicuerunt?* Idem ibidem probl. 6. *Cur*, inquit, *omnium maximè animantium homo postquàm concubuit, dissoluitur & languescit? An quòd semen proportione sui corporis plurimum emittit.*

Addit Abul. ex peculiari Dei prouidentia & castigatione id factum esse, & fieri solitum, vt scilicet ad illum amorem, qui excessiuè irrationabilis est, excessiuum odium consequatur; vt hac ratione peccanti pœna congrua detur per opposita. Dei enim statutum est, vt illi qui valdè iniquè agunt, sibi ipsis nullo etiam puniente B. pœna sint. Vnde S. Augustin. in Confess. *Iniquisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus.* Idem de Verbis Domini secundùm Matth. serm. 14. *Vnicuique sua cupiditas*, ait, *tempestas est.*

Similes amantium conuersiones in odia extrema, neceſque mutuas recensentur passim in Tragicis, vti apud Senecam in Medea, quæ amasium suum Iasonem posteà ita odit, vt in eius vindictam communes filios ipso cernente, nec tamen impedire valente, iugularit. Atque has pœnas Poëtæ vocant *Furias*, quia ex furentibus cogitationibus promanant. Sic Semiramis amasios suos, & inter eos filium suum atrociter occidit. Vide Abulensem in fine cap. fusè differentem de vi & proprietatibus amoris. Aliam odij causam comminiscuntur Rabbini, scilicet quòd Thamar stupro Amnon resistens, cum eo C luctando eius genitalia ita læserit, vt ea debuerint abscindi; Sed hæc cerebri Rabbinici crassæ sunt imaginationes & figmenta.

VERS. 16. QVÆ RESPONDIT EI: MAIVS EST HOC MALVM QVOD NVNC AGIS ADVERSVM ME, QVAM QVOD ANTE FECISTI, EXPELLENS ME] tum quia expulsio hæc erat publica & infamis, cùm violatio fuisset secreta & occulta: tum quia probrosa expulsio augebat dolorem ex violatione conceptum. Cùm enim Amnon debuisset eam à se violatam solari, eique blandiri, hostiliter & ignominiosè expulit eam: tum quia Thamar sperabat, quòd Amnon vitium sibi illatum tegeret, vel illud celando, vel se in vxorem ducendo: iam autem expulsa videbat & vitium publicari, & coniugium suum ab Amnone refutari: tum deniq; quia per hanc expul- D sionem cernebat se ab omnibus contemnendam & repudiandam, vt nullus eam sibi postularet vxorem. Putabant enim plerique Amnon vitium aliquod in ea deprehendisse, ob quod eam ita inhumaniter expulisset. Quare quisque hoc vitium fugiens, eam spernebat, vnde ipsa domi mœsta & desolata contabuit, vt dicitur v. 20.

VERS. 19. IMPOSITISQVE MANIBVS SVPER CAPVT SVVM] vt præ pudore manibus velaret faciem, in qua est sedes verecundiæ.

Cornel. in lib. Regum.

A SED NVNC SOROR TACE: FRATER TVVS EST] q. d. Grauior esset iniuria si ab extraneo, vel homine vili oppressa fuisses: iam autem violata es à filio regis primogenito, fratreque tuo, à quo cauere non debebas. Quare facilè scient omnes te non consensisse, sed vi oppressam à filio regis, cui omnia licent. Hac ergo cogitatione solare & mitiga dolorem tuum. ita Abul. VERS. 20.

NOLVIT CONTRISTARE SPIRITVM AMNON FILII SVI] Hæc verba non sunt in Hebr. Chald. & Sept. Peccauit Dauid non corrigendo, nec castigando Amnon filium suum de hoc tam infami stupro, præsertim cùm Lex Leuit. 20. 17. id iubeat: Quare iusto Dei iudicio inde secuta sunt tot tantaque mala, damnaque tam Dauidi quàm Amnoni; nam hic occisus vitam perdidit, ille penè regnum cum vita amisit, vlciscente sororis suæ violationem Absalomo. ita Abul. qui censet Dauidem debuisse Amnonem ob stuprum morte punire, vti sancit lex; licet Caiet. eum excuset à tam graui punitione, eò quòd crimen esset occultum, nec vllo teste probari posset. Adde, quòd Amnon erat primogenitus, heres & successor in regnum, ideoque in vita ob publicum reip. bonum seruandus, & mitiori pœna castigandus. VERS. 21.

FACTVM EST AVTEM POST TEMPVS BIENNII] Hinc patet, cædem Amnon contigisse biennio post stuprum ab eo illarum Thamar: tam citò Dei vindicta persecuta est scelestum & incestum, eumque vitâ & regno priuauit. Erat enim primogenitus, & Dauidi in deliciis, ideoque in eius regnum successurus. VERS. 23.

ECCE TONDENTVR OVES SERVI TVI] Absalom ergo filius regis erat pecoratius, curamque habebat ouium & pecorum, vti & ceteri principes illius ætui candidi & simplicis. C VERS. 24.

BENEDIXIT EI] q. d. Dauid Absalomo bene precatus est, itaque eum dimisit dicendo v. g. Vade in pace. Vnde Vatab. vertit, *Valedixit ei.* VERS. 25.

FVGERVNT] timentes ne occiderentur, vti Amnon; quasi Absalom solus cuperet esse superstes, vt patri in regnum succederet, ne quis alius fratrum præferretur. Sicut Turca cùm habet prolem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum inuadant. VERS. 29.

QVONIAM IN ORE ABSALOM ERAT] q. d. Amnon erat in Absalomi oculis & ore, vt frequenter de vltione stupri ab eo sorori suæ illati loqueretur. Quod enim est in corde, hoc ebullit in os. VERS. 32.

ABSALOM FVGIENS ABIIT AD THOLOMAI FILIVM AMMIVD REGEM GESSVR] Fugit ergo ad auum suum maternum: ipse enim erat filius filiæ Tholomai regis Gessur, vti dictum est c. 3. 3. Hic enim nepotem suum recepit, & tutatus est, eò quòd ipse Thamar neptis pariter suæ stuprum vltus fuisset cæde Amnon stupratoris. D VERS. 37.

FVIT IBI TRIBVS ANNIS] Hinc patet chronotaxis rerum tunc gestarum, quam assignaui c. 12. 25. VERS. 38.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioab per Thecuitis blandiloquentiam Absalomum reconciliat Dauidi, sed ita vt ipse eum ad conspectum non admittat. Deinde vers. 25. describitur Absalomi pulchritudo, cæsaries, proles ac successio; segetū Ioab: quâ re excitus Ioab eum ad Dauidis osculum admitti procurat.

1. INtelligens autem Ioab filius Saruiæ, quòd cor regis versum esset ad Absalom, 2. misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum: 3. & ingredieris ad regem, & loquêris ad eum sermones huiusmodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius. 4. Itaq; cùm ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terrā, & adorauit, & dixit: Serua me rex. 5. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. 6. Et ancillæ tuæ erāt duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusq; erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum. 7. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus heredē: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram. 8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te. 9. Dixitq; mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem & thronus eius sit innocens. 10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltrà non addet vt tangat te. 11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram. 12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. 13. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum? 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. 15. Nunc igitur veni, vt loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. 16. Et audiuit rex, vt liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, & filium meum simul. 17. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum. 18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas à me verbū, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere domine mi rex. 19. Et ait rex. Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad siniſtram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: seruus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20. Vt verterem figuram sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram. 21. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Absalom. 22. Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adorauit & benedixit regi: & dixit Ioab: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: feciſti enim sermonem serui tui. 23. Surrexit ergo Ioab & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem. 24. Dixit autem rex: Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat. Reuersus est itaque Absalom in domum suam, & faciem regis non vidit. 25. Porrò sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. 26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. 27. Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia vna nomine Thamar, elegantis formæ. 28. Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem regis non vidit. 29. Misit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum, 30. dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Et venientes serui Ioab, sciſſis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt serui Absalom partem agri igni. 31. Surrexitque Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit: Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? 32. Et respondit Absalom ad Ioab: Misi ad te obsecrans vt venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo vt videam faciem regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 33. Ingressus itaque Ioab ad regem, nuntiauit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intrauit ad regem, & adorauit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

VERS. 1. COR REGIS VERSVM ESSET AD ABSALOM] tum quia ipse erat tertius ab eo genitus filius, ideoque proximus ferè vt succederet ei in regnum; tum quia ipse erat pulcher & specie regia, vti dicitur v. 25. tum quia iustam habuerat ex parte cædis occasionem, scilicet stuprum sorori suæ illatum, cuius pudicitiæ vindex extiterat. Hoc enim apud omnes magnæ ducebatur laudi, censebaturque opus heroicum. Vnde Gentiles celebrant Lucretiam, quæ à Sexto Tarquinio Tarquinij Superbi regis filio per vim violata, ob dolorem & amorem pudicitiæ sese confodit: Qua de causa Tarquinius cum suis vrbe pulsus est, & pro regibus consules surrogati sunt Iunius Brutus, & L. Collatinus Lucretiæ maritus: Vide Valer. Max lib. 6. c. 1. vbi inter alia hoc memorabile recenset: *Virginius*, inquit, *plebeij generis, sed patritij viri spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cùm Appius Claudius decemuir filiæ eius virgini stuprum, potestatis viribus fretus pertinacius expeteret, deductam in foro puellam occidit: pudicaq; interemptor, quàm corruptæ pater esse maluit.*

Virginius occidit filiā ne violaretur.

VERS. 2. MISIT THECVAM, ET TVLIT INDE MVLIEREM SAPIENTEM] *Thecua* erat vrbs in monte sita, vberrimis abundans pascuis, distans à Bethlehem sex millibus passuum, à Ierusalem verò nouem. ita S. Hieron. Adrich. & alij. Hinc fabulantur R. Salomon & R. Dauid, mulieres & viros Thecuæ fuisse ceteris sapientiores, eò quòd Thecua sit fertilis olearum & oliuarum: regiones enim oleis fertiles gignere sapientes; vti eadem Thecua genuit Amos & Habacuc Prophetas: imò Rabbini asserunt Thecuitem hanc fuisse auiam Amos Prophetæ; sed nullo id argumento, nisi hoc quòd vterque ortus sit ex Thecua, probant.

VERS. 6. ANCILLÆ TVÆ ERANT DVO FILII QVI RIXATI SVNT, &c. ET PERCVSSIT ALTER ALTERVM] Hebræi, & ex eis Rabanus & Angelomus, censent hanc non esse fabulā, sed veram historiā, quæ mulieri huic, eiusq; duobus filiis contigerit, quam ipsa ex pari applicarit Absalomo & Amnoni. Verùm ceteri passim censent esse fabulam ad rem appositè confictam, idque satis indicat ipsa narratio.

Portò prudenter vtitur parabola hac, qua rex contra seipsum sententiam proferret, vt, postquàm iudicasset seruandum esse filium mulieris, qui occiderat fratrem, ex hac lata à se sententia animaduerteret, seruandum quoq; sibi esse Absalomū qui fratrem Amnonē occiderat. Simili parabola vsus est Nathan c. 12. qua Dauidi persuasit adulterij sui pœnitentiam. Disce hîc, cùm *Cornel. in lib. Regum.*

magnates, diuites, potentes, superbos, sibiq; præfidentes de quopiam vitio corripere cupis, illis non loqui in secunda, sed in tertia persona; quasi non ipsos, sed tertiū aliquem huius vitij reum arguere velis. Sic enim ipsi eam æquanimiter ferent, ac sagaciter coniicient id de se dici, sed corripientē ex modestia & verecundia non audere se nominare, quod vulgò dicitur: *Vapulet canis, vt leo metuat & sapiat.*

ET QVÆRVNT EXTINGVERE SCINTILLAM MEAM, QVÆ RELICTA EST] id est filium vnicum, qui mihi relictus est, vt sit scintilla, qua meam viriq; mei familiam penè extinctam reaccendam, redintegrem & propagē. Sicut enim consumpto igne relinquitur fauillæ & scintillæ sub cinere, ex quibus ignis per sulphurata reaccendi & resuscitari possit; sic extinctis filiis ceteris vltimus relinquitur, quasi scintilla, ex qua familiæ propago suscitetur, ac nomen & memoria conseruetur. Sic Cicero *scintillas belli*, vocat belli reliquias. Nota appositam metaphoram. Anima enim & vita comparatur igni, quia ipsa in calore, qui igni est proprius, consistit. Rursus sicut ignis ignem inflammando, sic homo hominem gignendo propagat. Tertiò, quia sicut ignis lucet & splendet, sic & vita. Quartò, sicut vna lucerna deficiens accendit aliam, in qua quasi superstes lucet & fulget, sic & homo moriēs, in filio quasi superstes manet & viuit: in filio enim videtur parens, sicut in imagine videtur exemplar, vnde illud Psal. 131. 17. *Illuc producam cornu Dauid, parauit lucernam Christo meo.* Eâdem metaphorâ vsi sunt Gentiles, vt per lucernam vel lampadem quam in cursu alter alteri succedenti tradebat, significarent propaginem generationis & vitæ. Vnde Lucretius.

Anima similis igni. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Sic Plato lib. 6. de legibus ait, *oportere ciues operam dare generandæ proli, vt vitam, quam ipsi à maioribus accepere, posteris tradant, quasi lampada ardentem, in qua ipsi luceant.*

VADE IN DOMVM TVAM, ET EGO IVBEBO PRO TE] q.d. Curabo filium tuum seruari, tibique reddi incolumem. Quæres, an iustum sit hoc Dauidis iudicium? quia lex Dei iubebat homicidam occidi, multò magis fratricidam, qualis erat hic. Resp. Lex iubebat occidi homicidam publicum, cuius scilicet homicidium publicè in iudicio per testes probari poterat. Nam lex Deuter. 17. v. 6. iubet ne quis occidatur, nisi duobus testibus conuictus. Hic autem erat fratricidium secretum, cui nullus interfuerat testis, vt dictum est v. 6. Quare hic iuridicè damnari occidique non poterat, ita Varab.

Rursùm lex iubebat occidi homicidam voluntarium, non verò repentinum & casualem, qui scilicet absque vllo præcedente odio, casu aliquem occiderat, (vtierat hic) vnde ad eum saluandum Num. 35. 11. Deus constituerat vrbes refugij, vt ad illas confugiendo maneret illæsus & supplicij expers. ita Caiet. & alij.

VERS. 9. IN ME, DOMINE MI REX, SIT INIQVITAS, ET IN DOMVM PATRIS MEI: REX AVTEM ET THRONVS EIVS SIT INNOCENS] Dicit hoc Thecuitis amicè blandiendo Dauidi, vt illi omnem eximat scrupulum condonationis homicidij, ipsumque in ea planè confirmet ac recõciliet Absalomo fratricidæ, q.d. Si quid in hac condonatione peccatum est, opto vt peccati huius pœna non in te, ô rex, sed in me meamque domum tota deuoluatur. Nolim enim in te propter me quidquam mali recidere; sed oro B Deum, vt illud omne in meum caput reflectat. Sic Rebecca filio suo Iacob timenti patris maledictionem, si se ipsi pro Esau fratre substitueret, respondit: *In me sit ista maledictio, fili mi.* Genes. 27. 13. Et Pilato trepidanti ad Christi condemnationem; Iudæi, vt eum ad illam animarent, succlamarunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Matth. 27.

VERS. 13. ET LOCVTVS EST REX VERBVM ISTVD VT PECCET] scilicet *contra populum Dei*, vt præcessit. Thecuitis hæc post parabolam descendit ad eius scopum, vt scilicet rex eam applicet Absalomo fratricidæ, eique cædem condonet: quare nouas hîc rationes affert & multiplicat, quibus Dauidem ad ei parcendum impellat. Prima est hæc q.d. Absalom post Amnonem quasi proximus est vt tibi in regnum succedat, eumque populus amat, & optat vt succedat; consu- C le ergo posteritati tuæ, consule regno tuo, consule populo tuo, vt scilicet ei idoneum heredem tuum & successorem conserues, qualis est Absalom: alioqui peccabis & in te & in populum tuum, quòd eum tanto principe, quantus est Absalom, priuaris. Alij *rò vt peccet*, sic explicant, q. d. Nisi Absalomum illicò reuoces, idololatriæ & aliorum peccatorum eris ei occasio. Ipse enim exul degit apud auum suum maternum regem Gessur, qui est idololatra, æquè ac eius aulici, qui Absalomum ad suam idololatriam cæteraque sua vitia pellicere satagunt.

VERS. 14. OMNES MORIMVR, ET QVASI AQVÆ DILABIMVR IN TERRAM, QVÆ NON REVERTVNTVR] Est hæc secunda Thecuitis ratio, vt Dauid Absalomo det veniam, q.d. Vita hominum fluxa est & euanida: Amnon etiamsi non D esset occisus, æquè tamen debuisset breui mori, vti omnes morimur: Absalom quoque breui morietur: non ergo quærenda est à te cædis vindicta & mors Absalomi, quam ipsa natura eidem breui irrogabit, q.d. Quam ô rex, de Absalomo vltionem quæris? mortemne? at iam moritur. *Omnes enim morimur & quasi aqua dilabimur.* Hebr. habent: *Omnes morimur, & instar aquæ in terram effusæ, quæ rursùm colligi & congregari nequit*, subaudi dilabimur & diffluimus in mortem, & terram ex qua plasmati sumus, q.d. Omnes quasi flumina præcipiti cursu deuoluimur in mare mortis & sepulchri, quæ est *domus æternitatis* nostræ, Eccles. 12. 5. Rursùm anima nostra breui in morte exibit è corpore, nec in illud reuertetur ante generalem resurrectionem, ait Vatab. aut potiùs *aquas* hîc intellige non fluminis, sed pluuiæ: hæ enim in terram delapsæ colligi nequeunt, q.d. Sicut terra absorbet pluuiam, vt nil ex ea remaneat, quod rursum congregari & colligi possit: ita quoque vita nostra & corpus in mortem & terram, ex qua formatum est, redit, vt reuerti & tursum colligi, animæque vitaliter vniri nequeat, nisi super naturam per Dei omnipotentiam, quam ipse ostendet in communi omnium resurrectione. Comparat ergo vitam nostram aquæ non fluminis pertranseunti, sed pluuiæ delabenti in terram, ibiq; absorptæ & euanescenti, q. d. Amnon iam mortuus est, nec potest reuocari ad vitam, sicut nec aqua effusa rursùm colligi potest, ait Procopius: vt quid ergo Absalomum persequeris, nisi vt mortem morti, & dolorem dolori tuo addas? breui enim Absalom quoque morietur, & instar aquæ dilabetur in terram, nec ad vitam reuocari poterit.

NEC VVLT DEVS PERIRE ANIMAM] Est hæc tertia ratio petita ab imitatione clementiæ Dei, quæ sæpè ad preces vel peccatorum, vel sanctorum pro peccatoribus orantium mitigat, vel reuocat sententiam mortis contra eos latam.

VT FIAT VERBVM DOMINI MEI REGIS, VERS. SICVT SACRIFICIVM] quod in odorem suauitatis Deo offertur, q.d. Sicut sacrificiũ pro peccato oblatum, Deo est gratissimum; sic hoc votum meum pro Absalomi peccato condonando, tibi, ô rex, oblatum sit, quæso, pariter gratissimum. Tu enim es quasi Deus noster terrestris, & quasi numen quoddam Israelis. Noster legit cum Sept. לְמִנְחָה *lemincha*, id est, *in sacrificium*; iam cum Chaldæo aliis punctis legunt לְמְנֻחָה *limnucha*, id est, in requiem, vnde vertunt, q.d. Iubeat rex Absalomum esse in quiete & saluum.

SICVT ENIM ANGELVS DEI, SIC EST DOMINVS MEVS REX, VT NEC BENEDICTIONE, NEC MALEDICTIONE MOVEATVR] Thecuitis adulando captat Dauidis beneuolentiam, q.d. Liberè loquar, quia humanitas tua, ô rex instar Angeli omnia tranquillè audit, tam mala quàm bona, nec laudibus vel vituperiis mitisque flectitur, sed sincerè de omnibus iudicat, vti spero quòd hîc pro me iudicabit, scilicet decere clementiam tuam, vt Absalomo filio parcat.

NVMQVID MANVS IOAB TECVM EST?] VERS. q. d. Numquid opera & directione Ioab hæc omnia agis & dicis?

NEC AD SINISTRAM, NEC AD DEXTERAM EST] q. d. Non est aliud, quàm quod sagacissimè es odoratus, scilicet me hæc omnia agere instinctu Ioab.

ECCE PLACATVS FECI VERBVM TVVM] VERS. vt parcam Absalomo, eumque ab exilio ad me reuocem. Quæres, an peccarit Dauid parcendo Absalomo homicidæ, cùm lex iubeat homicidas occidi? Resp. Caiet. leges generatim decernere, quod communiter & regulariter agendum est, singulares autem casus prudentiæ Principis relinqui. Talis erat hîc: erat enim fratricidium à filio regis commissum, qui fugerat ad auum suum regem Gessur Gentilem. Quare periculum erat ne auus iuuaret Absalomum quasi nepotem

tem suum, itaque post mortem Dauidis bella A chra coma, & cæsaries densa. Porrò siclus erat moneta ponderans quatuor drachmas, hoc est dimidiam vnciam: quare siclus si erat argenteus, erat eiusdem pretij & ponderis, cuius nunc sunt Romæ 4. Iulij, & in Hispania 4. Regales Hispanici: sin aureus esset, pendebat & valebat 4. coronatos Francicos quorum quisque valet duodecim Iulios, siue Regales. Ducenti ergo sicli ponderabant centum vncias, quæ faciunt octo libras cum quatuor vnciis, si libram accipias communem duodecim vnciarum. Vnde nonnulli apud Abul. & Lyran. quos sequitur noster Sanchez & Salianus, censentes hoc pondus comæ esse nimium, pro pondere substituunt pretium, quasi coma Absalomi fuerit flaua densa & rutilans, ideoque à feminis ad capillaturam sibi ex ea faciendam expetita, ac tanti æstimata, vt venderetur ducentis siclis argenti, qui faciunt octoginta aureos Romanos, quorum quisque continet decem Iulios. Verùm hoc refutant Lyran. & Abul. quasi pretium iniustum, improbabile, & rem ineptam muliebribus ornamentis, nec Script. comam Absalomi commendat à colore, quod fuerit flaua & rutila, sed à pondere. Et sanè illa sententia videtur vim facere & torquere verba Script. nam Hebr. שָׁקַל *sakal* non significat *appretiabatur*, vel *vendebatur*, sed *ponderabat*, vti vertit Noster, Sept. Chald. Ioseph. Vatab. Pagn. Caiet. & alij passim.

Neque hoc pondus comæ mirum videri debet, tum quia illud, vt rem raram & nouam hîc recenset Script. tum quia erat pondus comæ totius anni: coma autem Absalomi erat densa, grauis, crebra & promissa, quæ toto anno succrescens facilè in fine anni ponderabat octo libras, C quod pondus Absalom sentiebat quidem, ideoque grauabatur, & vt se oncre leuaret, tondebatur: minùs tamen sentiebat, quàm si pondus aliquod extrinsecum octo librarum capiti suo imposuisset: quia hæc coma erat capiti ei connaturalis, vnde facilè ab anima capitis sustentabatur. Sic enim non sentimus pondus corporis, quod est plus quàm 50. librarum, quia anima illud informans, idipsum quasi suum, sibique intimè vnitum sustentat: vnde cùm anima separata est à corpore, sentitur ipsum pondus corporis siue cadaueris, vt vix ab homine robusto portari possit.

NATI SVNT AVTEM ABSALOM FILII VERS. 27. TRES] Hi omnes statim ante patrem mortui sunt. Vnde Absalom c. 18. 18. sine liberis fuisse dicitur. ita Theodor.

ET FILIA VNA NOMINE THAMAR ELE- D GANTIS FORMÆ] Verisimile est nomen hoc ei inditum à Thamar amita & sorore Absalomi: imò Sanchez opinatur filiam hanc aliud nomen proprium habuisse, scilicet *Maacha*, cognominatam verò fuisse *Thamar*, id est palmam, ab elegantia & pulchritudine. Tradunt enim Hebræi & Ioseph. lib. 7. c. 8. quos sequitur Sanchez hîc, & Abul. c. 14. v. 20. hanc *Thamar* esse *Maacha*, quæ fuit vxor Roboam, & mater Abiæ. Hæc enim 2. Paral. 11. v. 20. vocatur filia Absalom. Videtur ergo Absalom natus ex Maacha filia regis Gessur, vt dictum est c. 3. 3. nomen matris suæ Maacha indidisse filiæ suæ, quæ ob speciẽ cognominata sit *Thamar*. Ioseph. tamen inferius agens de Roboam & Abia lib. 8. c. 3. asserit hanc

Thamar filiam Absalomi fuisse non Maacha, A sed matrem Maacha, quæ fuit vxor Roboam, & mater Abiæ. Alij tamen censent, quòd Absalom qui 2.Paral.11.20.vocatur pater Maachavxoris Roboam, alius & diuersus sit ab hoc Absalomo filio Dauidis: nam idem 2.Paral.13. 2.vocatur *Vriel de Gabaa. Nomen matris eius* (Abiæ) inquit, *Michaia* (siue *Maacha*, vel, vt Iosephus vocat *Micha*) *filia Vriel de Gabaa.* Atqui Gabaa erat tribus Beniamin. Ergo Absalom hic pater Maacha, qui alio nomine dictus est *Vriel*, fuit ex tribu Beniamin. Hic autem Absalom pater Thamar, filius Dauidis, fuit ex tribu Iuda. Ergo diuersus est ab Absalomo, qui fuit pater Maacha, & alio nomine dictus est Vriel. ita sentit Salianus & Abul. qui sententiam suam reuocat 2.Paral.11.q.20.& in c.13.q.6. Si quis Iosephum lib. 8.c.3. sequens, diceret Maacha non esse Thamar, sed filiam Thamar, ad hoc argumentum respondere posset, Thamar hanc fuisse filiam Absalomi filij Dauidis, ac nupsisse Vriel Beniamitæ, ex eoque genuisse Maacha, quæ fuit vxor Roboam, & mater Abiæ: quare Maacha hanc 2. Paral.11.20. dici *filiam*, id est *neptem* Absalomi. Et hoc omnia adæquat, ideoque valde est verosimile, vti dicam lib.3.c.15.v.2.& 10.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Absalom sollicitat populum cum eo coniurat contra Dauidem in Hebron. quare Dauid cum suis vers.14. fugit, ac vers.24. sacerdotes se sequentes cum Arca remittit in vrbem. Denique vers.30. ascendens montem Olueti nudis pedibus flens & operto capite, Chusai remittit in vrbem, vt dissipet consilium Achitophel.

1. Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum. 2. Et manè consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus. 3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & iusti. Sed non est qui te audiat constitutus à rege, dicebatque Absalom: 4. Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem? 5. Sed & cùm accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum. 6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium, vt audiretur à rege, & sollicitabat corda virorum Israel. 7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino in Hebron. 8. Vouens enim vouit seruus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. 9. Dixitque ei rex Dauid: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron. 10. Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israel, dicens: Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnauit Absalom in Hebron. 11. Porrò cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. 12. Accersiuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13. Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom. 14. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. 15. Dixeruntque serui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit Dominus noster rex, libenter exequemur serui tui. 16. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius, pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17. Egressusque rex & omnis Israel pedibus suis, stetit procul à domo: 18. & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, dræcedebant regem. 19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. 20. Heri venisti, & hodie compellêris nobiscum egredi? ego autem vadam quò iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem. 21. Et respondit Ethai regi, dicens: Viuit Dominus, & viuit dominus

dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex; siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus. 22. Et ait Dauid Ethai: Veni, & transi. Et transiuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. 23. Omnesque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat: rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. 24. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & deposuerunt arcam Dei: & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate. 25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam & tabernaculum suum. 26. Si autem dixerit mihi: Non places: præstò sum, faciat quod bonum est coram se. 27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O Videns reuertere in ciuitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar, duo filij vestri, sint vobiscum. 28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis indicans mihi. 29. Reportauerunt ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Ierusalem: & manserunt ibi. 30. Porrò Dauid ascendebat Cluum oliuarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. 31. Nuntiatum est autem Dauid, quòd & Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque Dauid: Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel. 32. Cumque ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite. 33. Et dixit ei Dauid: Si veneris mecum, eris mihi oneri: 34. si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalom: Seruus tuus sum, rex: sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus: dissipabis consilium Achitophel. 35. Habes autem tecum Sadoc & Abiathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc & Abiathar sacerdotibus. 36. Sunt autem cum eis duo filij eorum, Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37. Veniente ergo Chusai amico Dauid in ciuitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem.

VERS.1. IGITVR POST HÆC FECIT SIBI ABSALOM CVRRVS] quasi ambiens regnum, præsertim quia mortuo Amnone primogenito, secundo etiam Cheliab vel mortuo, vel minùs apto ad regnum, ipse tertio loco genitus c.3.3. videbatur proximum habere ius ad regnum. Adde, Absalomum fuisse superbum, nam ambiuit regnum viuente adhuc patre, illudque ipsi armis & vi extorquere conatus est: quæ fuit insignis eius tum arrogantia, tum iniustitia, tum impietas. Vnde S.Chrysost. hom. de Absalom, tom.1. *Perdidit*, ait, *consilium Absalom, dum parricidio cupit mercari imperium.* Et inferiùs ostendit eum fratricidio addidisse parricidium, saltem mente destinatum, atque hoc fuisse pœnam illius: *Dum*, inquit, *in Absalom fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidiuum facinus iteratur.* Nimirum hæc inter alias fuit pœna à Deo inflicta Dauidi, ad puniendum eius adulterium & homicidium. Prima enim pœna fuit mors infantis ex adulterio nati. Secunda, Amnonis incestus, & stuprum Thamar. Tertia, Amnonis cædes per Absalomum. Quarta, fuit Absalomi rebellio. Ambitio enim hominem excæcat, illique rationem eripit, vti eripuit Lucifero, de quo S.Bern.serm.2. de verbis Isaiæ: *Miser*, inquit, *ipse qui sine Deo esse maluit, quàm sub Deo.* Idem fit iis, qui ambiunt prælaturas. Vnde S.Bern.Epist.42. *Curritur*, inquit, *in clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas Curas, tamquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad Curas peruenerit.*

VERS.7. POST QVADRAGINTA AVTEM ANNOS A DIXIT ABSALOM AD REGEM] Nonnulli ex Iosepho pro *quadraginta* legunt, *quatuor.* Sic enim habet Iosephus lib. 7. Ant. c. 8. *Absalom quarto post reconciliationem anno orauit patrem vt Hebronem aduet.* Iosephum sequitur Theodor. Hugo, Abul. Adrichom. & alij, qui putant hanc rebellionem Absalomi contigisse quarto anno post eius reconciliationem, qui fuit regni Dauidis 32. vt patet ex dictis c.12.24. Verùm Hebræa, Chald. Sept. constanter habent *quadraginta*, non *quatuor*, itaque legunt S. Hieron. Angelom. Glossa. Lyran. Caiet. Dion. cæterique Interpretes prisci & moderni. Sed dissentiunt vnde hi 40. anni computandi sint. Nam Vatabl. numerat eos ab eo tempore, quo Hebræi à Samuele petierunt regem, quod ipse factum putat anno decimo principatus Samuelis. Sed errat in calculo; plures enim exinde fluxere anni. Secundò, S. Hieron. in Tradit. computat ab eo tempore, quo Saul occidit sacerdotes in Nobe, vrbemque euertit. Alij numerant à morte Saulis; alij à cæde Goliath, alij à natiuitate Absalomi. Verùm numerus annorum non respondet.

B Dico ergo, hos 40. annos computandos esse à prima vnctione Dauidis in regem, facta à Samuele 1 Reg.16.13. Hæc enim facta est cùm Dauid ageret annum vigesimum, inde computa annos hos 40. peruenies ad annum ætatis Dauidis sexagesimum, quo facta est Absalomi coniuratio, cùm Dauid in regno ageret annum trigesimum (regnum enim adiit agens annum trigesimum) post quem adhuc decem annis regna-

regnauit, mortuusque est anno ætatis 70. ita Torniellus, Salianus, Emm. Sa, Paulus Burgens. Abul. & alij.

Vnde opinantur nonnulli Absalomum hoc prætextu suam tyrannidem & rebellionem excusasse, quòd sicut pater suus Dauid Saule socero suo Deo inobedienti, ideoque impiè & tyrannicè imperanti à Deo surrogatus esset, vnctusque à Samuele in regem anno ætatis suæ 20. sic pariter iam ipse patri impiè & tyrannicè imperanti, ac præsertim cum Bethsabee adulteranti, & Vriam occidenti, pari iure & modo succederet. Vnde & Semei Dauidi Absalomum fugienti idem improperauit.

Ex dictis sequitur Absalomum cùm bellum mouit Dauidi, fuisse ferè triginta annorum. Nam rebellauit, cùm Dauid in regno ageret annum trigesimum. Ipse autem sub initium regni Dauidis ab eo genitus est, vt patet c.3.3.

VERS.10. REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON] quia in Hebron natus erat Absalom c.3.3. vbi pariter pater Dauid regnare cœperat & sacrificia obtulerat. Hebron enim obsepultos in ea Patriarchas habebatur locus sanctissimus, & ab Israelitis frequentabatur: hic ergo Absalomi fuit prætextus, & hæc commoditas sceleris & coniurationis conflandæ. ita Abul. vide Absalomi scelus, tyrannidem & parricidium exaggerantem S Chrysost. hom. de Absalomo tomo 1. vel quisquis eius est author, nam styli Latini elegantia, & vocum allusiones indicant authorem fuisse Latinum, non Græcum.

VERS. 13. TOTO CORDE VNIVERSVS ISRAEL SEQVITVR ABSALOM] Causam dat Abul. q.19. Primam, quòd Absalom apud populum erat gratiosus, eiusque corda sollicitarat, suaque humanitate sibi deuinxerat, vt patet ex dictis initio capitis. Secundam, causam assignat, punitionem Dei: Deus enim hac ratione volebat implere pœnam Dauidi intentatam c.12.11. Quare obiecit menti populi dotes & gratiam Absalomi, vitia verò Dauidis, cæteraque quæ in eo displicebant vulgo: quo factum, vt vulgus nouitatis appetens, Dauidem fastidiret, & nouum regem Absalomum ambiret. Obiecit hæc ei Deus ob bonos fines à se intentos, sed præuidebat populum iis abusurum ad rebellandum Dauidi, idque permittere decreuit ad punienda Dauidis peccata. Vide dicta Exodi 7.3.

VERS.14. ET AIT DAVID, &c. SVRGITE FVGIAMVS] Causam fugæ dat S. Chrysost in Psal.5. quem tunc Dauid dictauit inuocans Deum in tanta persecutione, vt patet ex eius titulo: *Fugiebat*, ait, *Dauid filium suum, quoniam castitatem fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violauerat. Fugiebat filium quoniam legem Dei quæ dicit, Non occides, Non adulterabis, fugerat. Quoniam enim alienam agnam in domum suam introduxerat, & eius pastorem interfecerat, qui erat è domo sua agnus, pastorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, sed ex domo sua in ipsum bellum incitatur*, &c.

Moraliter, disce hîc, quàm vanum sit, quòd parentes glorientur in filiis suis, quamque verum illud, *Heroum filij, noxæ*. Nam sæpè filij sunt degeneres & parentum hostes: En tibi Dauid tres genuit filios, quorum primus Amnon incestu sororem violauit; secundus Absalom fuit fratricida & parricida: tertius Salomon fuit idololatra, & planè mulierosus. Quod mysticè Iudæis applicat S. Ambros. lib. 1. Apolog. Dauid c.3. *Genuit Dauid*, inquit, *duos filios, vnum incestum, alium parricidam, eò quòd incestus & parricidalis populus* (Iudæorum) *affixo patibulo crucis, carnem proprij iugulaturus esset auctoris.*

ET LEGIONES CERETHI, ET PHELETHI] Quænam istæ fuerint, dixi c.8.v.18. VERS.18.

ET OMNES GETHÆI] Erant hi milites, non Philisthini, sed Iudæi, qui in omni persecutione Saulis Dauidi adhæserant. Dicti sunt *Gethæi*, quòd Dauidem ex Iudæa in Geth vibem Philisthinorum fugientem secuti fuerant, ibique multo tempore cum eo habitarant. ita Abul.

HERI VENISTI, ET HODIE COMPELLERIS NOBISCVM EGREDI?] Hinc videtur, quòd Ethai fuerit Philisthæus, scilicet Gethæus, atque paullò antè ex Geth migrarit Hierosolymam, factusque sit proselytus, vt Dauidi se sociaret. Plura de eo disputat Abul. sed coniectando. VERS.19.

DOMINVS FACIET TECVM MISERICORDIAM ET VERITATEM (id est æquitatem, fidelitatem) QVIA OSTENDISTI GRATIAM ET FIDEM] q.d. Opto oroque vt Deus tibi rependat gratiam & fidem quam mihi exhibuisti, vt scilicet sit in te misericors, & constans in beneficiendo, sicut tu mihi fuisti.

REX QVOQVE TRANSGREDIEBATVR TORRENTEM CEDRON] Dauid hîc fugiens Absalomum, transiuit torrentem Cedron, vt per montem Olueti fugeret in desertum, ibique se absconderet. Vnde fuit typus Christi, qui fugiens Iudam proditorem & Iudæos, eumdem torrentem transiuit. Absalom enim, ait Eucher. fuit typus Iudæ proditoris. Hinc & *Absalom* hebr. idem est quod, *patris pax*, scilicet simulata & ficta; quia pater Christus pacem habuit, quã Iudas non habuit sed simulauit, cùm scilicet eum osculando ab eo proditus est Iudæis. VERS.23.

REPORTA ARCAM DEI IN VRBEM] scilicet in locum suum honorificum, à me illi erectum & ornatum, ne cum me exule exulare cogatur. VERS.25.

SI AVTEM DIXERIT MIHI: NON PLACES, PRÆSTO SVM] ad ei obsequendum vt regno eiiciar, & exul vagusque per orbem oberrem, ac fiam pauper & inops, vt etiam victum mendicare cogar. Vide hîc miram Dauidis humilitatem, obedientiam & resignationem, qua meruit in regnum restitui, magisque quàm anteà exaltari. Dauidem imitatus Ferdinandus II. modernus Imperator, cùm nuper vndique ab hostibus cingeretur, & quasi ad manticam redigeretur, totum se Deo resignauit, & paratum ad imperium relinquendum, imò ad fortunam tenuissimam & paupertatem subeundam vltrò se obtulit, ideoque sereno ac tranquillo semper animo æquè ac vultu omnes hostium incursus sustinuit & superauit: quare à Deo tot victoriis ornari, ac tot beneficiis, donis & gratiis, quales cernimus & miramur, cumulari meruit. VERS.26.

O VIDENS REVERTERE] q.d. O sacerdos, ô pontifex reuertere in vrbem, vt ei æquè ac mihi prosis. Pontifex enim vocatur *Videns*, id est Propheta, quia indutus rationali, in quo erat Vrim & Tummim, Deum consulens excipiebat eius oracula, eaque edicebat & prophetabat. VERS.27.

PORRO

VERS.30. PORRO DAVID ASCENDEBAT CLIVVM OLIVARVM] scilicet montem Olueti, cuius pars erat hic cliuus, siue collis. Eò ascendit, tùm vt per eum fugiens Absalomum, iret in desertum, ibique lateret. Absalom enim veniebat in Ierusalem ex Hebron, quæ erat ad Meridiem, mons verò Olueti, erat ad Orientem: tum vt in monte oliuarum, id est oleis & oliuis abundante, Deum adoraret, vt dicitur v.32. Deique opem & misericordiam (cuius symbolum est oliua & oleum) in tanto discrimine imploraret. Solebant enim prisci ad Orientem versi adorare ob causas quas recensui Ezech.8.16. Mons oliuarum autem erat ad Orientem Hierosolymæ; tum denique vt esset typus Christi, qui in eodem monte Olueti patrem orans cum lacrymis, & sudans sanguinem, inchoauit passionem & redemptionem nostram, ideoque ex eodem monte post 40. dies à resurrectione glorioſus in cælum ascendit. Audi S. Cyrill. Hierosolym. catechesi 2. de pœnitentia: *Cùm*, inquit, *Absalom aduersùs illum*, id est Dauidem, *arma cepit; quamuis multa illi ad fugam viæ paterent; per montem tamen oliuarum fugere maluit, firma inuocans mente liberatorem illum, qui isthinc cælos ascensurus erat.*

SCANDENS ET FLENS, NVDIS PEDIBVS INCEDENS, ET OPERTO CAPITE] Hebræi enim æquè ac posteà Romani nudo capite incedebant quasi liberi & expediti, in luctu verò caput operiebant & tegebant, vt patet c.19.4. & Ierem. c.14.2. & seq. *Luxit*, ait, *Iudæa, &c. & afflicti operuerunt capita sua*. Vide hîc miram Dauidis humilitatem, pœnitentiam, patientiam, qua flens, nudipes & tecto capite lugens fugam capessit, itaque populum se sequentem ad idem faciendũ, suo exemplo compellit; quia

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Nimirùm sciebat Dauid sibi non tam cum Absalomo, quàm cum Deo rem esse: eum itaque priùs hisce pœnitentiæ armis expugnare decreuit: Deo enim expugnato exarmatus erat Absalom. Audi Saluianum lib.2. de Prouidentia: *Iam si addenda est & ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cùm tantus & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo maior, omnes admodùm suos, cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore; cum luctu, operto, inquit Scriptura, capite, & nudis pedibus incedens; super istius prioris status à seipso exulans, penè iam post se viuens, deiectus vsque in seruorum suorum: vel, quod grauius est, contumeliam, vel quod grauius miseri cordiam: vt vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publicè non timeret. Ita Dei iudicio à se aliter effectus, vt ei, quem timuerat totus orbis, vnus in faciem insultaret inimicus.*

Addit S. Chrysost. hom. 3. in Matth. Dauidem non tantùm in tantis ærumnis patientem fuisse, sed & Deo gratias egisse: *Cùm illum tyrannum*, inquit, *fratricidam & parricidam pro se regnantem videret; nec sic quidem scandalum mente concepit. Sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem errare semper, & exulare; illum verò regnare: amplector atque suscipio, & habeo pro innumeris, quæ mihi à Deo inferuntur tribulationibus, gratiam. Longè aliter, quàm plurimi impudentes pariter & arrogantes: qui, cùm ne minimam quidem partem de illius virtute possideant, si quos vident prosperè agentes, se verò paruam sufferre mœstitiam, animæ suæ non metuunt mille vulnerare blasphemiis.*

QVOD ACHITOPHEL ESSET IN CONIVRATIONE] Causam dant Hebræi, quòd Achitophel vlcisci voluerit vitium nepti suæ à Dauide illatum: Bethsabee enim erat filia Eliam filij Achitophel. vide dicta c.11.v.3. VERS. 31.

INFATVA, QVÆSO, DOMINE CONSILIVM ACHITOPHEL] Erat enim ipse vir valde prudens & magni consilij. Porrò Deus varios habet modos infatuandi prudentum consilia, idque sine peccato: v.g. obiiciendo alia consilia, alias cogitationes, alias rationes & modos, qui prima fronte videantur magis commodi & speciosi, ac tegendo eorumdem incommoda, difficultates & pericula. Ex aduerso verò obiiciendo alterius boni consilij, quod à prudentibus suggeritur, difficultates & incommoda, ac tegendo eius vtilitatem & commoda. Sic fecit hîc Deus. Effecit enim vt Chusai amicus secretus Dauidis, opponeret se consilio prudenti Achitophelis, illudque suis rationibus euerteret. Effecit enim vt Absalomo eiusque assectis magis probaretur noxium consilium Chusai, quàm vtile Achitophelis, vt patebit c. sequ. rò *infatua*, alludit ad nomen *Achitophel*, hoc enim hebr. idem est quod, *frater meus res insulsa*, ait Pagn. vel *frater meus ruina*, ait Angelom. & Pagnin.

Sic experimur in nobis, nos vna re & ratione aliquando moueri, alias eâdem non moueri; quia eius vis & efficacia aliquando nobis speciosa videtur, aliàs non videtur; vel ex alia & alia corporis mentisque dispositione, vel ex instinctu Angeli, dæmonis, vel alicuius socij & amici.

Plura tunc dixit Dauid, si non ore, certè corde, quæ posteà in Psal. 54. conjecta sunt. Huc enim spectant illa in eo: *Elongaui fugiens & mansi in solitudine*. Et: *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò* (ô Achitophel mihi domesticus & à consiliis) *homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, pro quo S. Hieron. vertit: *qui simul habuimus dulce secretum*. Deus ergo perfidiæ Achitophel fidem Chusai, quæ illam superauit, opposuit.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Siba occurrit Dauidi fugienti cibos offerens. Mox vers. 5. Semei maledicit Dauidi, vnde Abisai eum ad necem deposcit, sed vetat Dauid. Inde vers. 15. Absalom Ierusalem ingreditur, ac concubinas patris publicè violat.

1. CVmque Dauid transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & vtre vini. 2. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Respondítque Siba: Asini, domesticis regis vt sedeant: panes & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, vt bibat si quis defecerit in deserto. 3. Et ait rex: Vbi est filius domini tui? Respondítque Siba regi: Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. 4. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixítque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te, domine mi rex. 5. Venit ergo rex Dauid vsque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, 6. mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuersi bellatores, à dextro & à sinistro latere regis incedebant. 7. Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. 8. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9. Dixit autem Abisai filius Saruiæ, regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, & amputabo caput eius. 10. Et ait rex: Quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? 11. Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: 12. si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 13. Ambulabat itaque Dauid & socij eius per viam cum eo. Semei autem, per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduersum eum, terramque spargens. 14. Venit itaque rex, & vniuersus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi. 15. Absalom autem & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed & Achitophel cum eo. 16. Cùm autem venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, locutus est ad eum: Salue rex, salue rex. 17. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuisti cum amico tuo? 18. Respondítque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israel, & cum eo manebo. 19. Sed vt & hoc inferam, cui ego seruiturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi. 20. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus. 21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt cùm audierit omnis Israel quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 22. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressúsque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel. 23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cùm esset cum Dauid, & cùm esset cum Absalom.

VERS. 1. APPARVIT SIBA PVER MIPHIBOSETH] *Puer*, id est seruus & curator, qui omnia bona Miphiboseth curabat & administrabat. Improbus hic seruus inhians heri sui claudi & miseri prædiis, vt ea à Dauide obtineret, è Ierusalem egressus, imò antegressus Dauidem fugientem, ex villâ quapiam heri sui, occurrit Dauidi cum annona copiosa, crimẽ falsũ perduellionis hero suo imponens, vt patet c. 19. v. 26. A

PALATHARVM] id est carycarum, siue ficuum aridarum, Hebr. *fructuum æstiuorum*.

DICENS: HODIE RESTITVET MIHI DOMVS ISRAEL REGNVM PATRIS MEI] Ionathæ & aui Saulis. Impudens & inepta fuit hæc Sibæ in herum suum Miphiboseth calumnia, tum quia ipse, vtpote claudus & elumbis, ineptus erat ad regnum, tum quia de eo in regem euehendo nemo cogitabat: nam omnes Absalomum sequebantur vt eum regem crearent: quare iure seruum hunc vt iniquum & mendacem apud Dauidem accusat herus Miphiboseth c. 19. 26. A

VERS. 4. TVA SINT OMNIA, QVÆ FVERVNT MIPHIBOSETH] Nimis citò Dauid credidit Sibæ criminanti suum herum Miphiboseth: ideóque eum vt ingratum suis prædiis priuauit, eáque dedit auaro Sibæ, qui illa ambiebat. Quare peccauit Dauid, cùm temerè Miphiboseth innocentem & inauditum ac miserabilem, atque amantissimi Ionathæ sui filium bonis omnibus spoliauit, eáque in Sibam eius seruum maledicum transtulit, ideóque permisit Deus, vt hanc iniustitiam grauissima ab alio seruo iniuria compensaret; nimirum vt Semei seruus malediceret Dauidi suo principi. Postulabat enim diuina iustitia, vt qui vnum seruum iniustè locupletarat, per alterum grauissimè castigaretur. Discant hîc principes non temerè credere suis seruis, dum alios criminantur, vt in eorum opes vel officium succedant. Credula est principum suspicio & ambitio, vbi de eorum honore agitur, vti hîc agebatur de regno Dauidis, cui nisi prudenter & fortiter ipsi principes resistant, facilè se in falsitatem, & iniustitiam adduci sinent. Vnde S. Bern. lib. 1. de Consider. in fine: *Cuius*, inquit, *callidissima vulpecula* (nimis facilis credulitatis, quæ datur calumniæ) *magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, indeq; innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.* Prefsiùs & magis ad rem præsentem Author imperfecti apud S. Chrys. hom. 2. *Rex*, inquit, *quidquid aduersus regnum suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectius est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur; facilè credit, quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna & idonea, vt credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat.* B

VERS. 5. NOMINE SEMEI] S. Hieron. in Tradit. ait hunc Semei esse Nabath patrem Ieroboam, qui schisma fecit à Roboam nepote Dauidis, eíque decem tribus abstulit, seque earum regem effecit 3. Reg. 11. & seq. Verùm id falsum esse liquet ex eo, quòd Semei fuerit filius Iemini, ideóque de tribu Beniamin, ac cognatus Saulis, vt hîc dicitur. Ieroboam verò eiusque pater Nabath fuere ex tribu Ephraim, vt patet 3. Reg. 11. 26. ita Abul. & alij. C

Dices, Semei c. 19. 20. ait se esse ex domo Ioseph: Iosephi autem filius erat Ephraim. Ergo Semei erat ex tribu Ephraim. Resp. Ioseph ibi significare omnes decem tribus quarum vna erat Beniamin, ex qua prognatus erat Semei, de quo plura ibidem.

ET MALEDICEBAT MITTEBATQVE LAPIDES CONTRA DAVID] Hebræi gradunt Semei quinque atrocia maledicta & conuicia in Dauidem coniecisse: vocitasse enim eum primò adulterum, secundò Moabitam, tertiò homicidam, quartò leprosum, quintò abominabilem; idque colligunt ex 3. Reg. cap. 1. v. 8. vti ibidem ostendam. Fuit magna hæc Semei proteruia, impietas, impudentia, calumnia, audacia, maledicentia æquè ac impudentia & stultitia: poterat enim & debebat cogitare Dauidem, vel quòm ex eius assẽclis tantam improbitatem cædis eius vlturum, vti eandem vltus est Salomon: sed ira & furor eum excæcauit, vt malum hoc sibi obuenturum non prospiceret, nec metueret, ideóque non caueret. D

ET AIT REX: QVID MIHI ET VOBIS EST FILII SARVIÆ?] q. d. quid mihi cum vestra indignatione & contentione contra Semei? nolo illam mihi asscribi, nolo illius esse particeps. VERS. 10.

DIMITTITE EVM VT MALEDICAT] Mira hîc Dauidis tantæ iniuriæ tolerantia elucet. Audi S. Ambr. l. 1. de Dauide c. 6. *Quam moraliter*, inquit, *docuit, quòd iniuriarũ tempora, examina probationum sint. Exercetur bonus athleta conuicijs, exercetur laboribus & periculis; vt dignus sit cui deferatur corona iustitiæ.* Vnde mox citans hæc Dauidis verba: *Quid mihi & vobis*, &c. exclamat: *O altitudo prudentiæ! O altitudo patientiæ! O deuorande contumeliæ grande inuentum. Ecce verborum contumelia parricidij leuauit ærumnam. Quis secum talem non compenset iniuriam, vt quem homo læsit, eum Deus meliorum retributione soletur?* *Mira patientia Dauidis ad maledicta Semei.*

Aurea est sententia S. Basilij serm. contra irascentes, in editione Basilecensi: *Neque*, inquit, *in solitudinibus Echo sic integra ad eum, qui vocem emisit refracta est, velut contumelias ad conuiciatorem reuertuntur.* Similis est Tertul. lib. de Patientia c. 8. *Si parum*, inquit, *æquanimiter audiam, dictum aliquod in me proterum aut nequam: reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. At qui huiusmodi dictis aures obstruxerit, ab vtroque incommodo eripietur, neque loquens maledicet, neque tacens affligetur.* Ita Dauid suas aures obstruebat: *Ego autem*, inquit, *sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum; & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Psal. 37. v. 14. & 15.

DOMINVS ENIM PRÆCEPIT EI, VT MALEDICERET DAVID] Dauid sui adulterij & homicidij conscius, ex humilitate & pœnitentia cogitabat Deum misisse Semei (etiamsi res se aliter haberet) eíque iussisse vt hæc scelera sibi exprobraret, itaque eum pro meritis castigaret. Semei ergo fuisse quasi lictorem Dei; sed quod Deus volebat ex iusta vindicta, hoc Semei fecit ex iniusto odio & maleuolentia, ac plura quàm Deus iusserat in eum scelera congessit per calumniam, quorum reus non erat Dauid. Sic *vò præcepit* actiuè & propriè accipitur. VERS. 10.

Secundò, *vò præcepit* impropriè & permissiuè accipi potest pro *permisit*, vel potius pro, *decreuit id est decreuit permittere* hanc maledictionem, *eamq; positiuè ordinauit* ad meam pœnam & supplicium. Deus enim videns Semei offensum Dauidi, quòd à Saule cognato suo regnum ad se transtulisset, ideóque propensum ad ei expulso & fugitiuo maledicendum, ex propè sito voluit permittere vt hæc eius maleuolentia in opus maledicentiæ exiret, idque directè & positiuè ordinauit ad hunc finem, vt scilicet Dauidis peccata *præcepit*, *permisit*, *vel permittere*.

per eam castigarentur & punirentur. Vnde pro, *præcepit* Hebr. & Sept. habent, *dixit*, id est decreuit, statuit, ordinauit, scilicet permittere hanc malignitatem, vt per eam me pro peccatis affligat, q. d. Ego peccatis meis hæc & plura commerui; maledictio hæc est iusta scelerum meorum vindicta mihi à Deo decreta & irrogata: quare me eamdem patienter tolerare, & de manu Dei susscipere oportet, vti filius peccans patienter & amanter suscipit flagellationem patris: Deus enim vtitur impiorum impietate, quasi tortore ad piorum errata puniendum. Sic *præcipere* vel *mandare* accipitur pro *ordinare* siue *iubendo* siue *permittendo*, Matth. 19. v. 7. *Moyses mandauit dare libellum repudij*; *mandauit*, id est permisit repudiare vxorem, sed id permittens, mandauit vt non repudietur nisi per libellum publicâ authoritate iudicis conscriptum. Sic 1. Reg. 13. 14. dicitur Deus *præcepisse* id est ordinasse, Dauidi vt regeret Israel. Et coruis *mandasse*, id est ordinasse vt pascerent Eliam, 3. Reg. 17. 4. alioqui enim corui, cùm careant ratione, præcepti proprij sunt incapaces. Sic 3. Reg. 22. 22. Deus dæmoni volenti decipere regem Achab ait: *Egredere, & fac ita*, id est permitto vt ita facias. Impij enim ita pendent & reguntur à Dei prouidentia, vt non possint quidquam agere nisi habeant eius *placet*, hoc est permissionem non negatiuam, sed positiuam. Sicut in Rep. non possunt degere vsurarij & meretrices, nisi habeant *placet*, & permissionem positiuam principis & Aulæ terrestris. Et hoc significat hîc, *præcepit*, id est ordinauit. Ita S. Ambr. Apolog. Dauid. c. 6. *Non accusat Dominum*, inquit, *quasi auctorem iniuriæ, sed magis laudat, quòd patiatur nos minora perpeti, vt maiorum veniam peccatorum adipiscamur.* Et S. Bern. serm. 34. *Prorsùs*, ait, *vir secundùm cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sauiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore blasphemi Deus? Absit; sed eo vsu est ad humiliandum Dauid. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauerat Deus. Et ideò dicit: Bonum mihi quia humiliasti me.*

In iniuria memento peccatorum tuorum.

Tropol. imitemur Dauidem qui cùm malediceretur à Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritus erat, ideoque patienter idipsum tulit. Ita S. Gregor. 31. Moral. 17. *Tunc*, ait, *illata conuitia bene toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, & maiora nos meritos vtdemus.* Dicat ergo patiens & pœnitens sibi: Ego Deum lethaliter offendi: ego meritus sum in æternum ardere in gehenna, subsannari & cruciari à dæmonibus. Non feram ergo verbulum hoc maledicum & mordax? Imò verò patiar verba quælibet & quantalibet, potiùs quàm verbera. Verba enim aurem feriunt, verbera pulsant dorsum. Audi S. Chrysost. in Psal. 38. 2. *Cùm maledictis me incesseret Semei, peccatum à me commissum reuocaui in memoriam, considerans quòd propter ipsum maledictis appetor & punior, & regiâ expulsus, fugâ cogor meæ saluti consulere.* Et Theodor. *Conuitijs*, inquit, *affectus, peccati memini, & stimulis è peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, & tyrannide opprimar, & à regiâ domibus exactus fugere cogar.* Accedit D. Greg. lib. 31. Mor. c. 17. *Dauid*, inquit, *exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetrauit, & aquanimiter pertulit quod audiuit, & contumeliosa verba non tam conuitia, quàm adiutoria credidit, quibus se purgari, sibiq; misereri posse iudicauit. Leue quippe videtur quòd iniuria percutimur, dum in actione nostra perspicimus, quia peius est quod meremur; fitq; fit, vt contumelijs gratia magis quàm ira debeatur.* Hæc ad verbum ex S. Greg. transscripserunt Eucherius (verùs Beda) & Angelomus. Audi denique S. Ambr. lib. 1. Offic. c. 6. *Ibat*, inquit, *tamquam mutus & humiliatus, ibat tacens: nec mouebatur cùm vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergo mouebatur conuitijs, qui abundabat bonorum operum conscientiâ. Itaq; is qui citò iniuria mouetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaq; qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.*

Dices, S. Aug. lib. de gratia & lib. arb. c. 20. ait: *Deus voluntatem Semei vitio suo malam in hoc peccatum maledicendi Dauidi inclinauit.* Ergo positiuè fuit auctor maledictionis & peccati, quod absit. Resp. *inclinauit*, id est inclinatam ad maledicendum tenuit, direxit, frænauit & impediuit, ne in alium quàm Dauidem sese exereret, ac permisit vt in eum omne tancoris virus sui effunderet. Sicut qui leonem ligatum catena, manu tenet cum obiectis variis canibus non permittit eum in illos insilire, sed tantùm in certum aliquem molossum, tunc{que} funem laxat, eumque dimittit vt eum inuadat, cum eoque duellet, hic dicitur leonem immisisse in molossum, etiamsi actiuè & positiuè non immiserit, sed tantùm laxato fune dimiserit & permiserit vt molossũ aggrederetur: simili modo Deus hîc egit cum Semei, agitq; cum eius similibus. Vnde subdit S. Aug. *dixit Deus Semei, vt malediceret Dauidi, id est cor eius malũ misit vel dimisit.* Tantùm enim vult S. Aug. docere corda hominum etiam impiorum & maleuolorum esse in manu Dei, eaque ita concludi & coërceri, vt non nisi ad id quod ipse voluerit, conuertantur, nec aliò quàm quò ei libuerit ferri & erumpere nequeãt. Deum enim eis vti ad puniendos illos, quos ille punire voluerit. Hinc c. 23. S. Auguſt. *ò Deus obdurat*, exponit: *obdurari permittit* Pharaonem & similes reprobos, additque non Deum, sed liberum eorum arbitrium propriè & positiuè seipsum obdurare. Denique addit c. 20. Deum hæc operari in cordibus impiorum per Angelos bonos vel malos. Boni, hæc mala operantur indirectè & obiectiuè, mali, directè & impulsiuè.

ECCE FILIVS MEVS QVI EGRESSVS EST DE VTERO MEO, QVÆRIT ANIMAM MEAM] Vers. Tunc Psal. 3. composuit Dauid, eoque Dei ope inuocauit dicens: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Vbi S. Chrys. *Qui ex me genitus est*, inquit, *contra me est, sed tu es pro me. Mea mecum viscera bellum gerunt, meus populus. Post Absalomum meus contra me armatur exercitus. Oues meæ lupi facti sunt, & leones agni, & canes rabie percitæ, agnelli, & cornu petentes tauri, arietes; non propter meipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium.*

VERS. 12. SI FORTE RESPICIAT DOMINVS] S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 48. notat hic tres rationes, quibus Dauid probat sibi tolerandam esse hanc Semei maledicentiam. *Vide*, inquit, *quomodo & humilitatem & iustitiam & prudentiam emerendæ à Domino gratiæ reseruauerit. Primò dicit: Ideò maledicit mihi, quia Dominus dixit illi vt maledicat. Habes humilitatem, quia ea quæ diuinitùs imperabantur, æquanimiter quasi seruulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus, qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam. Habes iustitiam; si enim à nostris grauiora patimur, cur indignè ferimus qua inferuntur ab alienis? Tertiò ait: Dimitte illum vt maledicat, quoniam dixit illi Dominus; vt videat humilitationem meam & retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc. Nec iam solùm conuicianti pertulit, sed etiam lapidanti, & sequentem illæsum reliquit, quin etiam post victoriam petenti veniam, libenter ignouit. Quod eo inserui, vt Euangelico spiritu sanctum Dauid non solùm inoffensum, sed etiam gratum fuisse conuicianti docerem, & delectatum potiùs quàm exasperatum iniuriis; pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur.*

VERS. 21. INGREDERE AD CONCVBINAS PATRIS TVI] Quinta est hæc pœna Dauidis, illaque congrua culpæ. Sicut enim ipse violauerat secretò Bethsabee; sic Absalom violauit eius concubinas, id est secundarias vxores, non secretò, sed publicè in conspectu totius populi; quæ magna fuit impudentia, impietas & libido. Dedit Absalomo hoc consilium vafer, sed impius Achitophel, eiusque causam subiecit dicens.

VT CVM AVDIERIT OMNIS ISRAEL, QVOD FOEDAVERIS PATREM TVVM, ROBORENTVR TECVM MANVS EORVM] Vt scilicet sciant te implacabile contra patrem odium concepisse, itaque excludatur omnis spes & timor reconciliationis cum eo; atque hac ratione confirmentur & roborentur in conspiratione tua cõtra ipsum promouenda & perficienda. Multi enim prudentes metuebant se iungere Absalomo, eò quòd cogitarent: Absalom quasi filius facilè reconciliabitur patri, idque curabit pater; sed ipse tunc suam iram & vindictam in nos conuertet & euomet. At iam videntes eum violasse vxores patris, iudicabant eum esse inreconciliabilem patri, ideoque roborabantur in sua cum eo contra patrem coniuratione. Ita Theodor. *Timens*, inquit, *Achitophel ne natura eos (Dauidem & Absalomum) rursùs coniungeret; deinde si fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam suggerebat atem, vt reconciliationi nullus pateret aditus. Statim autem dedit pœnas illius impiæ & nefariæ suasionis: & quoniam in patrem armauit filium, ipse rursùs in se armauit manus, & iis laqueum collo inuiciens miserrimum sustinuit finem. Nam cùm ad rerum finem præuidendum esset idoneus, non admissa eius suasione Dauidis futuram credidit victoriam; & timens proditionem sui manu de se sumpsit supplicium.*

VERS. 22. TETENDERVNT ERGO ABSOLOM (in Datiuo) TABERNACVLVM IN SOLARIO] hoc est in tabulato siue tecto (tecta enim in Iudæa erant plana quasi tabulata) vt à toto populo conspici posset: populus enim videbat concubinas ingredientes tabernaculum, & post eas sequentem Absalomum, vti faciunt fornicatores sequentes suas pellices in fornicibus. Actum verò ipsum turpem non videbat, quia tabernaculum velabatur cortinis: alioqui enim res hæc fuisset nimis impudens & populo execrabilis, vti idcirco fuit Cynicorum secta, quorum parens fuit Diogenes, qui ob caninam hanc inuerecundiam dictus est Cynicus, id est canis.

INGRESSVSQVE EST AD CONCVBINAS PATRIS SVI CORAM VNIVERSO ISRAEL] Audi Saluianum lib. 2. de prouidentia: *Impurior nescias, an eruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu, & quidem incestu præter incesti nefas, per industriam accumulandi sceleris elato. Cùm vtique facinus, quod etiam secretò abominabile faceret, persecutor parentis publicè perpetraret: scilicet vt feralissimo crimine non pater tantùm absconsus deformaretur, cùm oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu.*

CONSILIVM AVTEM ACHITOPHEL, &c. QVASI SI QVIS CONSVLERET DEVM] id est, habebatur ab omnibus prudentissimum & diuinum. q. d. Consilium Achitophel æstimabatur quasi oraculum. Nimirùm homo versipellis & impius accommodabat se tempori & personis, ac Dauidi pio pia dabat consilia, Absalomo autem impio, impia: quæ prudentia erat secundùm diabolum, at non secundùm Deum. Erant enim apposita ad fouendam eius ambitionem & tyrannidem, sed opposita virtuti, pietati & obedientiæ, quam filius debet patri. Sic & hodie in aulis Principum non desunt consiliarij, qui ad omnem ventum auramque Principis se suaque consilia in flectant, vt cum probo sint probi, cum improbo improbi. Notus fuit nuper in Anglia Consiliarius magni nominis, qui cum Maria Regina Catholica erat Catholicus, fingebatque se mirè deuotum & pium; at succedente Elisabetha in fide heterodoxa, laruam detraxit, gessitque se vt hæreticum, & Catholicos persecutus est; idem tamen volebat haberi à Catholicis Catholicus. Cupiebat enim audire politicus, & omnibus placere, omniumque gratiam inire. Vnde cùm quidam è Patribus Societatis nostræ (qui mihi hæc in Belgio olim narrauit) in Anglia captus ab eo secretò rogaretur: Quid Transmarini & principes Catholici de se sentirent, ait: sed appositè vereque respondit: Domine ipsi asserunt te imitari orbes inferiores cælorum, qui sequuntur motum primi mobilis: sic enim te sequi nutum motumque Reginæ. Talis quoq; fuit Volsæus ille, qui Henrico VIII. vt eius libidini assentaretur, repudij Catharinæ vxoris, indeque omnium Angliæ malorum fuit causa. Vnde iusto Dei iudicio in Henrici VIII. indignationem incidit, miserèque periit dicens: *Quia magis placere studui Regi quàm Deo, hinc iustè Dei iram incurri, & regis gratiã amisi*, vti refert Sanderus in schismate Anglican. Vtinam nostri Achitopheles eius exitum intuentes, eiusdem mores & consilia politica detestarentur, ac eius suspendio saperent, ne similem mortem præsentem & æternam sibi conscisceret.

Cornel. in lib. Regum.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achitophel vafrum vtileq; consilium dat Absalomo, sed illud dissipat Chusai: qui illud v.15. curat renuntiari Dauidi, vt sibi fuga consulat, transeatq; Iordanem. Quare v.22. transit eum Dauid, sequitur Absalom. Mox v.27. Sobi, Machir & Berzellai annonam castris Dauidis inferunt.

1. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte. 2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum. 3. Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace. 4. Placuitque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israel. 5. Ait autem Absolom: Vocate Chusai Arachiten, & audiamus quid etiam ipse dicat. 6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiusce modi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? 7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. 8. Et rursum intulit Chusai: Tu nosti, patrem tuum, & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. 9. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cùm ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. 10. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt. 11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum, 12. Et irruemus super eum in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem. 13. Quòd si vrbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14. Dixitque Absalom, & omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum. 15. Et ait Chusai Sadoc & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israel: & ego tale & tale dedi consilium. 16. Nunc ergo mittite citò, & nuntiate Dauid, dicentes: Ne morêris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo est. 17. Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta Fontem Rogel: abiit ancilla & nuntiauit eis: & illi profecti sunt, vt referrent ad regem Dauid nuntium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem. 18. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bagurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum. 19. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res. 20. Cumque venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cùm non reperissent, reuersi sunt in Hierusalem. 21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt regi Dauid, & dixerunt: Surgite, & transite citò fluuium: quoniam huiusmodi dedit consilium contra vos Achitophel. 22. Surrexit ergo Dauid, & omnis populus qui cum eo erat, & transierunt Iordanem, donec diluceseret: & ne vnus quidem resíduus fuit, qui non transisset fluuium. 23. Porrò Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam & in ciuitatem suam: & dispósita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro

pulchro patris sui. 24. Dauid autem venit in Castra, & Absalom transiuit Iordanem, ipse & omnes viri Israel cum eo. 25. Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iesraeli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab. 26. Et castrametatus est Israel cum Absalom in Terra Galaad. 27. Cumque venisset Dauid in Castra, Sobi filius Naas de Rabbam filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaaditres de Rogelim, 28. obtulerunt ei stratória, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, 29. & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos; dederuntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame & siti fatigari in deserto.

VERS. 1. PERSEQVAR DAVID] Erat hoc vtile consilium. Si enim Achitophel fugientem Dauidem è vestigio, cum lecto milite fuisset insecutus, vtique eum inermem, desertum & imparatum oppressisset: At cùm, suadente Chusai, interiecta fuit mora, Dauid vndique subditos ad se conuocauit, armauit, in aciem disposuit, itaque confligens cum rudi populo Absalomi eum prostrauit. Celeritas enim in bellis plurimùm valet. Vnde illud Iulij Cæsaris: *Veni, vidi, vici.* Et illud Caroli V. *Veni, vidi, sed vicit Christus.* Audi ipsum Cæsarem contra Pompeium dimicantem, apud Lucanum lib. 1.

Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Cùm enim, vt narrat Plutarchus in Apophth. Rom. Pompeius instructam aciem apud Pharsalum inibi consistere, & hostem operiri iussisset; Cæsar dixit illum errasse, qui vim, impetum ac diuinum afflatum animorum ad incussionem paratorum mora relaxasset.

VERS. 9. FORSITAN NVNC LATITAT IN FOVEIS] q.d. Etiamsi inuadamus castra Dauidis, vt suadet Achitophel; fortè non inueniemus eum, quia ipse sese in antris absconderit: scit enim se à te quæri, nec tibi posse resistere: Differamus ergo donec totum Israelem congregemus, qui eum distributis acibus per omnes montes, valles, syluas, antra & speluncas perscrutentur, obsideant & capiant.

VERS. 11. CONGREGETVR AD TE VNIVERSVS ISRAEL] Non hoc volebat Chusai, sed id suæ sententiæ prætexuit, vt daretur mora Dauidi ad fugiendum & comparandum prælium. Politicè discant hîc Principes rebellionem & seditionem omni ratione & modo esse præcauendam, curandumque ne oriatur; si autem iam orta sit & conflata, iniiciendas ei esse moras & remoras; tum quia furor populi, & animorum ardor tempore languescit & subsidit; tum quia princeps contra illam interim se munire & armare potest, ac consilia multa capture ad eam discutiendam. Multis id exemplis demonstrare possem. Vnum tantùm afferam Fabij Maximi, qui à morâ quam tumultuantibus, ac præsertim Annibali ad prælia feruenti & ardenti iniiciebat, cognominatus est *cunctator*, de quo illud:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Ipse etiam, vt ait Plutarchus in eius Vita; *Cùm hostes intelligeret difficultate laborare stipendij; cunctandum censuit Romanis, nec pugnandum cum hoc Cornel. in lib. Regum.*

A *mine qui exercitum haberet multis ad id ipsum duratum prælijs; cæterùm submittenda sociis auxilia, oppidaq; in potestate tenenda, dum vigor ille per se Annibalis, sicut flamma exigua & lenis extincta vi, marcesceret.* Audi rursum quid de eo scribat Iulius Frontinus lib. 6. Stratagem. c. 1. *Fabius Maximus non ignarus Gallos & Samnites primo impetu præualere, suorum autem infatigabilis spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperauit militibus vt contenti essent primo congressu sustinere, vt hostem mora fatigarent: quod vbi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie vniuersis viribus oppressum fudit hostem.* Sic Chusai hîc iniiciens moras rebellioni Absalomi, eam dissipauit.

VERS. 13. CIRCVMDABIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FVNES] Est hyperbole significans magnitudinem virium & exercitus, q.d. Tantum populi numerum, tantas copias colligemus, vt possimus funibus ciuitatem circumdare (vt ita loquar) & trahere in ruinam.

B

VERS. 14. DOMINI AVTEM NVTV DISSIPATVM EST CONSILIVM ACHITOPHEL VTILE] Qua ratione id fecerit Deus, dixi c. 14. v. 31.

VERS. 15. ET AIT CHVSAI SADOC ET ABIATHAR SACERDOTIBVS] Scilicet summis, hoc est, pontificibus: erant ergo tunc duo Pontifices, scilicet Sadoc descendens ex Eleazar primogenito Aaronis filio, & Abiathar descendens ex Heli & Ithamar iuniore Aaronis filio: quare potior & dignior erat Sadoc, vnde priore loco semper ponitur ante Abiathar. Causam dedi superiùs.

VERS. 17. NON ENIM POTERANT VIDERI AVT INTROIRE CIVITATEM] q. d. Achimaas & Ionathas exploratores Dauidis, non audebant palàm ingredi vrbem, seque ostentare Ierosolymæ; quia portæ eius arctè à vigilibus custodiebantur, à quibus fuissent agniti captique; C idcircò missa est ad eos ancilla, quæ ad eos dicta factaque Chusai deferret, vt ipsi eadem renuntiarent Dauidi.

VERS. 18. VIDIT AVTEM EOS QVIDAM PVER] Hebræi apud S. Hieron. tradunt, hunc puerum fuisse filium ancillæ, quæ nuntium à Pontificibus perferebat ad eorum filios Ionathan & Achimaas, vt ipsi idipsum referrent Dauidi: verùm incertum est quis fuerit hic puer: grandior enim fuit, vtpote qui idipsum retulit Absalomo, vt eius gratiam iniret, nec verisimile est eum voluisse accusare matrem suam, eamque in periculum vitæ conijcere.

VERS. 19. QVASI SICCANS PTISANAS] *Ptisana* vox Græca est, significans hordeum vel triticum decorticatum.

corticatum. Ἀλοάω enim est purgo, decortico, A tundo. Fit etiam ptisana ex aliis frugibus, ait Dioscor. lib. 2. Apud Columellam. *ptisana* est pultis genus ex farina hordeacea, cui maxima restaurandarum virium vis inest & nutriendi; eius cremor siue succus datur febricitantibus. Vulgò medici *ptisanam* vocant hordeum à gluma seperatum in aqua decoctum, qui potus est salubertimus, cuius laudes Hippocrates integro volumine conscripsit. Causas dat Plinius lib. 22. c. 25. *Quoniam ptisana*, inquit, *lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in alio non intumesceret, quoniam facilè redderetur, & assuetis hic solus cibus in febri bis die posset dari.*

VERS. 21. SVRGITE ET TRANSITE CITO FLVVIVM] Iordanem. Hoc consilium Dauidi dat Chusai, quia licet ipse euertisset consilium Achitophelis suadentis Absalomo, vt illicò persequeretur Dauidem, tamen vetebatur ne Absalom virgente Achitophele & sociis mutaret mentem, & illicò milites post Dauidem submitteret ad eum capiendum. B

VERS 23. PORRO ACHITOPHEL VIDENS QVOD NON FVISSET FACTVM CONSILIVM SVVM, &c. SVSPENDIO INTERIIT] ne scilicet à Dauide caperetur, & quasi proditor suspenderetur: præuenit ergo & redemit suspendium infame & violentum suspendio spontaneo & voluntario. Ipse enim vt erat prudens & sagax, præuidebat Dauidem bellicosum ex mora sibi data collectuum validas copias, ac rebellem Absalomum debellaturum, ita Procop. Theodor. & alij. Vide hîc quàm verum istud: *malum consilium consultori pessimum.*

Symbol. Achitophel proditor Dauidis, fuit typus Iudæ proditoris, qui pariter laqueo se C suspendit, ait Angelom. & Rupert.

Porrò Elias in Thisbi hebr. חנק *iechanec* vertit, *suffocatus est*, vnde putat catharro fuisse suffocatum. Verùm Sept. Ioseph. Nostet & alij constanter vertunt, asseruntque eum se suspendisse: huc enim eum adegit mala conscientia, desperatio & iusta numinis vindicta, vt ipse sibi fauces strangularet, quibus impium consilium dederat, & dominum suum Dauidem prodiderat. Vnde videntur ipsi legisse in Cal actiuè חנכנ *iechanac*, id est, *strangulauit se*, licet iam legant passiuè in niphal חנקנ *iechanec*, id est *strangulatus est*. Verùm Chald. Vatab. Pagnin. Lyran. Abul. & alij legentes licet *iechanec*, vertunt tamen actiuè, *strangulauit se*, siue, *strangulatus est à seipso*, significatur enim actio reciproca siue passio, quam agens sibi ipsi infert. Audi Iosephum lib. 7. Ant. D c. 9. *Conuocatis omnibus domesticis exposuit eis, quæ Absalomo consuluerat, addens, quia non persuasisset, certò se breui fore periturum. Dauidem enim omninò superiorem hoc bello fore, & amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur, inquit, magno animo, vt virum ingenuum decet, è vita exire, quàm Dauidi ob filio nauatam contra eum operam excarnificandum se præbere.*

VERS. 24. DAVID AVTEM VENIT IN CASTRA] Hebr. & Sept. *venit in Mahanaim*, id est in vrbem quæ dicta est, *Mahanaim*, id est *castra*, eò quòd Iacob fugiens fratrem Esau ibidem vidisset duas acies, & quasi duo castra Angelorum pro se contra fratrem dimicantium. Genes. 32. 1. ideoque Dauid fugiens Absalomũ filium in eamdẽ vrbem secessit, sperans Deum ibidem sibi affore, sicut affuerat auo suo Iacobo, vti reipsa affuisse audiemus cap. sequenti. Adde, *Mahanaim* erat vrbs munitissima æquè ac pulcherrima, vt docet Adrichom. in tribu Gad, sita in Galaadite.

Tropol. discant à Dauide hîc Duces in periculis & præliis niti Angelorum tutelarium & præsidum ope, eamque inuocare: ipsi enim victoriam conciliant, vti hîc conciliarunt Dauidi: quæ de re plura dixi Daniel. c. 10. Iosue c. 1. & 10. & Iudic. 5.

ET ABSALOM TRANSIVIT IORDANEM] Vel non statim, sed post aliquot dies, vt suaserat Chusai, quibus Dauid parauit copias ad ei resistendum, vnde tres validas acies instruxit, quibus debellauit Absalomum, vt audiemus c. 18. v. 1. & seq.

AMASA AVTEM ERAT FILIVS VIRI QVI VOCABATVR IETHRA (vel *Iether*) DE ISRAELI] 1. Paral. 2. 17. vocatur hic *Iether Ismahelites*. Vnde noster Sanchez suspicatur in Hebr. hic pro יִשְׂרְאֵלִי *iisraeli*, id est Israelites legendum יִשְׁמְעֵאלִי *iismaeli*, id est Ismaelites: facilè enim literæ ר alteram vicina ם supponi potuit. Verùm omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini constanter hoc loco habent *Israelites* vel *Iesraelitis*, non *Ismaelites*. Quocirca aliter respondet Vatab. & alij, scilicet Iether fuisse Ismaelitem origine, Israelitem verò fide & religione, quòd ad Ismaelitis transierit ad Israelitas, factusque sit proselytus per circumcisionem & professionem legis Mosaicæ. Aut Iether origine fuisse Israelitem, sed vocari Ismaelitem habitatione, quòd in Arabia habitarit. Rursùm Hebræi apud S. Hieron. censent Iether dici Ismaeliten, eò quòd eius filius Amasa, opera Ismaelis imitatus, Dauid fugientem nequaquam est comitatus; quod eius peccatum à Ioab Amasam occidente deletum est, ideoque Iether hoc loco vocatur Israelites. Verùm hæc symbolica sunt figmenta.

Dico ergo Iether origine & genere fuisse Ismaelitem, sed migrasse in Iudæam, nimirùm in Iesrael, ibique factum proselytum & circumcisum. Id patet ex versione Vulgata, quæ hoc loco eum vocat *Iethra de Iesraeli*. Ergo domus eius erat in Iesrael vel Iesraeli. Nam quòd nonnulli cum Vatablo censent, eum hîc vocari *Israelitem*, id nimis commune & generale est, nec eum à cæteris discriminat. Omnes enim qui hîc nominantur, erant Israelitæ. Pro *Israel* ergo aliis punctis cum Nostro legendum *Iesrael* vel *Iesraeli*: vbinam hic locus vel vrbs fuerit, non constat. Probabiliter Adrichom. in Descript. tribus Iudæ n. 169. eam ponit in tribu Iudæ: *Iezrael*, inquit, *siue Iezraeli, de qua Iosue c. 15. 17. & 19. nomen accepit à Iezrael filio Ephrata aut Etham. Ex hac fuit Achinoam vxor Dauidis, mater Amnon, quem ob stuprum cum Thamar occidit Absalom. Fuit etiam hæc patria fortissimi viri Amasa principis militiæ Absalom.* Hæc Adrichom. Tantùm obstat, quòd Iezrael hæc scribatur per *Zain* & *Ain*, hîc verò *Iesraeli* scribatur per *Schin* & *Aleph*. Verùm hæ literæ affines sunt, & inter se commutabiles. Alia est ergo hæc *Iezrael à Iezrael* vrbe regali & metropoli decem tribuum, quæ erat terminus tribus Manasse & Issachar, sita in pede montis Gelboë ad Occidentem, in qua Iezabel vxor Achab curauit lapidari Naboth, vt eius

eius vineam occuparet, ideoque ibidem ipsa à A Iehu occisa proiecta est canibus deuoranda, 4. Reg. 8. 9. & seq.

QVI (*Iethra* vel *Ieth.r*) INGRESSVS EST (quasi maritus vel concubinus) AD ABIGAIL FILIAM NAAS (ex eaque genuit Amasam) SOROREM SARVIÆ, QVÆ FVIT MATER IOAB] *Sarvia & Abigail* erant sorores Dauidis, Sarvia fuit mater Ioab, Abigail mater Amasæ: quare Dauid erat auunculus tam Ioab, quàm Amasæ: ipsi verò inter se erant consobrini, vt patet 1. Paral. 2. 13. Atque idcircò eorum matres hîc nominantur non patres, vt significetur eos per matres fuisse nepotes Dauidis. *Abigail* ergo vocatur hic filia *Naas*, id est *Isse* siue *Isai* qui fuit pater Dauidis: hic enim alio nomine vocatus est *Naas*, cuius nominis causam symbolicam dant Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. hic Iesse, inquiunt, vocatus est *Naas*, hebr. נָחָשׁ *nachas*, id est *coluber*, eò quòd nullum admisisse mortiferum pethibetur peccatum, nisi id quod originaliter de serpente antiquo contraxit. Talis ergo meruit esse pater Dauidis Regis, indeque Christi.

CVMQVE VENISSET DAVID IN CASTRA VERS. 27. (Hebr. & Sept. *in Mahanaim*) SOBI FILIVS NAAS DE RABBATH FILIORVM AMMON] Audi S. Hieron. in Tradit. *Iste Sobi fuit filius Naas regis, cum quo pugnauit Saul. Ipse etiam Naas fecit misericordiam cum Dauid, quando fugit à facie Saul: quo mortuo dixit Dauid: faciam misericordiam cum Hanon, sicut fecit pater eius Naas mecum. Interempto verò à Dauid Hanon, quiet in decaluandis seruis suis iniuriam fecerat, constitutus est, ab eodem Dauid in loco fratris, iste Sobi, qui ad Dauid legitur cum cæteris venisse, & stratoria & tapetia & vasa fictilia, & cætera, quæ dicuntur, ei obtulisse.* Atque hinc factum est, vt Dauid suo filio Salomoni vxorem dederit Naamam Ammonitidem 3. Reg. 14. 21. quæ videtur soror aut filia fuisse huius Sobi, ex qua Salomon genuit Roboam anno Dauidis vltimo, nimirùm cum Naama priùs facta esset proselyta, atque ad Iudaismum vel sincerè vel fictè & simulatè conuersa, de quo 3. Reg. 14. B

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid tres instruit acies, ac tres earum Duces, quibus congligit cum copiis Absalomi, easq; prosternit. Fugit Absalom vers. 9 sed condensæ quercui capillis implicitus adhæsit, ibiq; suspensus à Ioab tribus lanceis confoditur inde vers. 17. in fossam cadauer proicitur, & lapidibus obruitur. Mox. vers. 21. Ioab victoriæ nuntium mittit ad Dauidem, ille audiens occisum Absalomum, inconsolabiliter lamentatur, & victoriam funestat.

1. IGitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos & centuriones, 2. & dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. 3. Et respondit populus: Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius est igitur vt sis nobis in vrbe præsidio. 4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, & milleni. 5. Et præcepit rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, & factum est prælium in saltu Ephraim. 7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multò plures erant quos saltus consumpserat de populo, quàm hi quos vorauerat gladius in die illa. 9. Accidit autem vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. 10. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Ioab viro, qui nuntiauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenteos, & vnum balteum? 12. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed & si feciſſem contra animam meam âudacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso? 14. Et ait Ioab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, 15. cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes

interfecerunt eum. 16. Cecinit autem loab buccina, & retinuit populum, ne perſequeretur fugientem Iſrael, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Iſrael fugit in tabernacula ſua. 18. Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum qui eſt in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom, vſque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nuntiabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius. 20. Ad quem loab dixit: Non eris nuntius in hac die, ſed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis eſt mortuus. 21. Et ait loab Chuſi: Vade, & nuntia regi quæ vidiſti. Adorauit Chuſi loab, & cucurrit. 22. Rurſus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit ſi etiam ego curram poſt Chuſi? Dixitque ei Ioab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuntij baiulus. 23. Qui reſpondit: Quid enim ſi cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, tranſiuit Chuſi. 24. Dauid autem ſedebat inter duas portas: ſpeculator verò, qui erat in faſtigio portæ ſuper murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem ſolum. 25. Et exclamans indicauit regi: dixitque rex: Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propiùs, 26. vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixitque rex: Et iſte bonus eſt nuntius. 27. Speculator autem, Contemplor, ait, curſum prioris, quaſi curſum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex: Vir bonus eſt: & nuntium portans bonum, venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit homines qui leuauerunt manus ſuas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex: Eſtne pax puero Abſalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cùm mitteret Ioab ſeruus tuus, ô rex, me ſeruum tuum: neſcio aliud. 30. Ad quem rex: Tranſi, ait, & ſta hîc. Cumque ille tranſiſſet, & ſtaret, 31. apparuit Chuſi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui ſurrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chuſi: Eſtne pax puero Abſalom? Cui reſpondens Chuſi, Fiant, inquit, ſicut puer, inimici domini mei regis, & vniuerſi qui conſurgunt aduerſus eum in malum. 33. Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et ſic loquebatur, vadens: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?

VERS. 5. SERVATE MIHI PVERVM ABSALOM] Certat hîc Dauidis pietas paterna cum impietate hoſtili Abſalomi, in flagranti parricidali eius ſcelere & prælio. Audi S. Chryſoſt. hom. de Abſalom tom. 1. *Inde dementia contra genitorem exurgit, hinc clementia, vt parricidæ parcatur, expoſcit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde inſania, hinc miſericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas oſtentatur. Parricida non læſus inſanit, Dauid læditur & miteſcit. Debellatur ab impietate pietas, nec mouetur pietas patrij, nec gladio vincitur, nec terrore mutatur. Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterretur.*

VERS. 6. ET FACTVM EST PRÆLIVM IN SALTV EPHRAIM] Saltus hic nõ erat in tribu Ephraim, hæc enim habitabat cis Iordanem: exercitus autem vterque tranſierat Iordanem in Galaaditen, vti dictum eſt cap præced. v. 24. Erat ergo B hic ſaltus trans Iordanem, in tribu Gad iuxta vrbem Mahanaim, in quam ſe receperat Dauid, non longè à mari Galilææ: vide Adrichomij tabulas Geographicas. Dictus eſt *Ephraim* ab aliquo euentu; ſiue quòd eſſet oppoſitus tribui Ephraim; ſiue quòd tribus hæc eò pabulatum mitteret ſua pecora; ſiue quòd prælium aliquod in eo commiſiſſet. ita Abul. Vatab. & alij.

VERS. 8. ET MVLTO PLVRES ERANT, QVOS SALTVS CONSVMPSERAT] *Saltus*, id eſt, feræ ſaltus A putà leones, lupi, tygrides in ſaltu latitantes, quod arguit diuinam hanc fuiſſe vindictam, ait S. Hieron. Caiet. Angelom. Rurſùm, *ſaltus*, id eſt præcipitia & foſſæ ſaltus occultæ, in quas corruerunt fugientes. ita Abul. Vatab. & alii.

ADHÆSIT CAPVT EIVS QVERCVI] Sept. VERS. 9 *implicatum eſt caput eius in arbore*; Chald. *& apprehenſum eſt caput eius in quercu*; Vatab. *Detentum eſt caput eius à quercu*; Hebr. *Adhæſit cæſaries eius in ramis perplexis quercus.* Denſi ergo & promiſſi capilli Abſalomi, denſis & implexis ramis quercus impliciti adhæſerunt. Per crines ergo, in quibus gloriatus erat Abſalom, punitur & ſuſpenditur. ita Abul. & Ioſeph. Addit Caiet. caput eius detentum fuiſſe inter duos ramos, mirùm capite plectitur, qui illud ſuperbè contra patrem efferre voluerat. Audi S. Chryſoſt. B hom. de Abſalom tom. 1. *Inſeritur ramis, obligatur lignis, tranſfixo gutture colligatus. Pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur, quem iam nec cælum potuit conſpicere viuum, nec terra vlteriùs ſuſtinere. O nefandum meritum parricidæ! Iniuriam patri, non pugnanti gladio, non hoſtilis manus, non iaculantis ictus defendit, ſed vindicant ligna, arbor vltiſcitur, rami defendunt.*

ET ILLO SVSPENSO INTER CÆLVM ET TERRAM, TERRAM, MVLVS, CVI INSEDERAT, PERTRANSIVIT] Sept. *& ſuſpenſus eſt in arbore inter cælum & terram*, &c. Sic & Chald. Aduerte hîc ſupplicium iuſtâ Dei vindictâ ſceleri Abſalomi per omnia commenſum: patris ſolium affectauit; thronus ei datur patibulum. Diademate coronari ambiuit, en corona eius fuit coma capitis arbori implexa. Sceptrum optauit, en tibi lanceæ tres pro triplici ſceptro quibus confoditur. Satellitium regium concupiuit, idipſum ei præſtant armigeri Ioab. Supplicium ergo ei verſum eſt in ſepulchrum & criminis Epitaphium. Audi Chryſoſt. hom. in Pſal. *Abſalom Dauidem aggreſſus eſt occiſus à Ioab, & in alto ligno ſuſpenſus eſt, qui aduerſus patrem erigebatur: & ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat: & vinctus erat à ramo ramus, qui erat à paterna affectione abruptus; & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat: & tamquam fructus pendebat ab arbore, qui* B *naturæ agricolam volebat exſcindere; & in corde iaculo confoſſus eſt, illic occiſus, vbi eadem parabat. Et tunc videri poterat ſpectaculum admirabile. Malo enim equitans, ex pilorum coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat comâ Tyrannum, illic eum contundens, vbi diadema paternum geſtare contendebat.* Cauſam deinde curſuſpenſus ſit Abſalom, ſubicit: *Poterat ergo videri Abſalom ſuſpenſus in medio cæli & terræ. Cælum eum non admittebat. Si enim primum inſurrectorem eiecit diabolum, quomodo ipſum inſurrectorem ſecundum admiſiſſet? Terra eum auerſabatur, non ferens pollui paſſibus parricidæ. Si enim Dathan deuorauit, qui contra Moſen erat locutus, & os ſuum aperuit aduersùs eum, qui os improbè aperuerat; quomodo potuiſſet ferre pedes currentes aduersùs genitorem?*

VERS. 11. QVARE NON CONFODISTI EVM CVM TERRA?] vt in terram decideret, ibique confoſſus C exſpiraret; patet ex Hebræo.

VERS. 14. TVLIT ERGO TRES LANCEAS (breviores, vnde Sept. vertunt, *tria iacula*; Chald. *tria tela*; Vatab. *tria ſpicula*: hæc enim ſignificat Hebr. שִׁבְטִים *ſcebatim*) ET INFIXIT EAS IN CORDE ABSALOM] vt confictum & duplex, imò triplex, quo coram patre exteriùs ſimularat obedientiam, interiùs verò foueat regni ambitionem & rebellionem; cor, inquam, proditorium triplici telo confoderet. Cauſam hanc dat S. Chryſoſt. loco iam citato dicens: *in cor excordis tres ſagittas infixit, illic eum feriens, vbi erat receptaculum iniquitatis, & cùm in arbore ſublimis penderet, pulchrũ epitaphium ei Dauid cecinit: Vidi impium ſuperexaltatum & elatum tanquam cedros libani: & tranſiui, & ecce non erat.* Idem Chryſoſt. in Pſal. 7. tom. 1. *&* D *vt ſcias quod factum eſt, non fuiſſe humanæ induſtriæ, ſed totum fuiſſe diuini iudicij, capilli & lignum eum alligarunt, & brutum eum animal tradidit, & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit. Pro milite autem eum adduxit mulus. Conſidera autem (id quod eſt admirabile) cùm hæc paſſus eſt, nemo ſuorum ad eum accedere auſus eſt, cùm tantum fuiſſet ſpatium. Hoc autem Deus prouiderat, vt neque detraheretur, nec vinctus ad patrem afferretur, quoniam paterna viſcera ei parci velle vltra modum indicauerant; & quod eſt admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipſum interfecit, propemodùm inſtans vehemens accuſator: ſed is quidem eum occidit, Deus autem tulit ſententiam.* Probat id ex Pſal. Dauidis. *Quòd enim è ſuperis lata ſit ſententia, audi quomodo id ipſe oſtenderit. Cùm enim dixiſſet: Et in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet, di-* A *cit, (Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi) Gratias agam, inquit, non aliorum gaudens cædibus ſed Dei ſententiam ſuſcipiens.*

Abſalomi pœna congrua culpæ.

Myſticè Gloſſa: *Arbor Abſalomi*, ait, *ſignificat patibulum gehennæ: tres lanceæ triplicem damnatorum pœnam ſcilicet, ignis, vermis & carentiæ viſionis beatificæ.* Porrò peccauit Ioab occidendo Abſalom, quia eum occidit contra præceptum regis iubentis eum ſeruari: quare non habebat auctoritatem & ius eum occidendi, ait Abul. qui opinatur hîc de cauſa Dauidem ei abſtuliſſe ducatum & regimen exercitus; cap. 19. v. 13. Excuſit tamen Ioab Caietan. quòd ipſe dictum Dauidis de ſeruando Abſalomo acceperit non vt præceptum, ſed vt monitum & deſiderium aut pietatis paternæ indicium. Rurſùm, quòd eum occiderit ardore prælij ex zelo vindictæ tanti ſceleris & parricidij. Denique quòd metueret, ſi ei parceretur, eum redintegraturum bellum, vel alias patri ſuo inſidias moliturũ: timebat etiam Ioab ſibi, ne ab Abſalomo occideretur.

Quæres, an Abſalom ſit damnatus? Nonnulli negant: nam lanceis confoſſus non ſtatim exſpirauit: habuit ergo tempus pœnitendi. Verùm in flagranti delicto confoſſus, nec animum, nec conſilium, nec rationem de Deo & ſua ſalute cogitandi videtur habuiſſe: ſed vulneribus oppreſſus, ſopita ſepultaque mente videtur infelicem animam exhalaſſe, eſſeque damnatus. Ita cenſent S. Auguſt. lib. 3. de doctrin. Chriſt. c. 21. & lib. 22. contra Fauſtum c. 66. Salu. *Abſalom damnatus.* ian. lib. 2. de Prouid. S. Chryſoſt. hom. 69. & 70. ad Popul. S. Bern. ſerm. 26. in Cant. Theodor. Procop. & alij hîc. Nam vt ait S. Auguſt. *iuſtum eſt hoc Dei iudicium, vt peccator qui in vita oblitus eſt Dei, in morte obliuiſcatur & ſui.* Simile prorsùs ſceleſus fuit Chramni filij Clotharij regis Franciæ, qui patri rebellans ſimili vindicta occubuit, de quo audi Gregorium Turon. lib. 4. hiſtor. Franc. c. 20. *Ibat Clotharius tamquam nouus Dauid contra Abſalomum filium pugnaturus, plangens atque dicens: Reſpice Domine de cælo, & iudica cauſam meam, quia iniuſtè à filio iniurias patior: reſpice & iudica iuſtè: illudq; impone iudicium, quod quondam inter Abſalomum & patrem eius Dauid poſuiſti. Conſligentibus igitur pariter; Britannorum comes terga vertit, ibiq; & cecidit: Denique Chramnus fugam iniit, naues in mari paratas habens: ſed dum vxorem & filias ſuas liberare voluit, ab exercitu patrij oppreſſus, captus atque ligatus eſt. Quod cùm Clotharío regi nuntiatum fuiſſet, iuſſit eum cum vxore & filiabus igni conſumi, incluſiſq; in tugurio cuiuſdam paupercula, Chramnus ſuper ſtramnum extenſus orario ſuggillatus eſt, & ſic poſtea ſuper eos incenſa caſula, cum vxore & filiabus interiit.*

RETINVIT POPVLVM NE PERSEQVERETVR FVGIENTEM ISRAEL] Politicum enim præceptum eſt, vt in rebellione vniuerſali capita plectantur, parcatur verò multitudini, ne princeps ſuis ſubditis deſtituatur, ac rex ſit ſine regno. Ita Moyſes principes, qui populo fuerant duces ad cultum Beelphegor, ſuſpendit; populo verò pepercit Num. 25. 4. Idem fecit Ioab in ſeditione Seba, vt audiemus c. 20. Sic & Elias occidit ſacerdotes Baal, qui populum fouebant in idololatria 3. Reg. 18. 40. VERS. 16.

Idem fecere Gentiles (vnde lex Lycurgi fuit: *Hoſtem*

Hoſtem fugientem noli trucidare, teſtis eſt Polyan. A lib. 1.) præſertim Romani. Vt alios taceam illuſtre eſt quod refert Liuius Decade 1.ª de Tarquinio vltimo Roman. rege, à quo cùm Sextus Tarquinius eius filius ad Gabinos transfugiſſet, miſit filius ad patrem nuntium ſciſcitatum quid à ſe fieri vellet. At pater non verbo, ſed facto reſpondit: nam inambulans per hortum ſumma papauerum capita diſcuſſit. Id à nuntio audiens filius, intellexit patrem velle vt primores Gabinorum è medio tolleret; quod cùm reipſa feciſſet, filius cæteram plebem facilè ſibi patriq́ue ſubiecit. Ouidius l. 2. Faſtor. eamdem referens hiſtoriam pro papaueribus ponit lilia:

Et virgâ, inquit, *lilia ſumma metit.*

VERS. 17. PRODIECERVNT EVM IN FOVEAM GRANDEM, ET COMPORTAVERVNT SVPER EVM ACERVVM LAPIDVM] Vt hoc aceruo eum eiuſq́ue ſcelus, nomen & memoriam obruerẽt, & æterna obliuione æquè ac infamiæ nota ſepelirent: quippe qui, vt ait S. Hieron. ſceleratiſſimus erat, & geminæ neci obnoxius; ſcilicet qui & patrem cõtra legis præceptum valde dehonorarit, & turpitudinem eius reuelarit, viplando publicè eius concubinas.

VERS. 18. DIXERAT ENIM NON HABEO FILIVM, ET HOC ERIT MONIMENTVM NOMINIS MEI] Audiuimus c. 14. v. 27. Abſalomum tres habuiſſe filios, & vnam filiam. Ergo hi filij iam mortui erant; vel certè Abſalom hoc monimentum erexit antequàm eos genuiſſet. Ita Abul. Caiet. Dion. Vnde Chald. vertit, *non habebat filium ſuperſtitem.* Aliter Rabbini & Lyran. qui cenſent Abſolomum reliquiſſe filios poſt ſe, ſed ineptos ad regnandum, vel mox morituros ob patris rebellionem. Audi eorum hiſtoriam vel potiùs fabellam, quam refert S. Hieron. in Tradit. *Tradunt Hebræi, quòd depoſitus de quercu, petierit ſibi inducias, antequàm perimeretur, vt faceret ſibi titulum ob memoriam ſui, eò quòd non haberet filium talem, qui regno dignus eſſet: putabat enim filios ſuos non ſolùm regno indignos, verùm etiam ob peccatum ſuum, quod in patrem geſſerat, præſenti vita indignos; in quo titulo manum dicitur defixiſſe, & figuram manus ſuæ expreſſiſſe, & ob hoc, titulum hoc modo vocari.*

ET HOC ERIT MONIMENTVM NOMINIS MEI] Extat etiamnum hic Abſalomi titulus, ſiue monimentum, *in valle regis* v. 18. id eſt in valle Ioſaphat, cum nomine ſepulchri eiuſdem, quod floribus in ſummo ſculptis exornatur, vti ſcribit teſtis oculatus Zuallardus lib. 3. peregrinationis ſuæ die ſecunda. Audi Adrichom. in Deſcript. Hieruſalem num. 227. Monumentum ſiue manus Abſalom, columna erat & ſtatua marmorea cum inſcriptione, duobus ab Hieroſolyma ſtadiis diſtans, quam Abſalom viuus ſibi in monumentum in valle regia erexerat. Vbi etiamnum turris & magnus lapidum extat aceruus qui quotidie magis ac magis augetur. Nam Pagani & peregrini illãc tranſeuntes pro more habent, vt quiſque lapidem in eum proiiciat, & quaſi iuxta legem vindicantes ipſius aduersùs Dauid patrem ſuum rebellionem, huiuſmodi maledictione illum execrentur: *Maledictus ſit parricida Abſalom: & quicumque iniuſtè parentes ſuos perſequuntur, maledicti ſint in æternum.* Hinc patet titulum ſiue monumentum Abſalomi fuiſſe columnam marmoream, cui inſiſtebat ſtatua eiuſdem: vnde Ioſephus ait fuiſſe ſtatuam. Alij vocant ædificium. Vatab. nuncupat arcum triumphalem vel pyramidem, ex eaq́ue colligit Abſalomum fuiſſe ſuperbum & ambitioſum, nimiſq́ue auidum laudis & gloriæ, ideoq́ue pro monumento hoc ſuperbo repenſum et fuiſſe vilem rudemq́ue aceruum lapidum.

ET APPELLATVR MANVS ABSALOM] *Manus*, id eſt monumentum manu operaq́ue Abſalomi excitatum. Eſt metonymia. Tropol. Ambitioſi, vti erat Abſalom, erigunt ſibi titulos & pyramides; vt nomen ſuum æternent, illoſq́ue vocant *manus* ſuas dicentes: *Manus noſtra excelſa fecit hoc.* Ita Dion.

Simile ſepulchrum habuit Ruffinus celebris ille Imperatoris Tutor, qui proinde ipſum, & per ipſum orbem totum regebat; ſed poſteà ambiens imperium, à militibus periit, de quo Claudianus libro 2. contra Ruffinum ita canit:

Triuiis calcandus ſpargitur ecce
Qui ſibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos extruxit culmina Manes.
Et qui Sidonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aues: iacet en, qui poſſidet orbem
Exigua telluris inops, & puluere raro
Per partes tegitur, nuſquam totuſq́; ſepultus:

SI SOLVS EST, BONVS EST NVNTIVS] Signum enim eſt meos eſſe victores, ac victos hoſtes perſequi: ſi enim mei cæſi victiq́ue eſſent, vtique iſte non ſolus veniret, ſed multi cum eo fugientes ſe reciperent in vrbem, vt vitam ſaluarent.

FILI MI ABSALOM] Flebat Dauid mortem non tam præſentem, quàm æternam Abſalomi, quòd in flagranti delicto parricidij occiſus foret; vnde metuebat, imò credebat eum eſſe damnatum. Potrò S. Chryſ. hom. de Abſalom Dauidi reſponder, eiuſq́ue lamenta inhibet dicendo: *Quid plangis, glorioſe pater, quid lamentaris, quaſi Abſalom quod auſus eſt, comprobares? Quid fles ſceleſtum, quaſi eum parricidium perpetrare voluiſſes? Plangis gloriam victoris exercitus, ſi fletur hoſtis interitus; nec lætitiæ eſſe poterit in victoria, ſi parricidæ plangitur pœna. Ille tuus non fuit filius, qui ſic violauit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui ius patris ſanctiſſimi violauit. Te non contemſerunt exercitus, non duces, quibus parci ſceleſto mandaſti; ſed illa arbor, illa te primùm vltæ eſt: illa defendit, illa læſi patris iniuriam, qua te non audierat, vindicauit.* Etpaulò pòſt, cauſam ſubiicit dicens. *Nouo enim ſupplicio debuit interire, qui ſæculo nouum ſcelus per patris exitium voluit inferre.*

Denique paternus affectus in filium licet ſceleratum vrgebat Danidem. Nam vt ait Quintil. declam. 322. *Pater erat; numquam hi affectu in tantum vincuntur, vt non ad naturam ſuam tandem reuertantur.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid luget mortem Abſalomi, mox v. 9. Iſrael & tribus Iuda Dauidem in regnum reducit, occurrit ei Semei, v. 16. veniam maledicentiæ petens, eiq́; parcit Dauid. Et Miphiboſeth v. 24. excuſans ſuam tarditatem, & Siba ſeruum ſuum accuſans. Denique verſ. 31. Berzellai inuitatus à Dauide ſe per ſeruum excuſat, & loco ſui Chamaam filium ſubſtituit.

1. NVntiatum eſt autem Ioab quòd rex fleret & lugeret filium ſuum, 2. & verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: Dolet rex ſuper filio ſuo. 3. Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus & fugiens de prælio. 4. Porrò rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalom: Abſalom fili mi, fili mi. 5. Ingreſſus ergo Ioab ad regem in domum, dixit, Confudiſti hodie vultus omnium ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. 6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & oſtendiſti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de ſeruis tuis: & verè cognoui modò, quia ſi Abſalom viueret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac ſeruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quòd ſi non exieris, ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala quæ venerunt ſuper te, ab adoleſcentia tua vſque in præſens. 8. Surrexit ergo rex & ſedit in porta: & omni populo nuntiatum eſt quòd rex ſederet in porta: venitque vniuerſa multitudo coram rege: Iſrael autem fugit in tabernacula ſua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Iſrael, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum noſtrorum, ipſe ſaluauit nos de manu Philiſthinorum: & nunc fugit de terra propter Abſalom. 10. Abſalom autem, quem vnximus ſuper nos, mortuus eſt in bello: vſquequò ſiletis, & nõ reducitis regem? 11. Rex verò Dauid miſit ad Sadoc & Abiathar ſacerdotes, dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouiſſimi ad reducendum regem in domum ſuam? (Sermo autem omnis Iſrael peruenerat ad regem in domo eius.) 12. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouiſſimi reducitis regem? 13. Et Amaſæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab. 14. Et inclinauit cor omnium virorum Iuda, quaſi viri vnius: miſeruntq́ue ad regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes ſerui tui. 15. Et reuerſus eſt rex: & venit vſque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vſque in Galgalam, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem. 16. Feſtinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & deſcendit cum viris Iuda in occurſum regis Dauid 17. cum mille viris de Beniamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filij eius, ac viginti ſerui erant cum eo: & irrumpentes Iordanem, ante regem 18. tranſierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iuſſionem eius: Semei autem filius Gera proſtratus coram rege, cùm iam tranſiſſet Iordanem, 19. dixit ad eum: Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum ſerui tui in die qua egreſſus es domine mi rex de Ieruſalem, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnoſco enim ſeruus tuus peccatum meum: & idcircò hodie primus veni de omni domo Ioſeph, deſcendiq́ue in occurſum domini mei regis. 21. Reſpondens verò Abiſai filius Saruiæ dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit chriſto Domini? 22. Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? eur efficimini mihi hodie in ſatan? ergòne hodie interficietur vir in Iſrael? 23. Et ait rex Semei: Non morieris. Iurauitq́ue ei. 24. Miphiboſeth quoque filius Saul, deſcendit in occurſum regis, illotis pedibus, & intonſa barba: veſteſq́ue ſuas non lauerat à die qua egreſſus fuerat rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace. 25. Cumq́ue Ieruſalem occurriſſet regi, dixit ei rex: Quare non veniſti mecum Miphiboſeth? 26. Et reſpondens ait: Domine mi rex, ſeruus

seruus meus contempsit me: dixiqúe ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum seruus tuus. 27. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum regem: tu autem Domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum vltrà vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex: Quid vltrà loquêris? fixum est quod locutus sum: tu & Siba diuidite possessiones. 30. *Respondítque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus rex pacificè in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Iordanem, paratus etiam vltra fluuium prosequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valdè, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cùm moraretur in Castris: fuit quippe vir dives nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, vt requiescas securus mecum in Ierusalem. 34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem? 35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum, atque cantatricum? quare seruus tuus sit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, 37. sed obsecro vt reuertàr seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis. 39. Cumque transisset vniuersus populus & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reuersus est in locum suum. 40. Transiuit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo, omnis autem populus Iuda traduxerat regem, & media tantùm pars affuerat de populo Israel. 41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo? 42. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex: cur irascéris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israel ad viros Iuda, & ait: Decem partibus maior ego sum apud regem, magisque ad me pertinet Dauid quàm ad te: cur feci sti mihi iniuriam, & non mihi nuntiatum est prior, vt reducerem regem meum? Duriùs autem responderunt viri Iuda viris Israel.

VERS. 3. ET DECLINAVIT POPVLVS] &c. Hebr. & Chald. habent, *Et furatus est se populus in die illa, vt intraret in vrbem, sicut se furantur populi, qui pudefacti sunt, dum fugiunt in prælio,* & terga vertunt hosti. *Furatus est*, hoc est furtim se subduxit, furtim ingressus est vrbem; non cum triumpho, vt victores solent, sed vt illi qui fuga elapsi sunt & victi.

VERS. 5. CONFVDISTI (Vatab. *pudefecisti*) HODIE VVLTVS OMNIVM SERVORVM TVORVM QVI SALVAM FECERVNT ANIMAM TVAM] qui scilicet pugnando pro te, salua unt vitâ tuam; quam tibi cupere saeagebat hostis & proditor Absalom; cuius tu mortem hodie luges, quasi malles nos omnes victos occubuisse, vt ille foret superstes & victor.

VERS. 11. SERMO AVTEM OMNIS ISRAEL (qui præcesserat de reconciliatione & reductione regis) PERVENERAT AD REGEM IN DOMO EIVS] q. d. Ideò liberiùs Dauid accersiuit & per modum amicæ querelæ accusauit suos contribules & tribum Iuda, quòd tardè venirent ad se reducendum in regnum, essentque hac in re nouissimi, eò quòd sciret ceteras tribus Israel communi consensu decreuisse se reducere. Quare hæc verba cum Romanis parenthesi includenda sunt. Subdunt Complut. *quia dixerat rex, sic dicitis ad populum*: sed hæc verba delenda sunt cum Hebr. Chald. & Romanis.

QVARE NOVISSIMI REDVCITIS REGEM?] Tribus Iuda, ac præsertim ciues Hierosolymæ Dauide fugiente Absalomum cum exercitu magno venientem acceptarant, eique vrbem & arcem Sion tradiderant, quam ille firmo militum præsidio munierat; quare malè sibi consci j, quòd scilicet Dauidem offendissent, ac metuentes præsidium Absalomi arcem Sionis occupans, non audebant Dauidem reuocare. Dauid ergo omnes benignè ad se inuitat, vocans eos suos consanguineos, & impunitatem pollicens, vt se in vrbem & regnum reciperent.

ET AMASÆ DICITE: NONNE OS MEVM, ET CARO MEA ES?] Erat enim Amasa filius Abigail, quæ erat soror Dauidis, vti dictum est c. 17. 25.

HÆC FACIAT MIHI DEVS, ET HÆC ADDAT, SI NON MAGISTER MILITIÆ FVERIS CORAM ME OMNI TEMPORE PRO IOAB] id est loco & vice Ioab, inquit Abul. Dion. & alij. Perperam Lyran. *rò pro Ioab* interpretatur *sub Ioab*, quasi Amasa Ioabo fuerit subditus. Erat Amasa dux exercitus Absalomi: quare eum ad se reuocare satagit Dauid, promittens ei ducatum exercitus sui, loco Ioab, sciebat enim ab Amasa pendere exercitum Absalomi, & præsertim milites qui erant in arce Sion, indeque vrbem Hierosolymam, omnesque eius ciues, quare eum sibi promisso honoris amplissimo præmio deuincire satagit Dauid, vt ipse ad se omnem Absalomi exercitum, Hierosolymam, totamque tribum Iuda reduceret; quod & reipsa Amasa præstitit. Amasa ergo finem rebellioni imposuit, omnesque Israelitas Dauidi reconciliauit, quod sine eo Dauid tardè & difficilè, nec nisi periculoso bello confecisset. Addunt Rabbini Dauidem ducatu exercitus spoliasse Ioab, eò quòd ipse Absalomum contra iussum suum occidisset, vti dixi c. 18. 14. Addit Theodor. aitque: *Dauid audaciam Ioab perpetuò odio habuit: tolerabat autem propter eius ingenium & prudentiam, & suspectum eum habens ne quid noui in eum moliretur.*

VERS. 14. ET INCLINAVIT (scilicet Amasa, vel, vt alij, Sadoc pontifex) COR OMNIVM VIRORVM IVDA, QVASI VIRI VNIVS] vt vnanimiter & communi omnium consensu reuocarent regem suum Dauidem.

VERS. 17. ET SIBA PVER DE DOMO SAVL] id est *Siba* seruus Miphiboseth, qui ex Ionatha erat nepos Saulis. Præuenit Siba suum herum Miphiboseth, vt Dauidis gratiam conseruaret, ac vt Dauid eum sibi fideliorem quàm Miphiboseth existimaret, itaque donationem bonorum Miphiboseth sibi ab eo factam confirmaret.

VERS. 20. IDCIRCO HODIE PRIMVS VENI DE DOMO IOSEPH] id est, de decem tribubus Israelis, quarum caput erat tribus Ephraim, qui erat filius Ioseph: Nam alioqui Semei oriundus erat ex tribu Beniamin, non ex Ephraim vel Ioseph, vti dixi c. 16. 5. Opponit ergo domum Ioseph domui Iuda, hoc est Israel, siue decem tribus opponit tribui Iuda. Rursum *domus Ioseph* potest accipi domus Ephraim, Beniamin & Manasse: hæc enim vnum habebant vexillum, vnamque aciem in castris duodecim tribuum, vt patet Num. 7. v. 18. & 22.

VERS. 22. CVR EFFICIMINI MIHI HODIE IN SATAN?] q. d. Cur mihi meaque clementiæ, commodis & gloriæ aduersamini? *Satan* enim Hebr. idem est quod, *aduersarius*. Vnde Christus Petro ait Matth. 16. 23. *Vade post me Satana*. id est, noli mihi aduersari, sed sequere me euntem ad mortem & crucem. Inde diabolus vocatus est *Satanas*, quia summus & iuratus est fidelium hostis.

VERS. 23. ET AIT REX SEMEI: NON MORIERIS] id est non occideris à me hodie, nec quamdiu ego viuam, ne lætum hunc reditus mei diem tua cæde funestem; vtque hac clementiæ specie omnes Israelitas perduellionis reos, ideoque sibi pariter necem à me metuentes, ad me reuocem. Respicit enim Dauid ad Abisai, qui illicò volebat occidere maledicum Semei: vn-

de illum retundens ait: *Ergone hodie interficietur vir in Israel?* quare fidem Semei datam non fefellit Dauid, cùm moriens iussit Salomoni, vt eum commodo aliquo prætextu occideret 3. Reg. 2. Potuit enim Dauid gratiam veniamque dans Semei, illam limitare ad libitum suum: nam gratiam magnam ei præstitit, quòd non illicò, vt vrgebat Abisai, eum occiderit, imò per omnem vitam eum intactum reliquerit. Ergo quòd in vita pepercerit Semei, opus fuit magnæ clementiæ: quòd verò in morte iusserit eum occidi, opus fuit iustitiæ, & iustæ castigationis. Rex scelestos punire debet: nec enim tam effrons eius maledicentia, tamque atrox in regiam maiestatem iniuria relinqui debuit impunita ad aliorũ exemplum; ne scilicet quis auderet deinceps tale quid in Salomonem & alios reges perperrare. Ita Abul. q. 26. vbi fusè aliorum sententias refutat, ac præsertim illam Caietani dicentis, Semei à Salomone occisum esse non ob maledicentiam in Dauidem, sed ob nouum peccatum, quo Iordanem contra præceptum Salomonis transierat. Hoc enim falsum est: nam vera causa necis Semei fuit maledicentia, præterea verò fuit transitus Iordanis à Salomone vetitus: hoc enim est quod Dauid recensens maledicentiam Semei, mandat Salomoni dicens: *Iurauí per Dominum dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum esse innoxium* 3. Reg. 2. 9. Ecce hîc clarè explicat Dauid quid iurauerit & promiserit Semei, nimirùm quòd ipse non interficeret eum gladio, non autem quòd Salomon sibi succedens eum non interficeret; imò voluit, intendit & iussit, vt ipse eum morte puniret.

MIPHIBOSET QVOQVE FILIVS SAVL DESCENDIT IN OCCVRSVM REGIS, ILLOTIS PEDIBVS] Sic & Chald. Sept. verò: *Non curauit pedes suos*; Hebr. est: *non fecit pedes suos*; Pagn. *non aptauerat pedes suos*. Solebant enim Iudæi, quia ex complexione olent æquè ac Arabes instar hircorum (vnde Iudæi à Poëtis & vulgo *fœtentes* vocabantur) corpus, & præsertim pedes, vtpote pelùs olentes crebrò lauare, maximè quia multi in Iudæa, quasi regione calida, incedebant nudis pedibus, aut non nisi soleâ tectis, vti incessit Christus & Apostoli; pedes ergo, incedendo per lutum & puluerem, sordidabant: quare eos sæpe abluere oportebat. VERS. 24.

Minùs rectè ergo Hebr. apud S. Hieron. & Angelom. pro *illotis*, vertentes: *infectis pedibus*, per eos intelligunt, *ligneos pedes*, quos sibi fecerit Miphiboseth pro veris quibus carebat, vel quibus ægrè vti poterat, vtpote debilibus & claudis. Sept. addunt: *Neque fecerat vngues*, id est non præsecuerat vngues in signum luctus ob exilium Dauidis, vt squalidus & hirtus appareret.

VESTESQVE SVAS NON LAVERAT] interiores intellige, putà lineas, quæ carni adhærent, vti sunt camisiæ: hæ enim lauari solent, non verò extimæ & laneæ.

TV AVTEM DOMINE MI REX, SICVT ANGELVS DEI ES] q. d. Tu sapientissimus es, & prudentissimè iudicas & statuis: quare fac de me quod *placitum est tibi*: quidquid enim statueris, accipiam quasi de manu angeli vt sapientissimè & optimè factum. VERS. 27.

VERS. 29. TV ET SIBA DIVIDITE POSSESSIONES] Nonnulli censent Dauidem ob speciosas rationes Sibæ, dubitasse an illi, an Miphiboseth credere deberet, ideoque sententiam dimidiasse; sed videtur Dauid cognouisse innocentiam Miphiboseth, tum ex eius sordibus & illuuie, quæ nullam habebant speciem affectati regni, quod ipsi impegerat seruus Sibæ; tum quia Siba accusator qui erat præsens, vt patet vers. 17. nil ad obiecta sibi à Miphiboseth respondit. Vnde multi putant Dauidem hic peccasse iniustitia, quòd innocenti Miphiboseth abstulerit dimidium bonorum, illudque dederit Sibæ eius criminatori: nimis enim facilè & temerè ei suum herum accusanti crediderat, eiusque donis illectus bona heri sui tradiderat cap. 16. vers. 4. Quare ex verecundia, ne videretur errasse, noluit in totum reuocare primam sententiam à se latam: sed eam æquè ac bona dimidiauit; dimidium scilicet relinquendo Miphiboseth, dimidium verò dando Sibæ. Ita Abul. Caiet. & alij. Qua in re amicitiam & fidem datam Ionathæ patri Miphiboseth videtur violasse. Probabile tamen est, quod suspicatur Abul. q. 30. damnum hoc Miphiboseth Dauidem aliâ donatione vel beneficio compensasse.

Porrò Hebræi apud S. Hieronym. & ex eis Angelom. & Glossa censent in pœnam huius iniustitiæ Dauidis Deum regnum ipsius paulò pòst diuisisse in Roboam & Ieroboam, ei dando decem tribus, Roboam verò relinquendo solam tribum Iudæ: adeoque tradunt cùm Dauid dixit, *Tu & Siba diuidite possessiones*, audita sit vox è cælo: *Roboam & Ieroboam regnum diuident.* Verùm alia huius diuisionis & schismatis fuit causa, nimirùm idolatria Salomonis, vt audiemus lib. 3. cap. 11. Imò ob merita Dauidis Deus reliquit Roboamo tribum Iuda, alioqui eam cum ceteris illi ablaturus, vt patet 3. Regum cap. 11. vers. 32.

ETIAM CVNCTA ACCIPIAT] Dixit hoc Miphiboseth suboffenso in Dauidem animo; vnde S. Hieronym. & Angelom. Dixit hoc, inquiunt, non gratulanti animo, sed insultanti, & quasi contra Dominum murmuranti, quòd Dominus Dauidem in pace reduxisset; ideoque Miphiboseth 1. Paral. c. 9. v. 40. vocatur *Meribbaal*, id est litigans cum Domino: verùm non videtur Miphiboseth voluisse insultare Dauidi, & murmurare contra Deum; sed amariori corde hæc dixisse.

OCTOGENARIVS SVM HODIE, NVMQVID VIGENT SENSVS MEI?] in senio enim, vt ait Eccles. cap. 12. vers. 3. *tenebrescunt videntes per foramina*, putà oculi, *& obsurdescunt omnes filiæ carminis*, scilicet aures, *& dissipatur cappâris*, nimirum appetitus, in cuius locum succedit ciborum, voluptatum, & rerum omnium fastidium; vnde Solon *senectutem*, aiebat esse *vitæ hyemem*, sicut eiusdem ver est iuuentus. Diogenes rogatus; *Quid est senectus?* *Est*, inquit, *vita brumalis, tempestatibus obnoxia:* Alexis poëta senex rogatus quid ageret? respondit: *Pedetentim morior*, significans senes non tam viuere, quàm lentè mori. Vide dicta Eccles. 12.

EST AVTEM SERVVS TVVS CHAMAAM] scilicet filius meus. q. d. Meus filius Chamaam pro me senio confecto comitabitur te, & quæ mihi beneficia rependere cogitabas, in illum confer. Quod illi feceris, mihi feceris. Ita Abul. Caiet. & alij. Mysticè S. Hieronym. & ex eo Angelom. *Chamaam*, inquit, *interpretatur suspirans: quamdiu enim cum patre permansit, suspirans vocatus est: postquàm verò in doctrinam Dauid regis transiit, non Chamaam sed Chamaan, quod interpretatur fidelis, appellatus est.*

DECEM PARTIBVS EGÒ MAIOR SVM] quia in Israele erant decem tribus, in Iuda verò vna dumtaxat, dandò Iudæ tribum Beniamin, ait Theodor. & S. Hieronym. Ecce ex hoc iurgio cœpit dissensio inter Iudam & Israel, quæ sub Roboam in apertum schisma erupit, imò capite sequenti seditionem Sebæ concitauit. Vnde hæc narratio sternit viam ad bellum, quod per Israel Seba mouit contra Iudam & Dauidem. Moral. disce in hac superba Iudæ cum Israel rixa, quàm verum sit istud Prouerb. cap. 15. vers. 1. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.*

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Seba seditionem mouet contra Dauidem, qui ei opponit Amasam, quem Ioab dolo occidit. Seba vers. 14. Abelam occupat, obsidet eam Ioab, ciues caput Sebæ præscindunt, traduntq; Ioab, quare ille per eadem Sebæ sopitâ seditione victor ad Dauidem redit.

1. ACcidit quoque vt ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus: & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai: reuertere in tabernacula tua Israel. 2. Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Iuda adhæserunt regi suo à Iordane vsque Ierusalem. 3. Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes. 4. Dixit autem rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens. 5. Abiit ergo Amasa vt conuocaret Iudam, & moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. 6. Ait autem Dauid ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quàm Absalom: tolle igitur seruos domini tui, & persequere eum, ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos. 7. Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Ierusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porrò Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia, in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. 9. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. 10. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Ioab autem, & Abisai frater eius, persecuti sunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri, cum steterissent iuxta cadauer Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Ioab comes Dauid. 12. Amasa autem conspersus sanguine, iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab ad persequendum Seba filium Bochri. 14. Porrò ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, & Bethmaacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obsessa est vrbs: omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur destruere muros. 16. Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate: Audite, audite, dicite Ioab: Appropinqua huc, & loquar tecum. 17. Qui cùm accessisset ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio. 18. Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & sic perficiebant. 19. Nónne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, & tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere matrem in Israel? Quare præcipitas hereditatem Domini? 20. Respondensque Ioab, ait: Absit, absit hoc à me: non præcipito, neque demolior. 21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, leuauit manum suam contra regem Dauid: tradite illum solum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum. 22. Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filij Bochri proiecerunt ad Ioab. & ille cecinit tuba, & recesserunt ab vrbe, vnusquisque in tabernacula sua: Ioab autem reuersus est Ierusalem ad regem. 23. Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israel: Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethæos & Phelethæos. 24. Aduram verò super tributa: porrò Iosaphat filius Ahilud, à commentariis. 25. Siua autem, scriba: Sadoc verò & Abiathar, sacerdotes. 26. Ira autem Iairites erat sacerdos Dauid.

VERS. 1. SEBA FILIVS BOCHRI VIR IEMINEVS] scilicet de tribu Beniamin qui ægrè ferebat regnum à Saule & tribu sua Beniamin translatum ad Dauidem & tribum Iuda, vnde videtur hic Seba fuisse vnus è ducibus Absalomi contra Dauidem, ac fortè primus post Amasam.

NON EST NOBIS PARS IN DAVID [q. d. Tribus Iuda, in fine capitis præcedentis, & dictis & factis luculenter ostendit Dauidem, quasi contribulem, ad se, non ad nos, qui sumus Israel, siue decem tribus, pertinere, nullaque parte esse nostrum, sed totum esse suum. Abeamus ergo singuli in nostra tabernacula & domos, ac Dauidem tamquam alienum, ad nos non pertinentem, abiiciamus. Sexta fuit hæc pœna Dauidis, scilicet rebellio decem tribuum, concitata per Sebam, cuius initium & occasio fuit tum rebellio Absalomi, cum quo paulò antè conspirarant decem tribus, necdum planè extincta, tum iurgium decem tribuum cum tribu Iuda, eò quòd ipsa sola ceteris non vocatis, Dauidem Hierosolymam in regnum reduxisset. Contendebant enim de primatu, quia Iuda prætendebat se esse principem tribuum omnium, præsertim quia Dauid rex oriundus erat ex Iuda: ceteræ verò tribus decem sese Iudæ præferebant, eò quòd numero essent potiores, & decuplo plures. Ac pupugit illas quòd Dauid cap. præced. v. 11. Sadoc & Abiathar misisset ad solam tribum Iuda, vt se in regnum reduceret, non verò ad ceteras tribus, vnde ipse eis videbatur in tribum Iudæ esse plus æquo propensior, illamque ceteris omnibus anteferre.

Politicè hinc discant principes & reges, cauere & sopire æmulationem nationum diuersarum quas regunt, vt omnibus similem affectum, curam & prouidentiã demonstrent, nec vnam alteri præferant, sed eas pari benevolentia prosequantur, itaque eas & sibi & inuicem vniant. Aristot. in politicis hæc duo principia rectæ gubernationis tradit. Primum, vt princeps omniũ sibi subditorum diligentem habeat curam, omnibusque prouideat, & neminem negligat. Secundum, vt sit omnibus par & æquabilis, nec vnam gentem alteri, aut principem vnum alteri anteponat; sed se singulis indifferentem & æquum exhibeat. Si enim maiorem affectum vni quàm alteri ostendat, alteri iram & inuidiam mouebit, imò schismata, seditiones & rebelliones concitabit. Exemplum quod imitetur, est Deus, de quo Plutarch. in Moral. *Vt Deus*, inquit, *in cælo pulcherrimum ac incundissimum sui simulacrum constituit solem; sic in rep. principem, qui prudentia iustitia, benignitate se orga omnes repræsentet.* Sicut igitur sol non est alius pauperi, alius diuiti, sed omnibus communis, ita princeps personam spectare non debet, sed omnibus se communem exhibere.

Princeps subditis omnibus se æqualem exhibeat.

Instar Dei & solis.

Exempla.

Cyrus apud Xenophontem ait, similia esse boni pastoris & boni regis officia: Sicut ergo pastor æqualem omnium ouium habet curam, sic & rex eandem habeat omnium subditorum.

Alexander Magnus, vt Persas deuictos sibi deuinciret, eorum vestitum assumpsit, cum eisque matrimonia suorum instituit, vt scirent se sibi esse curæ & cordi æquè ac Macedones.

Themistocli, teste Plutarcho, hoc vir sapiens dedit monitum: *Bene principatum geres Athenis, si cunctis communis esse velis & mansuetus.*

Singularis hac in re fuit Carolus V. qui cùm tam diuersis nationibus imperaret, singulis tamen se parem, imò patrem exhibebat, vt Hispanis videretur esse Hispanus, Italis Italus, Germanis Germanus, Gallis Gallus, Belgis Belga. Sanè viri prudentes censent huius moniti neglectum, originem & occasionem dedisse bellis Belgicis, quæ iam 70. annis durant, imò flagrant magis quàm vmquam.

ABIIT ERGO AMASA, VT CONVOCARET VERS. IVDAM] vt scilicet ipse quasi dux exercitus pro Ioab à Dauide constitutus, per milites è tribu Iuda Dauidi & sibi adhærentes rebellionem Sebæ in suo ortu comprimeret & suffocaret, ne si ei daretur tempus, adeò cresceret, vt superari non posset. Vidi ego in Belgio viginti duas militum regiorum rebelliones ob tardatam stipendij solutionem, quarum nonnullæ statim suppressæ sunt misso contra paucos rebellantes exercitu, & capitibus earum plexis: ceteræ verò pleræque data temporis mora ita creuere, vt vrbem aliquam occupantes & munientes, factæ sint inexpugnabiles, & hostibus ipsis nocentiores & formidabiliores; adeò vt Princeps integrum stipendium illicò eis exhibere, & omnia eorum postulata concedere coactus fuerit, cum magno Belgij damno.

Simili modo creuere hæreses: nam, vt ait S. Hieron. Arius Alexandriæ scintilla fuit, quæ quia non statim extincta est, in flammam erupit, quæ totum orbem populata est. Vnde *ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est*, ait idem contra Lucifer.

AIT AVTEM DAVID AD ABISAI] quia VERS. Amasa, qui abierat conuocaturus ex Iuda exercitum, vltra triduum sibi à Dauide præscriptum morabatur, nec redibat, timens Dauid ne Seba se roboraret contra eum, illicò præmisit Abisai fratrem Ioab cum parte copiarum, quæ ad manum erat, vt illum persequeretur.

QVI FABRICATVS LEVI MOTV EGREDI VERS. POTERAT ET PERCVTERE] Hebr. *qui egrediebatur & cadebat*, hoc est qui ita fabricatus erat, vt leui motu è vagina educi posset, & quasi ex ea excidebat, vt scilicet Ioab dextra apprehendens mentum Amasæ, quasi eum osculaturus, sinistra gladium breuiorem siue pugionem leui motu è vagina educeret; eoque Amasam insciũ dolosè confoderet. Hebræi variè hæc vertunt & explicant; sed sensum clarè reddidit Noster. Causa cædis fuit, quòd Ioab indignè ferret Amasam sibi à Dauide prælatum, ac se amoto, creatum exercitus ducem: quam ipse magnam æstimabat ignominiam, æquè ac iniuriam; ideoque Amasam licet consobrinum suum occidit. Discant hîc principes cautè duces suos loco mouere, nec nisi specie honoris, quasi altiùs eos euecturi. Peccauit grauiter Ioab occidendo Amasam, ideoque Dauid moriens iussit Salomoni, vt eum occideret. Amasa tamen iustas quoque perfidiæ suæ pœnas dedit, quòd in Dauidem auunculum suum rebellasset, & rebellantium dux extitisset.

ET TENVIT MANV DEXTRA MENTVM VERS. AMASÆ, QVASI OSCVLANS EVM] Hic enim priscus erat mos salutandi. Audi Plinium lib. II. c. 5. *Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat.* Hinc de Thebi quæ supplicabat Ioui, ait Homerus Iliade I. *Dextra apprehendit mentum, & supplex allocuta est Iouem.* Mentum enim mentis est indicium; hinc mentum ab eminendo dicitur, quòd gulæ colloque emineat: hinc & mentum soli homini datum, nulli alteri animali, teste Plinio lib. II. c. 37.

VERS. 11. ECCE QVI ESSE VOLVIT PRO IOAB COMES DAVID] scilicet Dauidis in bello vicarius & Capitaneus generalis. Aliter ex Hebr. vertit Vatab. & alij; nimirùm: *qui fauet ipsi Ioab, quiq; Dauidi; sequatur ipsum Ioab*, & cum eo persequatur rebellem Sebam.

VERS. 15. OPPVGNABANT EVM IN ABELA, ET IN BETHMAACHA] *Et*, significat *id est*, nam *Abelæ* alio nomine vocabatur *Beth*, id est domus; *Maacha*: nec enim Seba erat in duabus vrbibus, sed in vna quam obsedit Ioab. Audi Adrichom. pag. 101. num. 2. *Abela*, quæ & *Abel Bethmaacha*, siue, Abel Domus Maacha; Iosepho *Abelmathea*; Hieron. *Bethmacha*, aliis verò *Abelmaacha* & *Machanedam* vocatur, insignis ac munita: superioris Galilææ vrbs est, ac Israelitarum metropolis, sita in tribu Nephtalim, in planicie regionis Berim, non procul à Cæsarea Philippi, à Iordane autem sexaginta stadiis distans. Ad quam vsque Dauidici exercitus dux Ioab persecutus est perduellem Sebam.

VERS. 18. SERMO, INQVIT, DICEBATVR IN VETERI PROVERBIO: QVI INTERROGANT, INTERROGENT IN ABELA: ET SIC PERFICIEBANT] ita Roman. licet Regia legant: *proficiebant*. Hebræa hîc concisa sunt & obscura, ideoque variè à variis vertuntur.

Primò, Vatab. & Hebræi apud S. Hieron. vertunt, *interrogando interrogabant, & finiebant*: q. d. olim oppugnantes aliquam vrbem, interrogabant eam iuxta legem Deuter. 20. 10. an conditiones pacis accipere vellet, seseque dedere: si tu, ô Ioab, nunc idem hîc feciſses iam bellum finiuisses: vrbs enim hæc parata est conditiones pacis accipere; semper enim Dauidi fuit fidelis & subdita. Alij aliter.

Verùm Noster clarè & germanè vertit, q. d: Nostra vrbs *Abela* ab olitanis temporibus habita fuit domicilium virorum sapientum, gymnasium & quasi oraculum sapientiæ, vt, si quid in religione, in moribus, in rebus agendis esset ambiguum & difficile, id ad Abelanos sapientes resoluendum deferrent, & quidquid ipsi resoluissent, id exequebantur, & *perficiebant*, idque felici & optimo successu: hoc enim innuit & inuoluit *to perficiebant*. q. d. Cur ergo tu ô Ioab audes oppugnare hanc vrbem quæ est oraculum fidei & sapientiæ? patet ex sequent. ita Angel. Abul. Caiet. & alij.

VERS. 19. NONNE EGO SVM, QVÆ RESPONDEO VERITATEM IN ISRAEL?] Sept. Hebr. *Ego pacificans fideles Israel*, vel, vt vertunt Sept: *Ego sum pacifica de firmamento Israel.* Loquitur mulier in persona suæ vrbis & patriæ, scilicet *Abelæ*, q. d. Ego *Abela* sum quæ Israelitarum dubia & lites omnes decido, itaque litigantes pacifico, dum eis veritatem, veramque dubij resolutionem *respondeo*. q. d. Ego *Abela* abundo viris sapientibus & prudentibus, sumque doctorum Academia, ideoque quasi mater & vniuersitas, à qua omnis Israel documenta & consilia petat. Pete ergo tu quoque ô Ioab, ab ea consilia, & illicò bellum finies. Potrò Vatab. & Pagn. vertunt. *ego sum ex pacificis & fidelibus Israel*. q. d. Ego semper in fide Dauidis perstiti, cum eoque fui pacifica: cur ergo me euertere conaris? Sic Sylla cognomento felix, hæc duo maxima fortunæ munera existimauit. Primum, amicitiam Metelli pij. Secundum, quòd non deleuisset Athenas quas occuparat, sed vrbi pepercisset, vtpotè Academiæ sapientiæ. ita Plutarch. in Apoph. Roman.

Sic Attila postulante S. Leone, pepercit Romæ, quasi gymnasio veræ fidei & religionis. Sic & Genserichus rex Gothorum ad preces eiusdem S. Leonis Romam occupans licet, ab incendio tamen, ignominiis & cædibus abstinuit, vt habet Vita S. Leonis.

ET TV QVÆRIS, &c. EVERTERE MATREM IN ISRAEL] matrem scilicet & altricem sapientiæ, religionis & virtutis? Tales enim sunt Academiæ orthodoxæ, qualis erat *Abela*, & qualis ante Dauidem tempore Iosue fuit vrbs *Dabir*, id est oraculum, & *Cariath Sepher*, id est vrbs literarum, Iosue 15. 15.

Quare fabella est R. Salomonis & Rabbinorum priscorum apud S. Hieron. qui aiunt, vel potius fingunt, mulierem hanc fuisse *Saram* filiam Aser, de qua Genes. 46. 17. quæ fuerit prophetissa, & Iacob reuelarit Ioseph filium viuere & regnare in Ægypto, quæque ostenderit Moysi locum in quo condita erant ossa Ioseph in Ægypto, vt ea inde transferret in Chanaam, idque non aliunde probant quàm ex his eius verbis: *Ego sum quæ respondeo veritatem in Israel*; quæ sanè inanis & friuola est probatio, præsertim quia *Sara* iam dicta debuisset esse septingentorum annorum: tot enim fluxere ab Aser filio Iacob vsque ad Dauidem.

ET LOCVTA EST EIS SAPIENTER] dicendo, vt ait Iosephus: *Vultis mali malè perire cum liberis ac coniugibus, propter hominem malum & ignotum: eumq; pro Dauide, cuius tanta in vos extant beneficia, regnare? Speratis vnam vrbem tam valido exercitui resistere posse?* VERS. 22.

IRA AVTEM IAIRITES ERAT SACERDOS VERS. 26. DAVID] *Sacerdos*, scilicet propriè dictus, per quem Dauid sua sacrificia Deo offerebat. Sicut hodie reges suos habent sacellanos, qui pro eis & coram eis Missas celebrent. ita Theodor. & Abul. q. d. Sacellanorum Dauidis primus & præcipuus erat *Ira*. Aut, *sacerdos*, id est intimus cubicularius, & primus consiliarius Dauidis, quomodo filij Dauidis dicuntur fuisse *sacerdotes* 2 Reg. c. 8. v. 17. ita Vatab. & Lyran. vnde Chald. pro *sacerdos*, vertit, *princeps*, scilicet familiaris & peculiaris amicus Dauidis.

Cornel. in lib. Regum.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Saulis ob occisos ab eo contra datam fidem Gabaonitas, iussu Dei crucifiguntur. Mox vers. 15. quatuor Dauidis contra Philisthæos bella recensentur.

1. FActa est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit Dauid oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2. Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos. (Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum: filij quippe Israel iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda,) 3. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento & auro quæstio, sed cõtra Saul, & contra domum eius: neque volumus vt interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis vt faciam vobis? 5. Qui dixerunt regi: Virum, qui attriuit nos & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. 6. Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Ionathæ filij Saul, propter iusiurandum Domini, quod fuerat inter Dauid & inter Ionathan filium Saul. 8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboseth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9. & dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 10. Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substrauit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. 11. Et nuntiata sunt Dauid quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul. 12. Et abiit Dauid, & tulit ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad: qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim cùm interfecissent Saul in Gelboë: 13. & asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, 14. sepelierunt ea cum ossibus Saul & Ionathæ filij eius in Terra Beniamin, in latere, in sepulchro Cis patris eius: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus est Deus terræ post hæc. 15. Factum est autem rursum prælium Philisthinorum aduersum Israel, & descendit Dauid, & serui eius cum eo, & pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem Dauid, 16. Iesbibenob, qui fuit de genere arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vncias appendebat, & accinctus erat ense nouo, nisus est percutere Dauid. 17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Saruiæ, & percussum Philisthæum interfecit. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. 18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos: tunc percussit Sobocai de Husati, Saph de stirpe arapha de genere gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Getheum, cuius hastile hastæ erat quasi licitatorium texentium. 20. Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine arapha. 21. Et blasphemauit Israel: percussit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. 22. Hi quatuor nati sunt de arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius.

VERS. 1. FACTA EST QVOQVE FAMES IN DIEBVS DAVID TRIBVS ANNIS] Immisit Deus hanc famem toti Israeli, quia rex eius Saul Gabaonitas iniquè occiderat. Rex autem est publica persona, & remp. repræsentat. A Quod ergo rex peccat, hoc resp. peccat; ideoque publicum regis peccatum publicâ fame castigauit Deus.

ET CONSVLVIT DAVID ORACVLVM DOMINI] per Sadoc, vel Abiathar Pontificem, indutum Rationali in quo erant Vrim & Tummim quasi oraculum, vt dixi Exodi 28. 30.

DIXITQVE DOMINVS: PROPTER SAVL ET DOMVM EIVS SANGVINVM; QVIA OCCIDIT GABAONITAS] q. d. Fames hæc immissa est in pœnam peccati, eò quòd Saul eiusque familia multum sanguinem iniustè effuderit. Hinc peccatum hoc sanguine expiandum erit, ac familia occidens erit occidenda.

VERS. 2. FILII QVIPPE ISRAEL (Iosue & principes Hebræorum, vt dictum est Iosue 9.) IVRAVERANT EIS] se eos, licet Amorrhæos, non occisuros, sed in suam remp. admissuros, vt aquatores & lignatores.

ET VOLVIT SAVL EOS PERCVTERE ZELO, QVASI PRO FILIIS ISRAEL ET IVDA] Zelus hic Saul fuit, quòd vellet Gabaonitarum domos, vicos & prædia adiicere tribui Iudæ ceteris que tribubus, quibus à Deo assignata erant; quasi Iosue contra legem & iussum Dei Gabaonitis pepercisset, itaque Iudæ & Iudæis hæreditatem eis à Deo datam ademisset. Sed insipiens & stultus fuit hic zelus, tum quia erat contra fidem Gabaonitis à Iosue & Hebræis datam; tum quia Gabaonitæ in coloniam æquè ac religionem & fidem Hebræorum sponte transibant, quibus proinde Deus volebat parci; tum quia Gabaonitæ oppida & prædia sua cesserant Hebræis, eorumque erant serui, atque hac seruitute vitam ab eis redemerant, vt dixi Iosue 9. Quare in hoc zelo Saulis verum fuit istud: *Summum ius, summa iniuria.* Porrò cùm Saul occideret Gabaonitas, Dauid eum fugiens latebat in syluis & antris, & si fortè id postea resciuit, sibi persuasit iniuriæ huic morte Saulis & filiorum fuisse satisfactum: vnde de vlteriore satisfactione non cogitauit; donec Deus pacato iam eius regno illam ab eo hoc loco exegit. Quare minùs rectè Lyran. & Abul. censent hanc famem in diebus Dauidis contigisse, eò quòd ipse iniustitiam hanc Saulis non castigasset.

VERS. 3. VT BENEDICATIS HÆREDITATI DOMINI] vt scilicet bene precemini Israeli; itaque Deus ab eo auertat famem triennalem, quam eidem propter vos induxit.

VERS. 5. VIRVM (Saulem) QVI ATTRIVIT NOS ET OPPRESSIT INIQVE, ITA DELERE DEBEMVS, VT NE VNVS QVIDEM RESIDVVS SIT DE STIRPE EIVS] Nouem supererant è stirpe Saulis, scilicet Miphiboseth eiusque filius, quinque filij Michol ex Hadriele, & duo filij Saul ex Respha concubina. Hos omnes sibi ad necem dedi initio postularunt Gabaonitæ; sed videntes Dauidem intercedere pro Miphiboseth eiusque filio, vtpote prognato ex Ionatha, cui Dauid amicitiam & fidem iurauerat, id circò vtrique pepercerunt, & reliquos septem ad crucem posti larunt.

Quæres, an æqua & iusta fuerit hæc eorum postulatio? Resp. partim fuisse iustam, eò quòd nonnulli ex posteris Saulis cooperati fuissent ei in cæde Gabaonitarum: hoc enim significatur v. 1. vbi familia Saulis vocatur, *domus sanguinum*: partim iniquam, quia verisimile est aliquos ex posteris Saulis fuisse à cæde Gabaonitarum immunes & innocentes, qui proinde pro peccato patris vel cognatorum, iure humano non poterant occidi. Nam vt ait Ezechiel c. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Nullus enim princeps vel rex potest filium condemnare ad mortem propter peccatum patris solius; vnde in nullo fidelium tribunali filius pro patre occiditur. Dico fidelium, nam apud infideles & barbaros, vti apud Iapones patre peccante non solùm ipse, sed & filij eius plectuntur. Quare postulatio hæc Gabaonitarum aliquid habet rancoris, vindictæ & furoris insolentis, barbari & Turcici: nisi dicas ipsos non ex se, sed ex Dei instinctu, id postulasse, idque innuitur v. 9. cùm dicitur: *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino*, & v. 6. vbi ipsi aiunt: *vt crucifigamus eos Domino.* Sept. *& placabimus in illis Dominum.* Chald. *& suspendemus illos ante Dominum*, quasi anathemata, catharmata & piacula Israelis. Nam ex parte Dei iusta & sancta fuit hæc postulatio. Deus enim idcirco famem hanc immiserat Israeli, vt pro peccati Saulis piaculo occiderentur eiusdem posteri; cùm ipse Saul iam vtpote mortuus plecti & occidi non posset. Deus enim omnium tam nocentum quàm innocentum vitæ & mortis est Dominus, quare potest patres nocentes punire in filiis innocentibus, iuxta illud Deuter. 5. 9. *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator* (Sept. *Zelotes*) *reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartam generationem.* Vide ibi dicta.

Cur Deus iusserit occidi Saulis posteros? Resp. Primò.

Deus ergo volebat hîc plectere Saulem in filiis, multis de causis. Prima est, vt ostenderet quantum sibi displiceret oppressio pauperum Gabaonitarum facta à Saule, & violatio iuramenti eis à Iosue præstiti; ostenderet inquam, per publicum & infame supplicium posterorum Saulis, nimirùm eos crucifigendo. Secunda, vt indicaret, quàm profundum in Saulem odium concepisset, vtpote cuius stirpem funditùs vellet excindi; vt iure dixerit Miphiboseth: *Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino Deo.* Tertia, vt daret exemplum futuris seculis, quo partes à sui offensa & sceleribus cohiberet; q. d. Quod feci Sauli hosti meo, eius familiam exscindendo, hoc faciam cuilibet regi, principi, & priuato, vt, si ipse me offendat, non solùm ipsum, sed eius filios posterosque omnes affligam & disperdam; vti hoc sæculo sæpè factum vidimus: Deum scilicet ob peccata parentum antiquissimas & nobilissimas familias planè euertisse & succidisse. Quarta, vt consuleret quieti publicæ, ne inter Saulis & Dauidis posteros bella ciuilia suscitarentur, qualia fuerãt inter Dauidem & Isboseth filium Saulis. Denique filiis innocentibus non fiebat iniuria, tum quia Deus vitæ eorum erat dominus, tum quia ob peccatum originale omnes sumus rei mortis; tum quia ipsi alia propria habebant peccata, ob quæ iustè morte & cruce puniri à Deo poterant; hanc enim apud ipsum merebantur.

Secundò. *Tertiò.* *Quartò.*

VERS. 8. TVLIT ITAQVE REX DVOS FILIOS RESPHA] Non peccauit Dauid tradendo filios Saulis, etiã innocentes, Gabaonitis ad crucem; quia videbat hanc esse Dei voluntatem, quiid circò famem Israeli immiserat. Conformabat igitur se voluntati diuinæ, quæ iustissima & sanctissima erat ob causas datas v. 5. Fecit ergo

hoc Dauid monitu Dei, & vt videtur, habito oraculo per pontificem & Vrim, de quo v. 1. fecit, inquam, tamquam executor iustitiæ Dei, qui peccata punit in tertiam & quartam generationem. Saul enim mortuus non poterat puniri nisi in filiis; ac proinde hîc iustitiæ Dei satisfieri non poterat, nisi occidendo eius filios. Sed hæc principibus, magistratibus, & iustitiæ humanæ imitari non licet, quia ipsum caput nocens plectere debent, non verò eius filios & posteros. Ita Abul. Caiet. & alij.

ET QVINQVE FILIOS MICHOL FILIÆ SAVL, QVOS GENVERAT HADRIELI] Erant hi filij non Michol, sed Merob sororis Michol, quos Michol, vtpote carens prolibus, in filios adoptarat; Merob enim fuit vxor Hadrielis, Michol verò Dauidis. Quare cùm dicitur: *Quos genuerat Hadrieli*, intellige eius soror Merob, in cuius locũ Michol eos adoptarat, successerat. Alij censent *Merob* alio nomine vocatam fuisse *Michol*. Caiet. verò putat esse mendum, & pro *Michol* substituendum, *Merob*. Verùm omnes codices Hebræi, Græci, Latini, habent *Michol*, non *Merob*. Chald. tamen habet: *Et quinque filias Merob, quos educauerat Michol filia Saul*, quia eos adoptarat, vt dixi.

VERS. 9. QVI CRVCIFIXERVNT EOS IN MONTE CORAM DOMINO] nimirum ad placandum Dominum, vel in honorem Domini, vt eius iustitiæ vindicatiuæ, & offensæ à Saule & familia eius factæ, per hanc familiæ eius crucifixionem, quasi per publicum piaculum, & hostiam pro peccato satisfieret. Vbi Nota, honorari & glorificari Deum executione iustitiæ. Dum enim sontes plectuntur, eluceat Dei plectentis iustitia & sanctitas, vtpote qui peccata & peccatores odit, & impunitos esse non finit. Hinc Deuter. 13. 16. iubet Deus idololatras sibi comburi cum tota vrbe: *Consumes*, inquit, *omnia Domino Deo tuo*.

IN MONTE] scilicet in colle Gabaa, quæ fuerat patria & sedes Saulis, vt eo loco puniretur peccatum, vbi à Saule fuerat commissum, omnesque idipsum ex loco supplicij colligerent.

INCIPIENTE MESSIONE HORDEI] id est sub initium veris in Paschate, vt indicetur eos in cruce, quasi piaculum mansisse per plures menses, vt patebit ex sequent.

VERS. 10. TOLLENS AVTEM RESPHA (duorum crucifixorum mater, & ceterorum cognata) CILICIVM, SVBSTRAVIT SIBI SVPRA PETRAM, AB INITIO MESSIS, DONEC STILLARET AQVA SVPER EOS DE CÆLO] vt scilicet ipsa manens cubansque in cilicio, iugiter custoditet filiorum cadauera, ne ab auibus, canibus & feris laniarentur. Intellige ipsam non solam mansisse, sed cum famulis & famulabus, ait Caiet.

DONEC STILLARET] Iusserat Dauid corpora hæc famis & peccati expiatoria, manere in cruce, donec Deus ostenderet se placatum per pluuiam, quam hactenus negando, sterilitatem & famem Israeli immiserat, itaque se iratum ostenderat. Vnde non comprehenditur hic casus lege Deuter. 21. 23. præcipiente vt crucifixi eadem die sepeliantur. Ibi enim agitur de eo, qui ob proprium scelus crucifigitur *in pœnam*; hîc verò de iis qui ob alienam & publicam culpam, ideoque totius populi fiunt piaculum ad reducendam pluuiam & fertilitatem. Ita Abul. & alij. Vnde Ioseph. ait: *Confestim, pluente Deo terra posito squalore ad pristinam fertilitatem rediit*. Porrò tradunt Hebræi corpora hæc mansisse in cruce per sex menses, scilicet à Martio ad Septembrem: tunc enim in Palæstina pluuiæ incipiunt, quæ per æstatem cessarant. Vide hîc ergo & mirare pietatem & patientiam Resphæ, quæ tam diu sub dio immota perstitit perdia & pernox, vt filiorum corpora intacta seruaret. Hæc sunt viscera pietatis maternæ.

Mystice: Respha est pia sollicitudo sanctorum Pastorum & patrum spiritualium, qui filios, quos Christo genuerunt, mundo crucifixos custodiunt, eisque succurrunt rigore ieiunij & instantia precum, donec misericordiam Dei impetrent super eos de cælo, compescendo prauos homines, nec non malignos spiritus, ne prauis suggestionibus eos de cruce rapiant, lacerent & deuorent. Ita Angelom. Hinc *Rispha* hebr. idem est quod *pruna*, vel *carbo ignitus*, qui ardentis amoris est symbolum: aut *pauimentum*, in quo ipsa se affligens pro filiis cilicio incubabat.

ET ABIIT DAVID, ET TVLIT OSSA SAVL] Dauid excitatus exemplo pietatis Resphæ, quæ tam sedulò corpora suorum filiorum custodiuit, curauit eorum æquè ac Saulis & Ionathæ ossa colligi, & honorificè sepeliri in sepulchro Cis patris eius. Vt ostenderet se iniuriarum sibi à Saule illatarum esse immemotem, ac illi pro tantis maleficiis eximia beneficia rependeret; qui est actus heroicæ charitatis.

FACTVM EST AVTEM RVRSVM PRÆLIVM] Deinceps recensentur quatuor Dauidis contra Philisthæos prælia, quæ eo ordine, quo hîc narrantur, contigisse videntur. Hoc enim exigit simplex historiæ narratio; licet alij putent hîc non seruari ordinem temporis, sed quædam anteriùs, quædam posteriùs accidisse; sed, quod dixi, verius est, itaque censent Iosephus, Seuerus Sulpitius, Sigonius, Lyran. Abul. Caiet. Serat. Vatab. Dionys. Adrich. Salianus.

DEFICIENTE AVTEM DAVID] cùm scilicet Dauid iam senescens, pugnans in prælio, labore, æstu, fame & siti fatigatus deficeret viribus, nec posset vim hostium ingruentium sustinere amplius; tunc ictuit in eum Iesbibenob gigas de stirpe Rapha, siue Raphaim, id est gigantum, prognatorum ex primo gigante Rapha (*Arapha* enim idem est quod *Rapha*. Hebr. enim רפה *Harapha*, vbi prima litera ה *he* non est radicalis sed seruilis, gerens vicem articuli siue pronominis demõstratiui) sed Dauidi succurrit Abisai, & gigantem occidit. Audi Theodor. in manuscripto: *Qui factum est, vt Dauid deficeret in acie? Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus. Cùm autem in conflictu multum sustinuisset laborem, erat enim primus in acie pugnans, defessus est, ac defecit non ferens laborem. Cùm autem in periculum venisset, ne occideretur ab eo qui primus pugnabat inter alienigenas, præter opinionem seruatus est, cùm eum protexisset Abisai, & maximum illum hostem interemisset.*

VERS. 17. NE EXTINGVAS LVCERNAM ISRAEL] hoc est, splendorem, & gloriam Israelis, qualis erat rex Dauid: Chald. *ne pereat tecum regnum Israel*.

VERS. 19. IN QVO PERCVSSIT ADEODATVS FILIVS SALTVS POLYMITARIVS BETHLEHEMITES GOLIATH GETHÆVM] Per *Adeodatum* multi cum Chaldæo intelligunt Dauidem, qui à Deo est datus Israeli ad eius salutem. (Sic S. Aug. filium suum vocauit *Adeodatum*.) Dauid enim fuit Bethleemites, & occidit Goliath. Ita Hebræi apud S. Hieron. Angelom. Lyran. Glossa, Raban. Rupert. Hugo, Dion. & alij. Audi S. Hieron. *Adeodatus ipse est Dauid. Idcircò dicitur Adeodatus, quia à Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de saltu, vbi oues pascebat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beseleel mater eius fuit. Bethleemites, quia Noëmi & Ruth tempore vbertatis reuersa sunt in Bethlehem.* *Adeodatus an Dauid?*

Verùm melius Vatab. Abul. Pagn. Caiet. Serarius, Sanchez, Salianus & alij censent *Adeodatum*, Hebr. *Elchanan*, fuisse alium à Dauide. Hic enim bella recensentur, quæ Dauid post initum regnum, imò iam senex gessit: illa autem Dauidis cum Goliath pugna, non bellum fuit, sed duellum ante regnum à Dauide inuene susceptum. *Adeodatus* hic fuit *filius Saltus*; Hebr. *filius Iare*; vbi *Iare* est nomen proprium patris Adeodati, vt vertunt Sept. Vatab. Chald. & alij. *Iare* autem Hebr. significat *saltum*, vel syluam, vnde Noster vertit *filius Saltus*. Pater enim Adeodati dictus est *Iare*, id est sylua, vel saltus, eò quòd natus sit in sylua, vel quòd in sylua versari & venari consueuerit. τὸ igitur *Saltus*, est nomen proprium patris Adeodati, ideoque maiuscula littera scribendum, vti habent Roman. *Adeodatus* vocatur *polymitarius*, Hebr. *gregim*, id est *textorum*, quia scilicet oriundus erat ex textoribus, aut potiùs quia ipse vnus erat ex textoribus, qui *polymita*, id est licia variegata contexunt, indeque faciunt pannos & vestes *polymitas*, hoc est variorum colorum & liciorum. *Resp. negatiue.*

Idem occidit *Goliath Gethæum*, hoc est fratrem Goliath gigantis quem occidit Dauid, vt expressè dicitur 1. Paral. 20. 5. Frater ergo Goliath, pariter vocatus est *Goliath*: aut potiùs vocatur *Goliath*, eò quòd proceritate, robore & viribus similis esset Goliæ quem strauit Dauid. Sic vulgò de viro eximiè forti dicimus: Iste est alter Hercules, vel alter Samson. Vnde Iosephus eum vocat Palæstinorum robustissimum.

VERS. 21. PERCVSSIT AVTEM EVM IONATHAN FILIVS SAMAA FRATRIS DAVID] Hebræi apud S. Hieron. censent hunc *Ionathan* esse Nathan prophetam. *Ionathan*, inquit S. Hieron. *ipse est Nathan propheta, qui habuit duos fratres Ioel & Ionadab. Idcircò ei hic nomen patris ponitur, quia inter præliatores describitur. Vbi verò de prophetia eius scribitur, non ei annotatur pater, eò quòd pater eius propheta non fuerit.* Verùm longè verius, imò mihi certum est, *Ionathan* non fuisse Nathan prophetam, nec Adeodatum, de quo v. 19. vt volunt alij; sed ab vtroque diuersum. Addit Ioseph. *Hoc prælium cum gente* (Philisthæa) *fuit vltimum, non ausa posteà se contra Israelitas mouere.*

VERS. 22. HI QVATVOR NATI SVNT DE ARAPHA IN GETH] Multi censent *Araphæ* esse *Orpham*, socrum Noemi & cognatam Ruth, ideoque Goliath, quem occidit Dauid, fuisse filium Orphæ. Ita Hebr. Philo Biblicus & Prudent. in Hamartigenia, verùm id refutauit Ruth cap. 1. v. 4. quibus adde *Arapha* non esse feminam, vt innuit Serar. & Sanchez, sed virum: nimirùm *Rapha*, à quo orti dictique sunt *Raphaim* gigantes. q. d. Hi quatuor gigantes iam dicti nati sunt ex primo illo potenteque gigante *Rapha*, qui proinde per antonomasiam præposito articulo *He* dictus est *Harapha*, q. d. Ille gigas, ille Titan. Id ita esse patet, primò ex aliis Script. locis vbi *Raphaim* dicuntur nati ex Rapha gigante, vt Genes. 14. 5. Iosue 12. 4. & c. 13. 12. Secundò quia Script. in assignanda stirpe & familia filiorum assignat eorum patres, non matres: & hoc significat τὸ *de genere Arapha*. Tertiò: quia Sept. Roman. vertunt, *qui erat de posteris* τῷ ῥαφαΐ, id est, *viri Raphæ*: τῶ enim est masculinum, & virum significat. Regia habent τῶν γιγάντων, id est *gigantum*, & τιτάνων, id est *Titanum*. ita quoque Ioseph. Chald. & alij. Denique qui hic vocatur *Arapha*, 1. Paral. 20. v. 4. 6. & 7. vocatur *Rapha* à quo *Raphaim* sunt prognati.

HI QVATVOR, &c. CECIDERVNT IN MANV (per manum, robur & pugnam) DAVID ET SERVORVM EIVS] licet enim Dauid neminem horum per se occiderit, occidit tamen omnes per suos seruos & milites iam dictos. Quod enim miles facit, hoc dux facit. Adde Dauidem hos milites erudiuisse, eisque exemplo præiuisse occidendo Goliath gigantem. Ita Eucher. & alij. Hoc enim Dauidis factum secuti eius milites, alios gigantes occiderunt.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet Hymnum, siue Psalmum eucharisticum, quo Dauid post tot bella, partà plenà pace de tot victoriis Deo gratias agit. Porrò hic Psalmus inter Psalmos ponitur, estq; in ordine 17. Quare ibidem commodiùs loco suo, quasi Psalmus inter Psalmos explicabitur.

1. LOcutus est autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. & ait:
2. Dominus petra mea,& robur meum, & saluator meus.
3. Deus fortis meus,sperabo in eum: scutum meum,& cornu salutis meæ: elevator meus,& refugium meum: saluator meus,de iniquitate liberabis me.
4. Laudabilem inuocabo Dominum:& ab inimicis meis saluus ero.
5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.
6. Funes inferni circumdederunt me:præuenerunt me laquei mortis.
7. In tribulatione meà inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius.
8. Commota est & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis.
9. Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo.
10. Inclinauit cælos,& descendit:& caligo sub pedibus eius.
11. Et ascendit super cherubim,& volauit:& lapsus est super pennas venti.
12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorum.
13. Præ fulgore in conspectu eius,succensi sunt carbones ignis.
14. Tonabit de cælo Dominus: & excelsus dabit vocem suam.
15. Misit sagittas,& dissipauit eos; fulgur, & consumpsit eos.
16. Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini,ab inspiratione spiritus furoris eius.
17. Misit de excelso,& assumpsit me:& extraxit me de aquis multis.
18. Liberauit me ab inimico meo potentissimo,& ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.
19. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum.
20. Et eduxit me in latitudinem: liberauit me,quia complacui ei.
21. Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundùm munditiam manuum mearum reddet mihi.
22. Quia custodiui vias Domini,& non egi impiè,à Deo meo.
23. Omnia enim iudicia eius in conspectu meo: & præcepta eius non amoui à me.
24. Et ero perfectus cum eo: & custodiam me ab iniquitate mea.
25. Et restituet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundùm munditiam manuum mearum,in conspectu oculorum suorum.
26. Cum sancto sanctus eris: & cum robusto perfectus.
27. Cum electo electus eris:& cum peruerso peruertêris.
28. Et populum pauperem saluum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis.
29. Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.
30. In te enim curram accinctus:in Deo meo transiliam murum.
31. Deus,immaculata via eius,eloquium Domini igne examinatum:scutum est omnium sperantium in se.
32. Quis est Deus præter Dominum:& quis fortis præter Deum nostrum?
33. Deus qui accinxit me fortitudine: & complanauit perfectam viam meam.
34. Coæquans pedes meos ceruis,& super excelsa mea statuens me.
35. Docens

35. Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea.
36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ,& mansuetudo tua multiplicauit me.
37. Dilatabis gressus meos subtus me: & non deficient tali mei.
38. Persequar inimicos meos, & conteram: & non conuertar donec consumam eos.
39. Consumam eos & confringam,vt non consurgant: cadent sub pedibus meis.
40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incuruasti resistentes mihi subtus me.
41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum: odientes me,& disperdam eos.
42. Clamabunt,& non erit qui saluet: ad Dominum,& non exaudiet eos.
43. Delebo eos vt puluerem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.
44. Saluabis me à contradictionibus populi mei: custodies me in caput Gentium: populus,quem ignoro,seruiet mihi.
45. Filij alieni resistent mihi,auditu auris obedient mihi.
46. Filij alieni defluxerunt,& contrahentur in angustiis suis.
47. Viuit Dominus,& benedictus Deus meus: & exaltabitur Deus fortis salutis meæ.
48. Deus qui das vindictas mihi,& deicis populos sub me.
49. Qui educis me ab inimicis meis, & à resistentibus mihi eleuas me: à viro iniquo liberabis me.
50. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus: & nomini tuo cantabo.
51. Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur vltima Dauidis dicta, ac vers.8. eius heroës, nimirùm tres eius fortissimi milites, eorumq; heroica facinora, ac vers.24. cæteri eius triginta Fortes numerantur. Confer hoc caput cum 1.Paral 11. vbi alio ordine & methodo idem catalogus Fortium Dauidis texitur.

1. HÆc autem sunt verba Dauid nouissima. Dixit Dauid filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Iacob,egregius psaltes Israel: 2. Spiritus Domini locutus est per me,& sermo eius per linguam meam. 3. Dixit Deus Israel mihi,locutus est Fortis Israel, Dominator hominum, iustus dominator in timore Dei. 4. Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluuiis germinat herba de terra. 5. Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas: nec est quidquam ex ea quod non germinet. 6. Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi: quæ non tolluntur manibus. 7. Et si quis tangere voluerit eas,armabitur ferro & ligno lanceæ,igneque succensæ comburentur vsque ad nihilum. 8. Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres; ipse est quasi reherrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. 9. Post hunc, Eleazar filius patrui eius Ahohites inter tres fortes; qui erant cum Dauid quando exprobrauerunt Philisthiim,& congregati sunt illuc in prælium. 10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit & percussit Philisthæos, donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: & populus qui fugerat, reuersus est ad cæsorum spolia detrahenda. 11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari.& congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus à facie Philisthiim, 12. stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussitque Philisthæos: & fecit Dominus salutem magnam. 13. Nec non & antè descenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerant tempore messis ad Dauid in speluncam Odollam: castra autem Philisthinorum erant posita in Valle gigantum. 14. Et Dauid erat in præsidio; porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. 15. Desiderauit

ergo

ergo Dauid,& ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam! 16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid:at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, 17. dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt,& animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. hæc fecerunt tres robustissimi. 18. Abisai quoque frater Ioab filius Saruiæ, princeps erat de tribus: ipse est qui leuauit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus, 19. & inter tres nobilior,eratque eorum princeps,sed vsque ad tres primos non peruenerat. 20. Et Banaias filius Ioiadæ viri fortissimi, magnorum operum,de Cabseel:ipse percussit duos leones Moab,& ipse descendit,& percussit leonem in media cisterna in diebus niuis. 21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cùm descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua. 22. hæc fecit Banaias filius Ioiadæ. 23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen vsque ad tres non peruenerat: fecitque eum sibi Dauid auricularium, à secreto. 24. Asael frater Ioab inter triginta, Elehanan filius patrui eius de Bethlehem. 25. Semma de Harodi.Elica de Harodi, 26. Heles de Phalti,Hira filius Acces de Thecua, 27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati, 28. Selmon Aholites, Maharai Netophathites, 29. Heled filius Baana, & ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, 30. Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas, 31. Abialbon Arbathites, Azmaueth de Beromi, 32. Eliaba de Salaboni. Filij Iassen, Ionathan, 33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Araritæs, 34. Eliphelet filius Aasbai filij Machari, Eliam filius Achitophel Gelonites, 35. Hesrai de Carmelo,Pharai de Arbi, 36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, 37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Ioab filij Satuiæ, 38. Ira Iethrites, Gareb & ipse Iethrites, 39. Vrias Hethæus. Omnes triginta septem.

VERS.1. HÆC AVTEM SVNT VERBA DAVID NOVISSIMA] Quia vt ait S.Hieron.in Tradit. *post psalterium & cetera metra hoc metrum composuisse dicitur.* Addit Chald. dici *nouissima*, quia prophetiam continent de Christo in nouissimâ & vltimâ mundi ætate nascituro, iuxta illud S.Ioannis Epist. 1. c.2. 18. *Filioli nouissima hora est*, & illud Pauli: *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*,Hebr.1.3.Addit tertiò Lyran.dici *nouissima*, quia memoriæ maximè commendanda,vti sunt apud filios nouissima parentum monita.

DIXIT VIR, CVI CONSTITVTVM EST DE CHRISTO DEI IACOB] Primò planè sic de Christo exponas,q.d. Dixit Dauid, cui facta est promissio de Messia, siue *Christo* ex se nascituro, qui est *Christus Dei* veri, quem colùit *Iacob* Patriarcha, quia vnctus à Deo in summum mundi regem & pontificem.Secundò,de ipso Dauide, q. d. Dixit Dauid, qui constitutus est,vt esset *christus Dei*, id est rex à Deo vnctus, quiregeret posteros *Iacob*,siue populum Israel. Vnde Sept. B vertunt,*Dixit vir,quem suscitauit Dominus in christum Dei*;sic & Chald.Vatab.& alij.Tertiò,Hebraï apud S Hieron.in Trad.vertunt,*Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob*, idque sic explicant,q. d. *Scala eidem Christo Dei Iacob, id est Dauidi constituta ist.per quam conscenderet ad Deum; eò quòd idem scilicet confessus sit se peccasse Domino.* Vnde additur *ò Iacob*,q d. scala Dauidis similis est scalæ Iacob Genes. 28. per quam nimirùm ipse vidit ascendentes Angelos ad Deum scalæ innixum, vt per eam repræsentaretur filij Dei descensus in terram & carnem, per Iacob & Dauidem, qui futuri erant eius parentes, vt eos ceteroſque homines peccato Adæ aliisque A propriis perditos redimeret,& per pœnitentiam saluaret. *Scala* ergo peccatoris est pœnitentia & confessio: per hanc enim ad Deum in cælum conscendit.

Primus sensus planissimus est, eumque exigit *ò de Christo*, vel,vt Hebr. est *super Christum*,& *ò dixit*, pro quo Hebr. est דְּבַר *neum*, id est dictum, effatum, sermo certus & irrefragabilis, oraculum.

EGREGIVS PSALTES ISRAEL]*Egregius* Hebr. נְעִים *naim*, id est pulcher, speciosus, suauis, iucundus. Tales enim sunt Psalmi, quos Dauid composuit, & cani iussit à Leuitis in Israel; vnde iidem canuntur in Ecclesia Christiana per omnia secula, loca & templa, ipsíque sunt exultatio Ecclesiæ & fidelium.

SPIRITVS DOMINI LOCVTVS EST PER ME, ET SERMO EIVS PER LINGVAM MEAM] VERS.3 supple,insonuit. q.d. Deus locutus est per me, ac per meam linguam,quasi organum & instrumentum, Psalmos dictauit, iuxta illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Psal.44. q.d. Ego non ex me meoque ingenio & sensu, sed afflatu numinis, Deo psallere, Deumque hymnis & psalmis laudare didici, & docui.

DIXIT DEVS, &c. IVSTVS DOMINATOR VERS.3 IN TIMORE DEI] Pagn. *dominator timoris Dei.* q.d.Deus est *dominator* eorum qui timet Deum, siue eorum quos inuenit fundatos *in timore Dei*: hos enim ita prouidè, benignè & amanter regit ac gubernat, vt ceterorum quasi immemor videatur.

Quæres, quid dixit Dauidi Deus? Resp. ea quæ dicta sunt v.1. & 2. ac quæ dicentur v. 4. & sequ. ac præsertim oracullum de Christo ex eo nasci-

nascituro.vnde Chald.vertit. *Dixit,quòd constituetur mihi regem: ipse est Messias, qui futurus est vt surgat,& dominetur in timore Dei.*

Aliter vertit Vatab.nimirùm: *dixit Deus: dominator super homines iustus sit, dominator habeat timorem Dei.* q.d.Deus prædixit me Dauidem fore dominatorem, id est regem, iustum & timentem Deum.

VERS.4. SICVT LVX AVRORÆ, ORIENTE SOLE, MANE ABSQVE NVBIBVS RVTILAT] Primò, Lyran.q.d. Sicut lux auroræ resplendet,sic Deus clarè mihi Dauidi locutus est, & reuelauit futura. Secundò & melius, Chald.Abul. & alij. q.d.Sicut lux auroræ rutilat,subaudi, sic rutilabit regnum meum (Dauidis) &,vt v.5.sequitur, domus mea & aliorum iustorum, eritq; splendida, fecunda, & gloriosa instar Solis.

ET SICVT PLVVIIS (irrigata) GERMINAT HERBA DE TERRA] subaudi,sic germinabit & B fecunda erit domus & posteritas mea, vti explicat v. seq. Ex quo liquet ad literam, Dauidem hîc de se suaque stirpe loqui; allegoricè verò & præcipuè de Christo ex stirpe sua nascituro: Christi enim ortus fuit ex cælesti gratia Spiritus sancti, eoque itrorante B. Virgo concepit & peperit Christum iuxta illud: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*Et:*Visitauit nos oriens ex alto*, Lucæ 1.

Mysticè,Angelomus: *Aurora*,inquit,*est Ecclesia, quæ oriente Sole, hoc est Christo resurgente à mortuis,absque nubibus rutilat, id est, absque peccato infidelitatis resplendet in miraculis. Pluuia est euangelica prædicatio: herba credentem significat populum, terra verò Ecclesiam.*

Tropol.idem Angelom. *Qui*,inquit,*in timore Domini dominationem in subditis exercet, lucis opera* C *per solem iustitiæ illuminata profert: nec in eis aliquid remanebit obscurum,sed imbre cælestis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne viuens fructificat.*

VERS. 5. NEC TANTA EST DOMVS MEA APVD DEVM, VT PACTVM ÆTERNVM INIRET MECVM] q.d. Ego & domus mea non sumus tam magni, tantique meriti, vt ob illud Deus mecum iniret pactum, mihique promitteret *domum*,id est posteritatem & stirpem regiam perpetuandam vsque ad Christum, indeque in æternum: Christus enim omnium hominum dignitatem & merita longè transcendit. Hoc ergo pactum iniit mecum Deus ex mera sua misericordia, gratia & liberalitate, qua me vnum è toto mundo eligere voluit, vt Christi generationi subseruirem.

D CVNCTA ENIM SALVS MEA, ET OMNIS VOLVNTAS] repete, in omnibus firma est & munita;aut. vti præcessit; aut, impletur & germinat,vt sequitur. q.d. Cuncta mihi ad salutem proficiunt,omniaque mihi ad votum & voluntatem Deo prosperante succedunt.

NEC EST QVIDQVAM EX EA (ita lege cum Romanis, non *eo*) QVOD NON GERMINET] q. d. Quidquid ego volo, hoc Deus secundat, omnesque actiones, desideria & intentiones meæ prosperè proficiunt & succrescunt instar germinis è terra pluuiis irrigata frondosè erumpentis: persistit enim in metaphora germinis, vnde Chald.vertit,*Omnes indigentiæ meæ, & omnes petitiones meæ ante ipsum factæ sunt.* Sic S.Dominicus dicitabat se à Deo impetrare quidquid petebat. *Cornel. in hb. Regum.*

terer. Idè dixêre alij Sancti eximij:Deus enim, *voluntatem timentium se facit*,Psal.144.19.

VERS.6. PRÆVARICATORES AVTEM QVASI SPINÆ EVELLENTVR VNIVERSI] à Deo, vel in hac vita, vel in die iudicij, vbi eos è terra eliciet in abyssum gehennæ.

VERS.7. QVÆ NON TOLLVNTVR MANIBVS. ET SI QVIS TOLLERE VOLVERIT EAS, ARMABITVR FERRO ET LIGNO LANCEATÆ, IGNEQVE SVCCENSÆ COMBVRENTVR] Significat impios, quasi spinas, mollis correctionis esse incapaces,& contractum eorum esse aculeatum; ac proinde non blandè,sed rigidè,cum eis agendum vt ferro succidantur, vel igne comburantur: sicut qui spinas vult tollere, non manibus eas euellit; ne iis pungatur; sed manus armat *ferro* quo eas succidat, vel *ligno lanceato*; Vatab. *hastili lanceæ*, quo eas abigat & amoueat, ne ab iis lædatur; denique non tollet eas, sed igne comburet. Sic Deus succidet domos impiorum, easque igne gehennæ succendet; me autem,meamque & ceterorum iustorum domum prosperabit & perpetuabit.

VSQVE AD NIHILVM] Hebr.*in habitaculo suo*; id est, in stirpe sua exturbatur, & quasi ad nihilum redigentur. q. d. Omnino peribunt, si non in hac vita, saltem in futura. Paraphrastice & eleganter hæc omnia à versu 4. hucusque vertit Chald.iustisque & sanctis, qualis erat Dauid, adaptat: *Beati*,inquit,*estis vos iusti: fecistis vobis facta bona, quia vos futuri estis, vt luceatis in luce gloriæ vestræ,sicut splendor auroræ,qui ambulat & consilat; & sicut sol qui splendet absque nubibus in splendore gloriæ suæ. Ecce sicut ager qui exspectat in anno siccitatis, vt descendat pluuia super terram.* Deinde antithesin impiorum sanctis opponit: *Improbi*, ait, *factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, & omnis filius hominis parcit super eis, & sinit eas: procedunt & inualescunt vsquequò non sit possibile appropinquare ad eas manu; & sic omnis homo qui incipit appropinquare ad peccata progredientia, & se roborantia super se,vsquequò operiant eum tanquam vestis ferrea; non* (quia Chaldæus putat negationem præcedentem hîc esse repetendam) *praualent illi in ligni hastarum & lancearum: ideò non est necesse vltio eorum in manu hominis, sed in igne incendendo incendetur, cùm apparuerit domus iudicij magni, vt sedeat super solium iudicij ad iudicandum seculum.*

VERS.8. HÆC NOMINA FORTIVM DAVID] Additur 1.Paralip.11.10. *qui adiuuerunt eum,vt rex fieret super omnem Israel.* Porrò hi fortes habitabant in domo vna quæ Nehem.3.16. vocatur, *domus fortium*, vbi etiam quasi in palæstra athletæ & pugiles,exercitij causâ digladiationibus certabant, ait ex Lyran. Adrichomius, qui eam sitam ait in monte Sion iuxta palatium Dauidis, ibique eamdem graphicè depingit. Texitur hîc catalogus fortium militum siue heroum Dauidis, primò ad historiæ integritatem, vt scilicet constet qui fuerint milites & duces, per quos Dauid prælia tanta confecit, & tot victorias obtinuit. Secundò, vt virtuti eorum hæc laus detur, quæ omnes ad fortitudinem eorum imitandam excitet. Allegor. vt hi fortes Dauidis repræsentent Christi Apostolos, & viros Apostolicos; per quorum heroica facta ipse fuæ fidei subegit totum orbem. Tropol. vt eorum exemplo animentur fideles ad fortiter certandum con-

tra carnem,mundum & dæmones.*Regnum enim* A *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Matth. 11.Cælum enim sublime est & forte, quare à fidelibus mente sublimioribus & fortioribus expugnandum est.Igitur cælum est ciuitas fortium, in qua nemo imbellis & imbecillis admittitur,iuxta illud Isaiæ 26.1. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator,in ea ponetur murus,& antemurale.* In vita S.Astionis & Epicteti Martyrum, qui acerba pro Christo tormenta fortissimè toleraruntnil aliud ingeminantes, quàm : *Christiani sumus*,refertur,quòd Vigilantius Astionis mortem parentibus adhuc infidelibus nuntiarit parabolicè, dicens,eum in remotam regionem migrasse,in qua felicissimè viueret.Rogauit mater, dixitque : *Quæ est regio illa,quò perrexit dulcissimus meus & vnicus Astion?* Vigilantius respondit: *Regio robustorum*, seu *fortium virorum*, quam deinde ex Apoc.c.21. graphicè depingit,ac tandem B explicans illam esse cælum, ad quod per martyrium transierit fortis Astion, parentes eius ad Christi fidem conuertit. Abbas Athanasius in Prato spir.apud Ioannem Moschum c.130.narrat se in extasi ab Angelo ductum ad cælum, cumque pulsans illud ingredi vellet,audisse ab ostiario: *Non huc ingreditur quispiam in negligentia degens: sed si intrare vultis,abite,certate,nihil æstimantes vanitates sæculi.* Hinc in cælo canunt Beati: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Ite nunc fortes, vbi celsa magni
Duxit exempli via, quid inertes
Terga nutatis? superata tellus
sidera donat.

Ait Boët. lib.4. de Consol. metro 7. vide dicta Apoc.3. v.21.

C

VERS.8. SEDENS IN CATHEDRA SAPIENTISSIMVS PRINCEPS INTER TRES] Quis hic? Dauid rex, inquiunt Hebræi apud S.Hier. Chald. Eucher.Lyran.Ruper.Dion. Vatab. Alij putant esse Ioab ducem exercitus. Verùm dico,hic sedens non est Dauid, sed *Iesbaam* primus fortiũ Dauidis. Id ita esse clarè liquet, tam ex Sept. qui hîc vertunt, *Iesbaab filius Thecmani*, *primus trium hîc*.tum ex 1.Paral.11.v.11. vbi clarè dicitur: *iste numerus robustorum Dauid: Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta*, tum ex Iosepho, qui eum vocat *Issemum*, vel vt mendosè legit Abul. *Eusebium* filium Achimac. Recensentur enim hîc fortes Dauidis, quorum princeps fuit *Iesbaam*, ita Beda, Angelom. Abul. q.10. Hugo, Glossa, Caiet. Arias, Serar. Sanchez, Salianus. Vbi Nota primo. *Iesbaam* Hebr. significat, *sedens in populo*; quod hîc dicitur *sedens in cathedra*, quasi cæteris dignior, & fortium princeps. רֹאשׁ בַּשֶּׁבֶת *Ioseb basshebeth*, id est *sedens in cathedra* est nomen tam proprium, idemque quod *Iesbaam*,quàm appellatiuum;quia verè Iesbaam erat sedens in cathedra quasi dux & princeps militum.Secundò,*Iesbaam* qui hîc dicitur *sapientissimus* 1.Paral.11.11. vocatur *filius Hachamoni*, id est *sapientis*, tum quia pater eius vocabatur *Hachamoni*, id est *sapiens* per excellentiam; tum quia ipse Iesbaam erat sapientissimus, vt verè filius sapientis & sapientiæ vocari posset; ideoque appositè pater eius vocatus fuit,*Hachamoni*, id est *sapiens* : quare *filius sapientis*, hic tam vt nomen proprium, quàm vt appellatiuum accipiendum est,æquè ac *rò,sedens in cathedra*.

Iesbaam primus horum Dauidis.

D

Tertiò *Iesbaam*, qui hîc dicitur *princeps inter tres* nimirùm primos & omnium fortissimos,1. Paral. 11. dicitur, *princeps inter triginta*, quia ipse erat primus fortium omnium Dauidis, qui erant triginta.

IPSE (Iesbaam siue sedens in cathedra) EST QVASI TENERRIMVS LIGNI VERMICVLVS] Hebr.*ipse Adino Haetsni*,quod Sept.Pagn.& Vat. retinent vt nomen proprium,vertuntq; *Adino Hesnita*,vel *Adino Hasoneus*, vt *Iesbaam* nomine proprio vocatus sit *Adino*,ex patria verò,*Hesnita*, ex virtute& dignitate deniq; cognominatus sit *Iesbaam*,id est *sedens in cathedra*.Secundò,Noster *rò Adino Haetsni*,æquè ac *rò sedens in cathedra*, accipit vertitq; vt appellatiuum, significans ad verbum, *delicatus lignaceus*, hoc est *tenerrimus ligni vermiculus*. Laudatur enim *Iesbaam* hîc à tribus egregiis animi corporisque dotibus. scilicet primò à sapientia, secundò ab humilitate, & mansuetudine, qua se æstimabat & gerebat vt ligni vermiculum,id est vt teredinem, qui licet tener & vilis, tamen rodendo sensim durum terit exeditque lignum, indeque dictus est *teredo* ait Angelom.Tertiò à robore,quod 800. occiderit. q.d. *Iesbaam* amicis erat facilis, mitis & benignus, quasi vermiculus, sed idem hostibus erat terribilis vt leo. ita Eucher. Lyran.Abul.& Beda in Allegoriis.

Tropol. Sancti qui in sapientia & virtute eminent, apud se & alios sunt humillimi & mansuetissimi, quasi vermiculi; iidem tamen contra vitia & dæmones sunt fortissimi instar leonum.

QVI OCTINGENTOS INTERFECIT IMPETV VNO] Ergo errat Iosephus, qui pro octingentis ponit nongentos. Dices, 1.Paral. 11. numerantur tantùm trecenti. Resp. Iesbaam vna vice occidisse 800.alia 300.sic vt vniuersim occiderit 1100. Alleg. Iesbaam fuit typus Christi, *qui vno impetu*,id est sermonis imperio,legionem expulit dæmonum Lucæ 8. 30. ait Angelom. imò in cruce superauit omnes dæmones,omnia peccata,mortem,& infernum.Audi Ruper.lib. 2.c.38. *In Christo fuit spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce quasi vermem, & non hominem se conteri perpessus est: in hoc Verbum Dei est in vnam eamdemq; personam vnitum homini, quod & fortitudo eius est, in qua percussit octingentos impetu vno : mortuus enim semel spoliauit inferos; & nunc sedens in cathedra omnes iudicaturus est, viuos & mortuos. Quò omnium fortium angelorum aut hominum hucusque peruenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores Trinitatis, quorum fortitudinem, & nominibus propriis tres illi primi ordinis fortes pulchrè exprimunt.* Hi tres Apostoli sunt, S.Petrus, Iacobus & Ioannes.

POST HVNC, ELEAZAR FILIVS PATRVI VERSIVS] Hebr. *filius Dodo*, quod Vatab. Pagn. & alij accipiunt vt nomen proprium, quasi, *Dodo* fuerit pater Eleazari.Noster verò cum Sept. accipit vt appellatiuum, vertitque *patrui eius*, scilicet Iesbaam iam dicti.q.d.Iesbaam & Eleazar erant filij duorum fratrum, ideoque inter se consobrini. Primus ergo fortium fuit Iesbaam, secundus Eleazar, tertius Semma, de quo v. 11. Et hic fuit primus fortium ternio, de quo cum de aliis minùs fortibus est sermo dicitur: *Verumtamen*

tamen vsque ad tres non peruenerat, vt patet v. 23. A optabat ipse patriam suam è manibus Philisthinorum extorqueri, & sibi ac Israeli reddi. Fuit deinde secundus fortium ternio, de quo v.18.Post hos duos fortium terniones v.24. numerantur alij triginta fortes.

ET CONGREGATI SVNT ILLVC] vbi erat Dauid, scilicet *in Phesdomin*,vt dicitur 1. Paral. 11. 13.

VERS.10. CVMQVE ASCENDISSENT, id est fugissent, vt patet ex 1.Paral. 11. nimirùm ceteri milites, TVNC IPSE,Eleazar,STETIT]vnà cum Iesbaam, & fugauit totum exercitum Philisthinorum. Vnde sequitur.

PERCVSSIT PHILISTHÆOS, DONEC DEFICERET MANVS EIVS, ET OBRIGESCERET CVM GLADIO] *Obrigesceret* stupore & spasmo, ait Vatab. Experimur enim nimio labore & fatigatione manus contrahi ac stupere, vt explicari nequeant: stupor ergo manum Eleazar astrinxit gladio, vt ab eo amoueri non posset. Minùs rectè Iosephus lib.7.c.10. ait manus eius adhæsisse capulo ob sanguinem ab eo fusum in B gladio concrescentem, manumque Eleazari sibi astringentem. Nec enim cruor ita concrescit, vt manum gladio astringat.

VERS.11. ET POST HVNC SEMMA]Tertius hic est in primo ternione fortium.

ERAT QVIPPE IBI AGER LENTE PLENVS] quem scilicet Philisthini succendere vel deprædari volebant, sed fugientibus ceteris, tutatus est eum Semma.ita Abul.

VERS.13. NECNON ET ANTE DESCENDERANT TRES, QVI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA] Putant nonnulli hos tres non esse tres fortes primi ternionis iam recensitos, sed tres proximè sequentes, qui secundum ternionem fortium constituebant, nimirum Abisai (hic enim ad Dauidem venit in speluncam Odollam 1.Reg.22.) Banaiam & Ionathan; vt sensus sit q.d. Antequàm tres primi fortes, scilicet Iesbaam, Eleazar & Semma, Philisthæos in agro sternerent,alij tres fortes, scilicet Abisai, Banaias & Ionathan Dauidi sitienti aquam è cisterna Bethlehem per media hostium castra attulerunt.ita Hebræi apud S.Hieron. Verùm melius Iosephus lib.7. c.10. Serarius, Salianus & alij hoc factum referunt ad tres primos, siue primi ordinis fortes, q. d. Præter particularia horum trium heroum facta, quæ quisque eorum sigillatim gessit,vti iam recensui,hi tres heroes simul iuncti iam antè penetrarant castra Philisthinorum, & hauserant aquam de cisterna Bethlehem, eamque sitienti Dauidi attulerant.

VERS.14. ET DAVID ERAT IN PRÆSIDIO] hoc est, in loco munito, puta in arce & spelunca *Odollam*, de qua sermo præcessit; licet Ioseph. & Abul.per *præsidium*,intelligunt Ierusalem,& arcem Sion, cui vicina est Bethlehem. D

VERS.15. O SI QVIS MIHI DARET POTVM AQVÆ, DE CISTERNA, QVÆ EST IN BETHLEHEM!] Audi Ioseph. *Dixit ad suos Dauid: O quàm bonam aquam habemus in patria mea, maximè in cisterna portæ vicinæ! O si quis eam mihi afferret! id certè mallem quàm multum argenti accipere.* Omnes enim amant fontes & bona patriæ suæ : patria autem Dauidis erat Bethlehem. Verùm Dauidis vtpote cordati regis desiderium, magis ferebatur in ipsam Bethlehem,quàm in aquam eius: nimirũ

Cornel.in lib.Regum.

Dauid sitiens recusat aquã. Car.

AT ILLE NOLVIT BIBERE; SED LIBAVIT EAM DOMINO] Ne aquam bibens videretur sudorem & sanguinem suorum heroum, quo comparata erat; bibere & haurire; ac ne militi sirienti eamdem aquam appetendi desiderium iniiceret, sed vt sitiens doceret illos secum tolerare sitim. Idem fecit Iulius Cæsar & Alexander Magnus, teste Curtio lib 7. qui in aquæ penuria, & communi militum siti, oblatam sibi aquam noluit bibere. *Tunc*,ait Curtius, *poculò pleno sicut oblatum est,reddito. Nec solus,inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dauidere possum omnibus.* Sic & Cato ad suos milites ait apud Lucan.lib.9.

Fatoq; pericula vestra
Prætentate meo,sitiat quicumque bibentem
Viderit.

Et paulò antè :

O quibus vna salus placuit mea castra secutis
Indomitâ ceruice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus; summosq; labores.

Quare Dauid hîc heroicum actum elicuit non vnius,sed multarum virtutum. Primò, mortificationis:nam, vt ait Angelom. *in sacrificium Domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentia mactauit per pœnam reprehensionis suæ.* Secundò, satisfactionis pro peccatis. Nam vt ait S.Gregor.lib.9.Registri Epist.39. *Licebat ei bibere, si voluisset : sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter & à licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa suæ morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodùm si aquam biberet,etiam viuentium militum sanguinem se fudisse iudicauit, dicens: Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Tertiò, bonæ ædificationis & exempli. Nam vt ait Eucherius: *Vicit naturam, vt sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus disceret sitim tolerare.* Addit S.Ambros.Apol.1. Dauidis c. 7. *Exercuit etiam subditos ad virtutis officium;vt etiam per pericula regali imperio voluntarij milites obtemperarent. Quòd autem noluit bibere, declarauit probandorum militum se imperasse gratiâ, non sitis victum necessitate; prospexisse etiam ne cui regum bibendi vsus alienis periculis quæreretur. Postremò,piæ vulnus conscientiæ deprecatum,eò quòd aqua tot virorum quæsita sanguine, suauitatem bibendi habere non posset, quæ proposita mortis horrore constaret.*

Allegoricam causam S.Ambros. ibidem *Allegor. causæ.* assignat:*Sitiebat Dauid*, inquit, *non aquam de lacu,qui est in Bethlehem; sed oriundum ex virgine Christum spiritu præuidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis,sed potum gratiæ spiritalis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum,sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino libauit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum : illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum ; illum sitire se fontem æternum, non qui periculi quæreretur alimenta, sed pericula aliena depelleret.* Eadem ex Ambros.habet & transcriptit Eucherius, Beda & Angelomus. Quocirca Methodius Orat.in Hypapantem, Deiparam ita alloquitur : *Tu Bethlehemitica illa Cisterna & quam*

velut vita resocillatricem Dauid desideraui; ex qua immortalitatis poculum cunctis emanauit.

VERS.18. ABISAI QVOQVE FRATER IOAB, FILIVS SARVIÆ PRINCEPS ERAT E TRIBVS FORTIBVS] Secundi gradus & ordinis. Nam in primo ordine & ternione, primíque tres fortissimi erant Iesbaam, Eleazar & Semma. Ad quos nemo alius peruenit, vt sequitur. Hic ergo describuntur tres fortes secundi ordinis, & primis iam dictis proximi. Secundum ergo hunc fortium ternionem constituebant Abisai, Banaias & Ionathan. De Abisai constat hoc loco: de Banaia verò v.20. & 23. & clarè 1.Paral.11.24. Banaias enim pollebat robore, æquè ac consilio; vnde præerat legionibus Cerethi & Phelethi, eratque secretarius Dauidis, vt patet v.23. De tertio Ionathan, est dubium. Nam Abul. q.26. censet tertium esse Asaelem fratrem Ioab, de quo v. 24. hic enim ibidem ponitur primus inter triginta, id est fortior & præstantior ceteris triginta fortibus. Serarius verò censet tertium esse Ioiadam patrem Banaiæ: Ioiada enim v.20. vocatur *vir fortissimus*. Alij censent esse Sobochai de quo c. 21. v. 18. Alij esse Ioab ex v.24. Meliùs noster Salianus & Sanchez censent tertium esse Ionathan filium Samaa fratris Dauidis. Hic enim vnum gigantem, imò duos interfecit, vti dictum est c.21.v.19. & 21. si credimus Hebræis, qui dicunt Ionathan eumdem esse cum Adeodato: sed verius est, esse diuersum. Nam *Elchanan*, id est *Adeodatus*, ponitur non inter tres, sed inter triginta fortes, 1. Paral.11. v. 26 æquè ac Sobochai v. 29. quare superest solus Ionathan ex c. 21.19. qui cum Abisai & Banaia constituat secundum ternionem fortium, ideoque diuersus est à Ionathan filio Sage Araritæ, qui pariter 1.Paral.11. 34. inter triginta fortes numeratur. Porrò Hebræi apud S. Hieron.in Trad. Ruper. lib. 2.c.37. & Lyran. censent tres hosce fortes secundi ordinis esse tres illos, qui tres, imò quatuor gigantes interfecerunt c.21. nimirum Abisai, Sobochai & Adeodatum, siue Ionathan, putant enim ipsi hos duos vltimos non fuisse duos, sed vnum eumdemq; *Ionathan* enim Hebr. idem est quod Latinè *Adeodatus*: quæ sententia est probabilis, sed prior probabilior; nam *Adeodatus* Hebr. vocatur *Elehanan*, non *Ionathan*, fuitque filius *Iaare*, id est *Saltus*, vt dicitur c. 21. 19. Ionathan verò fuit filius Samaa, vt ibidem dicitur v.21.

SED VSQVE AD TRES PRIMOS NON PERVENERAT] q.d. Abisai non erat ex primo ternione fortium, sed ex secundo, in eoque erat primus.

Mysticè: tres fortes Dauidis sunt tres eius eximiæ virtutes, scilicet sapientia, humilitas, & fortitudo, quas celebratas audiuimus v.8. ita Angelomus. Vnde Ruper. lib.2.c.37. *Ideò, vsque ad tres primos non peruenerat*, sic exponit q.d. *Quamuis Abisai inter tres fortes Dauidis nobilior, & eorum princeps fuerit, tamen nec fortitudo eius fortitudini Dauidis, nec sapientia eius sapientiæ Dauid, nec humilitas eius humilitati Dauid coæquari potuit*: multò minùs Sanctorum sanctitas sanctitati Christi, à quo dimanat, comparari potest.

Porrò Dauid hic non numeratur, quia rex; nec Ioab, quia militum & fortium dux, licet Ruper. lib. 2.c.37. censeat Ioab, etsi fortissimum, A non nominari, eò quòd ipse iniquè occiderit Abner & Amasam. ita & Abul.

IPSE (Banaias) PERCVSSIT DVOS LEONES MOAB] leones enim Moabitici fortiores & ferociores sunt Indicis, æquè ac sunt Punici; vti ex Alberto & Auicenna docet Gesnerus Tract. de leone lib.1. Vnde in Hebr. hi leones vocantur *Ariel*, id est *leones Dei*, id est magni, vasti & sæui, quæ enim Dei sunt, magna sunt. Nonnulli per *duos leones* accipiunt duos duces fortissimos, qui idcircò *leones Moab* vocētur, quòd Moabitis opem tulerint, cùm à Dauide oppugnarentur 2. Reg. 8. 2. ita Hebræi apud S. Hieron. Ioseph. Glossa, Lyran. Caiet.

ET PERCVSSIT LEONEM IN MEDIA CISTERNA IN DIEBVS NIVIS] Rem gestam ita narrat Iosephus: *Cùm ningeret, leo in quendam puteum illapsus est, cuius os quòd angustum esset, videbat breui fore, vt ibi nimbis opprederetur. Atque ideò deplorata exitu, & salute, rugire cœpit. Banaias autem fortè fortuna iter faciens accurrit ad rugitum bestiæ, & cùm descendisset in puteum, repugnantem ictu baculi quem gerebat, exanimauit.*

IN DIEBVS NIVIS] addit hoc ad commendandam Banaiæ fortitudinem, quòd tempore niuis, quo maximè ob famem & prædæ defectum fœuire etiam in homines solent leones, leonem occiderit. Leo enim cùm sit calidissimus, & igneus, tempore niuis & frigoris robustissimus est, homo verò frigore contrahitur & obtorpescit.

Porrò Hebr. apud S. Hieron. & ex iis Ruper. lib. 2. c. 37. per *leonem* intelligunt Ioab, quem iussu Salomonis occidit Banaias 3. Reg. 2. 29. idque inquit, *in media cisterna, id est, in domo Domini, vbi cornu altaris tenebat. Cisterna ideò dicitur, quia sicut aqua cisterna immunditiam aufert, ita etiam nihilominùs hæc cisterna, id est sanctuarium domini peccata expiabat: in diebus niuis, quia per mortem peccatum expiauit.* Verùm hoc symbolicum est.

QVI ERANT INTER TRIGINTA (de quibus v. 24.) NOBILIORES] q.d. Banaias *inter triginta* fortes erat *primus*, vt dicitur 1. Paral.11 24.

ASAEL FRATER IOAB INTER TRIGINTA] Præter duos terniones fortium iam recensitos, hîc subiungit tertium, sed decuplo maiorem, continentem scilicet ceteros triginta fortes, qui tamen cum sex iam dictis non erant coæquandi, quorum primus erat Asael. *Triginta*: præcisè sunt triginta duo vt patet numerantí, sed Script. numeros integros assignat, quales sunt denarij vel simplices, vel duplicati, aut triplicati, vti sunt triginta.

ELEHANAN] hic videtur esse *Adeodatus* de quo c.21.19. ille enim ibidem in Hebr. vocatur *Elchanan*, fuitque Bethlehemites.

FILIVS PATRVI EIVS] scilicet Asaelis. q.d. Asael & Elehanan erant filij duorum fratrum, ideoque consobrini. Heb. est *Dodo*, quod vt nomen proprium, retinent Septuag. 1. Paral.11.

Mysticè Rupert. lib. 2. c 38. per primum ternionem fortium Dauidis accipit Apostolos, qui fuerunt fortissimi; nam totum orbem subegerunt Christo: per secundum ternionem fortium accipit Martyres. Causam subdit: *Post Apostolos quippe, martyres incedunt pugnatores eiusdem Trinitatis, fortes quidem & ipsi, vt meritò totum in illis glorietur regnum Dauid, id est omnis Ecclesia Christi,*

sti, verumtamen inferiores Apostolis. Post illos ordinantur & alij triginta fortes, omnes videlicet gloriosi eiusdem sanctæ & individuæ Trinitatis confessores, fideliter credendo, & præcepta Decalogi fortiter adimplendo, facti insignes, ac proinde nos infirmiores ac plebeios, magni Dauid milites, meritis præcipuis protegere valentes.

VERS.32 ... FILII IASSEN, IONATHAN] *Filij*, id est ex filiis, ait Serarius; vel *filij*, id est *filius*. Est Enallage numeri. Sic Genes. 46.23. dicitur *filij Dan Husim*, quia Dan vnicum tantùm habebat filium, scilicet *Chusim*, ita Caiet. Verius Emanuel, & ex eo Sorarius, censent רב יאשן *Bene Iassen*, id est *filij Iessen*, vt vertit Noster, esse nomen proprium huius viri & herois, vnde aliud nomen proprium ei non datur, sed tantùm à patria cognominatur *Gezonites* 1.Paral.11.33. Nam *Ionathan*, qui sequitur, diuersus est à *Bene Iassen*. Ibidem enim mox vocatur Ionathan, filius Sage, *Ararites*, non *Gezonites*.

VERS.34. ELIAM FILIVS ACHITOPHEL] Hic *Eliam* fuit pater Bethsabee vxoris Vriæ, & postea Dauidis, vti tradunt Hebræi.

VERS.39. VRIAS HETHÆVS] Audi Rupert. lib.2.c.39. *Triginta fortium vltimus positus erat Vrias Ethæus, videlicet propter id, quod sequitur: & addidit furor Domini irasci contra Israel. Iam enim vltio facta fuit in Dauid, & in domo eius: in populo verò, qui noluit resistere Dauid in perimendo Vria Ethæo, necdum vltio diuina facta fuerat.* Ex S. Hieron hausit id Rupert. æquè ac Angelomus, Hugo ac Abul. Verùm aliam pestis causam afferam c.sequenti.

OMNES TRIGINTA SEPTEM] Sunt enim triginta duo fortes, deinde quinque (nam sextus non nominatur) fortissimi, in primis duobus ternionibus iam recensitis, quibus additis fiunt vniuersim triginta septem. Iosephus numerat 38. quia addit Dauidem: Lyran. verò 39. quia insuper addit Ioab. Porrò 1.Paral.11. plures numerantur: nam post 37. hic recensitos, & vltimum Vriam, alios sedecim adiungit, quia liber Paral. supplet ea quæ in libris Regum subticentur. Præcipui ergo fortes Dauidis fuere 37. qui hîc recensentur; sed præter illos fuere alij fortitudine quoq; præstãtes, qui in Paral. adduntur. Hi enim locij fuere Dauidis fidelissimi, ac venerunt ad eum à Saule profugum, eumque *adiuuerunt*, vt fieret rex super totum Israel, vt ibi dicitur c.11. v.10. vnde expleto horum 37. fortium numero dicitur ibidem v. 42. *Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, & cum eo triginta*, q.d. *Adina* princeps erat Rubenitarum non omnium, sed illorum triginta, quos secum ducebat, esto illi non essent è numero triginta fortium.

Allegor. Hi fortes Dauidis repræsentant Heroes Christi, qui non tantùm pro se, sed & pro aliis tuendis saluandisque fortiter decertant. ita Eucher. *Domus forsum* ergo est Ecclesia Christi, tum militans, tum triumphans, vt dixi v.8. Hinc eius caput est Roma, quæ Hebr. idem est quod *excelsa*; Græcè verò idem quod ῥώμη, id est *robur* & fortitudo (vnde & Roma primitùs vocabatur *Valentia*) quia Romana Ecclesia fortiter semper cum suo Pontifice contra errores & hæreses omnes decertauit, eaque profligauit iuxta promissum Christi Matth.16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Vja ergo ad cælum & felicitatem æternam est fides, doctrina & virtus Ecclesiæ Romanæ, per hanc enim pergimus ad Ierusalem & Romam cælestem. Vnde in vita S. Dunstani Cantuar. Episcopi legimus, eum à Cherubinis & Seraphinis inuitatum in cælum ipso die Ascensionis Christi, cùm ipsi dicerent: *Eia paratus esto, præstò sis hinc nobiscum Romam venire, & coram summo Pontifice* (Christo) *sanctus, sanctus, sanctus, in æternum cantare.* Quare motiens sursum cum lecto è terra in altum eleuatus est, ac ad circumstantes ait: *Vos videtis quò vocor, si vultis mecum ire, ite viâ quâ inceps*; viâ scilicet fortitudinis, generosè certando contra cupiditates & tentationes vniuersas. *Romæ etym. mon.*

Symbol. Ab hisce Dauidis fortibus Gentiles mutuati sunt suos heroes, quibus Poëta: *Salvete*, inquit, *Heroes Deûm genus.* Qualis fuit Hercules, qui in Gadibus suis statuit columnas, cum hoc lemmate: *Nihil vltra.* De quo Propertius lib.4: *Heroes vnde de t*

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem
Ille ego sum, Alciden terra recepta vocat.

Hinc finxerunt Argonautas, & heroica eorum facinora: scilicet quòd Iason cum 54. heroibus in naui dicta Argo nauigarit Colchos ad auferendum vellus aureum, quorum præcipui fuere Castor, Pollux, Typhis, Hercules, &c. de quibus Virgilius Ecloga 4.

Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.

Vide Diodor. lib.4. & Hyginum Fabul.14.

Porrò tales futuros Christi discipulos prædixit Sibylla Cumana, cuius versus Virgil. loco citato ad Pollionem exercitus ducem adulando transtulit; sed reuerà illi non nisi Christo congruunt; sic enim de eo inter cetera canit:

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuâ soluent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, diuisq; videbit
Permixtos heroas, & ipse videbitur illis.

Et inferiùs.

Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus ob numeratum à Dauide populum iratus, trium pœnarum optionem Dauidi offert, scilicet famis, belli & pestis. Dauid pestem eligit: Quare illa ingruens 70. millia occidit: mox vers. 17. Dauid orat vt à populo in se pœna transferatur, ac in area Arevna sacrificat, itaq; Deum sibi populoq; reconciliat.

1. ET addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israel & Iudam. 2. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabee, & numerate populum, vt sciam numerum eius. 3. Dixitque Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiusmodi? 4. Obtinuit autem sermo regis verba Ioab, & principum exercitus: egressusque est Ioab, & principes militum, à facie regis, vt numerarent populum Israel. 5. Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer ad dexteram vrbis, quæ est in Valle Gad: 6. & per Iazer transierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan siluestria. Circumeunteſque iuxta Sidonem, 7. transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Heuæi & Chananæi, veneruntque ad meridiem Iudæ in Bersabee: 8. & lustrata vniuersa terra, affuerunt post nouem menses & viginti dies in Ierusalem. 9. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum. 10. Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus: & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valdè in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. 11. Surrexit itaque Dauid manè, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam & Videntem Dauid, dicens: 12. Vade, & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. 13. Cumque venisset Gad ad Dauid, nuntiauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam, ei qui me misit, sermonem. 14. Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est vt incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsque ad Bersabee, septuaginta millia virorum. 16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi. 17. Dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. 18. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi. 19. Et ascendit Dauid iuxta sermonẽ Gad, quem præceperat ei Dominus. 20. Conspicienſque Areuna, animaduertit regem & seruos eius transire ad se: 21. & egressus adorauit regem prono vultu in terram, & ait: Quid causæ est vt veniat dominus meus rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: Vt emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo. 22. Et ait Areuna ad Dauid: Accipiat, & offerat dominus meus rex, sicut placet ei: habes boues in holocaustum, & plaustrum & iuga boum in vsum lignorum. 23. Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. 24. Cui respondens rex, ait: Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & boues, argenti siclis quinquaginta: 25. & ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.

ET

VERS. 1. ET ADDIDIT FVROR DOMINI IRASCI CONTRA ISRAEL] Quæres, cur, & ob quod peccatum Israelis? Resp. Theodor. eò quòd Israel cum Absalomo contra Dauidem regem suum rebellasset. Sed ob hoc peccatum cæsa sunt viginti millia & ampliùs c. 18. licet fortè hæc pœna tantæ culpæ non sufficerit, nec satisfecerit. Secundò, Lyran. & Caiet. respondent fuisse peccatum, quo Israel cum Seba conspirauit contra Dauidem: in hac enim conspiratione solus Seba punitus est; populo ergo à Deo castigatio hæc fuit reseruata. Tertiò, Abul. censet insuper alia fuisse populi peccata, qualia fæpè grassari solent in Rep.

COMMOVITQVE DAVID IN EIS DICENTEM (vt diceret & iuberet Ioabo) VADE NVMERA FILIOS ISRAEL ET IVDA] *Commouit* Deus Dauidem, non per se suggerendo ei, & dicendo: *Vade & numera populum* (sic enim incitasset eum ad peccatum, quod facere nequit) sed permittendo diabolo ad id parato, & anhelanti, vt Dauidem ad superbam hanc populi numerationem incitaret. Deus ergo indirectè, diabolus verò directè excitauit Dauidem ad hanc numerationem, vti expressè dicitur 1. Paral. 21. 1. *Consurrexit*, inquit, *Satan contra Israel, & concitauit Dauid, vt numeraret Israel.* Tribuit ut tamen hîc idipsum Deo, vt ostendatur iusto Dei iudicio contigisse, vt permitteretur peccare Dauid in numerando populum, hoc fine vt puniretur populus. Deus enim ita manu sua continet diabolos, & malos homines, vt, licet ardeant ad malefaciendum, tamen nusquam erumpere possint, nisi quò ipsos, vt eant, miserit, vel positiuè ipse permiserit ad peccatorum castigationem. Atque hæc positiua Dei permissio vocatur actio & commotio, vt dixi cap. 16. 10. vbi dicitur *Deus præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi.*

Hinc sapienter aduertit S. Gregor. lib. 29. Mor. c. 14. subditos non debere irasci principibus, cùm in aliquem errorem vel vitium labuntur, sed lapsus causam sibi suisque peccatis ascribere. *Ille*, inquit, *Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius Dauid Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit; & tamen vindictam populus, Dauid peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundùm meritum plebium disponuntur corda rectorum. Iustus verò iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit.* Vnde concludit subiiciens: *Certum verò est, quòd ita sibi inuicem & rectorum merita, connectantur & plebium, vt sæpè ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, & sæpè ex plebium merito mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temerè vitam iudicare regentium.* Eadem ad verbum ex S. Gregor. transcripsit Angelomus & Eucherius, vel potiùs Beda. Nam S. Eucherius ætate antecessit S. Gregorium, Beda verò secutus est.

NVMERATE POPVLVM, VT SCIAM NVMERVM EIVS] Scriptura præcedenti c. 23. recensuerat fortes & heroes Dauidis; nunc ipse Dauid ceterum populum sibi subditum numerari iubet, vt sciat quot & quantos ipse habeat subditos, quotque ex iis apti sint vt in milites conscribantur, indeque sciat suum robur; quot scilicet milites in aciem educere possit. Peccauit tamen, quia id fecit ex vanitate & superbia. Audi S. Augustin. lib. 22. contra Faust. c. 66. *Ibi in gregem sibi commissum tanta dilectio pastoralis, vt pro eo ipse vellet mori, quando populo numerato peccatum elationis eius, sic punire placuit Deo, vt eumdem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat superbiâ pertentatum. In quo occulto iudicio Deus, apud quem non est iniquitas, & quos noverat indignos hac vita, subtraxit huic vitæ; & in illo qui de hominum copia se extulerat, tumorem animi humani, eiusdem copiæ diminutione sanauit.* Peccatum ergo Dauidis fuit superbia. Aliud peccatum assignat Ioseph. Caiet. & Abul. scilicet quòd in hac numeratione & censu neglecta fuit lex Exodi 30. 13. quæ iubet vt in censu quisque soluat dimidium siclum. Verùm nulla huius neglectus fit hîc mentio. Adde, licet Dauid solui iussisset dimidium siclum lege præscriptum, populusque eum soluisset, peccasset tamen Dauid, cogens sua numeratione populum ad soluendum dimidium siclum hunc sine causa. secùs fuisset si Dauid iustam habuisset populi numerandi causam; v. g. si volens proficisci ad bellum, & scire numerum eorum qui militare vel arma ferre possent, censuisset populum: vel si tributum fuisset toti populo imponendum ob causam publicam, tunc enim non peccasset.

Simili modo Romani faciebant lustrum, & censum omnium prouinciarum, singulaque hominum capita numerabant & describebant: tum vt scirent quàm numerosæ essent prouinciæ, quotque milites dare possent; tum vt censum ab eis exigerent, vti fecit Augustus, in plena orbis pace iubens describi totum orbem sibi subditum, eique censum indicens, in qua descriptione & censu natus est Christus, qui, vt ait S. Gregor. suos fideles numerat & describit in beata æternitate, Lucæ 2. 1.

VERS. 9. ET INVENTA SVNT DE ISRAEL OCTINGENTA (perperam Iosephus habet *nongenta*) MILLIA VIRORVM FORTIVM] Igitur pueri & fœminæ non fuerunt numerati. Dices, 1. Paral. 21. 5. dicitur, *omnis numerus Israel mille millia & centum millia virorum.* Ergo fuere trecenta millia ampliùs. Resp. Hebræi apud S. Hieron. hîc tantùm recenseri viuos, in Paral. verò tam viuos quàm mortuos, nimirum qui peste à Deo percussi mortui sunt. vnde colligunt ipsi peste mortuorum numerum fuisse trecenta millia. sed repugnat Script. quæ hîc v. 15. numerat dumtaxat 70. millia.

Secundò, alij respondent hîc non numerari tribum Beniamin & Leui; in Paral. verò numerari, ideoque trecenta millia ampliùs recenseri. Verùm in lib. Paral. post numerum vndecim centenorum millium, illicò subditur Leuitas & Beniaminitas non fuisse numeratos. Ergo illi nec hîc, nec in Paral. numerantur.

Dico igitur duplicem hîc fuisse descriptionem, siue censum Israelis: prior fuit, qua principes exercitus per singula oppida & vicos in priuatis libris singulorum nomina describebant; & iuxta hanc descriptionem fuere vndecim centena millia populi numerata, vt habet

liber Paral. posterior fuit qua ex priuatis hisce catalogis siue libris singulorum nomina transscribebantur in librum maiorem, quem habebat Ioab, vt eum traderet regi, itaque in fastos & Annales publicos referrentur, & horum numerus fuit tantùm octingentorum millium, vt hîc dicitur. Causa fuit, partim quòd Ioab inuitus hanc descriptionem peragerer, ideoque in ea regi transscribenda moras necteret, vt sedaret factum regis: partim, quòd sæuiente peste à Deo immissa inhibita & incisa fuerit hæc transscriptio, quare omittuntur in ea trecenta millia iam dicta. Id liquet ex 1.Paral.27.24. *Ioab*, inquit, *cœperat numerare, nec compleuit* (vnde nec Beniamin nec Leui numerauit) *quia super hoc ira* (pestis) *irruerat in Israel, & idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis Dauid.* Scriptor verò Paral. ex priuatis catalogis illa trecenta millia addidit & suppleuit.

ET DE IVDA QVINGENTA MILLIA PVGNATORVM] qui scilicet apti erant ad ferenda arma & pugnandum, vt præcessit, esto actu nõ essent milites & pugnatores. Dices, 1.Paral.21.5. numerantur dumtaxat 470. millia ex Iuda. Resp. Abul. ibi non numerari eos, qui ex Iuda familiæ & militiæ Dauidis erant asscripti, eò quòd illos Dauid apud se iam haberet in numerato: hos autem fuisse triginta millia, quæ iuncta cum 470. millibus faciunt quingenta millia. Ita Abul. & Lyran. Aliter alij respondent nimirùm. Primò, Hebræi apud S.Hieron. & ex eis Angelomus, aiunt noluisse Ioab summam integram, quæ erat 500. millium, tradere Dauidi, ne ipse ex sua tribu Iuda tam numerosa superbiret; vnde decerpsisse ex eis triginta millia.

Secundò, alij asserunt triginta hæc millia fuisse proselytorum, id est Gentilium ad Iudaismum conuersorum, qui se tribui Iudæ aggregarunt, ideoque illa hîc non numerari.

Tertiò, Serarius respondet hîc selectiores tantùm numerari, eosque fuisse 470. millia: In Paral. verò omnes omninò, & eos fuisse 500. millia.

Quartò, Salianus: tribus Iuda, inquit, secundùm antiquos suos terminos hic æstimatur; intra quos tribus Dan & Simeon, quasi in sinum Iudæ receptæ sunt; idque confirmatur ex eo, quòd Ioab cum suis dicitur venisse ad meridiem Iuda, in Bersabee: cùm tamen constet id oppidum fuisse in tribu Simeonis, non Iudæ.

VERS.10. PERCVSSIT AVTEM COR DAVID EVM] q.d. Conscientia Dauidem momordit, dictauitque ei quòd malè egisset numerando populum ex superbia & præsumptione. Iosephus addit, *Gad* propheram aliosque Dauidi ostendisse quòd in hac numeratione peccasset, ac hunc conscientiæ scrupulum ei mouisse.

VT TRANSFERAS INIQVITATEM] vt scilicet eam auferas, remittas & condones.

VERS.12. TRIVM TIBI DATVR OPTIO] *Trium*, scilicet cladium & calamitatum, nimirum pestis, famis & belli: quodcumque enim ex his tribus elegeris, demet & demetet numerum hunc ingentem Israelis, in quo tu quasi rex superbis & gloriaris, itaque sternet tuam superbiam. ita S. Augustin. lib.22. contra Faustum c.66.

VERS. 13. AVT SEPTEM ANNIS VENIET TIBI FAMES] Pro *septem* 1.Paral.21.12. dicitur *tribus*, quia prior propositio Dei & Gad prophetæ continebat *septem*: sed hanc deinde Deus petente Gad aut Dauide mitigauit & redegit ad tres annos, sicut numerum 50. iustorum in Sodoma ob preces Abrahæ diminuit & redegit ad decem Genes.18. Vnde Ioseph. Origen. Ambros. Theodor. & alij tres tantùm annos famis Dauidi proposítos asserunt.

MELIVS EST VT INCIDAM IN MANVS DOMINI (MVLTÆ ENIM MISERICORDIÆ EIVS SVNT) QVAM IN MANVS HOMINVM] Bellum ergo hominum, putà Philisthinorum, Syrorum & Ammonitarum deprecatur; de cetero Dauid resignat se Deo, vt vel famem, vel pestem infligat. Sed vrgente Gad propheta, vt alterum horum definiret eligeret, elegit pestem. nam Sept. addunt: *Et elegit sibi Dauid mortem*, id est pestem, quam vulgò *mortem*, siue mortalitatem, appellamus. Idem tradit Iosephus, qui & aliam causam huius electionis Dauidis assignat, quem audi: *Rex cogitans quòd si famem peteret, sui magis quàm aliorum rationem habuisse videri posset, quandoquidem ipsi nihil periculi esset multum frumenti in horreis habenti, illis non item. Quòd si per tres menses ab hoste vinci elegisset, sic quoque sibi consuluisse, qui arces & fortissimam circa se cohortem haberet: Optauit malum regnantibus æquè ac regnatis commune, in quo omnibus par metus immineret, præfatus, melius esse incidere in manus Dei, quàm in manus hominum.* Sic & Theodor. Abul. & Caiet. Dauid ergo eligens *incidere in manus Dei*, videtur elegisse pestem: hæc enim est plaga qua homines percutit manus Dei, ait Lyran. & Varab. nam fames sæpè non proximè à Deo, sed ab hostium deprædatione, vel terræ siccitate, aut aëris intemperie oritur.

Dices, Daniel.13.23. contrariũ Dauidi elegit Susanna dicens: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Responsio est facilis: Susanna enim loquitur de eo qui incidit in manus hominum per pœnam, vt ab eis occidatur: hoc enim satius est, quàm incidere in manus Dei per culpam, putà per fornicationem, ad quam ipsa à senibus vrgebatur. q.d. Satius est occidi ab hominibus, quàm peccare in Deum. cædes enim hominum temporalis est, offensa verò & vindicta Dei est æterna, quare præstat offendere homines, quàm Deum. At verò Dauid loquitur de pœna, non de culpa, q.d. Satius est puniri à Deo, quàm ab homine, putà ab hoste: hic enim sæpè sæuus est & implacabilis; Deus autem misericors, & pœnitentia placatur. Hinc S. Chrysost. hom.29. in Epist. ad Roman. ostendit Dauidem fuisse bonum pastorem, quia iuxta Christi Domini sententiam Ioan.10.11. animam suam dabat pro ouibus suis: *Propterea*, inquit, *in optione suppliciorum illorum non famem elegit, non hostilem persecutionem; sed immissam à Domino mortem, per quam sperabat alios quidem fore securos; se verò ante reliquos omnes è medio tollendam.* Vnde ait: *Ego sum qui peccaui: ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Nam vt bene D. Chrysost. addit: *Vellicabantur viscera ipsius cadentibus illis, tamquam si gens sua necarentur filij.* Vnde S. Ambros. Apol.1.Dauid. c.7. *Quo facto*, inquit, (id est oratione pro subditis) *statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus.* Et inferiùs: *Nec mirum*, inquit, *si tali oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam: cùm Moyses, offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleuerit.*

VERS.15. IMMISITQVE DOMINVS PESTILENTIAM IN ISRAEL, DE MANE VSQVE AD TEMPVS CONSTITVTVM] Sept. *à manè vsque in horam prandij.* Chald. *à tempore quo mactatur inge* (sacrificium) *vsquequò adoleatur*, id est, vsquequò adolendo plenè comburatur, quod erat sub tempus prandij. Sic & Ioseph. Hinc multi putant pestem hanc duravisse tantùm per sex horas: tot enim sunt à manè ad prandium. ita Theodor. *Trium dierum*, inquit, *mortem Deus minabatur, sex autem horis solùm mortem intulit. Si dies numerentur cum noctibus, inuenitur pars solùm duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus & clemens maioribus quidem vsus est minis peccatores terrens, minùs autem longè minora infert supplicia.* Idem Ambr. in Psal.37. *Qui proposuerat*, inquit, *mortem triduo exercere in terra: ne vnum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulsit, & vt verbo Scripturæ vtar, habuit pœnitentiam super malitiam.* Et aliquantò pòst: *Vide*, inquit, *Domini gratiam, quòd & ipse à proposita conditione deflexit. Numquid aliquod miserationis est crimen, quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet?* Alij vt Lyran. Ruper. Vatab. Sanchez, per *tempus constitutum* accipiunt tempus statum sacrificij vespertini, quo scilicet vespere alter agnus Deo offerebatur in ingens sacrificium, quasi vi istius sacrificij cessarit pestis: Hebr. enim מוֹעֵד *moed*, significat *tempus statum*, quale est festorum & sacrificiorum. Verùm simpliciùs & aptiùs, per *tempus constitutum* accipias triduum à Deo constitutum plagæ pestis v.13, ita Abul. qui idipsum ratione confirmat: quia inquit, si nulla priùs facta fuisset mentio temporis, quo durare deberet pestilentia, esset diuinationi locus, & nominato manè quo cœpit pestis, posset intelligi durasse ad tempus vespertini sacrificij à lege definiti; præsertim cùm eo tempore Dauid sacrificasse videatur. At cùm paulò antè dictum fuerit, triduo duraturam, mox que dicatur durasse ad tempus constitutum, vis vtique affertur Scripturæ, si tempus constitutum, aliò quàm ad prædictum triduum referatur. ita quoque Caiet. Dion. Salian. & alij, qui censent pestem hanc durasse per duos integros dies, & per partem diei tertiæ, donec Deus dixit Angelo percutienti: *Sufficit* v.16.

ET MORTVI SVNT EX POPVLO, &c. SEPTVAGINTA MILLIA VIRORVM] Perperam ergo Rabbini numerant trecenta millia, vt dixi v.9.

VERS.16. CVMQVE EXTENDISSET MANVM SVAM ANGELVS DOMINI (hinc patet Angelum hunc infligentem pestem fuisse bonum, non malum. Sic bonus Angelus cremauit Sodomam Genes.19. idem magis patet v.17. vbi Dauid ab Angelo veniam precatur) SVPER IERVSALEM VT DISPERDERET EAM, MISERTVS EST DOMINVS] Hinc patet, Angelum priùs peste percussisse ceteras tribus, ex eisque occidisse 70. millia, ac tandem tertio die percussisse quoque Hierosolymam multosque in ea necasse: nam & Hierosolymitæ peccarant in Deum, conspirando cum Absalomo contra Dauidem suum regem, aliisque pluribus peccatis.

ET AIT ANGELO PERCVTIENTI POPVLVM: SVFFICIT] Hic colligitur Deum, antequàm oraret Dauid, ex spontanea misericordia iussisse Angelo vt plagam pestemque sisteret. Porrò Angelus hic infligebat Israelitis pestẽ, *applicando eorum corpori & cordi aliquid valde pestiferum*, ait Abul. *quod subitò corrumperet viscera, idq; sine sensu, sicut non sentitur aër infectus cùm attrahitur; & quia illud quod applicabat Angelus, erat magis corruptum quàm aër, qui in tempore pestilentiæ attrahitur, velocius & insensibilius homines cadebant, tamquam nullum habuissent languorem.* Hinc vocatur pestis hæc *gladius*: tum quia qui percutiebantur peste ab Angelo, sentiebant quasi ictum gladij; tum quia in Script. omne quod pungit, cruciat, affligit, per catachresin vocatur *gladius*. Simile contigit in peste Romana, quæ Pelagium Pont. sustulit, ad quam sedandam S.Gregorius publicas Litanias ad basilicam S.Petri instituit, ipseque gestabat imaginem B. Mariæ à S.Luca depictam, de qua audi Baronium anno Christi 590. *Tunc verò & mirandum istud accidisse tradunt, vt cùm peruenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in signum reconciliati numinis, visus fuit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoq; symbolo morbum cessasse significare voluisse*, quemadmodum (vt superiùs ex eodem Gregorio Dialog.lib.4.c.36. dictum est) per sagittas visas cælitùs lapsas idem fuerat diuinitùs præmonstratus. *Peste sublatus missa.* *Exempla.*

Simile factum in peste illa vniuersali per Orientem, imò per totum orbem, quæ contigit anno Christi 594. qui fuit 18. Iustiniani Imp. de qua ita scribit Procop. lib.2. de Bello Persico, & ex eo Baronius: *Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt: quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusq; subitò irruebat. Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis (vt poterant) supplicationibus eum auertere frustrà quærebant: ac tamquam lymphati, seu spiritu maligno agitati, amicos vocantes minimè audiebant: in locis quoque angustis coercebantur. Nonnullis verò in somnis hæc eadem accidebant.* Et inferiùs: *Tribus igitur mensibus huiusmodi lues Constantinopoli præualuit, & ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque, sæpiùs etiam decem millia efferebantur: adeò vt plures etiam diuites, ministris iam omnibus extinctis, curatorum penuriâ magis, quàm morbo perirent, & insepulti manerent.* Remedium fuit imploratum B. Virginis auxilium, quo lues extincta est, vnde in memoriam tanti beneficij Græci instituerunt Festum ὑπαπάντης, id est occursus Domini, quod nos festum Purificationis B. Virginis nuncupamus, die 2. Febr. Vide Baron. in Martyrol. & in Annal. anno Christi 544. in fine. Similis pestis contigit Anno Domini 603. de qua ita Regino in Chronico: *Tunc*, ait, *visibiliter multis apparuit quòd bonus & malus Angelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex ipsu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium domus cuiuscumque percussisset, tot de eâdem domo sequenti die homines interirent.* Idem prorsùs Romæ contigisse sub Agathone Pont. anno Domini 689. iisdem verbis, quibus vtitur Regino (vnde suspicio est vnum idemque ab vtroque narrari, sed alio anno consignari) scribit Paulus Diaconus

conus lib. 6. c. 5. & Anastasius Bibliothec. in Agathone, atque ex iis Baron. anno Christi iam dicto, qui & addunt: *Tunc per reuelationem cuidam dictum est, quòd pestis ipsa prius non quiesceret, quàm in basilica quæ B. Petri ad vincula dicitur, S. Sebastiani Martyris altarium poneretur. Factumq; est, & delatu ad vrbem Romam brati Sebastiani Martyris reliquiis, mox vt in iam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quieuit.* Hucusque Paulus: *Exstat adhuc integrum ipsum altare, nec non eiusdem sancti martyris imago inciso opere expressa. Sed ex hoc propagata ad posteros religio est, vt pestis tempore voti causa imago eiusdem sancti Sebastiani diuersis in locis pingi soleret; sed & in eius memoriam altaria erigi, imò etiam & ecclesias fabricari. Eadem de tempore & peste habet Anastasius in Agathone Pont.* Hæc Baronius.

A

B

VERS. 17. DIXITQVE DAVID AD DOMINVM, CVM VIDISSET ANGELVM CÆDENTEM POPVLVM: EGO SVM QVI PECCAVI] Angelus iam iussu Dei steterat plagam: quo facto, ostendit tamen se Dauidi vultu truci & igneo, cum stricto gladio, quasi minans adhuc populum ferire: quare territus Dauid cum suis supplex in terram procidit, periitque populo veniam & impetrauit. ita Abul. Salian. & alij. Hebræi tradunt Dauidem ex hac visione & dolore populi percussi perculsum incurrisse morbum incurabilem. Quare ipsum ad Deum ingemuisse: *Miserere mei, quoniam infirmus sum*, Psal. 6. 3. *Infirmum se appellat*, inquit Lyran. *iuxta sententiam veterum Rabbinorum, quia ex visione Angeli percutientis populum pro numeratione prædicta, fuit ita perterritus, vt de cetero languidus remaneret: adeò vt nullis vestibus calefieret, vt 3. Reg. 1. v. 1. dicitur. Aiunt Hebræi*, inquit Hieronymus, *Sadoc sacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuisse, & imitatum fuisse patrem suum Aaron, & illius preces & deuotionem Dominum vidisse & misertum fuisse.*

C

EGO SVM QVI PECCAVI] scilicet numerando populum, à quo peccato immunis erat populus, qui tamen reus ob alia scelera ab eo commissa, quæ hîc castigare volebat Deus. Considerent hîc, admirentur & imitentur Principes, & Prælati profundam humilitatem, pœnitentiam & charitatem Dauidis pro populo supplicantis, & pœnam ab eo in se transferri postulantis. Audiant S. Ambros. in Apol. Dauid. c. 7. *Quàm illud admirabile, quòd Angelo ferienti plebem se obtulit. Hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cùm & Moyses offerendò se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleuerit.* Eadè penè Theodor. q. 37. *Digna*, ait, *sunt admiratione ipsa verba regis, ignorans causam, suum peccatum vocauit, quod fuerat factum; & vt in suum genus, iusta ferretur sententia, supplicauit; vtens verbis boni pastoris, imitans filium suum & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus.* Additur 1. Paral. 21. 16. *Et ceciderunt tam ipse* (Dauid) *quàm maiores natu vestiti ciliciis, prosti in terram.* Sic S. Carolus Borromeus ad auertendam pestem, aliasque clades in publica supplicatione nudis pedibus, fune in collum iniecto, baiulans crucem processit.

D

VERS. 18. ASCENDE (in montem Moria qui est pars montis Sion) ET CONSTITVE ALTARE DOMINO IN AREA AREVNÆ IEBVSÆI] quia ob Angelum gladio minantem adhuc erat pestis metus, imò reliquiæ. Licet enim Deus dixisset Angelo: *sufficit*, vt neminem vlteriùs peste inficeret; tamen qui iam ab eo peste infecti fuerant, non erant sanati. Iuber ergo Gad Prophera Dauidi Dei instinctu, vt altare erigat, vt libertatem à se concessam confirmet. Alij tamen ex hoc loco censent necdum cessasse Angelum à percussione & infl ictione pestis, ideoque pestem necdum cessasse, nec Deum adhuc dixisse Angelo: *sufficit*, sed id dixisse post preces & sacrificiũ Dauidis. Quamuis enim iam antè id narrarit Script. v. 16. tamen id fecisse videtur per anticipationem, qua voluit priùs complere narrationem gestorum & dictorum inter Deum & Angelum; deinde subdere media, præuia ad id à Deo ordinata, scilicet supplicationem & victimam Dauidis, quibus placatus Deus dixit Angelo: *sufficit*, stitítque pestem. Hæc expositio est probabilis, eíque fauet quod ait Dauid v. 21. *Et cessetinterfectio, quæ grassatur in populo.* Et v. 25. *Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* ita Caiet.

IN AREA AREVNA IEBVSÆI] fuit *Areuna* princeps Iebusæorum, vnde v. 23. in Hebræo vocatur *rex*, fuitque amicus & familiaris Dauidis, quare videtur factus proselytus, & ad Iudaismum Deumque verum conuersus. ita Abul. Dion. Salian. Porrò qui ab Hebræis vocabatur *Areuna*, id est, *collectio*, vel *arca*, à Iebusæis paululùm inflexo nomine dictus est *Ornan*, vt patet 1. Paral. 21. 18. Hinc Vatab. putat eum fuisse regem Iebusæorum, antequàm Ierusalem à Dauide caperetur, quâ captâ factum Dauidi tributarium. Idem docet S. Augustin. serm. 198. de Temp. Serar. & alij.

Quæres, cur aream hanc Areunæ præ aliis elegit Deus ad sacrificium? Resp. primò, quia hæc area erat in monte Moria, vbi olim ante 850. annos Abraham iussus fuit à Deo immolare filium suum, Genes. 22. Secundò, quia in eodem loco decreuerat Deus à Salomone ædificari templum, cuius hîc quasi specimen & præludium à Dauide iaci darique voluit. Id patet 2. Paral. 3. 1. vbi dicitur: *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi.* Symbol. significare voluit Deus in *area Iebusæi*, id est in regione Gentilium, à vero Dauide & Salomone, id est Christo, templum, id est Ecclesiam Catholicam verorum Israelitarum & Abrahæ filiorum per fidem, ex viuis fidelium lapidibus ædificandam fore. ita Angelom. & S. August. serm. 198. de Temp.

Tropol. idem Angelom. *Areuna*, ait, *interpretatur arca, & Ornan Latinè resonat lumen nobis. Bene ergo cùm Deum pro offenso quo peccauit placare vellet, altare iubetur in area Areuna vel Ornan construere, vt inde vnusquisque conniciat, quia aliter diuinitas ab homine placari non potest, nisi in arca cordis, per lumen rectæ fidei, & veræ dilectionis, altare illi deuotæ humilitatis constituat, in quo sacrificium piæ confessionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod rectè per eumdem Prophetam in Psalmo manifestatur, vbi dicitur ex persona Domini: Sacrificium laudis honorificabit me. Et iterùm: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Allegor.

Allegor. Dauid hîc sacrificans in area Areunæ, iramque Dei placans, & pestem sedans, typus erat Christi, qui in eodem loco (Caluariæ enim mons vicinus est monti Moriæ, eiusque quasi pars & iugum) seipsum in hostiam pro peccato Patri immolaturus, iram eius erat placaturus, mortemque præsentem & æternam à nobis ablaturus.

A

VERS. 21. ET CESSET INTERFECTIO] Nesciebat Dauid Deum dixisse Angelo percutienti: *sufficit*, imò post hoc dictum Angelus apparuit Dauidi stricto gladio quasi minans percutere, vndè Dauid putabat eum reuera adhuc percutere, imò nonnulli putant eum reuerà adhuc percussisse, vt dixi v. 18. idque satis innuit Script. dicens ad preces & sacrificium Dauidis Deum placatum sustuliss e pestem hîc v. vlt. & 1. Paral. 21. vbi post sacrificium Dauidis subditur v. 27. *Præcepitq; Dominus Angelo, & conuertit gladium in vaginam.* Vt vt est, certum est ante preces & sacrificium Dauidis, necdum Deum fuisse reconciliatum, sed per Angelum stricto gladio adhuc minitatum populo, verùm per preces & hostias Dauidis plenè fuisse placatum, ac iussisse Angelo vt gladium fulminantem in vaginam reconderet.

B

VERS. 24. EMIT ERGO DAVID AREAM ET BOVES ARGENTI SICLIS QVINQVAGINTA] Dices, 1. Paral. 21. 25. dicitur: *Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi pondera sexcentos.* Facilis & plana est communis responsio, Dauidem pro area altaris & bobus dedisse siclos argenteos 50. vt hîc dicitur: at verò posteà pro tota area Areunæ, vt in ea à Salomone fabricaretur templum illud orbis miraculum, dedisse siclos aureos sexcentos. ita S. Hieron. Glossa, Lyran. Hugo, Dion. Caiet. Salian. Serar. & alij.

C

Aliter respondent Andr. Masius in Iosuè c. 7. v. 24. Alcazar de Ponder. & mensuris propos. 22. pag. 60. Vilalpando to. 3. pag. 414. scilicet hos 50. siclos vocari *argenti*, id est pecuniæ (Hebræi enim æquè ac Franci pecuniam vocant *argentum*) reuerà tamen fuisse aureos. Iam 50. sicli aurei valent 600. siclos argenti; vna enim libra, drachma vel vncia auri valet duodecim argenteas, teste Platone in Hipparcho. Quare siclos sexcentos, quorum fit mentio in Paral. fuisse argenteos, eos tamen vocari auri, quia in auro persoluti sunt; nam vt dixi 50. sicli aurei dati à Dauide, valent sexcentos siclos argenteos. Hic sensus subtilis est & profundus, eique fauent Hebræi, Sept. & Chald. quæ hoc loco habent: *Emit boues*, &c. *in argento* (id est pecunia) *siclis quinquaginta*, scilicet aureis, qui valent 600. argenteos, vti fusiùs in fine Pentateuchi dixi tract. de Ponderibus. Verùm hic sensus durè & difficulter applicatur versioni Vulgatæ, quæ habet hoc loco: *Emit*, &c. *argenti siclis quinquaginta.* Quare prior sensus vti communior, ita simplicior & clarior est.

D

ET PROPITIATVS EST DOMINVS TERRÆ] VERS. 25. Signum huius propitiationis fuit ignis à Deo è cælo missus, qui hostias Dauidis consumpsit, & quasi ad Deum, cui offerebantur, assumpsit. Id patet ex 1. Paral. 21. 26. vbi dicitur: *Et exaudiuit eum in igne de cælo super altare holocausti.* Sic Deus ostendit sibi placere sacrificia Abelis, non Caini; Aaronis, non Nadab; Eliæ, non sacerdotum Baal, per ignem è cælo in eorum victimas missum, Genes. 4. 4. Leuit. 9. 24. 3. Reg. 18. 29.

Simul hoc ignis signo ostendit Deus, velle se eodem loci erigi à Salomone templum, in quo hostiæ sibi offerrentur, & igne cælesti cremarentur, idque Dauid populo nuntiauit, cùm, vt dicitur 1. Paral. 22. 1. ait: *Hæc est domus Dei, & hoc est altare in holocaustum Israel.* Vnde mox latomos, ferrum, ligna, ceteramque materiam ad fabricam templi necessariam comparauit, vt ibidem subditur. Audi Iosephum lib. 7. c. 20. *Dauid autem cùm animaduertisset se exauditum, & gratum fuisse sacrificium, decreuit totum illum locum, altare vniuersi populi appellare, & Deo templum ibi exædificari. Quam eius vocem Deus in futurum ratam esse voluit. Mox enim Prophetâ ad eum misso, illic templum extruendum prædixit à filio, quem regni successorem esset relicturus.* Iam autem idipsum Deus reuelauerat Dauidi volenti ædificare templum, vt dictum est c. 7. scilicet se velle in monte Moria & Sion ædificari templum, sed hoc ipsum Dauid hîc populo annuntiauit, & locum ab Areuna emit 600. siclis, vt patet ex loco Paral. iam citato. ita Pineda lib. de Salomone c. 5. n. 31. & ex eo Salianus.

Hîc terminantur acta politica Dauidis, quæ scilicet spectant bella & regimen populi. Acta enim Ecclesiastica, & spiritalia hîc omittuntur, vti sunt compositio Psalmorum, distributio Leuitarum & sacerdotum, ad sacrificandum & psallendum, præparatio auri, argenti, æris, ferri, operarum ad fabricam templi, quæ proinde supplentur & fusè enarrantur 1. Paral. c. 23. vsque ad finem libri. Insuper in eodem libro c. 27. recensentur nomina præfectorum tum exercitus, tum tribuum, ac ceterorum officialium Dauidis.

Hîc ergo finitur liber secundus Regum, qui totus continet Acta & gesta politica Dauidis, ab inito regno vsque ad finem vitæ. Ea per singulos ipsius annos appositè & probabiliter (nil enim certi hîc definiri potest) distribuunt noster Salian. Torniellus, Gardonus, ceteríque Chronologi, ex quibus hæc pauca sed præcipua accipe:

Anni

Anni Dauidis.	*Anni Samuelis.*	*Anni Saulis.*
Primus: Nascitur Dauid	vndecimo anno Samuelis Iudicis	Saul agros colit & pascit asinos.
Anno ætatis 13. Dauid pascit oues, qui fuit	23. annus Samuelis Iudicis, quo Hebræi petunt regem.	
		Saul creatur rex & varia bella feliciter conficit.
Anno 20. à Samuele in regem priuatim vngitur.	Samuel Saulem regno priuat.	Saul à dæmone vexatur.
Anno 22. duellat cum Goliath eiúque caput amputat.	Samuel pergit iudicare	Saul Dauidi inuider.
Anno 23. fit tribunus & gener Saulis		
Anno 24. fugit ad Samuelem in Naioth	Samuel prophetat	Saul prophetat.
Anno 25. fugit in Ceilam: latet in deserto Engaddi.	Samuel luget lapsum Saulis	Saul occidit sacerdotes in Nobe.
Anno 28. parcit Nabalo, & ducit Abigail.	Samuel moritur	Saul persequitur Dauidem.
Anno 30. vindicat cladem Siceleg: audit mortem Saulis.		Saul se occidit in Gelboë.
Anno 31. Dauid creatur vngiturque rex Iuda in Hebron.		Decem tribuum regem Abner constituit Isboseth Saulis filiũ.
Anno 38. ab omnibus tribubus rex creatur.		Isboseth dolosè occiditur.
Anno 39. arcem Sionis expugnat, in eáque regni sedem locat.		
Anno 42. transfert Arcam in Sion, ante eam saltat, accipit oraculum de nascituro Salomone.		

Anno 43. & seq. bello superat Philisthæos, Ammonitas, Syros, Idumæos.
Anno 48 Hanon regem Ammon ob violatos legatos castigat, & subiugat.
Anno 50. Bethsabee violat, & Vriam occidit.
Anno 51. A Nathan correptus pœnitet.
Anno 52. nascitur Salomon. Ammon violat sororem suam Thamar.
Anno 54. Absalom occidit Ammon, fugitque in Gessur.
Anno 59. Absalom post quatuor annos exilij à regno, & duos ab aula patris, planè pleneque reconciliatur Dauidi.
Anno 61. ætatis, qui fuit regni 31. Absalom regnum inuadit, fugit Dauid, prælium parat, cum Absalomo confligit & vincit; Absalom, fugiens, capillis arbori implectitur, & tribus lanceis à Ioab configitur.
Anno 63. ætatis, qui fuit regni 33. ob famem à Deo immissam Dauid Gabaonitis tradit septem Saulis filios crucifigendos.
Anno 64. ætatis qui fuit regni 34. quatuor bella cum Philisthæis, cæsis totidem eorum gigantibus feliciter conficit. Narrantur c. 21. v. 15. & seq.
Anno 67. ætatis, qui fuit regni 37. lustrum agit totius populi: quare Deus immissa peste 70. millia occidit. Sed Dauid supplicans & sacrificans in area Areunæ Dei iram & pestem sedat.
Anno 69. ætatis, qui fuit regni 39. Dauid Salomoni agenti annum ætatis 19. vxorem dat Naamam Ammonitidem, ex qua ipse eodem anno generat Roboam, qui ei post 40. annos in regno successit.
Anno 70. ætatis, qui fuit regni 40. Dauid Salomonem regem constituit, ac paulò pòst moritur, qui fuit à mundo condito annus 2929. ante Romam conditam 270. ante Christi ortum 1021. iuxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho. Hanc annorum Dauidicorum seriem digessimus ex Annalibus Saliani, Gordoni, & Tornielli, qui omnes eum anno ætatis 70. mortuum docent. Synchroni autem reges ei fuerunt: Codrus quidem apud Athenienses annis aliquot, inde Medon annis 20. postque eum Acastus: apud Assyrios Dercilus ac post eum Eupales. apud Latinos Siluius. Ixion apud Corinthios, vt ex Eusebio colligere est. Atque in his liber secundus Regum terminatur.

COM-

COMMENTARIVS IN LIBRVM TERTIVM REGVM.

ARGVMENTVM.

Libro primo Regum audiuimus acta duorum vltimorum Iudicum, scilicet Heli Pontificis & Samuelis Prophetæ, ac gesta Saulis primi regis Israelis. Continet ergo primus liber chronologiam octoginta annorum: nam Heli præfuit Israeli annis 40. totidem Samuel & Saul simul. Hisce Actis intexuntur gesta Dauidis in adolescentia, antequàm crearetur rex, nimirum vnctio eius in regem facta à Samuele, duellum cum Goliath, bella cum Philisthæis fugæ & latebræ cùm eum persequeretur Saul.

Libro secundo Regum audiuimus acta Dauidis, ab inito regno vsque ad eius finem & mortem, quod fuit spatium 40. annorum: tot annis enim regnauit Dauid.

Sequuntur iam duo libri vltimi, scilicet tertius & quartus Regum, qui gesta Salomonis cæterorumq; Dauidis posterorum Regum omnium enarrant vsque ad captiuitatem Babylonicam, in qua à Nabuchodonosor & Chaldæis euersa est Ierusalem, Iudæiq; traducti sunt in Babylonem, quod fuit spatium 430. annorum. Tot ergo annorum historia Regum Israelis his duobus libris pertexitur, ideoq; hi duo libri ab Hebræis propriè Regum, à Græcis Regnorum vocantur, cùm priores duo libri Samuelis appellentur.

Accipe horum regum Ordinem, æquè ac temporis quo regnarunt seriem.

1. Salomon regnauit	40. annis	3. Regum 11. v. 42
2. Roboam eius filius	17. annis	3. Reg. 14. v. 21
3. Abia	3. annis	3. Reg. 15. v. 2
4. Asa	41. annis	3. Reg. 15. v. 10
5. Iosaphat	25. annis	3. Reg. 22. v. 42.
6. Ioram	8. annis, sed tribus cum patre, ac post eum solus quinque annis.	4. Reg. 8. v. 17.
7. Ochozias	vno anno partim cum patre, partim solus	4. Reg. 8. v. 26.
8. Athalia	6. annis	4. Reg. 11. v. 4.
9. Ioas	40. annis	4. Reg. 12. v. 1.
10. Amasias	29. annis	4. Reg. 14. v. 2.
11. Azarias, siue Ozias	52. annis	4. Reg. 15. v. 2.
12. Ioatham	16. annis	4. Reg. 15. v. 33.
13. Achaz	16. annis	4. Reg. 16. v. 2.
14. Ezechias	29. annis	4. Reg. 18. v. 2.
15. Manasses	55. annis	4. Reg. 21. v. 1.
16. Amon	2. annis	4. Reg. 21. v. 19.
17. Iosias	31. annis	4. Reg. 22. v. 1.
18. Ioachaz	tribus mensibus	4. Reg. 23. v. 31.
19. Ioakim	11. annis	4. Reg. 23. v. 36.
20. Ioachin	tribus mensibus	4. Reg. 24. v. 8.
21 Sedecias	11. annis	4. Reg. 24. v. 18.

Collige hos omnes annos & inuenies 430. quos dixi hisce duobus libris pertractari.

Porrò plerique horum regum fuere impij, pauci tamen pij, scilicet Iosaphat, Ioatham, Ezechias, Iosias.

Rursùm duodecim præcessere Romulum & Romam; hæc enim condi cœpit sub annum vndecimum Ioatham. Vnde sequitur primos vndecim reges præcessisse initium Olympiadum. Olympiades enim celebrari & computari cœperunt sub annum 40. Azariæ siue Oziæ: quare Olympiades 23. annis præcedunt conditionem Romæ; vti omnes Chronologi fatentur. Vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho. Fallet S. Hieronymus, qui in cap. 1. Isaiæ v. 1. asserit Ezechiam regnare cœpisse anno 12. Romuli: Ergo Romulus Romæ regnare cœpit anno 4. Achaz, qui fuit pater Ezechiæ. Illo igitur anno iam condita erat Roma; nimirum sub annum vndecimum

Ioatham illa condi cœpit, duraruitque eius fabrica per septem vel octo annos, ita vt finita sit sub annum quartum Achaz, actum in ea regnare cœpit Romulus. Eusebius tamen paulò posterius hæc consignat, nimirum initium Olympiadum collocat anno 49. Azariæ, conditionem Romæ anno 5. Achaz. Alij aliter, sed exiguo paucorum annorum discrimine,

Auctorem libri tertij & quarti Regum fuisse Ieremiam, qui eos ex antiquis Annalibus, & Diariis collegerit, censent Procopius, Isidor. Abul. & R. Moyses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis lib. 1. vnde & caput vltimum Ieremiæ idem est cum cap. vltimo lib. 4. Regum. Verùm hac de re dixi in procemio lib. 1.

Denique quia sub Roboam regnum Israelis, siue duodecim tribuum, scissum & diuisum est in duo, nam decem tribus constituerunt sibi regem Ieroboam; sola verò tribus Iuda cum Beniamin adhæsit regi Roboam: vnde hoc regnum eiusque reges vocantur Iuda, ceteri verò vocantur reges Israel siue duodecim tribuum, quorum pariter gesta his duobus vltimis Regum libris recensentur; hinc eorum pariter ordinem & tempus quo regnarunt subiiciam. Præfuerunt ipsi decem tribubus per annos 256. Nam cœperunt anno 1. Roboam, & destiterunt anno 6. Ezechiæ, quo vt dicitur 4. Reg. 18. 10. Samaria & regnum Israel euersum est à Salmanasar rege Assyriorum, ac decem tribus abductæ sunt in Assyriam. Quare hæc decem tribuum captiuitas Assyriaca præcessit captiuitatem Babylonicam, in qua Iuda & Beniamin abductæ sunt in Babylonem anno vltimo Sedeciæ, annis 134.

Primus igitur rex Israel siue decem tribuum fuit

1. Ieroboam, qui regnauit	22. annis	3. Regum.	14. v. 20.
2. Nadab	2. annis	3. Reg.	15. v. 25.
3. Baasa	24. annis	3. Reg.	15. v. 33.
4. Ela	2. annis	3. Reg.	16. v. 8.
5. Zambri	septem diebus	3. Reg.	16. v. 15.
6. Amri	12. annis	3. Reg.	16. v. 23.
7. Achab	22. annis	3. Reg.	16. v. 29.
8. Ochozias	2. annis	3. Reg.	22. v. 52.
9. Ioram	12. annis	4. Reg.	3. v. 1.
10. Iehu	28. annis	4. Reg.	10. v. 36.
11. Ioachaz	17. annis	4. Reg.	13. v. 1.
12. Ioas	16. annis	4. Reg.	13. v. 10.
13. Ieroboam	41. annis	4. Reg.	14. v. 23.
14. Zacharias	sex mensibus	4. Reg.	15. v. 8.
15. Sellum	vno mense	4. Reg	15. v. 13.
16. Manahem	10. annis	4. Reg.	15. v. 17.
17. Phaceia	2. annis	4. Reg.	15. v. 23.
18. Phacee	20. annis	4. Reg.	15. v. 27.
19. Osee	9. annis	4. Reg.	17. v. 1.

Addendum est interregnum vndecim annorum quod inter Zachariam & Ieroboam interceßit, vti ostendam lib. 4. Reg. c. 15. v. 8.

Denique hi reges Israel ad vnum omnes impij fuere, vtpote schismatici & idololatræ.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauidi seni frigido quæritur vxor puella. Mox vers. 5. Adonias ambit inuaditq; regnum adiutus ab Abiathar Pontifice & Ioab militum duce. Verùm Dauid ad preces Bethsabee vers. 30. iubet per Sadoc Pontificem, Nathan Prophetam & Banaiam Ducem vngi & coronari regem Salomonem. Quare Adonias fugit ad altare, sed eum Salomon domum suam remittit.

1. ET rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. 2. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem. 3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. 4. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei, rex verò non cognouit eam.

5. Ado-

5. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eum. 6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. 7. Et sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. 8. Sadoc verò sacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Nathan propheta, & Semei & Rei, & robur exercitus Dauid, non erat cum Adonia. 9. Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & vniuersis pinguibus, iuxta Lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel, vocauit vniuersos fratres suos filios regis, & omnes viros Iuda seruos regis. 10. Nathan autem propheram, & Banaiam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum, non vocauit. 11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noster Dauid hoc ignorat? 12. Nunc ergo veni, accipe consilium à me, & salua animã tuam, filij que tui Salomonis. 13. Vade, & ingredere ad regẽ Dauid, & dic ei: Nónne tu domine mi rex iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomõ filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo? quare ergò regnat Adonias? 14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos. 15. Ingressa est itaq; Bethsabee ad regem in cubiculũ: rex autẽ senuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei. 16. inclinauit se Bethsabee, & adorauit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit, vis? 17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo. 18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. 19. Mactauit boues, & pingua quæque, & arietes plurimos, & vocauit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, & Ioab principem militiæ: Salomonem autem seruum tuum non vocauit. 20. Verumtamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. 21. Eritque cùm dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores. 22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. 23. Et nuntiauerunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram, 24. dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum? 25 Quia descendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuersos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Viuat rex Adonias: 26. Me seruum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocauit. 27. Numquid à domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicasti seruo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum. 28. Et respondit rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cùm fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum, 29. iurauit rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 30. quia sicut iurani tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adorauit regem, dicens: Viuat dominus meus Dauid in æternum. 32. Dixit quoque rex Dauid: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ. Qui cùm ingressi fuissent coram rege, 33. dixit ad eos: Tollite vobiscum seruos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon. 34. & vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, in regem super Israel: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon. 35. Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illique præcipiam vt sit dux super Israel, & super Iudam. 36. Et respondit Banaias filius Ioiadæ, regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium eius à solio domini mei regis Dauid. 38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi: & imposuerunt Salomonem super mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. 39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon. 40. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus

canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum. 41. Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo, iamque conuiuium finitum erat: sed & Ioab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? 42. Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians. 43. Respondítque Ionathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster rex Dauid regem constituit Salomonem: 44. misítque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis. 45. Vnxeruntque eum Sadoc sacerdos & Nathan propheta regem in Gihon: & adscenderunt inde lætantes, & insonuit ciuitas: hæc est vox, quam audistis. 46. Sed & Salomon sedet super solium regni. 47. Et ingressi serui regis benedixerunt domino nostro regi Dauid dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum. Et adorauit rex in lectulo suo: 48. & locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. 49. Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnusquisque in viam suam. 50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris. 51. Et nuntiauerunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens; Iuret mihi rex Salomon hodie, quòd non interficiat seruum suum gladio. 52. Dixítque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur. 53. Misit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingressus adorauit regem Salomonem: dixítque ei Salomon: Vade in domum tuam.

VERS. 1. ET REX DAVID SENVERAT] Erat 70. annorum, quæ etiam tum erat periodus & terminus communis vitæ humanæ, vt ipse ait Psal. 89. 10. dicens: *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni*, qui etiamnum est terminus vitæ hominis: quare ab ætate Dauidis huc vsque (quod est spatium 2600. annorum) vix decreuit hominum ætas & vita.

CVMQVE OPERIRETVR VESTIBVS NON CALEFIEBAT] Fabulantur Rabbini hanc pœnam à Deo inflictam fuisse Dauidi, eò quòd ipse in spelunca clam resecuisset vestem Saulis regis sui se persequentis 1. Reg. 24. Alij causam frigiditatis assignant quòd à parentibus senibus & frigidis vltimo loco esset genitus. Verùm Script. hîc causam dat ætatem senilem: *Habebat*, inquit, *ætatis plurimos dies*, atque illos in continuis grumnis, bellis, laboribus expenderat, viresque exhauserat. Addit Abul. eum morbo fuisse afflictum.

VERS. 3. QVÆSIERVNT IGITVR ADOLESCENTVLAM] Huius historiæ naturalem medicam causam dat Galenus & Franc. Valesius Medicus Philippi I. Regis Hispan. Causam moralem assignat S. Hieron. Tropologicâ S. Prosper. Audi Valesium sacræ Philosophiæ c. 29. Suaserunt, inquit, Dauidi adolescentulam potiùs quàm vinum aut vestes pelliceas accipere, quia ille calor humanus in substantia est simillimus calori hominis naturali, eiusque gradum non superat. Vnde Galenus lib. 7. Methodi, vbi imbecillitatem frigidi & sicci ventris curat, ait: *Ex iis verò quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus vnà sit accubans, vt semper abdomen eius contingat*: quod, vt ait Valesius, in ea ætate Dauidis effectum est, qua non potuerit virginè cognoscere: alioqui multò magis eum læsisset congressus & copula maritalis, quàm contusisset admotio adolescentulæ. Sic Rudolphus Habspurgensis primus Austriacæ familiæ Imperator solebat, inquit Serarius ex Cuspin. filiolas nobilium & principum, etiam vxores, ipsis præsentibus castè osculari, quòd hectica febre & senio confectus diceret, se suaueolentes spiritus ex earum ore haurire. Hæc ergo est litteralis & communis expositio Abul. Dion. Lyran. Serarij, Saliani, Sanchez, &c.

Cur Abisag data Dauidi?

Causa litteralis.

Moralem causam dat S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: *Nónne*, inquit, *tibi videtur, si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de mimo vel Asellanarum ludicra? frigidus senex obuoluitur vestimentis, & nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Viuebat adhuc Bethsabee; supererat Abigail, & reliquæ vxores eius, & concubinæ, quas Script. commemorat: omnes quasi frigidæ repudiantur, & in vnius tantùm grandæui calescit amplexibus. Abraham multò Dauid senior fuit, & tamen viuente Sara aliam non quæsiuit vxorem, Isaac duplices Dauid annos habuit, & cum Rebecca iam vetula nunquàm friguit.* Vbi aduerte S. Hieronymum, æquè ac Angelomum & alios, eleuare hîc, & quasi euertere sensum litteralem, qui omnino loco fundamenti statuendus est: quare hisce verbis tantùm significant, litteralem vt minùs velim hîc obiter prætereundum esse, ac morali, qui præcipuus est, inhærendum, quem sic assignat ibidem S. Hieron. *Quæ est igitur ista Sunamitis vxor & virgo, tam feruens vt frigidum calefaceret, tam sancta vt calentem ad libidinem non prouocaret? Exponat Salomon sapientissimus patris sui delicias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus. Posside sapientiam, posside intelligentiam. Ne obliuiscaris ac ne declinaueris à verbis oris mei, neque derelinquas illam, & apprehendet te. ama illam & seruabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua posside intelligentiam, circumda illam, & exaltabit te; honora illam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam gratiarum. Corona quoque deliciarum proteget te; omnes quoque virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia decrescunt cetera.*

Moralis

Probat idipsum ex etymo nominis, *Abisag*, & *Sunamitis*, dum post plura subiicit: *Sed & ipsius nominis Abisag sacramentum, sapientiam senum indicat ampliorem: interpretatur enim pater meus superfluus, vel patris mei rugitus. verbum superfluí ambiguum est, sed in præsenti loco virtutem sonat, quòd amplior sit in senibus, & redundans ac larga sapientia. In alio autem loco superfluus, quasi non necessarius ponitur. Abisag autem, id est rugitus, propriè nuncupatur; quod vt maris fluctus resonat, &, vt ita dicam, de pelago veniens fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimum, & vltra humanam vocem diuini sermonis in senibus tonitruum commorari.* B *Porrò Sunamitis in lingua nostra coccinea dicitur, vt significet calere sapientiam, & diuina lectione feruere: quod licet Dominici sanguinis indicet Sacramentum, tamen & feruorem ostendit sapientiæ.* Vnde optando concludit: *Amplexetur me modò sapientia: & Abisag nostra, quæ numquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisq; perpetuæ, & quæ in similitudinem Mariæ, cùm quotidie generet semperq; parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse Apostolum: Spiritu feruentes.*

Hæc omnia ad verbum ex S. Hieron. transcripsit Angelomus, qui & addit: Hinc Dominus ait Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Qui discipulorum corda succendens cogebat dicere: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas? Hanc siquidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliorem: non pueriles declamationes, & sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia.* Deinde idipsum probat exemplis Philosophorum: *Si enim Cato*, inquit, *Romani generis disertissimus, (vt quidam Doctorum protulit) octogenarius tam & senex Græcas litteras nec erubuerit, nec discere desperauerit: & si certè, vt aiunt, Homerus refert, quòd de lingua Nestoris iam vetuli & penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit: & sapiens quidam Gracia, cùm completis centum & septem annis se cerneret mori, dixisse fertur: dolere quod tunc egrederetur è vita, quãdo sapere cæpisset. Plato etiam octogesimo anno scribens mortuus est: Socrates septuaginta & nouem annos in docendi scribendiq; labore compleuit: quantò magis, calescente corporis iuuentute inter bella corporis & inter incentiua vitiorum sapientiam ediscere debemus: vt in senectute etiam frigescentibus, in sinu mentis nostræ requiescat, & foueat dormiatq; nobiscum, imò cibum spiritalis intelligentiæ nobis ministret? Potest nimirum etiam ista mulier contemplatiuæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes in eius dilectione flammescunt.* Dauid ergo ducit Abisag, quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam *Abisag*, interprete D. Hieronymo proximè citato, idem est quod *abundans*, & quod *rugitus*. *In senibus autem*, inquit, *abundantissimum & vltra humanam vocem diuini sermonis tonitruum commoratur.*

Tropol.

Tropologicam causam dat S. Prosper lib. 2. Prædest. c. 27. Abisag, ait, significat animam Dei gratia castitatis calore succensam, quæ frigidas in fide potentias, vt membra regis magni suo accendit affectu.

Symbolicam dat Angelomus & Rupertus: Dauid, inquiunt, id est Christus, mortuâ & reiectâ veteri Synagogâ Iudæorum, despondit sibi adolescentulam Abisag, id est Ecclesiam nouam Christianorum: *& tanto ardore fidei in eius dilectione caluit, vt propter illius amorem variis periculis se vltrò committeret, & ad vltimum pro eius nomine mori non recusaret.*

Symbol.

ERAT AVTEM PVELLA PVLCHRA NIMIS] Physici tradunt, ait Dionys. puellas virgines calidiores esse corruptis quæ peperierunt, pulchras quoque plus mouere appetitum, & adducendo hilaritatem calorem naturalem excitare; etiam citra venereum congressum. Plura hac de re vide apud Abulens. quæst. 4. & 5.

VERS. 4.

DORMIEBATQVE CVM REGE, ET MINISTRABAT EI] Quæres, an Abisag fuerit vxor Dauidis, an ancilla? vxorem fuisse negat Abulens. c. 2. q. 23. probatque primò, quia si fuisset vxor Dauidis, Adonias eius filius non potuisset, nec ausus fuisset eam sibi poscere vxorem; hoc enim veritum est Leuit. 18. 7. quod tamen ipse fecit cap. 2. v. 17.

Secundò, quia Dauid frigidus impotens erat ad copulam coniugalem; ergo inhabilis ad contrahendum matrimonium.

Verùm Abisag fuisse vxorem Dauidis passim docent ceteri Interpretes, vt S. Hieron. Procop. Theodor. Angelom. Lyran. Dionys. Serarius, Cajet. Salianus & Pineda lib. 5. de Salomone c. 1. n. 4. Hoc enim insinuat Script. cùm ait: *Dormiebatq; cum rege, &c. & non cognouit eam.* q. d. poterat eam cognoscere vt maritus, sed reipsa non cognouit, vtpote frigidus & inhabilis ad generandum. Adde, honestas hoc exigebat, vt non dormiret cum muliere, nisi quæ esset vxor; vt scilicet periculum tentationis & adulterij euitaret, si tentatio copulæ in præsentia virginis tam pulchræ eum inuasisset.

Abisag fuit vxor Dauidis.

Ad primum argumentum Abul. respondet Cajet. legem illam Leuitici, vt filius non ducat vxorem patris, intelligi de ea, quæ perfectè fuit vxor, mirum quæ per copulam matrimonium cum eo consummauit. Aut certè Adoniam fuisse legis huius ignarum, eò quòd esset laicus, & iuuenis aulicus, regisque filius, qui non tam legem quàm regnum spectabat, ideoque Abisag petiit vxorem, vt per eam quasi patris vxorem & reginam in regnum euaderet, patríque succederet, quod non potuisset sperare, si Abisag Dauidis fuisset ancilla dumtaxat, non vxor: verùm hac de re plura dicam cap. 2. vers. 17.

Ad secundum resp. Dauidem non fuisse natura frigidum aut impotentem ad copulam, imò potuisse vti actu coniugali: hoc enim insinuat Script. cùm ait: *Et non cognouit eam.* q. d. potuit eam cognoscere, at reipsa non cognouit, ne ei virginitatem adimeret, sed conseruaret. Multi enim frigidæ complexionis potentes sunt ad actum coniugij. Vnde in senibus & sterilibus, non est impotentia impediens & irritans matrimonium.

Pro quo nota. In senibus, qui ita frigidi & exhausti sunt, vt nec natura nec arte iuuari possint

sint ad emittendum semen, nullum est matrimonium si quod ineant: at verò in senibus, qui seminare possunt, licet non generare, eò quòd semen eorum ineptum sit ad generandũ, validum est matrimonium, vti docet Sylvester v. *matrimonium*, Scotus & Domin. de Soto in 4. tract. de matrim. Sanchez & alij: sed hoc vitium & impotentia seminandi rara est. Vnde Ecclesia ordinariè concedit senibus etiam decrepitis facultatem contrahẽdi matrimonium. Vide nostrum Thomam Sanchez tract. de Matrim. lib. 7. disput. 92. n. 19. & seq. imò Nauarrus, Vega & alij opinantur semper in senibus valere contractum matrimonij, eò quòd ipsi retineant potentiam intrinsecam seminandi, & per accidens sit, quòd illa senio impediatur ne in actum exire queat. Sed verius est, quod ait Sanchez & alij, ad matrimonium requiri veram & propriam potẽtiam ad copulam coniugalem, quæ sit per seminationem.

VERS. 5. ADONIAS AVTEM FILIVS HAGGITH ELEVABATVR DICENS: EGO REGNABO] quia ipse licet esset quartus Dauidis filius, mortuis tamen iam tribus primis Dauidis filijs, erat eius primogenitus: vnde iure primogenituræ videbatur ad eum regnum spectare; sed quia illud superbè ambiuit & præproperè adijt, idcircò eodem excidit, illudque Salomon animi sui modestia meruit obtinere, ad se translatâ primogenituræ dignitate & honore. Vnde S. Ambros. Apol. 1. Dauid. c. 5. *Eousque*, inquit, *præcauit Dauid, vt cùm Adoniam filium regnum sibi vsurpare comperisset, conuentus, non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui expectaret, eligeret.* Sciebat enim Salomoni deberi regnum ex Dei ordinatione & decreto; hoc enim ei Deus reuelarat lib. 2. c. 7. v. 12. ideoque Dauid Bethsabee iurarat quòd eius filium Salomonem ad regnum eueheret.

VERS. 10. ET SALOMONEM FRATREM SVVM NON VOCAVIT] vtpote suum in regno æmulum. Sciebat enim eià Dauide & à Deo promissum esse regnum, ideoque illud ei præripere satagebat.

VERS. 21. ERIMVS EGO ET FILIVS MEVS SALOMON PECCATORES] q. d. ego & Salomon habebimur, & ab Adonia puniemur vt peccatores & rebelles, eò quòd ipsi regnum inuadenti nõ consenserimus. Rursum *peccatores* ob adulterium, quod olim tecum commisi: huius enim peccati infamia ab Adonia renouabatur & exaggerabatur, vt Salomonem regno priuaret, dicendo populo: Cauete ne Salomonem, vtpote adulteræ filium, ideoque infamem vobis regem erectis. Ita Caiet. Vnde S. Hieron. in Tradit. legit: *Erimus mamzeres*, id est habebimur spurij & infames.

VERS. 36. SIC LOQVATVR DOMINVS DEVS] q. d. Approbet & confirmet Deus id quod tu loqueris, scilicet vt Salomon tibi in regno succedat.

VERS. 39. SVMPSITQVE SADOC SACERDOS CORNV OLEI DE TABERNACVLO (erat ergo oleum hoc sacrum, quo vngendus & consecrandus erat rex Salomon) ET VNXIT SALOMONEM] Nota, vnctio regũ Iuda ordinariè videtur facta à Pontifice oleo sancto. Id probatur, quia de Dauide dicitur: *Oleo sancto meo vnxi eum,* *Reges Iuda oleo sancto vncti.*

A Psalm. 88. 21. Idem patet de Salomone, quem hîc vnxit Sadoc oleo Tabernaculi quod erat sanctum. Erant enim reges quasi christi Domini, vtpote vice Dei duces & rectores populi Dei fidelis & sancti. Extraordinariè tamen à Propheta aliqui vncti sunt, & tum subinde vsi videntur oleo non Tabernaculi, sed alio communi, quod tamen à Propheta benedictum videtur, v.g. si à templo, vbi erat hoc oleum, longiùs abesset, vti Elias aberat agens in Samaria & monte Carmelo, cùm misit Elisæum vt vngeret Hazael Damasci, & Iehu in Ramot Galaad; imò communiter reges Israel, vtpote schismatici & hostes Iuda videntur vncti oleo non Tabernaculi, quod erat in Ierusalem, sed alio. Sic Absalom 2 Reg. 19. 10. vnctus est, sed non oleo sancto, vtpote in rebellione, absente Pontifice, & fugiente cum Dauid. Iosue quoque non fuit vnctione, sed impositione manuum consecratus à Mose dux populi, Num. 27.

Porrò Dauid, ait Abulens. in prima vnctione non fuit à Samuele vnctus oleo sancto, quia priuata fuit hæc vnctio; & si Saul illam resciisset, omnes malè multatasset: nec in secunda, cùm à tribu Iuda fuit vnctus in Hebron; quia tunc tabernaculum, in quo erat oleum sanctũ, erat in Gabaon; vbi regnabat Isboseth hostis Dauidis: sed in tertia, cùm à toto Israele fuit vnctus, acceptusque in regem.

Denique alio oleo vngebantur reges, alio Pontifices & sacerdotes: reges enim oleo simplici, sacerdotes verò oleo composito ex aromatibus, scilicet ex myrrha, cinnamomo, casia, calamo, quæ oleo oliuarum miscebantur, vt patet Exodi 30. v. 23. & 31. ac 32. vbi hoc oleum vocatur sanctum, veteturque sub pœna capitis ne quis laicus eo vngatur. Quare rex eo vngi non poterat, sed oleo laico & vulgari, quod tamen dicebatur sanctum, quia è sancto tabernaculo acceptum, & certo aliquo ritu sanctificatum, ad vngendum regem fidelem, qui populo Dei imperaret, à Pontifice consecrato adhibebatur. Longè ergo sanctior erat consecratio Sacerdotum, quàm Regum, vt patet ex eius ritu, qui describitur toto capite 29. Exodi & 8. Leuitici. Ita censent Oleaster, Caiet. Ystella, & Lipoman in Exodi 30. & fauet S. Augustq. 135. in Exodum ac Lorinus in Psal. 88. 21. Contrarium tamen opinantur Rabbini, quos citat & sequitur Genebrardus in Psal. 88. v. 21. Lyran. Dion. hîc & Isidorus lib. 3. de Offic. c. 25. qui censent eodem oleo vnctos fuisse Dauidem & Salomonem eorumque posteros, quo vngebantur Pontifices. Aiunt enim ex Samuelis & Prophetarum illius sæculi consilio dispensatum fuisse in lege id vetante Exodi 30. 31. & 32. cum regibus Dauidicæ familiæ, in Christi Domini ex ea orituri gratiam, cuius spiritualis & diutnæ vnctionis illa exterior typus fuit, & cuius tum illi, tum postea etiam reges omnes cognoscerent se vicarios & ministros esse. Addit Isidorus eos idcirco cognominatos esse Christos, quia eodem chrismate quo Sacerdotes vngerentur, vt ideo nefas esset illos tangere, Psal. 104. 15. idem censet Pineda lib. 2. de Salomone c. 6. & Baradius tom. 2. lib. 3. cap. 41. Verùm hi omnes nituntur traditione Hebræo-

brærum, quæ sæpè falsa est & fallax, præsertim hoc loco, vbi fingit dispensationem legi Dei directè contrariam. Quare prior sententia, vti S. Script. conformior, sic & verior est.

Denique hac vnctione significabatur regem debere induere misericordiam, ceteraque virtutes, quæ oleo repræsentantur, seque debere subditorum esse medicum, vt ait Isaias c. 3. 7. Vide de Christianorum Regum vnctione nostrum Ioannem Azor tom. 2. Instit. mor. lib. 10. c. 5. q. 1. art. 3. & lib. 11. c. 5. q. 3.

Quæres, quot annorum erat Salomon cùm vnctus fuit in regem? Hebræi tradunt eum fuisse duodecim annorum. Hebræos secutus est S. Ignatius Epist. ad Magnesianos, S. Hieron. Epist. 132. ad Vitalem, Euseb. lib. 9. de Præpar. c. 4. Clemens Roman. lib. 2. Constit. Apost. c. 1. Cedrenus, Zonaras, Abulen. & Serarius. Rursum Iosephus ait Salomonẽ regem creatũ anno ætatis 14. Seuerus Sulpitius verò anno 16. Iosephus enim lib. 8. c. 2. in fine ait Salomonẽ vixisse 94. annis, regnasse 80. cœpit ergo regnare anno ætatis 14. Sed hic manifestus est error.

Salomon 20. annorum ætatur rex.

Dico igitur Salomonem, cùm rex creatus est, fuisse viginti annorum. Probatur, quia iam vxorem duxerat, & ex ea genuerat Roboam: hic enim, cùm post 40. annos ei in regnum successit, erat 41. annorum; ergo vno anrequam pater regnaret, ab eo genitus fuit. Quod enim Rabbini & eorum sequaces dicunt, Salomonem genuisse Roboam anno ætatis duodecimo, incredibile est, & communiter habetur impossibile. Et quis credat sapientissimum Dauidem vxorem dedisse Salomoni non nisi duodenni?

Secundò, quia Dauid eum vocat virum cap. 2. 9. dicens: *Vir sapiens es, vt scias, quæ facies ei.*

Tertiò, quia Salomon mortuus est senex, & in senectute corruptus fuit à feminis. Ergo fuit tunc circiter 60. annorum. Ipse autem 40. annis regnauit. Igitur creatus est rex anno ætatis vigesimo. Ita Lyran. Torniellus, Gordonus, Salianus, Pineda lib. 8. c. 4. & alij, qui censent Salomonem incuntem regnum fuisse 20. vel plurium annorum. Natus ergo est Salomon paulò post adulterium Dauidis, cùm ipse ageret annum ætatis quinquagesimum, vt ostendi 2. Reg. cap. 12. 24. Si enim regnare cœpisset anno 12, mortuus esset anno 52. quæ ætas est virilis, non senilis.

Dices 1. Paral. 29. 1. Salomon vocatur *puer*. Resp. *puer*, id est iuuenis, vt vertunt Sept. ag. quia respectu templi tam magnifici quod fabricare debebat Deo, erat instar pueri ad tantum opus.

ET DIXIT OMNIS POPVLVS: VIVAT REX VERS. 39. SALOMON] Hinc patet Salomonem publicè vnctum, & à toto populo acceptum in regem illico reipsâ regnare cœpisse, ac Dauidem iam senio fessum regnum regnique administrationem in eum transtulisse. Id docent sequentia. Nam mox Salomon vt rex Adoniæ pepercit, eumque domum remisit. Vnde S. Ambros. lib. 3. in Lucam. S. August. lib. 17. de Ciuit. cap. 8. S. Hieron. Epist. 132. Seuerus Sulpitius & alij asserunt Salomonem viuente adhuc patre regnare cœpisse, ac diserte Iosephus lib. 7. c. 10. in fine: *Deducto*, inquit, *deinde in regiam Salomone, & in solio paterno collocato, ex eo die in posterum obedientes ei fuerunt.*

Symbol. Rupert. *Viuente adhuc patre*, inquit, *rex Salomon constituitur; quia profectò Deus Pater, qui Christum constituit Regem hæredem vniuersorum, numquam mortuus, numquam est moriturus.*

Porrò ita Dauid transtulit regnum in Salomonem, vt tamen ipse auctoritatem & ius regium, æquè ac onus curamque regni non deposuerit, sed vsque ad mortem retinuerit, ita tamen vt Salomonem secum regnare permiserit, & in eum multa regni negotia transmiserit. Id patet ex cap. 2. vbi Dauid moriens multa mandata dat Salomoni.

VNXERVNTQVE EVM SADOC SACERDOS (sumptus, scilicet Pontifex) ET NATHAN VERS. 45. PROPHETA REGEM IN GIHON] Gihon erat mons, & in eo fons vicinus monti Caluariæ, in quo Christus crucifixus *regnauit à ligno Deus*, vt ex Septuag. canit Ecclesia. Vnde in cruce hunc ei Pilatus dedit titulum: *Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Hoc ergo Christi ex se nascituri regnum præfiguravit hîc Salomon vnctus in Gihon: Salomon enim, id est pacificus rex, expressus fuit typus Christi, qui est *Pax nostra*, Ephes. 2. 14. *qui fecit vtraque vnum*, scilicet tam Iudæos quàm gentes in seipso vniens & reconcilians Deo. Porrò Salomonis nomen sibi vsurparunt Turcarum Imperatores, à Salomone dicti Selymi & Solymanni; Germanorum Friderici (*fridericus* enim Germanicè idem est quod *pacis diues*) Græcorum, Irene & Irenæi.

Denique bis vnctus fuit Salomon, primò, hîc coram tribu Iuda subitò & tumultuariè, vt à regno excluderet Adoniam; secundò, publicè coram toto Israele, vt is eum regem acceptaret, quem ad hoc paulò ante mortem conuocauit Dauid, quando & Sadoc vnctus est in pontificem, vt expressè dicitur 1. Paral. 29. 22. Cœpit regnare Salomon anno mundi 2930. ante Romam conditam anno 269. ante ortum Christi 1020. iuxta tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho.

ET INGRESSI SERVI REGIS BENEDIXERVNT DOMINO NOSTRO REGI DA- VERS. 47. VID DICENTES: AMPLIFICET DEVS NOMEN SALOMONIS SVPER NOMEN TVVM, ET MAGNIFICET THRONVM EIVS SVPER THRONVM TVVM] Sciebant hoc Dauidi non fore inuidiosum, sed gratum & optatum. Optant enim parentes, vt filij opibus & gloria crescant, ac à se relicta superent. Crescente enim gloriâ filij crescit & gloria patris. Porrò voto huic populi respondit euentus: Salomon enim Dauidem regni amplitudine, opibus, deliciis, magnificentia, sapientia & gloriâ superauit; at non virtute & sanctitate, saltem in senecta. Sic Honorio Imp. accinit Claudian. in quarto eius Consulatu.

Aspice, completur votum, iam natus adæquat
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.

Et Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 7. Audaci Præfecto: *Deum posco*, ait, *vt te filij consequantur, aut, quod magis decet velle, transsendant.* Vide Senecam lib. 3. de Beneficiis c. 36. & 37. vbi & varia filiorum exempla recenset, qui parentes

suos virtute & beneficiis vicerunt, ac posteros vt idem faciant adhortatur, additque: *felices qui vicerint, felices qui vincentur.* Et causam dat: *Natura enim gloriosa virtus est, & anteire priores cupit.*

Porrò 1. Paral. 29. 24. additur: *Sed & vniuersi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & subiecti fuerunt Salomoni regi.* Hebr. habetur: *Dederunt manum sub Salomone rege.* Vulgata exponendo addidit: *subiecti fuerunt*, vt illa porrectio manus fuerit in signum subiectionis. Secundò, *dederunt manum*, id est data manu fidelitatem promiserunt Salomoni, ait Lyran. Tertiò, *dederunt manum*, in signum gratulationis & exultationis, congratulantes scilicet Salomoni fratri suo de adepto regno.

ET ADORAVIT REX IN LECTVLO SVO] q. d. Dauid Deum adorans laudauit, eique gratias egit, quòd dedisset sibi ante mortem videre successorem filium Salomonem, sedentem in throno regio cum tanto populi applausu.

VERS. 52. SI FVERIT VIR BONVS, NON CADET NE VNVS QVIDEM CAPILLVS EIVS IN TERRAM] q. d. Si Adonias deinceps probè, fideliter & obedienter se erga me gesserit, vt me regem agnoscat, nec quid rebellionis contra me moliatur, condonabo ei quòd regnum inuaserit, nec quid mali ei inferam. Sin autem rursum per artes & insidias regnum ambiuerit, puniam eum pro meritis. Et quia hoc fecit Adonias, ideo à Salomone occisus est, vt audiemus cap. sequenti.

VADE IN DOMVM TVAM] Sunt verba Salomonis Adoniæ suboffensi, eiusque ambitionem castigantis, ac minitantis si quid noui moliatur iustum supplicium. q. d. Ego tibi, ô Adonia, hac vice ambitionem tuam & iniuriam mihi illatam condono: sed si deinceps quid tale attentaris, scito me huius iniuriæ memorem fore, ac te pro vtraque acriùs castigaturum. Vade ergo in domum tuam, ibi quiesce, & res tuas age, nec te publicis regni mei negotiis immisceas, alioqui iustam meam vindictam experieris.

VERS. 52.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid moriturus vltima Salomoni dat monita. Primùm, vt Dei præcepta obseruet; sic enim in regno fore felicem. Secundùm, vt scelera Ioab & Semei castiget. Tertium, vt filiis Berzellai sibi benefici gratiam rependat. Denique mortuo Dauide regnat Salomon vers. 11. qui Adoniam petentem Abisag sibi dari in vxorem iubet occidi. Mox vers. 26. Abiathar Pontificem cum Adonia conspirantem ablegat in Anathoth, & vers. 28. mandat trucidari Ioab, denique v. 36. Semei sua iussa violantem necari imperat.

1. APpropinquauerunt autem dies Dauid vt moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens: 2. Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir. 3. Et obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, vt custodias ceremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa quæ facis, & quocumque te verteris; 4. vt confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. 5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. 6. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. 7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui. 8. Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad Castra: sed quia descendit mihi in occursum cùm transirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: 9. tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, vt scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos. 10. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. 11. Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt: in Hebron regnauit septem annis: in Ierusalem, triginta tribus. 12. Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum est regnum eius nimis. 13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificúsne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus. 14. Additque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: 15. Tu, inquit,

inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israel sibi in regem: sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei. 16. Nunc ergo, petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. 17. Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorem. 18. Et ait Bethsabee: Benè, ego loquar pro te regi. 19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronũ suum: positusq; est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius. 20. Dixitque ei: Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam. 21. Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor. 22. Respondit que rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum: ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ. 23. Iurauit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. 24. Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occideretur Adonias. 25. Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus est. 26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus. 27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. 28. Venit autem nuntius ad Ioab, quòd Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. 29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quòd fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare: misitque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hîc moriar. Renuntiauit Banaias regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Ioab, & hæc respondit mihi. 31. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: & interfice eum, & sepeli, & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei. 32. Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, melioresque se: & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante; Abner filium Ner principem militiæ Israel, & Amasam filium Iether principem exercitus Iuda: 33. & reuertetur sanguis illorum in caput Ioab, & in caput seminis eius in sempiternum. Dauid autem & semini eius, & domui & throno illius, sit pax vsque in æternum à Domino. 34. Ascendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto. 35. Et constituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. 36. Misit quoque rex, & vocauit Semei, dixitq; ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc. 37. Qua cumque autem die egressus fueris, & transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum. 38. Dixitque Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet seruus tuus. Habitauit itaque Semei in Ierusalem diebus multis. 39. Factum est autem post annos tres, vt fugerent serui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quòd serui eius essent in Geth. 40. Et surrexit Semei, & strauit asinum suum: iuitque ad Achis in Geth ad requirendum seruos suos, & adduxit eos de Geth. 41. Nuntiatum est autem Salomoni, quòd isset Semei in Geth de Ierusalem, & rediisset. 42. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nónne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacumque die egressus, ieris huc & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audiui. 43. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi? 44. Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. 45. Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit stabilis coram Domino vsque in sempiternum. 46. Iussit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ: qui egressus, percussit eum, & mortuus est.

EGO

EGO INGREDIOR VIAM VNIVERSÆ TERRÆ] id est, omnium terrigenarum, siue hominum omnium in terra habitantium. q. d. Ego tendo ad mortem, vti ceteri homines qui terram incolunt, vt à terra è qua plasmatus sum in terram & puluerem redeam. Est Metonymia, significans idem quod alibi dicitur: *Ego ingredior viam vniuersæ carnis*, id est viam mortis, quam ingrediuntur omnes, qui carne constant.

Memoria mortis salubris. Salubris est hæc mortis & sepulchri memoria, iuxta illud Eccli. 7. 40. *In omnibus operibus memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.* Et c. 14. 12. *Memor esto quoniam mors non tardat, &c. testamentum enim huius mundi* est, quòd omnis homo *morte morietur*. Simili modo S. Antonius moriturus, teste S. Athanasio, ait discipulis: *Ego quidem filioli secundùm eloquia scripturarum, patrum gradior viam. Iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia, sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitraminì, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* Et S. Paulus primus Eremita sub mortem Dei instinctu visitatus à S. Antonio, teste S. Hieron. *En*, inquit, *quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem puluerem mox futurum.* Et paulò pòst: *quia dormitionis meæ tempus aduenit, & quod semper cupiebam, dissolui & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ; tu missus es à Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imò terra terram reddas.* Et S. Maria Ægyptiaca ad Zosimam: *Sepeli*, inquit, *Abba Zosima miserè Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, & pulueri adiice puluerem. Ora tamen Dominum pro me.* Et Barlaam ad Iosaphat: *Non iam*, inquit, *charissime fili, nos in hac vita eadem domus ac mensa coniunget. Iam enim vltimam patrum meorum viam ingredior. Quocirca tibi faciendum est, vt per mandatorum diuinorum obseruationem, atque in hoc loco ad extremum vsque vitæ diem commorationem, tui erga me amoris specimen exhibeas: sic nimirum vitæ tuæ rationes instituens quemadmodum didicisti, nec vnquam abiectæ atque ignauæ animæ meæ memoriam intermittens. Multùm itaque vale: atque in Christo delectare & exulta: quoniam terrena & interitui obnoxia cum sempiternis & ab interitu alienis bonis commutasti, ac propinqua est operum tuorum merces, ac iam iamq; adest qui mercedem refert.* Ita Damascenus in eorum historia.

VERS. 3. ET OBSERVA CVSTODIAS DOMINI DEI TVI] *Custodias*, id est præcepta quæ Deus à te & ceteris obseruari & custodiri iussit. Patet ex sequent. *Custodia* ergo vocatur hîc res custodiendæ per metonymiam.

VT INTELLIGAS VNIVERSA QVÆ FACIS] hoc est, vt intelligenter & prudenter agas quæcumque ages; hoc enim significat Hebr. הַשְׂכֵּל *haskel*: vnde Chald. vertit, *vt prosperæ reddas omnia quæ feceris*; Alij, *vt felix sis in omnibus quæ agis*. Qui enim prudenter sua agit, hîc prosperè ea agit. Prudentia enim est mater prosperitatis & felicitatis, sicut imprudentia infelicitatis.

VERS. 5. ET EFFVDIT SANGVINEM BELLI (qui sciliicet poterat esse causa belli) IN PACE, ET POSVIT CRVOREM PRÆLII IN BALTHEO SVO, &c. ET IN CALCEAMENTO SVO] q. d. Ioab proditoriè occidit Abner & Amasam, præ se ferens amicum & arctum adeò eorum complexum, vt in complexu hoc dolosè eos transfodiens, baltheus & calcei eius sanguine cæsorum tingerentur. Ita Lyran. Vatab. & alij: vocat autem hunc sanguinem *belli & prælij*, quia periculum belli erat ex hac cæde; ne scilicet totus Israel Dauidi rebellaret, vellerèque vlcisci proditoriam hanc cædem suorum ducum Abner & Amasæ factam à Ioab, ideoque Dauid eum hîc iubet occidi. Rursum *belli* alludit ad bellum, in quo iustè Abner occidit Asaëlem fratrem Ioab, cuius necem proinde Ioab vltus est cæde Abneris. q. d. Ioab vlcisci voluit sanguinem fratris sui Asaëlis occidendo Abner, sed perperam & iniquè. Nam Abner iustè in bello occidit Asaëlem; Ioab autem iniquè & proditorie occidit Abner in pace, cùm Abner iam reconciliatus esset Dauidi, imò totum Israel ad eum reduceret. Quare Ioab Abnerem & Amasam in pace occidit quasi in prælio, adeoque pacem proditorie conuertit in prælium, quo prælians & gladium stringens vtrumque fraudulenter occidit, cùm ipsi putarent se esse in pace, omniaque sibi cum Dauid & Ioab esse pacifica, ob pacem cum eo initam, idque præseferret Ioab vtrumque dolosè complexans & osculans, quæ magna fuit Ioabi fraus, iniustitia & perfidia.

FACIES ERGO IVXTA SAPIENTIAM TVAM; VERS. vt quæsitâ commodâ occasione, & iusto prætextu eum punias: ET NON DEDVCES CANITIEM EIVS PACIFICE AD INFEROS] q. d. Non sines eum senem pacificè in lecto mori, sed violenta morte plectes: nam ante Christum omnes morientes descendebant ad inferos, saltem ad limbum patrum. Lex enim talionis à lege naturæ diuina & humana lata est, vt, qui alium occidit, occidatur.

Dices, cur Dauid non occidit Ioab, sed id mandauit Salomoni. Resp. quia cùm Ioab occidit Abnerem & Amasam, Dauid non habebat potentiam & vires ad id sufficientes. Necdum enim in regno erat planè confirmatus, sed metuebat Ioab, ne is contra se Israelem concitaret, vti paulò antè concitarat Abner; postea verò Dauid bellis continuis implicitus id facere non potuit, præsertim quia Ioabo egebat; nec enim alium habebat tam idoneum quem castris præficeret. Mandauit ergo id Salomoni, qui plena pace potiebatur, ideoq; plena dignitate & auctoritate pollebat. ita Iosephus. Aliam causam, cur Dauid iusserit occidi Ioab, affert Theodor. quia timuit, inquit, ne is solita vsus malitia despiceret iuuentutem Salomonis, & vel eum per speciem beneuolentiæ interficeret, sicut prædictos occiderat; vel apertam instrueret aciem, & diuideret Israelem intrudendo regem Adoniam, cui fauebat, qui regni spem non planè abiecerat, vt sequentia declarabunt.

QVI MALEDIXIT MIHI MALEDICTIONE VERS. PESSIMA] Septuag. ἀδύνατον, id est *dolorosa*, Chald. *amara*; Hebr. est נִמְרֶצֶת *nimreset*, quod Hebræi apud S. Hieron. sic explicant, vt per quinque litteras, quibus hæc vox constat, quinque conuicia quæ Semei iecit in Dauidem, significentur. nimirum per primam *nun* significet נַאֲצָה *Noeph*, id est adulter propter adulterium cum Bethsabee; per secundam *mem* Moabi, id est Moabita, eò quòd Dauid ex ignobili Ruth Moabitide genus duceret; per tertiã *resh*, רוֹצֵחַ *rothseach*, id est homicida, propter Vriã & tot alios è medio sublatos. Per quartã *tsade*, צָרוּעַ *tsarua*, id est leprosus, eò quòd Dauid iam non aliter eiectus ex vibe videretur quàm soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent & execrantur; per quintam *tau* תּוֹעֵבָה designatur *tohaba*, quod abominabile significat.

NON TE INTERFICIAM GLADIO] Hinc patet Dauidem cùm dixit Semei: *Non morieris*, non plenam ei dedisse veniam & impunitatem, sed limitatam & restrictam ad tempus vitæ Dauidis. q. d. Ego non interficiam te, per omnem vitam meam tibi condonabo vitam: sed post mortem meam caue tibi, quia Salomon filius meus meo instinctu quæret occasionem tuum scelus & maledictum castigandi; cùm enim hæc promissio non sit debita, sed gratuita & liberalis, ex mente promittentis interpretanda & limitanda est, ait Abul. Commendat ergo Dauid hîc Salomoni iustitiam in omnes, sed præsertim in maleficos, quos ipse hucusque clementer viuere permiserat, vt nunc ipse satis faceret iustitiæ, quæ in sua clementi permissione tacitè intelligebatur, iuxta illud Psalm. 71. 1. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.*

VERS. 10. DORMIVIT IGITVR DAVID CVM PATRIBVS SVIS, ET SEPVLTVS EST IN CIVITATE DAVID] putà in Sion. *Dormiuit*. S. Script. mortem vocat somnum, ob fidem & spem resurrectionis. Nam in die iudicij à morte quasi è somno euigilabimus ad vitam æternam. Hinc pia fidelium consuetudo habet, vt cùm quis moritur dicant: *Obdormiuit in Domino.*

Elogium Dauidis. Porrò Iosephus in fine lib. 7. Dauidi hoc dat elogium quasi Epitaphium. Dauid fuit *vir optimus & omnibus virtutibus præditus, quas regem tot gentium incolumitati prospicientem habere oportebat. Nam fortis erat, vt nemo alius: & in certaminibus pro subiectorum tutela susceptis primus se periculis obiiciebat, exemplo suo militem ad præclara facinora excitans, & non tamquam Dominus pro imperio ad officium cogens. Idem in consiliis prudentissimus, & egregiè callens, quid in præsens, quidve in futurum conduceret. Ad hæc sobrius, mitis, benignus ergo calamitosos, iustus, humanus: quæ quidem præcipuè sunt regum virtutes, nec in tanta potestate vnquam ab æquitate destexit, nisi quod ad Vriæ vxorem attinet. Tantas præterea diuitias reliquit, quantæ nullius alius rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium.*

Sepultura. De sepultura deinde eiusdem hæc illico subiicit: *Sepelunt eum Salomon Hierosolymis magnificè, præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis diuitiis, quarum magnitudinem facile fit coniectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos* MCCC. *Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrij filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, apertâ cellâ monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumq; parte Antiocho numeratâ, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicauimus. At rursum post multos annos elapsos Herodes rex aliâ cellâ apertâ magnam pecuniam sustulit: ad locellos tamen, qui regum cineres continebant, neuter eorum peruenit. Singulari enim arte ita erant sub terram conditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent.* Verùm horum fides sit penes Iosephum: tot enim talentorum multitudo in sepulchrum defossa videtur penè incredibilis, ac cellæ eam ægrè capere potuissent. Porrò 1. Paral. 29. 28. de Dauide dicitur: *Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitiis & gloria.* Fuit enim ipse regum omnium idea & exemplar, ideoque in omnibus fere typus Christi, vti per singula fusè ostendit noster Salianus anno mundi 3021. num. 92. & seq. Vide elogia Dauidis Eccles. 47. vers. 2. & seq. vbi eadem explicui.

VT DET MIHI ABISAG SVNAMITIDEM VERS. 17. VXOREM] Fuerat Abisag vxor Dauidis regis: vnde eam postulat Adonias filius Dauidis, vt per eam quasi reginam euadat ad regnum, & à populo sibi fauente acclametur rex. Consilium hoc Adoniæ suggessisse Ioab, qui eius partes fouebat, erat que vir sagax, & callidus, censent Theodor. Hugo, Abul. Dion. Ioab enim sibi à Salomone metuebat, & meritò, vti mox patebit.

Quæres, quomodo Adonias ausus est petere vxorem patris sui, cùm id vetetur Leuit. 18. 7. Resp. Iosephus, Caiet. & Serarius, ibi tantùm vetari, ne quis vxorem ducat illam quæ cognita est à patre. Abisag autem non fuit cognita à Dauide, sed mansit virgo. Vnde eius matrimonium illa Leuit. lege non fuisse vetitum. Vt vt est, Adonias huius legis ignarus videtur putasse hoc matrimonium esse licitum, aut certè amore pulchritudinis Abisag, & ambitione regnandi excæcatus illam ratus penditi.

An coniugium nurus cum socero sit iure naturæ irritum? Porrò an iuri naturæ licitum ratumque sit matrimonium filij ducentis vxorem patris, variæ sunt Doctorum sententiæ. Nam noster Thomas Sanchez lib. 7. de imped. matrim. disp. 66. docet matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, putà soceri cum nuru, vel socrus cum genero, non esse irritum iure naturæ; ideoque esse dispensabile. Probat, quia tale fuisset matrimonium Adoniæ cum Abisag vxore patris sui Dauidis. Si enim hoc fuisset irritum, vtique Adonias non postulasset illam sibi in vxorem. Citat Sanchez in hanc sententiam S. Thomam, Alensem, Abulensem, Gabrielem, Tapperum, & plures alios.

Ex aduerso Bellarm. lib. 1 de Matrim. c. 28. docet matrimonium tale esse irritum iure naturæ & indispensabile, quia numquam in eo dispensatum legimus. Est enim planè contra honestatem naturalem & pudorem paternum maternumque. Idem tenet P. Ægidius Coninck, qui ex Iosepho A costa lib. 6. Indic. c. 21. narrat Paulum IV. Pontif. cum concilio Limensi ita decidisse, scilicet vt Indi Peruani, qui matrimonium contraxerant cum nouerca vel cum nuru, non admitterentur ad Baptismum, nisi priùs soluerent tale matrimonium, velut iure naturæ irritum. Ad Abisag, respondet Bellarm. primò, illam non fuisse vxorem Dauidis; non enim in Script. vocatur vxor, sed tantùm calefactrix senis. Secundò, si fuit vxor, Adoniam illicitè petiisse vxorem, vtpote contra legem Leuit. 18. 7. & 15. ideoque iustè à Salomone

Salomone iussum occidi: plus enim hîc valere debet sententia Salomonis regis sapientissimi, quàm postulatio Adoniæ. Hanc sententiam sequitur Paludanus, Sotus, Valentia, Nauarr. Couarru. Sylueſter, Vasquez & plurimi alij, quos citat Sanchez loco citato & Ægidius Coninck disp.32.de imped. matrim. dubio 4.concluſ.3.

Problema ergo est an matrimonium soceri cum nuru, vel generi cum socru sit iure naturæ irritum. Vtrumque enim sunt graues auctores, his, & quidem pluribus asserentibus, illis negantibus. Vtraque ergo sententia probabilis est, & vtramque in praxi sequi potest Pontifex, vt in eo vel dispenset, si iusta prægnansque causa subsit; vel dispensationem neget, sicut huc vsque negauit (& quidem adhuc recenter his B diebus, quibus Romæ versor) ob rei indecentiam: certè publicum huius dispensationis non extat exemplum, quod sciam.

Illud certum est, apud omnes matrimonium hoc iure naturæ vetari, ac multò magis lege veteri, vt patet Leuit. 18. 15. & c. 20. 14. & Deuter. 27. 20. Quare Adonias volens hanc legem violare, iustè à Salomone repelli & plecti potuit ac debuit, præsertim quia per hoc tacitè ambiebat regnum.

Multò magis iure naturæ vetitum & itritum est, ideoque indispensabile matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, vt si pater velit ducere filiam, vel mater suum filium, vti omnes Doctores docent. Quocirca ab Ecclesia colitur & celebratur S. Dymna, quæ cùm esset filia regis Hyberniæ, ab eo ob formam in coniugem appetita, cùm ipsa id constanter abnueret, à patre gladio obtruncata pro castitate Martyr occubuit, cuius sanctitatem Deus multis illustrauit, & etiamnum illustrat miraculis; vnde magnus energumenorum & maniacorum ad sepulchrum eius (quod Geelæ in Brabantia extat) est concursus, vti oculis meis conspexi.

Infamis igitur & porcina fuit responsio illius aulici & adulatoris, qui Henrico VIII. Angliæ regi volenti ducere Annam Belenam (quam eius esse filiam spuriam vehemens erat suspicio) rogatus quod & quale peccatum foret, si quis matrem cognosceret & eius filiam, respondit: Tale, ac si quis pullum comedat cum gallina. Sed Deus contrarium ostendit, cùm Henricum totamque Angliam ob hoc coniugium grauissimè afflixit, omnemque Henrici D prosapiam funditus extinxit. Ita Sanderus lib.1. de Schism. Anglic.

VERS.19. ET SVRREXIT REX IN OCCVRSVM EIVS, ADORAVITQVE EAM] se ei inclinando, & reuerentiã filialem exhibendo. Priuatim enim eam excepit & honorauit vt matrem. Nam vt ait Taurus Philosophus apud Gellium lib.2.c.2. *Priuatim inter filium magistratũ & patrem priuatum publici honores cessant, naturales & genuini exoriuntur.* Secùs faciendum in publico. Vnde Gellius ibidem laudat filium Fabij Maximi, qui Consul existens, ac patri Proconsuli in publica via occurrens, iussit eum ex equo descendere; atque Fabius imperio filij paruit, eumque collaudauit, cùm imperium, quod populi esset, retineret.

Hinc apud Persas filio coram matre sedere non licebat, nisi illâ annuente. Vnde Alexander Magnus Darij matrem Sisigambim, quam colebat vt matrem, sic alloquitur apud Curtium lib.5. *Quoties ad te veni, donec vt considerem annueres, restiti.*

PETE MATER MEA: NEQVE ENIM FAS EST, VT AVERTAM FACIEM TVAM] Hebr. *vt reuerti faciem tuam*, id est, vt te, tuamque faciẽ confundam & pudore afficiam negando quod postulas. Cùm enim quid alicui negatur, ille confusus faciem suam retrahit, auertit, & domum redit. Promittit Salomon omnia se concessurum, quæ mater postulabit, intellige si æqua & vtilia postulet, non autem si sibi matriq; noxia, vt erat hoc de danda Abisag vxore Adoniæ. B

Si Salomon omnia matris postulata implet, multò magis Christus concedit matri suæ omnia, quæ pro nobis supplicando petit. Illam ergo adeamus, & per illam omnia impetrabimus. Nec enim Christus confundet & pudefaciet faciem matris suæ, vti sæpè inculcat S. Bernardus: nec enim ipsa aliquid petit aut petere potest, quod sit præter dignitatem filij & suam.

POSTVLA EI ET REGNVM] q.d. Si postulas VERS. Abisag dari vxorem Adoniæ, postulas ei regnum. Ipse enim ambit vxorem patris nostri regis Dauidis, vt per eam quasi reginam eleuetur in celsitudinem regiam, fiatque rex; præsertim quia ad hoc ei auxiliantur Abiathar pontifex, & Ioab dux militiæ. Ita Rupertus & C alij.

MISITQVE REX SALOMON PER MANVM VERS. BANAIÆ] hoc est, misit Banaiam, vt per manum eius occideretur Adonias. Est hebraismus. Caietan. asserit Salomonem peccasse temeritate iudicij, quòd vnico indicio fratrem læsæ maiestatis damnarit, nisi tamen id mortis fuerit. At vel vnicum, ait Serarius, si id certum sit, hodie sufficiat, præsertim vbi periculum est regi, ne regno ab æmulo priuetur, vti hîc erat. Aude Salomonem hîc puniuisse primam regni inuasionem factam ab Adonia, qua se curauerat vngi & coronari regem. Licet enim Salomon illam ei condonasset, tamen id fecit sub conditione, si deinceps sibi foret fidelis, ac domi quietè se continens nullam deinceps ambitionis, & affectati regni de se daret suspicionem: quòd si illam daret, puniretur non tantùm ob suspicionem, sed & ob inuasionem regni præteritam. Adonias autem postulans Abisag vxorem, iustam dedit Salomoni occasionem suspicandi ipsum rursus ambire regnum. Cur enim inuerecundè & arroganter contra legem naturæ & diuinam postulat reginam vxorem patris sui, nisi vt per eam thronum patris occupet, fiatque rex? quare iure meritò plexus est à Salomone. Timebat enim Salomon eum, vtpote ambitiosum & inquietum, semper res nouas moliturum, & ad regnum iure primogenituræ sibi debitum aspiraturum: quare se eo viuente numquam in regno fore securum. Occidit ergo eum vt sibi securitatem & regno quietem pareret. Vide hîc rursum quàm Dauid infelix fuerit in filiis. Ammon enim vitiauit Thamar, Absalom eum occidit, & patri rebellauit, Adonias ambiit regnum, ideoque A à fratre interemptus est. Fuit hæc pœna, & pœnitentia Dauidi ob adulterium & homicidium Uriæ à Deo inflicta, 2. Reg. 12. 10. dicente: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua.* En modica breuisque voluptas quantas ei peperit clades, ac quantarum calamitatum post se syrma caudamque protraxit.

VERS.26. ABIATHAR QVOQVE SACERDOTI (pontifici) DIXIT REX: VADE IN ANATHOTH AD AGRVM TVVM, EQVIDEM VIR MORTIS ES] q.d. Mereris occidi, quia contra me conspirasti cum Adonia, eumque in regem vnxisti. Ego tamen te non occidam, quia pontifex Dauidi patri meo fidelis extitisti, sed tantùm à Ierusalem te ablegabo, ne in ea rursum res nouas inter fratres & ciues meos contra me moliaris. Vade ergo ad agrum tuum in Anathoth, ibique quiesce & res tuas age, necre- B bus meis & regni te deinceps immisce. Portò hoc ipso Salomon indirectè exauctorauit & priuauit Abiathar pontificatu, quia pontifex debebat residere Ierosolymis, vt sacerdotes in templo ministrantes dirigeret, Synagogæ & concilio Sanhedrim præsideret, regi foret à consiliis, populum doceret, &c. Quare ablegato Abiathar, Salomon surrogauit ei Sadoc.

VERS.27. VT IMPLERETVR SERMO DEI, QVEM LOCVTVS EST SVPER DOMVM HELI IN SILO] 1. Reg. 2. 30. vbi Deus minatur Heli & posteris eius priuationem vitæ, æquè ac pontificatus, additque v. 35. *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem*, scilicet Sadoc. Igitur Salomon vir sapiens vsus hac occasione rebellionis Abiathar, ex Dei instinctu has eius contra Heli minas, hocque eius de Sadoc in pontificatum restituendo promissum impleuit, itaque pontificatum à familia Ithamar & Heli, ex qua erat Abiathar, ad primæuam & genuinam Eleazar stirpem, ex qua erat Sadoc, reduxit. Fecit hoc in pœnam peccatorum tum Heli, tum Abiathar: hic enim reus erat capitis & læsæ maiestatis, quia fauerat Adoniæ contra Salomonem, qui à Deo & à patre Dauide constitutus erat rex: quare eum eiecit in exilium, sed honestum: misit enim eum in patriam ad prædia sua, vt ibi vitam, quam ei condonabat, quietè traduceret. Nemo ergo hinc concludat Imperatores & reges habere ius in pontifices, vt eos creare & exauctorare possint. Nam Salomon exauctorauit Abiathar auctoritate non sua, sed Dei. Deus enim primitus Aaroni, indeque Eleazaro quasi primogenito, eiusque posteris pontificatum assignarat. Inde deuiauit pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar: iussit ergo Deus eum reduci ad familiam E- D leazar, putà ad Sadoc; idque fecit Salomon instinctu iussuque Dei, non vt rex, sed vt Propheta, & diuinæ iustitiæ executor, vti ostendit Bellarm. lib. 2. de Pontif. c. 29. Adde, nunc in lege noua longè sanctior & sublimior est pontificatus, quàm fuerit in lege veteri: quare etiamsi tunc pontifex fuisset subditus regi, vt censet Abul. iam tamen non est, quia Pontifex est iam vicarius Christi, qui est Rex regum, & Dominus dominantium. Vide dicta Numer. 27. 21.

Cornel. in lib. Regum.

VENIT AVTEM NVNTIVS AD IOAB, (eò) VERS.28. QVOD IOAB DECLINASSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINASSET] ita legendum cum Hebr. Chald. Septuag. Romanis & ceteris: perperam ergo in Regiis & aliis nonnullis legitur: *Venit autem nuntius ad Salomonem.* Sensus est q.d. Venit nuntius ad Ioab, nuntians ei occisum esse Adoniam, vt ipse qui fauerat Adoniæ, & cum eo contra Salomonem coniuratat, fuga sibi consuleret, ne ipse quoque vt socius & particeps coniurationis Adoniæ occideretur à Salomone.

POST SALOMONEM] ita legendum cum Septuag. Roman. & ceteris. At verò Hebr. & Chald. iá habent, *post Absalomem*, quod Vatab. sic explicat, q.d. Ioab etsi initio fuerat Danidi fidelis, nec declinarit post Absalomem; tamen postea fuit infidelis, quia cùm Adonia coniurauit contra Salomonem, qui à Dauide constitutus erat rex. Alij censent Salomonem vocari Absolomem, eò quòd Absalom Hebr. idem sit quod *pater pacis*; Salomon verò idem sit quod *pacificus*; ideoque pater & arbiter pacis. Sic Ochosias per metathesin dictus est Ioachas.

Verisimilius est Hebræa & Chald. moderna esse corrupta, ac S. Hieron. in Hebræo pro post *Absalomem*, legisse *post Salomonem*. Sic enim legerunt Septuag. Et Antithesis id exigit. ita Sanchez.

NON EGREDIAR] Sperabat Ioab quòd Io- VERS.30. ci sanctitas eum tutaretur, nec Salomonis religio permitteret eum ibidem occidi, ideoque eo egredi noluit. Sed eum fefellit opinio: ob scelerum enim atrocitatem ibidem occisus est.

FAC SICVT LOCVTVS EST, ET INTER- VERS.31. C FICE EVM] in Tabernaculo, ex quo Ioab egredi non vult, sed in eo occidi & mori. Homicida enim voluntarius, qualis erat Ioab, dolosè occidens Abner & Amasam, non gaudebat impunitate & immunitate loci sacri, iuxta illud: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Exodi 21. 14. Multò magis id sancitum est lege, non diuina, sed humana in nouo testamento, in qua Christiani sanctiores esse debent Iudæis, & ab homicidio spontaneo magis alieni. Vide cap. *inter alia*, de Immunitate Ecclesiarum, ac Franc. Suarez tract. de Immunit. Eccles. c. 9. & 10. Porrò tunc non erat lata lex quòd Tabernaculum pollueretur cæde humana, sicut iam lata est vt Ecclesia Christiana, in qua commissa est cædes, censeatur polluta, iterumque debeat benedici. Nec iustè, ait Salianus, fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo solebat sanguine cruentari: tota loci violatio consistebat in vi, quæ directè loci priuilegium irritabat; inde enim Asyla dici certum est, quòd ab eorum quasi sinu reos abstrahere non liceret. Ideoque rectè credidit Salomon perinde esse Ioabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi iugulare: vtrouis enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio interueniisset, quæ hic ob scelerum enormitatem non requirebatur, vt dixi.

REDDIDIT DOMINVS MALITIAM TVAM VERS.44. IN CAPVT TVVM] q.d. Fecit Deus vt pœna

malitiæ & maledictionis, qua maledixisti patri meo Dauidi, in caput tuum noxium rediderit. Ita enim omnia disposuit, vt tu pœnam mortis à me tibi propositam, si Iordanem transires, acceptans, tua te sententia condemnaris, & transeundo Iordanem reum mortis effeceris. Duplici ergo titulo Semei reus erat mortis. Primò, quod Iordanem contra præceptum Salomonis sub pœna mortis datum & à se acceptatum transgressus esset. ita Theodor. Iosephus, Serarius & alij. Secundò, quòd Dauid maledixisset, & hoc maximè hîc punire ex patris præcepto intendebat Salomon; sed tamen quia Dauid pater per omnem suam vitam ei veniam dederat, noluit Salomon eam à patre datam simpliciter mutare, sed honesta conditione limitare, quam quia violauit Semei, hinc Salomon veniam patris abrogauit, ac Semei culpam & pœnam reuocauit.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon postulans à Deo sapientiam impetrat. Mox vers. 16. litem duarum puerperarum de filio viuente litigantium mira sagacitate dirimit, itáque summam sibi auctoritatem & gratiam apud omnes conciliat.

1. CONfirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Ierusalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat, & accendebat thymiama. 4. Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis vt dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnam, sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est hodie. 7. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum. 8. Et seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. 9. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiusce modi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendū iudicium: 12. ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus. 14. Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quòd esset somnium: cumque venisset Ierusalem, steterit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo, 17. quarum vna ait: Obsecro, mi domine: ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppressit eum. 20. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. 21. Cumque surrexissem manè vt darem lac filio meo, apparuit

paruit mortuus: quem diligentiùs intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. 22. Respondit altera mulier: Non est ita vt dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. E contrariò illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondit, Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. 24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege, 25. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrariò illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. 27. Respondit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius. 28. Audiuit itaque omnis Israel iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

VERS. 1. AFFINITATE CONIVNCTVS EST PHARAONI REGI ÆGYPTI: ACCEPIT NAMQVE FILIAM EIVS] in vxorem. Eupolemus apud Eusebium lib. 9. de Præpar. c. vlt. asserit Pharaonem hunc fuisse eum, qui cognominatus est Vaphres, qui diuersus est, & longè anterior Pharaone Vaphres, siue Ephree, vel Apries, qui fuit nepos Pharaonis Nechao occisoris Iosiæ regis Iuda, vltimusque Pharaonum, vtpote à Nabuchodonosor victus & subactus, vti dixi Ierem. 44. v. 30.

Voluit Salomon per hoc matrimonium deuincire sibi Pharaonem, vtpote regem vicinum & potentem, cuius ope regnum suum stabiliret, illudque contra Chaldæorum, Assyriorū, Medorum, &c. vim & potentiam tueretur.

Porrò licitum fuit hoc matrimonium fideli cum infideli, tùm quia Deus expressè tantùm B vetuerat Iudæis ne ducerent in vxores filias Chananæorum, à quibus maius peruersionis & idololatriæ periculum, non autem ceterarum gentium, etsi id quoque sibi non placere ob simile periculum satis ostendebat, vt patebit cap. 11. 1. tum quia verisimile est Ægyptiam hanc sponsam Salomonis ad iudaismum esse conuersam: quo facto licitum erat eam ducere; hoc enim permittit Deus Deuter. 21. v. 20. & seq. Sic enim Salomon iam duxerat Naamam Ammonitidem, & Dauid filiam Tholmai regis Gessur, & Booz Ruth Moabitidem, & Salmon Raab Ierichuntinam, & Ioseph filiam Putipharis Ægyptij, & Moyses filiam Iethro Madianitidem. Ita Abūl. Pineda, Serarius, Salianus, Sanchez & alij. Minùs rectè ergo Hebræi in Sederolam, Theodor. & C Procop. censent Salomonem peccasse ducendo alienigenam, eò quòd Deus id vetuisset Exodi 34. & Deuter. 7. 3.

Putant Hebræi harum nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis Epithalamium concini in Cantico Canticorum, sed errant, vti in Cant. ostendi. Fateor tamen ibidem ad eas alludi, vt cū ait Cant. 1. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Et c. 3. 11. *Egredimini, & videte filia Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius*, quæ licet ad litteram competant nuptiis Christi cum Ecclesia, alludunt tamen ad connubium Salomonis cum Aegyptia, quod illarum fuit typus.

Denique Salomonem hanc Ægyptiam duxisse anno regni sui primo, viuente adhuc Dauide, opinatur Iosepus, Serarius & Sanchez, licet Abulen. Cedrenus & Salianus in annum tertium id conferant.

DONEC COMPLERET ÆDIFICANS DOMVM SVAM] Salomon enim post ædificatum templum domum propriam ædificauit filiæ Pharaonis, de qua c. 7. 8. interim locum ei assignauit in palatio suo, quod erat in arce Sion.

ATTAMEN POPVLVS IMMOLABAT IN EXCELSIS: NON ENIM ÆDIFICATVM ERAT TEMPLVM] Quæres, quænam fuerint hæc excelsa, quorum tam crebra in libris Regum & Prophetarum fit mentio? Resp. Excelsa erant luci, siue syluæ & nemora in excelsis montibus, collibus & vmbrosis recessibus consita, in quibus gentes pleræque solebant sacella & altaria erigere, teste Homero, Virgilio & aliis, qui docēt veteres in nemoribus sepulchra suis defunctis extruxisse, in quibus primò parentalia celebrabant, siue parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi Diis sacrificare cœperunt. Id fecerunt, tum quia loca excelsa ceteris altiora sunt & viciniora cælo, ideoque plus veneration is apud rudem populum obtinent. Vnde *altare* dictum est ab altitudine, quasi *alta ara*, in qua altissimo Deo sacrificatur; & Græcum βωμὸς, id est altare, dictum est ab Hebræo בָּמָה *Bama*, id est excelsum; quamquam altare propriè non erat excelsum. Nam Script. 4. Reg. 23. 15. distinguit inter altare & excelsum, sed potiùs altare erat in excelso, scilicet colle aut monte. Rursum nemora, quia condensa & silentia, sacrum quemdam horrorem Gentibus iniiciebant, qui superstitiosè censebant ibi habitare Deos, quos Satyros & Faunos quasi syluarum Deos nuncupant. Vnde templa dicta sunt fana à Faunis; nisi malis à fando, id est oracula dando, nomen sortita. Tertiò, syluæ copiosam suppeditant lignorum materiam ad fabricandum sacella, altaria & strues pyrarum, quibus victimæ comburantur, idcircò in iis excelsa erigebant. VERS. 2. *Excelsa quæ.*

Denique syluæ, quia frondosæ & amœnæ, excitabant Gentiles vt in eis sacra sua carnalia, quibus Baccho per sympolia & crapulam, Veneri & Priapo per luxuriam seruiebant, exercerent.

Sic Cyrus & Persæ, teste Xenophonte lib.

8. sacrificabant in locis excelsis. Idem de aliis docet Apollonius lib. 2. De Romanis. Idipsum constat ex Capitolio, in quo colebant Iouem Capitolinum. Audi Virgil. lib. 8. Æneid.

Hinc ad Tarpeiam sedem & Capitolia ducit.
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes
Dira loci: iam tum syluam, saxumq; tremebant.
Hoc nemus, hunc inquit frondoso vertice collem
(Quis Deus incertum est) habitat Deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem.

Idem Virgil. Ecloga 7. arbores proprias, quas Gentiles Diis suis in his lucis sacrabant, ita recenset.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iacchо, (Baccho)
Formosæ myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.
Phyllu amat corylos.

Chananæos pariter in excelsis lucis syluisque suos Deos coluisse patet ex eo quòd Deus crebrò iubeat Hebræis vt illas succendant & extirpent, vt patet Exodi 34. 13. Deuter. 7. 5. & c. 12. v. 2. & c. 16. 21. quibus locis directè quidem & expresè vetat Deus ne excelsa habeant talia qualia habebant Chananæi, in quibus scilicet suos Deos falsos colebant; indirectè tamen vetat quoque, ne sibi pariter in excelsis syluis & lucis sacrificent, sed tantùm in Tabernaculo & altari ad id à se destinato, & à Moyse fabricato, ac præsertim in templo mox à Salomone fabricando.

Excelsa duplicia.

Excelsa ergo Hebræorum, de quibus in libris Regum & Prophetarum crebra est mentio, erant duplicis generis. Vna in quibus instar Gentium colebant earum Deos & idola. Hæc manifestè erant illicita, quia idolis dicata in Dei veri iniuriam. Vnde in ea grauissimè inuehuntur & detonant Prophetæ, vt Ierem. c. 7. 31. Ezechiel c. 6. 3. Osee 10. 8. Hinc Salomon grauissimè peccauit, quòd in gratiam vxorum suarum Gentilium earum diis & idolis fecerit lucos & excelsa, ibique eos adorarit, quæ proinde Ezechias rex dissipauit, Manasses eius filius impius restituit, Iosias funditus aboleuit.

Altera excelsa erant, in quibus Hebræi, non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit Iudic. 6. 26 Idem fecit Samuel in excelso 1. Reg. 9. 19. & Salomon hîc sacrificauit in excelso Gabaon, id est in Tabernaculo Moysis, quod tum situm erat in excelso & frondoso colle Gabaon.

Porrò Deus hæc secunda excelsa non amabat ob periculum gentilismi & idololatriæ, tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum & stabile templum à Salomone in Ierusalem: nam ante illud Tabernaculum Moysis erat mobile, & ab vno loco transportabatur in alium, imò separatum erat ab altari, vt superiùs dixi. Vnde multis incommodum erat & difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant.

Hinc pij reges, vt Asa & Iosaphat, permiserunt excelsa Deo vero erecta, vel si illa erant idolis statuta, permiserunt ea, quia ob inueteratam populi idololatrantis consuetudinem, meruentes eius seditionem & rebellionem illa impedire & tollere non potuerunt. Verius tamen est, quod censet Abul. quæst. 2. & 5. hos reges tantùm permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificabatur, non idolis: quæ tamen non permiserunt reges pientiores, sed euerterunt, scilicet Dauid, Ezechias & Iosias, qui proinde soli è ceteris regibus Iuda dicuntur non peccasse Eccles. 49. 5. Porrò quòd Samuel in Ramatha, Bethleem, aliisque in locis sacrificauit 1. Reg. c. 16. v. 4. & 5. ac Elias in monte Carmelo 3. Reg. 18. 23. & Dauid in area Ornan 2. Reg. vlt. 18. credendum est id eos fecisse ob graues & vrgentes causas, idque ex Dei instinctu & dispensatione, vt patet de Dauide loco citato.

Hac de causa, vt scilicet excelsa omnia tollerentur, voluit Deus à Salomone ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari, vt in vno templo seruaretur vnitas religionis & Iudaismi, ac Iudæi planè arcerentur à profanis fanis & excelsis & sacrificiis Gentilium. Idem ante templum iusserat Deus fieri in Tabernaculo à Moyse fabricato Leuit. 17. v. 3. & 4. vide ibi dicta.

EXCEPTO QVOD IN EXCELSIS (Deo vero dicatis, de quibus iam dixi) IMMOLABAT] Hinc Theod. Proc. Abul. & Ribera l. 1. de Templo c. 2. censent aute fabricam templi in excelsis sacrificare fuisse illicitum, & peccatum saltem veniale, eò quòd hîc carpatur Salomon quòd in excelsis immolarit, etsi in ceteris dilexerit Dominum, & præcepta eius seruarit. Hebræi tamen, Lyran. Serarius & alij censent, id fuisse licitum, non quasi Deo absolutè gratum, sed tamquam ab eo concessum & permissum, donec ædificaretur templum firmum & stabile. Sic & S. Aug. quæst. 36. in Iudic. *Deus* ait, *consuetudinem populi sui quæ prater eius Tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo; sustinebat potiùs quàm vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Post templi verò fabricam excelsa fuere illicita, ideoque Dauid, Ezechias & Iosias ea sustulerunt, licet Asa, Amasias & Iosaphat ea tolerarint metu maioris mali, ne scilicet si excelsa Dei tollerentur, populus ad excelsa Deorum & Gentium, hoc est ad idola deflecteret. Vnde de iis dicitur: *fecit rectum ante conspectum Domini* &c. *verumtamen excelsa non abstulit* c. 15. v. 11. & 14. & c.

ABIIT ITAQVE IN GABAON VT IMMOLARET IBI] quia in Gabaon erat Tabernaculū & altare Moysis, vnde ibi immolare licebat, ideoque mox vocatur excelsum magnum, id est maximum & religiosissimum, licet Arca fœderis non esset in Gabaon, sed è Cariathiarim à Dauide translata in Sion, vt dixerat dicitur 2. Paral. 1. v. 4. & 5. Nota hîc pietatem Salomonis, qui regnum auspicatur à cultu & inuocatione Dei: obtulit enim mille hostias, vt sequitur, ideoque à Deo obtinuit sapientiam tantam, quantam nulli vnquam concessit Deus.

APPARVIT AVTEM DOMINVS SALOMONI PER SOMNIVM NOCTE, DICENS: POSTVLA QVOD VIS VT DEM TIBI. Quæres, quale fuit hoc Salomonis somnium, & an in eo habuerit vsum arbitrij, vt liberè postularit à Deo sapientiam, ideoque eam impetrarit?

Quæ

Quæstio hæc est problema. Multi enim affirmant, multi negant, & vtrique pro se rationes afferunt probabiles.

Primò ergo nonnulli censent hoc somnium fuisse naturale, ex speciebus diurnis noctu in somnis naturaliter recurrentibus; aut naturaliter à Deo immissum, ad hoc vt scireretur sapientiam omnibus hominibus, sed præsertim regibus & principibus ad sapienter gubernandum præ aliis rebus expetendam esse, vtpote ad bonum regimen summè necessariam. Ita Abul. Quia enim Salomon in Gabaon orans & sacrificans per diem crebrò & instanter à Deo flagitarat sapientiam, hinc effecit Deus vt naturaliter noctu ipsi eædem cogitationum species recurrerent; vt scilicet Salomon dormiens videretur sibi postulare sapientiam, Deumque illam ipsi annuere, iuxta illud Claudiani:

Omnia, quæ sensu voluuntur sensa diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Idemque docet Arist. lib. de Somniis & Hippocr. lib. de insomniis.

Si dicas postulationem hanc Salomonis placuisse Deo, ac ipsum per eam reipsa impetrasse sapientiam, respondent illam postulationem in somnis per se non placuisse Deo, quia erat actus somniantis, non liberè postulantis; sed ob aliam Salomonis eiusdem in vigilia sapientiæ postulationem, ex qua illa in somnis ortum habuit, & quasi effectus ex causa, naturaliter profluxit. Ita S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. *Salomon*, ait, *dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit: sed in somno declaratum est quòd per præcedens desiderium ei à Deo sapientia infunderetur.* Idem repetit de veritate q. 28. art. 3. & 2. 2. q. 154. art. 5. ad 1. Fauet S. Augustin. lib. 12. de Genesi ad Litter. c. 15. quem citat S. Thom. Item S. Bonau. in 2. dist. 15. q. 6. num. 72. Alensis in 4. q. 101. membro 3. art. 3. Richardus quodl. 1. quæst. 17. Sanchez, Salianus, Serar. Pineda lib. 3. de Salomone c. 8. Pererius lib. 1. in Daniel. q. 7.

Probatur primò, quia Salomon dormiebat, eratque in somnio: omnia ergo hæc non reuera, sed per somnium ei repræsentabantur.

Secundò, quia v. 15. disertè ait Script. *Euigilauit Salomon, & intellexit quòd esset somnium.*

Resp. affirmatiuè.

Verùm contraria sententia non minùs est probabilis, imò validiores affert rationes, nimirum somnium hoc non fuisse naturale, sed diuinum, ac propriè à Deo (licet natura quoque & naturalibus per diem cogitationibus Salomonis Deo subseruientibus) immissum, ideoque non tam fuisse somnium, quàm visionem propheticam vel ecstasin, qualis fuit somnus Adæ, cùm ex eius costa Deus formauit Euam, quem Septuag. vocant ecstasin: in eo enim Adam Deo reuelante cognouit Christi incarnationem, & Ecclesiæ ex eius latere formationem, vti docent S. Augustin. S. Thomas, Ruper. & alij passim. Tale quoque fuit somnium Abrahæ Genes. 15. 12. in quo Deus Abrahæ reuelauit, & promisit magnam posteritatem & Chananææ possessionem. Tale quoque fuit somnium Iosephi de futuro suo principatu in Aegypto Genes. 37. 5. & Iacobi Genes. 28. 12. vbi Deus in somnis idem ei promisit quod Abrahæ, imò plura.

Probatur

Probatur primò, quia hoc disertè significat Script. cùm ait, *Apparuit autem Dominus Salomoni primò per somnium nocte dicens.* Ergo fuit hæc vera Dei apparitio & locutio, quam Salomon excepit, vti prophetæ excipiebant Dei oracula per visiones tam nocturnas, quàm diurnas; Ergo non fuit somnium commune & naturale.

Secundò.

Secundò, quia sequens prolixa narratio recenset historiam veram, non somniatam. Ait enim Deus reuerà loquens Salomoni: *Postula quod vis vt dem tibi*, ac Salomon respondet prolixè, postulatque sapientiam, ac huius postulationis suæ multas & graues causas affert, idque tam sapienter & prudenter, vt vigilans prudentiùs loqui non potuisset. Ex qua narratione, & ex longo Salomonis sermone ad Deum constat, ipsum habuisse perfectissimum discursum & iudicium, cum consideratione diuinæ maiestatis & beneficiorum eius, & propriæ infirmitatis ac necessitatis in illo regio statu, in quo erat constitutus; & ex hoc perfecto discursu ac iudicio petitionem illam Deo proposuisse, & ideò illi placuisse.

Tertiò.

Tertiò, quia v. 11. Deus Salomoni præmium huius suæ postulationis tam sapientis & sanctæ largitur, & votis eius annuit dicens: *Quia postulasti verbum hoc*, &c. *ecce feci tibi secundùm sermones tuos*, nec tantùm hoc, sed & longè plura adiicit, scilicet diuitias, gloriam, longæuitatem & magnificentiam præ omnibus regibus: quæ omnia vtreuerà, & non per somnium gesta fusè & accuratè narrat Script. vt vix aliò torqueri possint, ac omne somnium superent & transcendāt. Et hoc voluit Script. dicens v. 15. *Euigilauit Salomon, & intellexit quòd esset somnium*, scilicet non humanū, sed diuinum, vti eo versu ostendā.

Quartò.

Quartò, quia reuerà Deus in somno hoc Salomoni indidit sapientiam, vt significat Script. nec enim aliud tempus, quo eam acceperit Salomon, reperire vel assignare possumus; ergo pariter reuerà Salomon in somno orauit, petiitque sapientiam; nam per orationem eam impetrauit, vt dicitur v. 11. & 12. *Ecce*, inquit, *feci secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens.* Ita sentit Lyran. Dion. Salmeron. tom. 3. tract. 22. Anton. Fernandius lib. de Visionibus Præludio 7. n. 8. & seq. Hugo, Glossa, Consaluus Ceruantes in Sapien. c. 7. v. 7. ac fusè & solidè Suarez tomo 2. de Relig. lib. 2. de Orat. c. 19. vbi docet primò, Deum in somno posse eleuare intellectum & phantasiam ad perfectum vsum rationis, & ad plenum iudicium de veritate siue speculatiua siue practica, idque fecisse in somnio Adami Gen. 2. Posse enim Deus ita confortare & clarificare phantasiam, & vapores omnes, qui illam in somno impediūt, depellere, vt verè res non tantùm apprehendere, sed & rectè de iis iudicare possit, conseruatis interim sensibus externis in eadem dispositione, quam in somno naturali habent. Accedit S. Ambros. in Psal. 118. Octonario 18. in fine, vbi asserit Salomonem *orasse* tunc & *promeruisse*. Imò Octonario 2. v. 2. addit: *Ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postulauit, & quia non opes sibi regias sed diuinæ munus gratiæ depoposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam.* Tertul. etiam lib. 4. contra Marcion. cap. 15. apertè sentit habuisse tunc Salomonem liberā electionem dicens:

Cornel. in lib. Regum.

Quæ permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam, meruit etiam diuitias consequi. Ad eum modum loquitur Eucher. quæst. 2. in 3. librum Reg. dicens Salomonem deprecatum esse Deum, &c.

Denique 2. Paral. 1. v. 7. vbi eadem hæc historia narratur, nulla somnij fit mentio: *Ecce*, inquit, *in ipsa nocte apparuit ei Deus.* Fuit ergo somnium hoc vera Dei apparitio & visio, qualem habuere ceteri Prophetæ.

In hanc quoque sententiam tandem propendent S. Bonau. Alensis & Richardus locis iam citatis, dum addunt Salomonem ex diuino priuilegio potuisse in somnis vti ratione & mereri, atque S. Thom. qui 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. secundam dat responsionem, dicens: *Vel potest dici quòd ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundùm quod dicitur Num. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis vsum liberi arbitrij habet.*

Dices: Somnus impedit vsum rationis & liberi arbitrij, quia in somno sopiuntur, & quasi ligantur sensus & phantasia, sine quibus ratio nō potest liberè operari. Resp. naturaliter, & in somno naturali hoc verum est, at non in supernaturali & diuino, quale fuit hoc Salomonis. In eo enim Deus Prophetis infundere potest species sine conuersione ad phantasmata somnum non impedientes, sicut nec visionem in Christo somnus impediebat, qui de se ait Cant. 5. 2. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Sic & B. Virginem dormientem liberè Deum amasse, itaque meruisse, censet S. Bernardinus & alij, idque probabile iudicat Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disp. 18. sect. 2. Aut potiùs Deus Adæ, Salomoni & prophetis ita roborabat & clarificabat phantasiam in somnis, vt liberè intelligere, eligere & operari possent, vt paulò antè dixi ex Suarez. Hoc enim magis est homini connaturale.

Porrò totum hoc somnium Deus Salomoni immisit per Angelum, qui Deum repræsentabat, ac nominatim Deum filium ex Salomonis stirpe incarnandum, vti docent S. Chrysost. hom. 16. in Acta, S. Leo, S. Ambros. Tertul. Origen. Theophyl. Euseb. Clemens, Niceph. & alij, quos citat Pineda lib. 3. de rebus Salomonis c. 8. num. 4.

Cur nocte? Quæres: cur ergo hæc visio Salomoni exhibita est per noctem, *non* per diem? Resp. causa litteralis est, quia per diem Salomon occupatus fuerat in immolatione mille hostiarum. Vnde tunc indispositus erat ad hanc visionem; per hostias tamen hasce se disposuit, & dignum reddidit ad visionem hanc recipiendam: quare in præmium suæ pietatis hanc visionem nocte sequenti, vtpote quiescens, à Deo accepit.

Symbolica causa fuit, quia Deus licet in se sit lux summa & inuisibilis, mens tamen creata, præsertim humana, ad eam caligat; sicut oculus caligat & heberatur ad intuitum solis. Quare Deus sanctis, præsertim veteris testamenti, vt Abrahæ, Mosi, Iacobo apparebat noctu, vel in caligine. Vnde S. Dionys. lib. de Mystica Theol. docet eum qui Deum vult contemplari, ingredi debere cum Mose in caliginem, qua Deus tegitur & velatur.

Mysticè S. Gregor. lib. 1. Moral. c. 2. notat noctem signum esse mali ominis & infelicis exitus: *Non reduturus*, inquit, *ad veniam Iudas, quòd ad traditionis perfidiam nocte exiisse perhibetur, dicente Ioanne cap. 13. Erat autem nox. Et iniquo diuiti dicitur Luc. 12. Hac nocte repetent animam tuam abs te; anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur.* Hæc Gregor. ex quo Rupert. Eucherius & alij eadem descripserunt.

Addit Ruper. carpitque Salomonem, quòd sapientiam, non sanctitatem petierit: *Tamen in eo*, inquit, *reprehensibilis est, quòd data sibi optione, tam prona ad dandum largitate Domini, bonum illud, quod verum & summum est, non postulauit.*

Verùm hoc bonum includitur in sapientia, quam postulauit Salomon, vti docet S. Ambros. in Psal. 118. ad illa: *In toto corde meo exquisiui te.* Vnde Sap. 9. Salomon postulans à Deo sapientiam ait: *vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore*, de quo mox plura.

EGO AVTEM SVM PVER PARVVLVS] q. d. Sum valdè iuuenis, rudis & inexpertus, id. oque quasi puer ad tantum onus, scilicet ad regimen tanti populi Israëlis, ex me inidoneus: Salomon enim hoc tempore erat viginti annorum, vt superiùs dixi: vnde explicans subdit.

IGNORANS EGRESSVM ET INTROITVM MEVM] Est Hebraica phrasis significans omnes hominis actiones. q. d. Nescio quo modo me gerere debeam in administratione tanti regni. Vnde 2. Paral. 1. 10. ait: *Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo*, quasi eius rex & pastor. Chald. vertit; *Non ego scio egredi nec ingredi.* Alludit ad puerum (quem se vocauit) qui docente matre, discit egredi & ingredi in domum.

DABIS ERGO SERVO TVO COR DOCILE] id est doctrinam excipiens, quod scilicet doctrinam, id est prudentiam & sapientiam, à te audiat & in se hauriat, putà cor prudens, intelligens & sapiens: Hebr. est *cor audiens*, quod nimirum audiat & accipiat sapientiam. Vnde 2. Paral. 1. 10. hoc explicans ait: *Da mihi sapientiam & intelligentiam.* Et hîc v. 11. respondens ei Deus dicit: *Postulasti tibi sapientiam*, &c.

Porrò Salomon postulans hîc sapientiam propriè postulat prudentiam, qua sapienter tam se quàm totum populum regere possit, vt scilicet prudenter omnes suas actiones instituat, tum priuatas, tum publicas, iuxta legem & voluntatem Dei. Vnde Sapien. 9. 4. & 10. explicans hanc suam sapientiæ postulationem ait: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, &c. *vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* Causam subdit v. 17 dicens: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis?* vide ibi dicta. Sapientia enim in libris Sapientialibus præcipuè practicam siue ethicam significat, quæ docet nos sapienter, id est iustè sanctèque viuere, quæ proinde Sap. 10. vocatur *scientia Sanctorum*, & Lucæ 1. *prudentia iustorum.* Deus tamen qui suorum preces superat & vota, longè ampliorem sapientiam Salomoni conces-

cessit, vti iam dicam.

VERS. 12. DEDI TIBI COR (id est mentem) SAPIENS ET INTELLIGENS (Chald. *& considerans*; Septuag. *& peritum*) IN TANTVM VT NVLLVS ANTE TE SIMILIS TVI FVERIT, NEC POST TE SVRRECTVRVS SIT] 2. Paral. 1. 12. dicitur, *Sapientia & scientia data sunt tibi.* Per quæ primò, intellige Ethicam & Politicam, ad gubernandum tam se quàm populum: hanc enim præcipuè postulabat Salomon. Secundò, Physicam, Medicinam, Logicam, Rhetoricam, Poëticam, Mathematicam Architectonicam (hac enim egebat ad fabricandum templum) omnesque scientias & artes naturales. Hæ enim ab Hebræis vocantur sapientia, vt patet Exodi 31. 3. Nam de his ipse ait Sapien. 7. 17. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes & commutationes temporum, anni cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorū & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa & improuisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.* Tertiò, sapientiam & prudentiam supernaturalem fidei mysteriorum, imò & donum prophetiæ. Salomonem enim eximium fuisse Theologum patet ex eius Proueibiis & sapientia; Prophetam quoque extitisse patet Proverb. 30. v. 1. vide ibi dicta. Horum ergo omnium scientiam infusam à Deo hac nocte accepit Salomon, idque in gradu valdè intenso, vt eorum obliuisci non posset. Ita Abulen. Serarius, Pineda, Salianus & alij. Addit Iosephus Salomonem à Deo didicisse exorcismos ad coniurandum expellendumque dæmones, & alia plura, quorum meminit Origen. tract. 35. in Matth. Iustinus Dialog. de Veritate Christianæ Relig. Epiphan. in hæresi Ebronitarum. Vide Baronium anno Christi 56. & Sixtum Senensem in Biblioth. verbo *Salomon.* Vnde nonnulli putant Salomoni inditam gratiam gratis datam, ad componendum exorcismos, quibus pelleretur dæmon. Addit Iosephus Salomonem incantationes ad morbos abigendos composuisse, quod est magicum: sed Iosephus per incantationes fortè accepit preces, quas postea vulgus superstitiosè vertit in incantationes vel carmina magica.

Sapientiæ quæ & quanta Salomoni fuit

Addunt, vel potiùs fabulantur Rabbini Salomonem cognouisse garritus auium, latratus canum, ceterarumque bestiarum voces & fermocinationes intellexisse, Verùm, quis intelligat brutorum voces; quæ ratione & intellectu carent? frustra ergo id de se iactitat magi.

VT NVLLVS ANTE TE SIMILIS TVI FVERIT] Salomon ergo sapientia superauit non tantùm Trismegistum, Orpheum, Homerum, Platonem, Solonem, Lycurgum, Aristotelem, omnesque Græcorū, Ægyptiorum, Chananæorum, &c. Sapientes, vtpote quorum sapientia fuerit studio acquisita, cùm Salomoni fuerit à Deo immediatè infusa; sed etiam Abraham, Moysen, Dauidem, Adamum, saltem post lapsum. Etsi enim hi certis in rebus excelluerint, vt Abraham in eminenti fide, Moyses in accipiendis à Deo legibus, Dauid in psalmis A dictandis, tamen Salomon eos superauit amplitudine sapientiæ, quia omnem omnino complexus est, ac Christum Dominum, eiusque sapientiam, vnionemque cum S. Ecclesia, ad viuum tam verbis quàm factis expressit.

NEC POST TE SVRRECTVRVS SIT] Hinc rectè infert Abul Salomonem sapientiorem fuisse non tantùm Adamo & Moyse, sed etiam prophetis & Apostolis, solumque Christum excipit, eiusque matrem B. Virginem, licet de ea dubitet Suarez tomo 2. disp. 18. sect. 5. Idem asserit S. Hieron. in c. 3. Ephes. *Salomonem*, inquit, *omnibus Apostolis sapientiorem fuisse, vt retrò Patriarchis vox diuina pellicita est, qui de se ipse quoque loquitur confidenter: Deus docuit me sapientiam, & intellectum sanctorum cognoui.* Sap. 7. Intellige, in rebus naturalibus & politicis, nam in mysteriis fidei & Euangelij Salomone sapientior erat Paulus & Apostoli. Lyran. tamen, Dionys. & Pererius lib. 5. in Genes. q. 3. censent hîc Salomonem dici sapientiorem omnibus, sed ita vt pauci aliqui excipiantur, scilicet Apostoli, &c. Alij sic limitant: *Nullus similis tui*, scilicet in regibus; sed hoc nimis est arctum. Alij cum Serario melius sic: *Nullus*, scilicet eorum qui humano studio suaque industria sapientes euaserunt, *similis* erit *tui*, qui eam accepisti à Deo infusam: quare hîc non fieri comparationem cum Adamo, B. Virgine & Apostolis, quorum sapientia fuit à Deo infusa. Vide Pinedam lib. 3. de Salom. c. 8. qui & addit Salomoni cum sapientia datum fuisse spiritum sanctū id est maiorem gratiam & sanctitatem: hanc enim ipse in sapientia & cum sapientia præcipuè postulabat. Audi Remigium, quiad illud Colos. 2. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, sic scribit: *Aliter habitat in singulis electorum, aliter in Christo: quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem pleniter habitat. Habitauit enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in prophetis per sanctitatem, in Moyse per mansuetudinem; in Christo verò per omnem virtutem & innocentiam.*

SED ET HÆC, QVÆ NON POSTVLASTI, DEDI VERS. 13. (id est dare decreui, & illicò sensim dabo) TIBI, DIVITIAS SCILICET ET GLORIAM, VT NEMO FVERIT SIMILIS TVI IN REGIBVS CVNCTIS RETRO DIEBVS] Hinc Abul. putat Salomonem superasse opibus & gloria Hemrod, Ninum, Saulem, Dauidem, ceterosque Reges anteriores, non autem posteriores, qui Salomonem secuti sunt, vti fuit Alexander Magnus, Iulius Cæsar, Augustus. Verùm Serarius & alij meliùs censent Salomonem omnibus omnino regibus tam futuris, quàm præteritis anteferri, omnesque superasse opibus & gloria. Nam 2. Paral. 1. v. 12. clarè dicitur: *Diuitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tibi*, vbi ex Hebræo vertas: *Et gloriam quæ non fuit sic* (similis) *regibus ante & post te non erit sic*, id est similis tui.

Moral. discite hic quantum bonum Deique donum sit sapientia, quamque ceteris omnibus anteferendum, imò cetera omnia secum adducat, atque illud comparari oratione magis quàm studio. Auctor enim datorque sapientiæ est Deus, qui est pater luminum, Iacobi

1. v. 5. & 17. Vide ibi dicta; & S. August. Præfat. in lib. 1. de Doctrina Christ.

VERS. 15. IGITVR EVIGILAVIT SALOMON, ET INTELLEXIT QVOD ESSET SOMNIVM] Vatab. & alij exponunt q. d. Euigilans Salomon recordatus est sui somnij, siue se somniasse de sapientia, putà non fuisse rem veram, sed somnium fugax, mendax & euanidum. Verùm hoc dici nequit: Salomon enim verè hic adeptus est sapientiam, vt patet ex verbis Script. v. 12. *Dedi*, inquit, *tibi cor sapiens & intelligens*, &c. quare hic sensus directè aduersatur S. Script. eamque elidit & euertit.

Dico igitur: *euigilans Salomon intellexit quòd esset somnium*, scilicet non naturale, sed supernaturale & diuinum, putà visio realiter & efficaciter vnà cum reipsa, scilicet cum sapietia à Deo immissa sibique indita. Vnde Hebr. Septuag. & Chald. habent: *Igitur euigilauit Salomon, & ecce somnium*, scilicet consecutum est effectum suum, ac verum apparuit. q. d. Salomon euigilans vidit reuera se sapientem effectum sicuti somniarat, id est sicut dormiens per visum diuinum viderat. Vidit enim omnium rerum species menti suæ sese ingerentes & obuolitantes, quibus clarè res quaslibet perspiciebat, quas antè non cognouerat; intellexit ergo somnium hoc fuisse reale & verum, vtpote supernaturale, & à Deo simul cum re somniata immissum. Vnde mox intricatam meretricum litem sapientissimè diremit, ac cetera omnia sapientissimè administrauit, vt patet ex sequent. ita Suarez, Serarius, Pineda.

Similia somnia non somniata & falsa, sed realia & vera extant in S. Script. vt cùm S. Petrus ab Angelo liberandus è carcere, iubebatur se vestire & exire, *existimabat se visum videre*, & somniare, Actor. 12. 9. & tamen verè se vestiebat & exibat. Sic Hebræi è Babylone liberati redeuntes in Ierusalem, dicunt: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati*; Hebr. *sicut somniantes*. q. d. Adeò lætus, nouus, mirus & inexpectatus fuit nobis reditus ab exilio in patriam, vt videretur esse somnium, vt non reuera redire, sed reditum somniare nos putaremus. Sic Salomon hîc euigilans videbatur sibi somniasse, sed mox vidit somnium versum esse in rem veram. Sic S. Hieron. in somnio correptus à Deo quòd Ciceronem præ S. Script. legeret, audiensque: *Ciceronianus es, non Christianus*, acriter vapulauit & flagellatus est, non per somnium, sed reipsa. Audi eum Epist. 18. ad Eustochium: *Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur: testis est tribunal illud ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui. Ita mihi numquam contingat in talem incidere quæstionem. Liuentes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto non antè mortalia legeram.*

CVMQVE VENISSET (ex Gabaon, vbi à Deo postulauerat sapientiam & impetrauerat) IERVSALEM, STETIT CORAM ARCA FOEDERIS DOMINI, ET OBTVLIT HOLOCAVSTA] in gratiarum actionem pro tanto sapientiæ dono sibi à Deo indito. Arca enim erat in Sion, Tabernaculum verò & altare in Gabaon, vti dictum est v. 4.

VERS. 16. TVNC VENERVNT DVÆ MVLIERES MERETRICES AD REGEM] Deo ita disponente ad Israeli patefaciendam Salomonis sapientiam illi paulò antè ab eo inditam, per solertem litis meretricum diremptionem. Pro *meretrices* Hebr. est זונות *zonot*, quod Chald. vertit, *tabernarias*, siue cauponas: *zona* enim, siue meretrix, dicitur illa, quæ meretur prostituendo vel edulia, vel operas, vel corpus, qualis est caupona, lotrix, sartrix, textrix, purpuraria quæ arte & opificio suo victum lucratur. Et tales has duas fuisse censet noster Sanchez, quia meretrices propriè dictæ vix suscipiunt filios ob vagum concubitum & seminum commistionem, nam cuilibet se prostituunt: secus est de concubinis, quæ vni soli amasio adhærent; hæ enim concipiunt perinde vt vxores.

Verùm S. Gregor. Ambros. Prosper, Pineda, Salianus & alij passim censent has duas fuisse meretrices propriè dictas, vt vertunt Septuag. & Noster; idque arguit quòd maritorum nulla hîc fit mentio, sed ipsæ per se litem contestantur. Meretrices enim, quia sunt auaræ, cupidæ, impudentes, iracundæ, hinc pariter sunt litigiosæ, imò multarum litium, rixarum, duellorum, cædium & bellorum causa, vti experientia quotidiana docet.

DORMIENS QVIPPE OPPRESSIT EVM] quia scilicet voluendo se incubuit super infantem, eumque mole corporis sui suffocauit. Quocirca Iure Canonico vetatur ne matres cum infantibus dormiant, ob periculum oppressionis eorumdem, vt patet 2. q. 5. Can. *Consuluit*.

CONTENDEBANT CORAM REGE] quia deerant testes, aliæque probationes & indicia, hinc vocis & clamoris contentione more suo certabant inter se hæ mulierculæ.

Alleg. duæ hæ mulieres repræsentant synagogam Iudæorum, & Ecclesiam Christianorum, quæ inter se contendunt de puero Iesu & Messia viuo & vero: sed Salomon, id est Christus, litem dirimit dicens Matth. 10. *Non veni pacem mittere sed gladium.* Veni enim diuidere legem & gratiam, Iudæos & Christianos, fideles & infideles, vti pulchrè docet S. Hieron. Epist. 131. ad Ruffinum, vbi & addit Salomonem hoc iudicium peregisse anno ætatis suæ duodecimo, hoc enim regnare cœpisse; sed superiùs ostendi id factum anno ætatis vigesimo.

Alleg. duarum Ecclesiarum.

Rursum repræsentant Ecclesiam Catholicam, & hæresim Arrianam, Nestorianam, & ceteras, quæ Christum diuidunt in duos, vt alius in eo sit Deus, alius homo, ac veros fideles, qui sunt viui Ecclesiæ filij, sibi arrogare, & ad suam hæresim pertrahere, ideoque perdere & interimere satagunt. Ita S. August. Serm. 200. de Temp. *Impia*, ait, *& crudelis hæresis clamat vt diuidatur. Quid est diuidatur, nisi non Filius æqualis sit Patri? dum enim filio subtrahit æqualitatem, & bonum omnipotentem, denegauit Patrem. Deus enim Pater si potuit filium sibi similem gignere & noluit, non est bonus: si voluit, & non potuit, non est omnipotēs.* At vera mater, scilicet Ecclesia Catholica clamat: *Date illi puerum, & nolite diuidere eum. Filius meus est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat maternus affectus. Date illi puerum, non auferantur vota membrorum, illius integritas non diuidatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit: Date illi puerum & nolite diuidere, ecce &*

ego

ego dico: Totum posside, & noli diuidere Deum. Hæc ad verbum ex S. August. transcripsit Angelom. Eucher. vel potiùs Beda, & S. Prosper lib. de Prædict.

Tropol. Tropol. S. Gregor. lib. 21. Moral c. 8. per duas has mulieres accipit veros & falsos doctores: veri enim & boni discipulorum salutem, falsi & mali suam gloriam & lucra quærunt, cum discipulorum perditione: *Quia nimirum*, ait S. Gregor. *magistri vigilantes quidē scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt fatere negligunt, per somnum corporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Vnde plerumque dum ipsi reprehensibiliter viuunt & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur: quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt, & quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Vnde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsiuit alienum: sed tamen veram matrem Salomonis gladius inuenit; quia videlicet cuius fructus viuat, vel cuius intereat, extremo examine ira districti iudicis demonstrat.* Solerter deinde aduertendum monet S. Gregor. *quòd viuens filius, priùs diuidi præcipitur, vt sola postmodum matri reddatur: quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum, alter verò apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magistri, & charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Inuidia enim face succensi, nolunt alios viuere, quos se conspiciunt non posse possidere.* Eadem ex S. Greg. transcripsit Angelom. & Eucherius.

Symbolicè. Symbolicè, S. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Duæ*, ait, *mulieres sunt fides & tentatio, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conuersationis & somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienos. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? illa de qua scriptum est: Gladium veni mittere in terram. Est enim gladius de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce: Verbum, inquit, acutum & validum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus artuumq; & medullarum.*

VERS. 25. DIVIDITE, inquit, INFANTEM VIVVM IN DVAS PARTES, ET DATE DIMIDIAM PARTEM VNI, ET DIMIDIAM PARTEM ALTERI] Dixit hoc Salomon non seriò vt ferens sententiam, sed simulatè, vt exploraret in vtra resideret maternus affectus, vt illi filium viuum adiudicaret: nec enim alia probatio, aut aliud medium litem hanc decidendi supperebat. Nam à natura insita est matri arcanus erga prolem suam amor & commiseratio, cuius expers est illa quæ non est mater. Naturā ergo hîc interrogauit Salomon, & illa respondens matrē genuinā suo affectu monstrauit. Nam vt ait S. Ambr. l. 3. de Spiritu S. c. 7. *Considerauit* Salomō *quòd vera mater plus consuleret filio quàm solatio, & gratiā iuri, non gratiæ iura præferret. At verò illa quæ matris simulabat affectum, vincendi studio cæca parui ducere eius exitium, in quo nesciret pietatis dispen-*

dium. Itaque vir ille spiritalis qui diiudicaret omnia (spiritalis enim diiudicat omnia) naturam in affectibus quæsiuit, quæ latebat in vocibus, & pietatem interrogauit vt proderet veritatem. Vicit itaque mater charitatis affectu, quæ fructus est Spiritus.

Dices, matri veræ iniiciebatur hîc metus iniquus dilectionis filij. Resp. id necessarium erat hoc loco & tempore ad bonum matris, vt scilicet hac ratione perpetua lite cum sua æmula, & iugi periculo perdendi filium liberaretur, quod longè maius ei erat malum. Quare melius erat illam modico tempore hunc metum pati, vt per eum mater esse agnosceretur, eique filius suus redderetur.

Similia Salomoni iudicia & iudicia. Simili indicio veritatem veramque matrem vel patrem explorarunt & deprehenderunt Imperatores. Claudius enim Cæsar, ait Sueton. in eius Vita c. 15. *Feminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis*; eo enim negato, quod horrebat natura, filium agnouit. Claudius igitur matrem negantem quemdam iuuenem, qui verè ei filius erat, propterium filium esse, coëgit ad confessionem veritatis indicto ei cum ipso iuuene matrimonio. Carolus item Magnus certus quòd vel pater vel filius, quos captos detinebat, quemdam occidisset, incertus tamen vter eorum id fecisset, iussit vtrumque suspendi. At cùm pater, qui verè deliquerat, nullam videret redemptionis spem, fassus est & agnouit propriam culpam, & ita filium ab imminente supplicio liberauit. Ita ex Vita Caroli refert Ioannes Molanus Doctor Louan. lib 1. de fide hæret. seruanda c. 8. & Mart. Del-rio tom. 2. disquis. Magic. lib. 4. in præamb. ex Andrea Barbatio in cap. *Præsenti*, de Probatione.

Tertiò hoc Salomonis iudicium imitatus est Alphonsus rex Aragonum, qui vt, scribit Anton. Panorm. in eius gestis lib. 2. cap. 39. cùm serua quædam ex hero suo concepisset, & filium peperisset, ideoque ex lege Hispaniensi ad libertatem proclamaret; herus verò ne matre cum filio priuaretur, negaret puerum ex se natum; decreuit vt infans sub hasta venderetur, cumque vni qui maius pretium obtulerat infans traderetur, pater pietate naturali victus à lacrymis temperare non potuit, & suum esse filium fassus est. Quare rex & patri filium, & debitam matri libertatem illico adiudicauit.

Huc pertinet iudicium Ariopharnis regis Thraciæ, qui cùm tres Cimmeriorum regis filij de paterno regno altercarentur, iussit patris cadauer è sepulchro extractum arbori alligari, & eos arcu contendere, vt qui patris cor transfigeret, ei in regno succederet. Primogenitus guttur transfixit, secundus pectus; tertius iunior, sed pientior noluit in cor patris iaculari, dicens impium esse cor patris transfigere. Itaque huic Thrax regnum adiudicauit. Hoc exemplum recenset Theatrum vitæ humanæ vol. 7. lib. 4. post initium, ac auctorem citat Diodorum lib. 29. sed Diodorus præter nomina Ariopharnis & filiorum regis Cimmeriorum nil tale habet; quare mihi idipsum de fide historicæ suspectum, & mythicum videtur.

VERS. 26. DIXIT AVTEM MVLIER CVIVS ERAT FILIVS VIVVS AD REGEM (COMMOTA SVNT QVIPPE

QVIPPE VISCERA EIVS SVPER FILIO SVO) A OBSECRO DOMINE, DATE ILLI INFANTEM VIVVM, ET NOLITE INTERFICERE EVM. E CONTRARIO ILLA DICEBAT: NEC MIHI NEC TIBI SIT, SED DIVIDATVR] Hinc patet hanc non tantùm falsam fuisse matrem, sed etiã inuidia & odio laborasse in veram matrem, ideoque petiisse vt eius filius occideretur, sicut suus erat mortuus: alioqui enim petiisset sibi seruari infantem, cùm mater vera illum ei dari à rege postularet, ne filius suus occideretur. Voluit ergo vt filius eius moreretur, sicut eius filius erat mortuus. Ita Abul. Audi S. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Quo audito illa quæ petebat alienum non solùm acquieuit, sed etiam diuisionem paruuli depoposcit, nullo affectu commota materno. Illa quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari; nec iam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens orare occepit, vt incolumis magis puer traderetur aliena, quàm sectus in partes matri propria redderetur. Vnde Salomon qui non maiestate diuina, sed argumentis vt homo interiorem interrogabat affectum, ille potiùs iudicauit paruulum esse reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidisset: illam verò, quam morituri paruuli misericordia non mouebat, exortem pronuntiauit esse naturæ, quam exortem vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuauit: diuq; etiam bona mater euentu hæsit ambiguo, dum iudicij periclitatur incerto.*

Tropol. S. Gregor. 21. Mor. c. 8. per duas has mulieres accipiens falsos & veros doctores: *Peruersa mulier*, inquit, *clamat: Nec meus sit, nec istius. Vt enim diximus, quos sibi obsequi non videt ad gloriam temporalem, eos aliis inuidet viuere per veritatem. Vera autem mater satagit, vt eius filius saltem apud extraneam sit, & viuat; quia concedit veraces magistri, vt ex eorum discipulis alij quidem magisterij laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur: & sola recipere totum meruit, quæ quæ si totum concessit: quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solùm aliis laudem non inuident, sed vtilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi & integros & viuentes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfecta retributionis gaudia consequuntur.*

Simili modo, sed dissimili affectu, & dispari effectu mater Antonini Caracallæ & Gætæ Cæsarum, ait Herodianus, vt eos discordes & imperium diuidentes vniret, se ab illis diuidi postulauit, vt vterque eorum sui partem in suo regno haberet. Sed frustra: Caracalla enim metuens fratrem suum Gætam, vtpote populo gratum, eum in sinu matris occidit, atque vt scelus velamine pietatis tegeret, eum inter Diuos tetulit dicens: *Vt non sit viuus, sit Diuus.*

RESPONDIT REX ET AIT: DATE HVIC INFANTEM VIVVM, ET NON OCCIDATVR: HÆC EST ENIM MATER EIVS] Natura enim & naturalis compassio certò indicat hanc esse matrem. Vide hîc solertiam & sapientiam Salomonis. *Itaque non immeritò*, ait S. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 8. *æstimatus est intellectus Dei in eo esse, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quàm internorum viscerum testimonia, in qua sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quamdam genitalis alui vocem eruit, qua maternus patuit affectus, qui eligerat filium suum vel apud alienam viuere, quàm in conspectu matris necari. Sapientiæ igitur fuit, latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, & velut quadam machera, ita spiritus gladio penetrare non solùm vteri, sed etiam animæ & mentis viscera. Iustitiæ quoque, vt quæ suum necauerat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Denique etiam Scriptura hoc pronuntiat: Audiuit, inquit, omnis Israel hoc iudicium quod iudicauit rex: & timuerunt à facie regis, eò quòd intellectus Dei in eo esset vt faceret iustitiam.*

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur vers. 1. Officiales & Principes Salomonis, & vers. 7. Præfecti annonæ 12. per singulas tribus. Mox vers. 20. Israelis pax & felicitas, ac Salomonis quotidianæ impensæ, regni amplitudo, opulentia, magnificentia, præsertim equorum & curruum. Denique vers. 29. eius sapientia, parabolæ, carmina & libri.

1. ERat autem rex Salomon regnans super omnem Israel: 2. & hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis: 3. Elihoreph & Ahia filij Sisa scribæ: Iosaphat filius Ahilud à commentariis: 4. Banaias filius Ioiadæ super exercitum: Sadoc autem, & Abiathar sacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis: 6. & Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Abda super tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi & domui eius: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. 8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim. 9. Bendecar, in Macces, & in Salebim, & in Bethsames, & in Elon, & in Bethanan. 10. Benheséd in Aruboth: ipsius erat Socho, & omnis terra Epher. 11. Benabinadab, cuius omnis Nephath dor, Taphet filiam Salomonis

nis habebat vxorem. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & vniuersam Bethsan, quæ est iuxta Sarthana subter Iezrahel, à Bethsan vsque Abelmehula è regione Iecmaan. 13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Auothiair filij Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas. 14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim. 15. Achimaas in Nephthali: sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio. 16. Baana filius Husi, in Aser, & in Baloth. 17. Iosaphat filius Pharue, in Issachar. 18. Semei filius Ela, in Beniamin. 19. Gaber filius Vri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi & Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. 20. Iuda & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes. 21. Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna à flumine terræ Philisthiim vsque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, 23. decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. 24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Thapsa vsque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25. Habitabatque Iuda & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium. 27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant in tempore suo. 28. Hordeum quoque & paleas equorum & iumentorum, deferebant in locum vbi erat rex, iuxta constitutum sibi. 29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, 31. & erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum. 32. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille. 33. Et disputauit super lignis, à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. 34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.

VERS. 4. SADOC AVTEM ET ABIATHAR SACERDOTES] scilicet summi, id est pontifices. Dices: Salomon iam ablegarat Abiathar, eumque pontificatu priuarat cap. 2. 27. Resp. recensentur hîc omnes officiales Salomonis, siue qui iam tum erant, siue qui fuerant, siue qui futuri erant, vt patebit v. 11. & 15. Voluit enim eos omnes Script. hîc simul enumerare. Nominat ergo Abiathar, quia is tempore Dauidis fuerat pontifex, eumque vt sibi fidelem Dauid Salomoni commendarat: sed quia ipse cum Adonia contra Salomonem conspirarat, hinc eum Salomon pontificatu priuauit. Ita Abul. Alij respondent Abiathar ab exilio à Salomone reuocatum, non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium, vti Deus minando prædixerat eius abauo Heli 1. Reg. 2. 36. *Futurum est vt quicumque remanserit in domo tua*, &c. *ducat: Dimitte me ad vnam portam sacerdotalem.* ita Theodor. & Procop. Tertiò Serarius respondet Abiathar vocari sacerdotem, quia fuerat sacerdos.

VERS. 5. ZABVD FILIVS NATHAN SACERDOS] id est princeps intimus regi, vt vertunt Septuag. Sic filij Dauid vocantur sacerdotes, id est aulæ principes & proximi regi. 2. Reg. 8. v. vlt.

VERS. 11. TAPHETH FILIAM SALOMONIS HABEBAT VXOREM] Est prolepsis, necdum enim eam habebat, sed postea habuit. Nam Salomon hoc tempore erat dumtaxat 20. annorum circiter. Vnde non poterat habere filiam quæ esset nubilis. Idem dico de Achimaas, qui alteram habuit Salomonis filiam v. 15. Recensentur enim hîc omnes officiales & principes Salomonis simul, siue qui tum erant, siue qui postea facti sunt, vti dixi v. 4.

VERS. 20. IVDA ET ISRAEL INNVMERABILES SICVT ARENA MARIS] q. d. Tempore Salomonis creuit tribus Iuda & cereæ vndecim tribus Israelis in innumerabilem quasi multitudinem: eratq; tum summa rerum omnium abundantia, ita vt omnes in suis opibus & deliciis gauderent & exultarent. Alleg. regni Salomonis felicitas repræsentauit felicitatem summam regni Christi in Ecclesia per gratiam, in cælo per gloriam.

VERS. 21. SALOMON AVTEM ERAT IN DITIONE SVA HABENS OMNIA REGNA A FLVMINE TERRÆ PHILISTHIIM, VSQVE AD TERMINVM

NVM ÆGYPTI] Quæres quodnam sit *flumen terra* Philisthiim? Primò, Gaspar Sanchez censet esse mare Palæstinorum, huic enim adiacent Philisthini. Secundò, Abul. censet esse Rinocoluræ riuum, qui disterminat Philisthæam ab Arabibus. Tertiò, alij censent esse Iordanem; vel potiùs originem Iordanis in Libano, vbi oriuntur duo riui Ior & Dan, qui mox confluentes faciunt Iordanem. Verùm dico flumen hoc esse Euphratem. Nam *τὸ terra Philisthiim* non est referendum ad *τὸ flumine*, vt patet ex Hebræo (in Hebræo enim est נָהָר *nahar* in absoluto, non נְהַר *nehar*, vti esse deberet in regimine genitiui, si regeret genitiuum terræ) sed ad *τὸ regna*. q. d. Salomon obtinebat omnia regna terræ Philisthiim, à flumine, id est quæ interiacent à flumine Euphrate vsque ad terram Philisthiim inclusiuè; siue Salomon obtinebat omnia regna regionum inchoando à flumine Euphrate vsque ad terram Philisthiim. Maluit dicere *terra*, quàm *vsque ad terram*; tum vt indicet in terra Philisthinorum non fuisse finitum regnum Salomonis, sed per illam extensum vsque ad fines Ægypti: q. d. à flumine tendendo per terram Philisthiim vsque ad fines Ægypti; tum quia loquitur concisè, & ex alijs Script. locis quasi peruulgatis, concisè terminos regni Salomonis à Deo promissos consignat. Script. enim terminos terræ Sanctæ Iudæis promissos assignat flumen Euphratem ab Oriente, & Philisthæam ab Occidente, Ægyptum à Meridie. Hoc enim promiserat Deus Abrahæ Genes. 15. 18. dicens: *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem*. Itaque se explicat Auctor huius libri Regum mox v. 24. dicens: *Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, à Thapsa vsque ad Gazan*, quæ est vltima satrapia Philisthinorum. Ita clarè non tantùm intelligit, sed & legit S. Aug. in quæst. in Iosue, quæst. 21. *Et erat dominans*, inquit, *in omnibus regibus à flumine vsque ad terram Philisthiim, & vsque ad fines Aegypti. Ecce vbi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittens, prædixerat. A flumine quippe hîc intelligitur ab Euphrate*. Neque enim de Iordane hîc accipi potest, cùm & citra Iordanem, & vltra Iordanem iam terras Israelitæ obtinerent etiam ante regnum Salomonis. Sic & Chald. *A Perath* (id est Euphrate) inquit, *terra Philisthiim, vsque ad fines Aegypti*. Sic & Benedictus: *A flumine terræ*, inquit, id est, *vsque ad terram Philisthiim*. Et Isidorus Clarius: *A flumine vsque ad terram Philisthiim*. Sic & Lyranus ac Mariana. Vatab. *A flumine & terra Palæstinorum vsque ad Aegyptum*. Dat enim hîc tres terminos regni Salomonis, scilicet Euphratem ab Oriente, Philisthinos ab Occidente, & Ægyptum à Meridie, vti dixi.

VERS. 22. ERAT AVTEM CIBVS SALOMONIS (hoc est aulæ, siue aulicorum, putà principum, asseclarum & famulorum Salomonis) TRIGINTA CORI SIMILÆ ET SEXAGINTA CORI FARINÆ, DECEM BOVES PINGVES, ET VIGINTI BOVES PASCVALES (aliti & saginati in pascuis) ET CENTVM ARIETES] Hinc patet multitudo eorum quos alebat Salomon, eiusque magnificentia.

Simila est flos, siue albior & purior farina tritici, ex qua fit panis similiganeus & delicatus, de qua Martial. lib. 13.

Non poteris simila dotes numerare, nec vsu.

Et Plinius lib. 18. c. 10. *Similago ex tritico fit laudatissima. Ex Africo iustum est è modio redire semimodios, & pollinis sextarios quinque. Ita enim appellant in tritico, quod florem in siligine*. Vnde Seneca Epist. 119. *Vtrum panis hic*, inquit, *plebeius sit, an similiganeus, ad naturam nihil pertinet*. Sic nobiles comedunt panem similiganeum, plebeij & rustici triticeum & siligineum. Porrò *corus* est mensura continens modios Romanos triginta. Vide dicta de Mensuris in fine Pentateuchi.

EXCEPTA VENATIONE CERVORVM, CAPREARVM ATQVE BVBALORVM] *Bubalus* hic non est is quem vulgus *buffalum* vocat, animal stolidum & pauperum cibus, cùm hîc inter delicias ceruorum & caprearum venatione captas ponatur. Vnde Bubalum esse è caprearum genere asserit Oppianus lib. 2. de venatione. Et Plinius lib. 8. ait *Africam gignere bubalos, vituli, ceruive potiùs similitudine, bobius autem syluestribus imperitum vulgus nomen bubalorum imponere*. Hebr. est יַחְמוּר *iachmur*, quod R. Iona vertit, *capram magnam*; Tigurina, *ibicem*; alij *damam*; alij, *hircum syluestrem*.

IPSE ENIM OBTINEBAT OMNES REGIONES TRANS FLVMEN A THAPHSA VSQVE AD GAZAN] Thaphsa opponitur hîc Gazæ; vnde videtur ita fuisse iuxta Euphratem. Hic enim limitabat regnum Salomonis ad Orientem, sicut Gaza ad Occidentem. Nonnulli suspicantur Thaphsa esse illam quæ Tharsacus dicitur à Ptolemæo, Strabone, Xenophonte & Stephano. Alia fuit Thaphsa cis Iordanem, cuius incolas Manahem occidit 4. Reg. 15. 16. Hinc videtur Salomon regnasse vltra flumen, scilicet vltra Euphratem, ac partem Mesopotamiæ obtinuisse, à Thaphsa scilicet vsque ad Gazam.

ET HABEBAT SALOMON QVADRAGINTA MILLIA PRÆSEPIA EQVORVM CVRRILIVM, ET DVODECIM MILLIA EQVESTRIVM] hoc est, habebat 40. millia equorum in præsepiis. Sic enim explicatur 2. Paral. 9. 25. *Habuit*, inquit, *Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitumq;* (tum ad pompam, tum ad bellum) *duodecim millia*. Est hypallage: *Habebat præsepia equorii*, id est habebat equos in præsepiis, siue in equilibus. Aut certè per *præsepia* intellige septa, quę in equili cuique equo ad manducandū assignantur: præsepium enim cōmune in varia septa, quę cuique equo deputantur, diuiditur, vt vnus equus ab alio siue muro exiguo, siue trabe interiecta separetur, ne equi vicini septum & pabulum inuadat, cum eoque pugnet & calcitret. Ita Vatab.

Porrò 2. Paral. 9. 25. in Hebr. iam est: *Habebat Salomon quatuor millia præsepium*, quia scilicet in quolibet præsepi siue equili habebat decem equos, ita vt vniuersim haberet 40. millia equorum currilium, vt vertit Noster & Septuag. Nam quatuor millia multiplicata per decem faciunt 40. millia. ita Vatab.

Curriles equi vocantur, qui currus trahunt; equestres qui equitem sustinent. Currilibus tot opus habuit Salomon ad vehendum suas reginas, quas habuit 700. & concubinas, id est secundarias vxores, quas habuit trecentas. Item ad

ad annonam, aquam, ligna, lapides, &c. ad fabricam templi & palatiorum suorum conuehenda. Equestribus ad milites & equites, item ad principes & famulos honorarios, qui in iis se honoris & magnificentiæ causa stiparent & comitarentur.

Censent nonnulli Salomonem in copia tot equorum peccasse contra legem Deuter. 17. 16. *Cùm fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos*; sed magis peccauit in causa, scilicet in multiplicatione tot reginarum & vxorum, tanroque fastu & pompa regia, quam alere debebat populus. Vnde & murmurauit contra Roboam Salomonis filium, imò ab eo defecit ad Ieroboam, vt audiemus c. 12. 4. Abul. tamen excusat Salomonem à peccato, saltem grauiore, quòd bona intentione id fecerit, & ob necessitatem, idque in rerum omnium abundantia & summa opulentia. Volebat enim Deus in Salomone suam & Israelis gloriam & magnificentiam toti mundo ostendere.

VERS. 29. DEDIT QVOQVE DEVS SAPIENTIAM SALOMONI ET PRVDENTIAM MVLTAM NIMIS, ET LATITVDINEM (Chald. *dilatationem*) CORDIS, QVASI ARENAM, QVÆ EST IN LITTORE MARIS] *latitudinem cordis* vocat magnificentiam & magnanimitatem, putà cor regium, amplum, magnificum, magnanimium, ad tantum regimen ac tanta onera & opera, fabricarum præsertim, magno animo sustinenda & superanda, vt sicut arena plurima est & latissimè se porrigit, sic & cor Salomonis plurima etiam minutissima complecteretur, & ad omnia quæ mente concipiebat opere exequendum sese extenderet. Parum enim prodest multa mente concipere & intelligere, nisi adsit virtus & strenuitas ad ea in praxim redigendum.

VERS. 31. SAPIENTIOR ETHAN] Hic Ethan fuit insignis poëta & musicus, vt patet 1. Paral. 15. 19. vnde & Psal. 88. hoc titulo prænotatur: *Intellectus Ethan*.

VERS. 32. LOCVTVS EST (dictauit & scribi fecit) QVOQVE SALOMON TRIA MILLIA PARABOLAS] Partem earum habemus in Prouerbiis; vbi à cap. 10. incipiunt parabolæ, & se porrigunt ad libri finem per versus 638. qui totidem quasi continent parabolas.

ET FVERVNT CARMINA EIVS QVINQVE ET MILLE] Vatab. *quinque super mille*. Sic & Hebr. Chald. & Iosephus, q. d. liber Odarum Salomonis continebat mille odas & quinque. Septuag. verò vertunt, *Erant carmina eius quinque millia*. Hinc patet Salomonem fuisse Poëtam. Poëtis prisca Hebræorum intercidit: nec iam numeros carminis in psalmis, aliisque carminibus aduertimus, nisi in rythmo.

ET DISPVTAVIT SVPER LIGNIS A CEDRO QVÆ EST IN LIBANO, VSQVE AD HYSSOPVM QVÆ EGREDITVR DE PARIETE] hoc est, à maximis vsque ad minimas. *Hyssopum* hîc intellige parietariam, quam nonnulli apud Abul. vocant origanum vel spartum. Læuinus Lemnius c. 26. de herbis & Pineda vocant adianthum, Seratius satureiam, quæ idcirco Arabicè nuncupatur *tsatar*. VERS. 33.

ET DISSERVIT DE IVMENTIS, ET VOLVCRIBVS ET REPTILIBVS, ET PISCIBVS] Verisimile est hæc olim in libris fuisse conscripta, vti de iisdem nuper fusè scripsit Vlysses Aldrouandus, Conradus Gesnerus, Guilielmus Rondeletius, Iulius Scaliger & alij. Verùm hæc omnia penè interciderunt tot sæculorum interuallo, præsertim quia tum non erat typographia, sed pauca exemplaria manuscripta dumtaxat, quæ facilè intereunt. Sic & interciderunt omnia Patriarcharum & Sapientum Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabū, Græcorum scripta ante Moysen, cuius ferè solius ex prisco illo ævo libri & scripta extant. Addit Abul. Dei prouidentia eos interiisse, eò quòd nimis curiosa continerent, vel quòd nos tanta scientiarum luce, quam ipse per reuelationem acceperat, indigni essemus. Glossa censet eos combustos fuisse à Chaldæis; Eusebius verò, & ex eo Glycas ab Ezechia rege.

Hinc patet Salomonem tum priuatim suos, tum publicè omnes docuisse Physicam & scientiam rerum naturalium; hoc enim significat *τὸ disputauit & disseruit*. Ad hoc enim ipse ædificauit scholam siue academiam in monte Sion, in qua ipse docebat, vt dixi Prouerb. 9. vers. 1. vnde ab eo suam doctrinam hauserunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristot. teste Eusebio, S. Ambros. Clemente Alex. & aliis.

Addit Psellus Salomonem scripsisse libros de gemmis, & geniis siue dæmonibus euocandis, certo loco affigendis, & ad opera cogendis. Sed & magi nonnulli, proferunt Salomonis incantationes, clauiculam & annulum: verùm hæc magica sunt, & Salomone indigna. Vide Pinedam.

Cornel. in lib. Regum.

L CAP-

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paciscitur Salomon cum Hiram de lignis & operariis, ad fabricam templi.

1. MISIT quoque Hiram rex Tyri seruos suos ad Salomonem: audiuit enim quòd ipsum vnxissent regē pro patre eius; quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3. Tu scis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non est satan, neque occursus malus. 5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus Dauid patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. 6. Præcipe igitur vt præcidant mihi serui tui cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis: mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui nouerit ligna cædere sicut Sidonij. 7. Cùm ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valdè, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audiui quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. 9. Serui mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, vsque ad locum quem significaueris mihi: & applicabo ea ibi, & tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, vt detur cibus domui meæ. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. 11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. 12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus. 13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram erat super huiusce modi indictione. 15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: 16. absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo & his qui faciebant opus. 17. Præcepitque rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, & quadrarent eos: 18. quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram: porrò Giblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum.

VERS. 1. MISIT QVOQVE HIRAM REX TYRI SERVOS SVOS AD SALOMONEM] vt ei quasi nouo regi de inauguratione gratularetur. Litteras Hiram & Salomonis ex Archiuis Tyriorum acceptas recensет Iosephus & Eupolemus apud Eusеb. lib. 9. de Præpar. Earum titulus est: *Suron Salomoni Regi magno salutem.* vbi vocat eum regem magnum, quasi regem regum, ob sapiētiam æquè ac opes & potentiam. Hiram enim Hebr. & à Septuag. vocatur *Chiram* vel *Churam*, quasi Chirom vel Tyrom, id est Tyriorum rex, ait Serarius. A Phœnicibus Hiram vocatur *Suron* (Tyrus enim Hebr. dicitur צור *Sor*, id est petra, quia in rupe sita. Vnde *Sarranum ostrum* vocatur Tyria purpura) à Theophilo Antiocheno Hieromus & Hieromenus, cuius filiā Salomoni nupsisse asserit Tatianus. A Iosepho lib. 8. Antiq. c. 2 & lib. 1. contra Apionem vocatur Iromus Abibali filius.

A

ET NON EST SATAN.] q. d. Non est aduersarius, non est mihi hostis, cum quo bellagerам, vel qui me à fabrica templi impediat. VERS.

BENEDICTVS DOMINVS DEVS HODIE, QVI DEDIT DAVID FILIVM SAPIENTISSIMVM] Hinc videtur quòd Hiram partim ex familiaritate cum Dauide, partim ex sapientia & felicitate Salomonis cognouerit Deum verum, quem ipsi colebant. Vocat enim eum *Iehoua* (vt habent Hebr.) quod est nomen proprium Dei, Moysis & Hebræorum. Hinc quoque strenuè cooperatus est Salomoni ad fabricam templi Dei veri, mittendo tot millia operariorum, ligna, lapides; quod vtique non feciſſet, si ipse putasset Deum Salomonis non esse verum, sed falsum: pro templo enim ædificasset idolum. VERS. B

lum. Simile fecit Seleucus rex Asiæ 2. Macha. 3. 3. Antea enim Hiram coluerat Herculē & Astarten deos Tyriorum, eisque templa ædificarat, vti asserit Iosephus lib. 1. contra Apion. Forte etiam Hiram cum hisce diis suis patriis simul coluit Deum Hebræorum, vti fecerunt Assyrij translati in Samariam, vt audiemus lib. 4. c. 17. A

Hinc Eucherius & Angelomus Alleg. per Hiram intelligunt reges Gentium, vt Constantinum, Theodosium, Gratianum, Carolum, qui Christum & Apostolos, in ædificanda & propaganda Ecclesia adiuuerunt. Vnde & Hiram vel Chiram Hebr. idem est quod *vita excelsus*, aut *vita celsitudo*; vel *principatus* aut *nobilitas*, aut *candor eorum*, ait Pagnin. in Nomin. Hebr.

VERS. 10. ITAQVE HIRAM DABAT SALOMONI LIGNA CEDRINA, ET LIGNA ABIEGNA] scilicet cedros & abieres. Addit liber 2. Paral. 2. 8. *Ligna arceuthina*, id est iuniperina, vt vertunt Septuag. scilicet iuniperos, quæ ibi in magnam altitudinem & crassitiem excrescunt, vt inde fiant trabes pro fabricis. Licet enim Dauid ligna reliquamque materiam ad fabricam templi præpararit, vt dicitur 1. Paral. 22. 14. tamen hæc non sufficerunt Salomoni, maiora, & plures fabricas palatiorum suorum meditāti. ita Abul. B

Alleg. Eucher. & Angel. *Conuersa Gentilitas*, inquit, *misit ad Christum viros quosdam, & secundùm sæculum claros, sed securi Dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ iam deiectos & humiliatos, qui ad normam euangelicæ veritatis instituti, in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore collocarentur. Misit etiam artifices: quia conuersos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis iure præponerentur, Domino Gentilitas obtulit, qualis fuit ipsis Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps Doctor suauissimus & fortissimus Martyr Cyprianus, aliiq; quamplurimi. Misi & aurum, quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia & ingenio præclaros ostendit: pro quibus cunctis oblationibus Gentilitas à Deo dona expectat gratiæ cælestis.* C

VERS. 11. SALOMON AVTEM PRÆBEBAT HIRAM, COROS TRITICI VIGINTI MILLIA] Tyrus enim tunc erat insula & vndique cincta mari, vt in ea nec seri nec meti posset. Vnde Hiram petēs à Salomone triticum in sua epistola apud Iosephum ait: *Tritico indigemus, quippe insulares sumus*: posteà verò Tyrus à Nabuchodonosor per tredecim annos obsessa, comportatis in mare terræ aggeribus, vt aditi & expugnari posset, facta est Peninsula, vt dixi Ezech. 29, 17. & 18. & Isaiæ 23. 10. D

VERS. 13. ELEGITQVE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDICTIO TRIGINTA MILLIVM VIRORVM] Per *operarios* intellige primarios & artifices, vel præfectos operum. Nam vt dicitur c. 9. 22. *de filiis Israel non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum.*

VERS. 15. FVERVNTQVE SALOMONI SEPTVAGINTA MILLIA EORVM, QVI ONERA PORTABANT, ET OCTOGINTA MILLIA LATOMORVM IN MONTE] hoc est lapicidarum, qui lapides ex monte siue rupe exciderent. Hi enim non erant Israelitæ, vti iam dixi, sed proselyti, vt patet 1. Paral. 2. 17. & 18. Proselyti igitur hi erant Gabaonitæ, cæterique Chananæi Hebræis subiecti, & ad Iudaismū conuersi. Proselytorū ergo onera portantium & latomorum in fabrica templi erant vniuersim 150. millia, Hebræorum verò triginta millia, vt dictum est vers. 13. quæ adde 150. millibus fient 180. millia. His adiice Tyrios & Sidonios, quos Salomon ab Hiram postularat, ipseque ei submiserat, vt patet v. 6. & 9. ac Ægyptios, quos Pharao socer Salomonis ei destinarat, euadent ducenta millia & amplius eorum qui laborarunt in fabrica templi, imò, si credimus Eupolemo apud Eusebium lib. 9. de Præpar. euadent trecenta & quadraginta millia. Eupolemus enim asserit Hiram misisse Salomoni octoginta millia Tyriorum, ac Pharaonem totidem millia Ægyptiorum, qui iuncti faciunt 160. millia, quæ si addas 180. millibus à Salomone destinatis, fient 340. millia. Verùm hic numerus videtur nimius & quasi incredibilis. Vnde nōnulli opinantur errorem esse in numeris Eupolemi vel Eusebij, vt octoginta millia irrepserint pro octo vel octodecim millibus. Sub latomis, id est lapicidis, intellige lignorum cæsores; sed hîc latomi soli nominātur, quia erant plures lapicidæ quàm ligniciдæ. Sic sub onera portātibus intellige aurigas, nautas, mulionēs, agasones, &c.

ABSQVE PRÆPOSITIS, &c. NVMERO TRIVM MILLIVM ET TRECENTORVM] Dices, 2. Paral. 2. numerantur tria millia & sexcenti. Resp. ex sexcentis erant trecenti, qui ipsis præpositis præerant, quos addit & supplet liber Paralip. ita Vatab. Dion. Caiet. & Salianus. VERS. 16.

VT TOLLERENT LAPIDES GRANDES, LAPIDES PRETIOSOS, IN FVNDAMENTVM TEMPLI] Ergo hi lapides pretiosi non erant adamantes, carbunculi, smaragdi, sed marmorei: hi enim sunt duri & fortes, vt in fundamenta mittantur, ibique fabricam omnem sustineant. Porrò marmor est magni pretij & varij generis. Aliud enim dicitur Ophites, eò quòd habeat maculas instar serpentum: ὄφις enim est serpens. Aliud dicitur Porphyrites, quòd rubeat, aq; candidis punctis dispungatur. Aliud est Parium & album, aliud nigrens, aliud viride. Aliud dicitur Sphengites, quòd splendet & tralucet. VERS. 17.

PORRO GIBLII PRÆPARAVERVNT LIGNA ET LAPIDES] Putant, nonnulli fabros hos dictos Giblios ab Hebr. גבל *gebul*, id est terminus, quòd dolando lapides eos eleganti figura terminarent. Verùm dico Giblios siue Biblios (littera enim g subinde commutatur cum littera b) dici ab vrbe Biblo, de qua Adrichom. p. 185. n. 11. *Biblus*, inquit, *siue Byblus, & Biblium, olim Eue seu Euea, nunc Gibel, Giblee & Bibleth dicta, inclyta Phœnices ciuitas est, quæ Hebraicè Gebal & Gebel, incola verò ius Biblij seu Giblij in sacris litteris vocantur. Hæc versus Aquilonem à Cane fluuio tribus, contra Austrum verò à ciuitate Botro quatuor miliaribus, super mare sita, ab Euæo sexto filio Chanaan fundata scribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legimus.* Porrò Biblij *præparauerunt* (*Salomoni*) *ligna & lapides ad ædificandam domum.* Denique in Biblo erant Adonidis templa, ait Strabo lib. 16. hodie Gaeta dicitur. VERS. 18.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat templum.

1. FACTVM est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Aegypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. 2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxa mensurã latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem tẽpli. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septẽ habens cubitos latitudinis. Trabes autẽ posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærerent muris templi. 7. Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cùm ædificaretur. 8. Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium. 9. Et ædificauit domum, & consummauit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem dicens: 12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad Dauid patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israel, & non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificauit Salomon domum, & consummauit eam. 15. Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & texit pauimentum domus tabulis abiegnis. 16. Aedificauitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vsque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porrò quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & iuncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud, atque vestiuit auro purissimo. sed & altare vestiuit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub vna, & quinque cubitorum ala cherub altera: id est, decem cubitos habentes, à summitate alæ vnius vsque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura pari, & opus vnum erat in duobus cherubim, 26. id est, altitudinem habebat vnus cherub, decem cubitorum, & similiter cherub secundus. 27. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant. 28. Texit quoque cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes. 30. Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus. 31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola

ostiola de lignis oliuarum, postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis oliuarum: & sculpsit in eis picturam cherubim, & palmarum species, & anaglypha valdè prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim quàm palmas, & cetera auro. 33. Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos: 34. & duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur. 35. Et sculpsit cherubim; & palmas, & cælaturas valdè eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio: 38. & in anno vndecimo, mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus in opere suo, & in vniuersis vtensilibus suis: ædificauitque eam annis septem.

IDEA TEMPLI.

TEmplum Salomonis fuit instar Tabernaculi Moysis: tabernaculum enim erat quasi templum mobile Hebræorum peregrinantium in deserto: templum verò erat quasi tabernaculum fixum & stabile eorumdem quietè habitantium in terra promissa. Quare sicut Deus ideam tabernaculi dedit Moysi Exodi c. 25. & seq. sic & ideam templi fabricandi dedit Dauidi, vt is eam traderet Salomoni, vt patet 1. Paral. 28. 19. Templum ergo æquè ac Tabernaculum propriè duas habebat partes, vna anterior dicebatur Sanctum, altera posterior dicebatur Sanctum sanctorum, id est sanctissimum, vti est chorus in templis nostris. In Sancto erant tria, scilicet primò, candelabrum septiceps totidem lucernis impositis lucens. Secundò, mensa panum propositionis, continens duodecim panes, quos duodecim tribus offerebant Deo in gratiarum actionem, quasi prot estantes se in terra promissa ali à Deo. Tertiò, altare thymiamatis vicinum & obuersum Sãcto sanctorum, in quo quotidie manè & vesperè immolabatur thymiama Deo residenti in Sancto sanctorum. Iam in Sancto sanctorum erat arca fœderis cum suo operculo, id est Propitiatorio, sustinens duos Cherubinos, qui iunctis alis exhibebant quasi sedem & thronum Deo inde danti oracula & responsa de iis, quæ ab eo scisciabatur pontifex indutus Rationali *Vrim* & *Tummim*. Nam in Sãctum sanctorum nemo ingredi poterat nisi pontifex; in Sanctum verò nemo nisi sacerdos: quare pro populo ante Sanctum adiectum fuit atrium sub dio, quod erat quasi populi siue laicorum templum, vt in eo orarent & sacrificia spectarent.

Atrium hoc erat duplex. Prior enim eius pars vicina Sãcto cedebat sacerdotibus; in eo enim erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes victimas immolabant, ac labrum siue mare æneum, in quo sacerdotes tam se quàm victimas ablucbant. Posteriot & remotior à Sancto atrij pars cedebat laicis, qui inde spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum; vnde ab eo distinguebatur muro alto tres cubitos dumtaxat, ita vt laici vltra eum spectare possent sacerdotes eorumque actiones. In hoc atrio Christus docuit. Nam in Sanctum ingredi non poterat, eò quòd non esset sacerdos Leuiticus. In atrium vtrumque nemo ingredi poterat nisi mundus. Quare pro immundis & Gentilibus Herodes adiecit tertium atrium, quod erat extimum & remotissimum à Sancto, ac separatum ab atrio Iudæorum mundorum.

Porrò ad muros vel latera horum atriorum erant Exedræ, quæ & Gazophylacia & Pastophoria dicuntur, hoc est cubicula sacerdotum; & supellectilium templi, vt vestium sacrarum, quas hic induebant sacerdotes, ac deinde exuebant & & reponebant.

Templum maius & magnificentius erat Tabernaculo. Tabernaculum enim longum erat cubitis triginta (Sanctum enim longum erat cubitis viginti, Sanctum sanctorum decem) totidem alrum, latum verò decem cubitis. Quare tam in Tabernaculo, quàm in templo, Sanctum erat quadrangulum, quia duplo longius erat quàm latius: Sãctum sanctorum verò erat quadratum, quia tam latum erat quàm longum. Templum autem longum erat sexaginta cubitis (Sanctum enim longum erat quadraginta cubitis, Sanctum sanctorum verò viginti) latum erat viginti cubitis, altum triginta vsque ad primam contignationem, inde verò sursum per tabulata extendebatur ad nonaginta cubitos, ita vt vniuersim in altitudine haberet centum & viginti cubitos.

Rursum in Tabernaculo vnum erat candelabrum & vna mensa; in templo verò erant decem mensæ & totidem candelabra.

Insuper atria in templo maiora erant quàm in Tabernaculo. Erant enim atria quasi amplissimæ areæ, partim sub dio apertæ & patẽtes, partim porticibus ad latera contectæ, vnde & porticus nominantur, vt tẽpore pluuiæ ad eas se recipere posset populus. Ad atrium sacerdotũ ingressos quoque fuisse Leuitas, eò quòd ipsi sacerdotibus in immolatione victimarum subseruirent, censent Theod. q. 22. Angelomus c. 1. & Serarius, qui idem cẽset de Nathinæis; hi enim plurima ligna & aquas cõportare debebant ad tot victimarum immolationem, quæ fiebat in atrio sacerdotum. Ioannes Budinius lib. 1. de Gloria Christi Domini cap. 5. vnicum atrium sacerdotum fuisse vult quatuor stadiorum, ita vt nimirùm totus templi ambitus quinque stadiorum fuerit. Adrichom. lib. de Ierusalem numero 101. dicit atrium profanum fuisse quatuor stadiorum.

Allegor. templum repræsentabat Ecclesiam militantem; Anagogicè triumphantem in cælis; Tropol. animam sanctam, quæ per fidem in hac vita, & per speciem in altera Deum facie ad faciem contemplatur, & hac contemplatione beatur.

Fusè & accuratè templi fabricam describunt

Iosephus lib. 8. Antiq. c. 2. Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis. Frãc. Ribera lib. de Templo, Ioannes Baptista Vilalpando, Abulensis, Arias Montanus, Christianus Adrichomius, Richardus de S. Victore, Caietanus. Mysticam templi explicationem fusè affert Beda libris tribus de Tabernaculo, Eucherius, Angelom. Rupertus & Franc. Ribera libris 5. de Templo. Vide etiam si libet quæ annotaui Exodi 25. & seq. vbi Tabernaculum, omnesque eius partes tam ad litterã quàm mysticè explicui. Multa quoque addidi Ezechielis c. 40. & seq.

Templi magnificentia. Primò. Magnificentia templi quanta & quàm eximia fuerit ex variis coniici potest. Primò, quòd templum fuerit opus Salomonis, qui fuit rex sapientissimus, opulentissimus & magnificentissimus.

Secundò. Secundò, quòd templum factum sit ad ideam non hominis, sed Dei ipsius, qui illam dedit Dauidi, vt eam traderet Salomoni, vti dixi. Volebat enim Deus vt Iudæis & hominibus rudibus, qui Deum & diuina æstimare & ponderare nescirent, diuina maiestas in templi magnificentia repræsentaretur, vt ex illa discerent eum æstimare, reuereri & admirari. Hanc causam dat Salomon 2. Paral. 2. v. 5. dicens: *Domus quam ædificare cupio magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos.*

Tertiò. Tertiò, ex eo quòd templum hoc ab omnibus habitum sit orbis miraculum. Insuper parietes & laquearia eius tegebantur auro, ita vt omnia reniterent auro, & intrantium oculos fulgor vndique occurrens perstringeret, ait Iosephus lib. 8. c. 2.

Quartò. Quartò, ex numero operariorum & præfectorum: laborarunt enim in eo ducenta hominum millia & ampliùs, per septem continuos annos, vti ostendi c. 5. 15.

Quintò. Quintò, ex opibus ad templi fabricam Salomoni relictis. Reliquit enim ei pater Dauid, vt dicitur 1. Paral. 22. 14. centum millia talentorum auri, quæ ad nostram monetam reducta faciunt mille & ducentos milliones. Millionem voco decies centena millia aureorum. Insuper reliquit ei mille millia talentorum argenti, quæ tantundem efficiunt, putà mille & ducentos milliones auri. Libra enim vna auri olim valebat decem libras argenti. Vniuersim ergo reliquit ei bis mille & quadringentos milliones aureorum, præter æs, ligna, lapides, cereamque fabricæ materiam innumeram. Vnde 1. Paral. 22. 14. additur: *Aeris verò & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine.*

Sextò. Sextò, *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Addit Iosephus in fine lib. 15. *toto tempore* quo templum struebatur, numquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio. licet Iosephus ibi propriè loquatur de templo Herodis.

Septimò. Septimò, Hebræi decem mira & quasi miracula templi recensent, penes quos sit fides. Primum, *Numquam abortiuit mulier propter carnis nidorem in sanctuario. Secundum, numquam fœtuit caro sanctuarij. Tertium, neque conspecta fuit musca in domo mactationis. Quartum, non accidit casus nocturnus sacerdoti magno in die expiationis. Quintum, non extinxerunt pluuiæ ignem qui erat in strue lignorum. Sextum, non vicit ventus columnam fumi. Septimum, non repertum vllum vitium in Gomer, nec in duobus panibus, nec in panibus facierum. Octauum, stabant coarctati & adorabant dilatati. Nonum, numquam læsit aliquem serpens & scorpio in Ierusalem. Decimum, nec dixit homo socio suo: angustior mihi est locus quàm vt possim pernoctare Hierosolymis.*

A B C D

VERS. FACTVM EST ERGO QVADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO EGRESSIONIS FILIORVM ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN ANNO QVARTO, MENSE ZIO (IPSE EST MENSIS SECVNDVS) REGNI SALOMONIS SVPER ISRAEL, ÆDIFICARI COEPIT DOMVS DOMINO] Perperam ergo Iosephus ab exitu Hebræorum vsque ad fabricam templi numerat annos 592 (sic enim legendum in Iosepho ostendit Ribera lib. 1. de Templo cap. 1. non 612. vti iam habent Codices Latini Iosephi) ac Beda numerat annos 490. Sulpitius 588. Theophilus 602. Cedrenus 672. Philastrius 713. Serarius hîc in c. 7. numerat annos 680. Hæc enim omnia repugnant huic loco, vbi Hebr. Septuag. Chald. & Latina constanter numerant annos dumtaxat 480. quorum computum præcisè per annos Iudicum affignaui Iudic. c. 3. v. 13. Vbi Nota Sept. Roman. hîc habere annos 440. dumtaxat, sed non numerant annos 40. quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto; quare egressum ex Ægypto completum intelligunt, & sub eo cõprehendunt ingressum in terram promissam, qui contigit anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto. Verùm Septuag. Complut. & Regia habent vt Noster & Hebr. scilicet annos 480.

Cœpit igitur Salomon ædificare templum anno quarto regni sui, mense secundo; perfecit verò illud anno vndecimo, mense octauo, vt dicitur v. 37. Vnde sequitur ædificationem hanc duasse septem annos, & septem menses præcisè. Sed Script. septem menses quasi quid minutum subticet, & integrũ annorum dumtaxat numerum assignat. Cœpit ergo templum fabricari anno mundi 2933. qui fuit à diluuio annus 1276. ante Christi natiuitatem anno 1017. iuxta tabulam Chronologicam, quam præfixi Pentateucho.

Porrò Iosephus ait fabricatum fuisse templũ anno 12. Hiram regis Tyri, indeque numerat 143. annos vsque ad ædificationem Carthaginis, quam fecit Dido ex Tyro nauigans in Africam. Sed error irrepsit in computu Iosephi; nam non 143. sed 125. dumtaxat fluxêre anni, vti ex regum Tyri, qui Hiram successere, annorum numero, quem recenset Iosephus, arithmeticè demonstrat Salianus anno mundi 3166. in fine, quo ipse Carthaginem conditam asserit, qui fuit annus decimus Ioas regis Iuda, & 28. Elisæi Prophetæ: licet varij variè hac de re scribant.

Porrò, cur hîc numerentur anni fabricæ templi ab egressu Hebræorum ex Ægypto, causam dant Beda, Abulens. & ex eis Pineda lib. 5. c. 5. quòd tunc primùm suum populum rediget Deus sub forma reipubl. ac certis ritibus, certisq; sanctæ religionis & fidei legibus communiret. Ideo vbi illiusmet religionis templum amplissimum atque sanctissimum ædificabatur, & cuius erectione & opportunitate alia vel altaria vel loca religiosa cessare debebant; denique maximum incrementum religio & respub. perceptura erant, oportuit eiusdemmet religionis & reipublicæ initia designari.

Locus fabricæ templi describitur 2. Paral. 3. v. 1. vbi dicitur: *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem, in monte Moria* (vbi Abraham iussus fuit immolare Isaac Genes. 22.) *qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi.* Hinc & Christus ibidem, putà in monte Caluariæ, qui pars est montis Moria, crucifixus seipsum victimam Deo obtulit pro mundi salute. Hoc enim adumbrabat immolatio Isaac, & victimarum omnium in templo. Denique templum ædificatum fuit in loco pertinente ad tribum Beniamin, vti omnes Interpretes docent, & patet Deuter. 33. v. 12. Sic & Plato lib. 7. Politic. & Aristot. lib. 6. de legibus docent in montibus ædificanda esse templa, vt eminus sint conspicua, & cælo Deoque viciniora.

Rursum 2. Paral. 3. v. 3. dicitur Salomon *ædificasse longitudinis cubitos sexaginta in mensura prima*, id est ante distinctionem Sancti à Sancto sanctorum, prima mensura longitudinis totius templi fuit sexaginta cubitorum, quæ mensura deinde distincta & diuisa est eo modo, vt ex ea Sanctum haberet 40. cubitos, reliquos verò viginti haberet Sanctum sanctorum. ita Vatab. aliter Abul. Prima mensura templi, inquit, fuit longitudo, quia primò in longum ædificarunt vtrumque templi parietem, deinde in latum parietes transuersos.

IN MENSE ZIO] iam legunt Hebræi *in mense zif*, quia pro ז *vau* vocali cum puncto *cholem* legunt *vau* consonantem sine puncto. Idem mensis Hebr. dicitur אִיר *iiar* ab אוֹר *or*; id est lux, splendor. Vnde Chald. vertit, *in mense apertionis siue splendoris florum*, eò quòd isto mense germina & flores se aperiant, eorumque vigor & decor tunc splendescat.

IPSE EST MENSIS SECVNDVS] qui partim respondet nostro Aprili, partim Maio, sicut primus Hebræorum mensis dictus Nisan, partim respondet nostro Martio, partim Aprili, quod tempus est aptissimum ad fabricam.

VERS. 2. DOMVS (templum) AVTEM, &c. HABEBAT SEXAGINTA CVBITOS IN LONGITVDINE, ET VIGINTI CVBITOS IN LATITVDINE, ET TRIGINTA CVBITOS IN ALTITVDINE] Dices, 2. Paral. 4. v. 4. dicitur: *Porrò altitudo centum viginti cubitorum erat.* Resp. altitudo templi vsque ad primam contignationem; siue vsque ad primum tabulatum, erat triginta cubitorum, vt hîc dicitur: altitudo verò eiusdem vsque ad summam contignationem, siue vsque ad summum tectum & pinnaculum, erat 120. cubitorum, vt in lib. Paral. dicitur. Erat enim quasi aliud ædificium supra templum, vbi reposita fuere templi thesauri, donaria, vota; item vetus tabernaculum Moysis, & Dauidis altare, &c. ita Eucherius; Angelomus, Abul. & passim Interpretes. Vide Riberam lib. 1. de Templo c. 5. & Vilalpandum pag. 267. Hic etiam latuit Ioas puer, & postea rex, ait Caiet. fugiens Athaliam occidentẽ filios regis, 4. Reg. 11. 3. Tanta altitudo & moles templi sustentabatur crassis parietum muris, quibus incumbebat. Muri quoque fulciebantur per suas parastadas (vulgò *pilastres*) & antherides, de quibus vide Vilalpan.

Porrò ex templo hoc ad tabulata conscendebatur per cochleam, de qua v. 8. *Et per cochleam*, inquit, *ascendebant in medium cenaculum* (tabulatum) *& a medio in tertium.*

Denique cùm Iudæi post reditum ex Babylone templum à Chaldæis combustum reædificarunt, ad sexaginta dumtaxat cubitos altitudinis illud euexerunt, eò quòd Cyrus vetaret altius erigi, timens ne Iudæi rebellantes ex templo facerent arcem, vt patet 1. Esdræ 6. & ex Ios. pho.

Allegor. Angelomus: *Longitudo domus Dei*, inquit, *longanimitatem designat Ecclesiæ, quia in exilio peregrinationis eius patienter aduersa quæque tolerat, donec ad patriam quam expectat perueniat. Latitudo insinuat charitatem, quæ dilatato sinu mentis non solùm amicos in Deo, sed & inimicos diligere gaudet propter Deum: donec veniat tempus, quando siue ad pacem suam conuersis, siue funditus omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, siue quæ demulcent, siue quæ aduersantur, contemnit: vsque dum virisque transcensis sola mereatur videre bona Domini in terra viuentium.*

VERS. 3. ET PORTICVS ERAT ANTE TEMPLVM VIGINTI CVBITORVM LONGITVDINIS, IVXTA MENSVRAM LATITVDINIS TEMPLI: ET HABEBAT DECEM CVBITOS LATITVDINIS ANTE FACIEM TEMPLI] ita scilicet, vt hi decem cubiti latitudinis porticus adiungerentur non latitudini, sed longitudini templi; quia latitudo porticus erat minor, vtpote decem cubitorum dumtaxat, quàm latitudo templi, quæ erat viginti cubitorum, quare ei iungi & adæquari non poterat: adiuncta est ergo longitudini templi. Eadem verò erat longitudo porticus, quæ latitudo templi, scilicet viginti cubitorum; quare illa huic adiuncta & adæquata fuit: latitudo verò porticus, quæ erat decem cubitorum, adiuncta fuit longitudini templi, quæ erat sexaginta cubitorum, ita vt adiuncta latitudine porticus templum cum porticu haberet 70. cubitos in longitudine & 20. cubitos in latitudine. Ita Ribera & alij.

Erat hæc porticus templi vestibulum ad elegantiam & magnificentiam, æquè ac ad vsum addita Sancto, siue anteriori parti templi. Id imitati sunt Christiani primi, qui suis templis iisdem de causis adiecere porticus, quales videre est Romæ in basilica S. Petri, S. Mariæ Maioris, S. Ioannis Lateranensis, S. Laurentij, S. Cæciliæ, &c. idque ad multiplicem vsum. In porticibus enim manebant excommunicati; pœnitentes, catechumeni, quibus templum ingredi & Missam audire fas non erat. Item pauperes, mendicantes & peregrini, qui à prandio vel noctu basilica clausa, in porticu orabant & pernoctabant. Adhæc, qui in templo litteras & nuntios accipiebant de rebus domesticis vel sæcularibus, è templo, vbi illa expedire & tractare non decebat, egrediebantur in porticum, ibique ea peragebant. In porticu etiam parabantur sedes, scamna, ornamenta,

menta, ceteráque inferenda in templum.

Porro templum, inquit Angelomus & Eucher. *erat conuersum ad Orientem, sicut & tabernaculum, habebatq́; ostium porticus ab Oriente contra ostium templi, iuxta quod historicus Iudaorum Iosephus apertissimè docet, ita vt sol aequinoctialis oriens directis radiorum suorum lineis per ostia tria, porticus videlicet, & templi & oraculi, arcam testamenti perfunderet posset.*

Vnde Allegor. per porticum hanc significantur sancti, qui Christum præcesserunt, puta Patriarchæ & Prophetæ, qui orientem huic mundo solem iustitiæ primi susceperunt, & nascenti in carne Domino testimonium, siue viuendo, siue prædicando, siue nascendo, siue etiam moriendo præbuerunt, ait Angelom. & Eucher.

Denique nonnulli censent hanc esse porticum Salomonis, in qua docuerunt Christus & Apostoli, ita Abul. Titelm. Iansen. c. 93. Concord. Euang. sed hallucinantur: hæc enim porticus erat vicina Sancto ante atrium sacerdotum, in quorum neutrum ingredi licebat Christo & Apostolis, eò quòd non essent sacerdotes veteris legis. Vide quæ de porticu Salomonis dixi Act. 3. 11.

VERS. 4. FECITQVE IN TEMPLO FENESTRAS OBLIQVAS] Hebr. שקופים אטמים *seckophim atumim*, id est *aspicientes clausas*, hoc est, vt Chald. *intrinsecus apertas, extrinsecus clausas*, purà introrsum latiores, extrorsum angustiores (fortè etiã cancellis obductas: vnde Septuag. vertunt, *cancellatas* vel *reticulatas*) ideoque *obliquas*, vt vertit Noster, vt videlicet plus luminis admitterent: quia vt docent Optici siue Perspectiui: in obliquis hisce fenestris radii solares venientes forinsecus interfecant se in superficie eximæ fenestræ, vbi est locus angustior, ac deinde dilatantur, & longè lateq́ue se per domum dispergunt (vnde Symmach. pro *obliquas*, vertit *sagittarias*, quæ scilicet lucem quasi sagittam emittunt) sic enim lux solis in domum intrat per modum pyramidis inuersæ. Ita S. Hieron. in c. 40. Ezech. Ribera lib. 1. de Templo cap. 13 Eucher. Angelom. & alij. Audi S. Hieron. in c. 41. Ezech. *Fenestræ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum, vt non speculari lapide, nec vitro, sed ligneis interrasilibus & vermiculatis clauderentur. (pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habes) quæ in tribus tantùm erant partibus templi, ad dexteram videlicet, & ad sinistram, & post tergum, id est ad Meridiem & ad Aquilonem, & ad Occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, & cuncta interiora templi ianuarum lumine complebantur, ita vt per singulas fenestras & cancellorum foramina intrò quid posset aspicere.*

Hæ fenestræ erant in Sancto dumtaxat. Nam Sanctum sanctorum carebat fenestris ad sui reuerentiam: Deus enim habitat in caligine nobis inuisibili: per ostium tamen lux aliqua immittebatur in Sanctum sanctorum. Vide dicta Leuit. 16. 13.

Allegor. hæ fenestræ obliquæ repræsentant sanctos Doctores, per quos Deus fideles docet & illuminat, *qui*, vt ait Angelom. *dum ea quæ in occulto vident publicè fidelibus pandunt; quasi suscepto lumine solis fenestræ, iuncta templi penetralia replent. Vnde bene eadem fenestræ obliquæ, id est intus latiores, fuisse perhibentur, quia nimirum necesse est, vt, quisquis iubar superna contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius casligando dilatet, atque ad maiora capessenda solerti exercitatione se præparet.* Vide dicta Ezech. 41. v. 17.

Et ædificavit super parietem templi tabvlata per gyrvm, in parietibvs domvs per circvitvm templi (id est Sancti) et oraculi (id est Sancti sanctorum, ex quo Deus dabat oracula) et fecit latera in circvitv] Describit hîc cellas ædificatas circa templum: hoc enim significat *rò fecit latera in circuitu*. Erant enim hæ cellæ laterales templo, illudq́ue lateraliter ambiebant per tria latera, siue per tres mundi plagas, scilicet ad Occidentem, Meridiem & Septemtrionem. Nam plaga ad Orientem, vbi erat ostium & ingressus, cellas in circuitu habere non poterat. Quod ergo ait, *super parietem*, idem est quòd iuxta parietem, vel circa parietem templi. Simili enim modo de Christo dicitur Lucæ 4. 39. *Stans supra*, id ex iuxta *illam*, *imperauit febri*. Et Psalm. 136. 1. *Super*, id est iuxta, *flumina Babylonis sedimus & fleuimus*, &c. Sensus ergo est q. d. Salomon ædificauit iuxta & circa tres parietes templi spectantes ad tres mundi plagas ordinem quemdam cellarum, eumque circumcirca in terna tabulata erexit & diuisit, idque fecit tum ob pulchritudinem, tum ob firmitatem & custodiam templi. In his enim cellis poterant orare sacerdotes, & in ipsum templum per fenestras inspicere. In iisdem cellis reponebantur diuitiæ templi. Vnde illæ à Septuag. vocantur *apothecæ*, & à Nostro 1. Paral. 28. 11. *cellaria*. Patet ex Iosepho 8. Antiq. c. 2.

Et fecit latera in circvitv] *Latera* vocat tabulata cellarum, vt patet ex Hebr. & Septuag. Hæc enim latera explicat dum subdit: *Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis.* Vbi pro *tabulatum* Hebr. & Septuag. habent *latus*. tabulata ergo vocat *latera*, tum quia lateraliter circuibant tria templi latera, tum potiùs quia vnum super aliud lateraliter extabat & prominebat, ac superius erat latius quàm inferius, vnde Chald. vocat *appendices*.

Sensus ergo est q. d. Hæ cellæ, siue ordines cellarum, habebant tria latera, id est tria tabulata circumcirca, quorum latus siue tabulatum infimum erat quinque cubitorum latitudinis; secundum verò sex; tertium autem septem cubitorum; hoc est, tres erant ordines cellarum in tribus earum tabulatis, quorum secundus ordo erat latior primo, & tertius latior secundo ob trabes extantes, de quibus mox subdit: *Trabes autem posuit*, &c. ita Salianus, Ribera, Caier. & alij.

Porrò huius inæqualitatis tabulatorum causa fuit, angustia areæ in monte Moria: hæc enim fecit vt imæ cellæ essent angustæ: quare superiores oportuit facere latiores per trabes prominentes. ita Ribera.

VERS. 6. Trabes autem posvit in domo per circvitvm forinsecvs, vt non hærerent

VERS. 6. HERENT MVRIS TEMPLI] *Trabes*, id est capita trabium vltra parietes, quibus incumbebant, extantia & prominentia. i. Vnde Hebr. vocantur גזירות *anigrot*, id est *deficientia*, quia scilicet non pertingebant ad vicinum parietem templi, sed ab eo deficiebant, eranteque capita trabium extantia dumtaxat. Sensus est q. d. fecit vt trabes vltra suum parietem porrigerentur & extarent per sua capita, vt in iis imponerentur tigna transuersa, itaque tabulata superiora fierent maiora, & maiorem haberent latitudinem quàm tabulata inferiora. Neque enim hæ trabes & tabulata hærebant muris templi, sed cellæ hæ earumque tabulata distarent, licet paruo interuallo, à parietibus templi. Vnde necesse est vt cellæ hæ habuerint fenestras è regione fenestrarum templi, vt in eas lumen suum transmitterent. Hinc patet cellas & tabulata hæc non fuisse prominentia ex ipso templo, vti volunt Beda, Angelo. Lyran. & Abul. sed fuisse separata à muro templi, vti diserte hîc asserit Script.

Porrò in imo ordine, siue in pauimento, quod suo tabulato tegebatur, erant cellæ siue cubicula 14. totidem in secundo ordine, siue medio tabulato, totidem in tertio siue supremo, ita vt vniuersim essent 42. cellæ, quæ omnes, erant peruiæ, ita vt ex vna sine ostio transiretur in aliam, & inde in sequentem, &c. licet Iosephus asserat in singulis ordinibus triginta fuisse cellas siue domũculas, quæ quinque habebant cubitos in longitudine & totidem in latitudine. Sed errat in hoc, vti & in pluribus aliis Iosephus, vti ostendit Salianus.

Tropol. tres cellarum ordines, siue tria earum tabulata, notant tres status & gradus fidelium in Ecclesia, scilicet imum coniugatorum, medium siue secundum continentium, tertium & summum virginum. ita Beda, Ruper. & alij. Vide dicta Ezech. 41. v. 7.

VERS. 7. Domvs (templum) avtem cvm ædificaretvr, de lapidibvs dolatis atqve perfectis (qui scilicet iam dolati & perfecti erant in monte Libano vel alibi, antequam in Sion ad fabricam templi adducerentur) ædificata est, et (id est, idcirco) mallevs, et securis, et omne ferramentvm non svnt avdita in domo cvm ædificaretvr] quia, vt dixit, iam lapides dolati erant, vnde nec malleo, nec securi, nec ferro ad eos dolandos & aptandos opus erat, sed tantùm calce ad eos inter se cõglutinandos, idque ad fabricæ reuerentiam, ac ne Salomonis & ceterorũ fabricã spectantium aures strepitu malleatorum & serratorum offenderentur. Fabulantur Rabbini malleum non auditum in templo, eò quòd Hebræi sanguine vermiculi, quem ipsi *lanni* vocant, lapides secuerint. Theodor. quæst. 21. & 22. Procopius & Glycas opinantur omnes lapides Deo ita disponente sic fuisse in montibus natos vel excisos, vt ferro non esset opus. Verùs Lyran. Abul. & Ribera lib. 1. de Templo c. 12. respondent non fuisse auditum malleum vel securim, scilicet ad dolandum vel secandum lapides, quia iam in monte dolati & secti erant, vt dixi.

Anagog. templum hîc repræsentat cælum, vbi nulla erit passio vel afflictio, quia vt ait Eucher. & Angelom. *hîc tundimur aduersitatibus & disciplina veritatis exercemur, vt illic locus iuncta mexitim congruè disponamur, & castigatione cessante sola amoris glutino, quo ad inuicem copulemur, nos impleti spiritu perfundamur. Hîc enim foris tundimur, vt illic sine reprehensione inueniamur. Hîc malleus, hîc securis, hîc omnia tunsionum resonant ferramenta; in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes iam percussionum strepitus conticescunt.*

Hoc est quod canit Ecclesia in Dedicatione ecclesiæ: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis compaginantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.*

VERS. 8. Ostivm lateris medii in parte erat domvs dextræ: et per cochleam ascendebant in medivm cænaculvm, et a medio in tertivm] Describitur hîc cochlea, per quam ascendebatur in tabulata tum ipsius templi, tum cellarum templo adiacentium, de quibus dictum est v. 5. & seq. ac cochleæ ostium, quod erat in ipso pariete templi. Paries enim templi crassus erat nouem vel decem cubitos. Vnde in eo fieri poterat cochlea sine damno parietis, vti Romæ in basilica S. Petri aliisque, imò in columna Traiani, æquè ac Antonini videmus cochleas, per quas ab imo in summum per 185. gradus intrinsecus ascenditur. Vocat hoc *ostium lateris medij*, id est tabulati medij, quia per hoc ostium eiusq; cochleam ascendebatur in medium, siue secundum tabulatum tam templi, quàm cellarum, & ex secundo in tertium siue summum: nam infima pars templi, æquè ac cellarum, non egebat cochlea, nec ascensu eò quòd sita esset in ipso pauimento. Hoc ergo ostium cum sua cochlea erat *in parte domus dextræ*, id est in muro templi dextro, hoc est Meridionali, nam spectantibus ad Orientem Meridies est ad dexteram, Septemtrio ad sinistram. In Meridionali ergo templi pariete & muro erat hæc cochlea cuiusque ostium, quæ ab imo assurgebat per gradus vsque ad summum tam templi quàm cellarum fastigium. Triplex enim erat cellarum, vt dixi, æquè ac templi, ordo & tabulatum, scilicet infimus, medius & summus. De ostio infimi ordinis & tabulati nil hîc dicitur, quia illud erat in terra, vnde non egebat ascensu & gradibus cochleæ. *In parte* ergo *domus dextræ*, hoc est, in crassitie parietis Meridionalis ipsius templi, ex imo, siue ex pauimento, surgebat cochlea cum suo ostio, ascendebatque intra crassitiem parietis siue muri vsque ad medium, hoc est secundum tabulatum siue ordinem cellarum (vnde patet cellas has, licet à templo separatas, per cochleam tamen ipsi fuisse coniunctas: erant enim illi vicinæ) templo vicinarum, & ex secundo protendebatur & ascendebat ad tertium & supremum tabulatũ siue ordinem cellarum. Sufficiebat autem vnum ostium & vnus ingressus in singula tabulata, quia cellæ erant peruiæ, vt dixi. Ita Caier. Ribera lib. 1. de Templo c. 15. & alij.

Porrò an vna fuerit, eademque cochlea, qua ad ipsa templi tabulata, & simul ad tabulata cellarum templo vicinarum ascendebatur, an verò

verò duæ, non planè liquet. Verisimile est duas fuisse. Primò, quia in Hebr. pro cochlea est לולים *lulim* in plurali, id est cochleæ. Secundò, quia hoc erat commodius, & ad maiorem templi maiestatem. Tertiò, quia id insinuat Iosephus lib. 8. c. 2. qui crebrò in templo versabatur. ita Salianus. Vna ergo cochlea ascendebatur in tabulata templi, altera in tabulata cellarum.

Tropol. cochlea ascenderis in gyrum, significat non nisi per tortuosam laborum & dolorum viam ad perfectionem virtutis, & ad gloriam Beatorum in cælum conscendi. ita Eucher. & Angelom. cuius rei appositum extat visum in Vita S. Perpetuæ, quæ per scalarii cultris obsitam vidit Satyrum in carcere socium suum in cælum ascendere, ac per hanc visionem accepit omen martyrij. ita habet Vita eius apud Surium die 7. Martij.

VERS. 10. ET ÆDIFICAVIT TABVLATVM SVPER DOMVM QVINQVE CVBITIS ALTITVDINIS] Videtur hoc intelligendum de tabulatis cellarum: nam tabulatum templi erat altum 90. cubitis, vt dixi; imò videtur loqui de summo dumtaxat cellarum tabulato, ait Abulens. & Caiet. nam Iosephus asserit totam altitudinem cellarum fuisse sexaginta cubitorum.

VERS. 15. ET ÆDIFICAVIT PARIETES DOMVS INTRINSECVS TABVLATIS CEDRINIS] *Aedificauit*, id est texit, vestiuit, ornauit: nam parietes ædificati erant ex lapidibus: lapides deinde vestiuit tabulis cedrinis, sicut paumentum vestiuit tabulis abietum siue abiegnis, vt sequitur. Id ita esse patet ex v. 18. vbi explicans ait: *omnia cedrina tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere* C *poterat in pariete.*

VERS. 16. ÆDIFICAVITQVE VIGINTI CVBITORVM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABVLATA CEDRINA] q. d. Sicut texit priorem partem templi tabulis cedrinis, vti iam dixi v. 15. sic & iisdem texit posteriorem partem templi, id est oraculum siue Sanctum sanctorum, ex quo Deus dabat oracula. Describitur enim hîc Sanctum sanctorum, quod erat interior siue posterior pars templi, habebatque in longitudine viginti cubitos, totidem in latitudine, sed triginta in altitudine, vt & reliqua templi siue Sancti pars: totum enim templum erat altum triginta cubitos, vt dictum est v. 2. Dicitur tamen hîc tantùm ad viginti cubitos ædificatum; quia videlicet ad viginti cubitos dumtaxat à pauimento sursum tectum fuit tabulis è cedro (vt hac parte tabulatum videretur esse D quadratum, vti fuerat in Tabernaculo Moysis) reliquis verò decem cubitis in altum assurgebat nudus paries siue murus. ita Ribera lib. 1. de Templo c. 6. Nonnulli tamen putant Sanctum sanctorum tantùm habuisse viginti cubitos in altitudine, sicut totidem habebat in longitudine & latitudine, vt perfectè esset quadrum, siue quadratum, totumque fuisse obtectum tabulis cedrinis: Sanctum verò solum habuisse triginta cubitos altitudinis, & proinde decem cubitis altius fuisse Sancto sanctorum, sicut Romæ in multis templis tribuna, siue chorus, demissior est reliquo templo. Cui sententiæ fauet hic versus, qui viginti cubitos assignat Sancto sanctorum, & quòd deforme fuisset, si eius pars vna fuisset tecta cedro, altera verò nuda.

Verius videtur Sanctum sanctorum per omnia quadratum fuisse quoad tabularum cedrinum, assurrexisse tamen vltra hoc tabulatum ad decem cubitos, vt absolutè esset altum triginta cubitos, vti erat Sanctum; sed tabulato huic viginti cubitorum tabulis cedrinis obtecto tam in Sancto, quàm in Sancto sanctorum impositam fuisse fornicem cedrinam, quæ cælorum formam imitaretur & repræsentaret: fornix autem hæc ascendebat ad decem cubitos, qui supra viginti reliquos extabant vsque ad tabulatum, vti solidè ostendit Villalpandus in c. 41. Ezech. Azor. lib. 6. cap. 33. nec aliud vult Ribera lib. 1. de Templo c. 6. & Barradius tom. 2. lib. 12. c. 13. B

ET FECIT INTERIOREM DOMVM ORACVLI IN SANCTVM SANCTORVM] q. d. Fecit vt interior domus, quæ oraculum dicebatur, esset Sanctum sanctorum, hoc est sanctissima templi pars. Hæc enim nunc vocatur oraculum, nunc interior domus, nunc secundum Tabernaculum, nunc Sanctum sanctorum.

PORRO QVADRAGINTA CVBITORVM ERAT IPSVM TEMPLVM PRÆ FORIBVS ORACVLI] q. d. Anterior pars templi, quæ erat ante oraculum siue Sanctum sanctorum, quodque dicebatur Sanctum, habebat quadraginta cubitos in longitudine. VERS. 17

Portò fores oraculi, siue Sancti sanctorum, erant magnæ, semperque apertæ; vnde capita vectium arcæ fœderis prominentia, & velo tecta prope stantibus apparebant, siue quia velum erat transparens, siue potiùs quia vltra velum prominebant. Hinc & velo hoc scisso in passione Christi apparuerunt Sancta sanctorum; alioqui enim si fores oraculi fuissent clausæ, illa non patuissent: ita Ribera lib. 1. cap. 6.

ORACVLVM (Sanctum sanctorum) AVTEM IN MEDIO DOMVS (id est in ipsa domo, siue in in ipso templo) FECERAT] non enim oraculum erat in medio, sed in fine templi. est Hebraismus. VERS. 20

SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO] intellige altare thymiamatis, quod erat in Sancto obuersum Sancto sanctorum, vt ex eo fumus thymiamatis ascenderet ad Deum residentem super arcam in Sancto sanctorum. Hinc videtur quòd Salomon fecerit nouum altare thymiamatis, illud enim dicitur vestisse tabulis cedrinis, quas deinde auro texit v. 21. perinde ac fabricauit nouam mensam panum propositionis, nouumque candelabrum maius: nam Moysaica minora erant & viliora, quàm vt congruerent magnitudini & magnificentiæ templi sui noui; quare Salomon illa è templo remouit, & cum Tabernaculo Moysis reposuit in tabulatis. Id ita esse clarè liquet ex c. 7. v. 48. vt ibi ostendam. VERS. 22

ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AVREIS] quod sine malleo & sonitu vix fieri poterat. Quod ergo dixit v. 7. malleum, securim & ferrum non esse audita in templo, intellige quoad scindendum vel dolandum, vt ibidem præcessit, non autem quoad affigendum clauos: hi enim cùm essent plurimi malleo affigendi

gendi erant, ait Ribera lib. 1. cap. 12. nisi quis A dicat vertiles fuisse clauos & vertilia foramina, quibus inserendi erant, vt sola eorum gyratione sine malleatione suis locis infigerentur. Sic enim Cyzici, ait Plinius lib. 36. 15. *Buleuterium* (domus concilij) *ædificatum est sine clauo ferreo, ita dispositâ consummatione, vt eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur.*

VERS. 23. ET FECIT IN ORACVLO (in Sancto sanctorum) DVOS CHERVBIM DE LIGNIS OLIVARVM] ita Hebr. Chald. & cetera. Perperam ergo Regia & Complut. habent, *de ligno cupressino*: quare illud delent Septuag. Romana.

Nota duo Cherubim iussu Dei à Moyse fabricati Exodi 25. 18. erant duæ statuæ habentes speciem & formam imberbis & alati iuuenis: significabant enim Angelos Deum stipates. Arca enim fœderis erat quasi cista, cuius operculum erat propitiatorium: propitiatorio insistebant erecti duo Cherubini, qui alas extendentes & iungentes, iis quasi solium, in quo sederet Deus, ita vt arcam haberet pro scabello pedum suorum, exhibebant; quare positi erant eo situ, perinde ac si duo homines vultibus in se mutuò conuersis sese inuicem aspiciant, seque manibus quasi alis teneant & complectantur.

Arcam hanc cum propitiatorio & Cherubinis (hæc enim à se inuicem diuelli non poterant) posuit Salomon in Sancto sanctorum: ibi enim ea collocari iusserat Deus Moysi. Salomō verò ad maiestatem arcæ, propitiatorij & Cherubim Moysaicorum, in templo suo addidit duos alios Cherubinos longè maiores, qui arcam cum Cherubinis suis (vtpote exiguis & vix tres cubitos altis) suo corpore & alis velarent, & quasi vmbella tegerent & obumbrarent: quare vultibus suis respiciebant arcā & Orientem, sed tergo murum Sancti sanctorum & Occidentē. Porrò alium situm habebant & diuersum à situ Cherubim, quos fabricarat Moyses: Moysaici enim erant supra arcam alis expansis vtrimque se mutuo prensantes & complectentes: hi verò Salomonis consistebant pedibus erectis in pauimento Sancti sanctorum, vnusque stabat iuxta alterum in eodem latere quasi eius collatero; stabat autem vterque alis in longum exporrectis, ita vt vnus extremitate alæ suæ attingeret extremitatem alæ alterius Cherubim, altera verò extremitate alterius alæ attingeret parietem templi: quare vnus extremitate alæ suæ attingebat vnum templi parietem, alter verò extremitate alæ suæ attingebat alterum templi, putà Sancti sanctorum parietem. Quæque enim ala erat quinque cubitorum, quare duæ alæ vnius Cherubim erant cubitorum decem, & totidem cubitorum erant alæ binæ alterius Cherubim: quare vtræque expansæ erant viginti cubitorum, quæ erat longitudo æquè ac latitudo Sancti sanctorum: hoc enim longum erat viginti cubitis, & totidem latum. Ita Beda, Abulens. Adrichom. Ribera & alij. B C D

Hinc Deus ex propitiatorio ad interrogata pontificis respondens, dansque oracula, dicebatur sedere super Cherubim, id est sapientissimos spiritus, & Angelos, etiam Cherubinos longè scientia transcendere eosque quasi pedibus premere. Hinc etiam Deus hic vocatur Dominus *Sabaoth*, id est exercituum, scilicet Angelorum, quos plurimos habet & quasi innumerabiles, eosque sapientissimos atque potentissimos.

Anagog. Sanctum sanctorum repræsentabat cælum empyreum, arca Ecclesiam beatam, siue homines beatos, propitiatorium aureum humanitatem Christi gloriosam; Cherubini duo Angelos sanctos summè concordes in Dei obsequio & laude. His Deitas nobis inuisibilis eminet & insidet, ac beatis tam Angelis, quàm hominibus summa inter se charitate flagrantibus, quod binario numero & facibus Cherubinorum ad se inuicem conuersis significatur; videndum fruendumque se exhibet, hacque gloriosa visione eos in æternum beat. Ita Beda, Angelom. & ex his Ribera lib. 2. de templo c. 7.

B Vide quæ de Cherubinis dixi Exodi 25. 18. Ezech. 1. v. 5. & seq. & Apocal. 4. v. 6. & 7. quamquam hi Cherubini Salomonis ab illis Moysaicis & Ezechielis tam forma & statura, quàm situ & habitu fuerint diuersi, vt patet ex dictis. Ex hisce perspicua sunt ea que sequuntur vsque ad v. 29.

DECEM CVBITORVM ALTITVDINIS] q.d. duo Cherubini erant alti quindecim pedes, cubitus enim est sesquipes. Erant ergo gigantea magnitudine. Quis enim gigas est quindecim pedum? idq; vt magnitudinem ac maiestatem tum Angelicam, tum diuinam repræsentarent.

DECEM CVBITOS HABENTES A SVMMITATE ALÆ VNIVS VSQVE AD ALAM ALTERIVS SVMMITATEM] *summitatem* vocat extremitatem, q. d. Extremitas vnius alæ Cherubini distabat ab extremitate alterius alæ decem cubitis: singulæ enim alæ erant quinque cubitorum; eratque vtraque in rectum exporrecta: quare sub alis corpus siue dorsum Cherubini inter alas interiacens intellige: alioqui enim plusquam decem cubitorum fuisset distantia, vt patet. Ita Abul. VERS. 24. C

POSVITQVE CHERVBIM IN MEDIO TEMPLI INTERIORIS: (putà oraculi, siue Sancti sanctorum) EXTENDEBANT AVTEM ALAS SVAS CHERVBIM, ET TANGEBAT ALA VNA PARIETEM, ET ALA CHERVB SECVNDI TANGEBAT PARIETEM ALTERVM: ALÆ AVTEM ALTERÆ IN MEDIA PARTE TEMPLI SE INVICEM CONTINGEBANT.] Cherubini enim expandebant alas suas per totam oraculi latitudinem, ita vt vnus Cherub alæ vnius extremitate tangeret parietem oraculi Meridionalem, alter verò alæ vnius extremitate tangeret parietem oppositum Septentrionalem. Latitudo enim oraculi erat viginti cubitorum, & totidē cubitorum erant quatuor alæ duorum Cherubinorum: quæque enim ala erat quinque cubitorum: quare hi duo Cherubini in medio oraculi tangebant se inuicem per duas extremitates aliarum duarum alarum, illisque velabāt arcam cum propitiatorio & Cherubinis Moysaicis illi insistentibus, ita vt arca interciperetur duabus alis Cherubim super arcam à Moyse extensis, quasi sub vmbella, ait Iosephus lib. 8. c. 4. Cherubinos enim à Moyse ex auro fabrefactos fuisse cum arca in templo à Salomone repositos VERS. 27.

positos, sub alis duorum Cherubinorum maiorum ab eo fabricatorum docent Beda, Abul. Caiet. & alij. Et ipsa Cherubinorum cum arca connexio idipsum poscit.

Porrò 2. Paral. 3. 13. additur: *Ipsi* (duo Cherubini Salomonis) *autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum*, hoc est ad Sanctum. Vnde liquet situs horum Cherubinorum, scilicet eos locatos fuisse à Salomone ad extimum parietem Sancti sanctorũ, ita vt faciebus suis respicerent tam arcam, quæ erat ante se, quàm Sanctum faciei suę obuersum; vt videlicet pontificem per Sanctum ingredientem in Sanctum sanctorum, æquè ac populum ante Sanctum in atrio orantem obuerso vultu comitet respicerent & quasi salutarent. Vultu ergo respiciebant Orientem, tergo verò Occidentem. Nam Sanctum erat ad Orientem, Sanctum sanctorum verò, præsertim eius extima pars, fuit extremus murus ad Occidentem. Ita Ribera lib. 2. c. 6. & alij.

Denique Iudęi conuersi ad Sanctum sanctorum, vt adorarent Deum in eo residentem, conuertebantur ad Occidentem: Christiani verò orant conuersi ad Orientem, vnde & tępla eorum spectant Orientem, ob causas quas alibi dixi. Vide Bellarm. lib. 3. de Sanctis c. 6. sic & Vitruuius lib. 4. c. 5. docet Gentiles eò vnde terra illuminatur, id est ad ortum solis templa sua extruxisse.

VERS. 29. ET OMNES PARIETES TEMPLI PER CIRCVITVM SCVLPSIT VARIIS CÆLATVRIS, ET TORNO] id est tornatura siue opere tornatili, quo per tornum res in figuram orbicularem tornantur & rotundantur; sub torno tamen quamuis cælaturam & sculpturam accipe. Vn- C de Vatab. vertit, *cælaturis & sculpturis*. *Tornus* enim subinde idem est quod cælum siue scalprum, putà instrumentum quo res cælantur & sculpuntur. Sic enim Virgilius Ecloga 3. vitem torno elaboratam dicit, cum constet vitem non esse rotundam, sed figuræ variantis. Et Horatius lib. de arte assimilit carmina *tornari*, id est poliri & perfici, dum ait:

Et malè tornatos incudi reddere versus.

ita Sanchez, vnde explicans subdit:

ET FECIT IN EIS CHERVBIM, q. d. Sculpsit in parietibus templi effigies Cherubinorum iam dictorum, ET PALMAS, figuras palmarum, ET PICTVRAS VARIAS] Hebr. *apertiones florum*, Chald. *liliorum*.

VERS. 30. SED ET PAVIMENTVM DOMVS (templi) D TEXIT AVRO INTRINSECVS ET EXTRINSECVS] hoc est, tam in Sancto sanctorum, quàm in Sancto. Sanctum enim erat extrinsecus, siue exterior domus; Sanctum sanctorum verò erat intrinsecus, siue interior domus, vt dixi. Igitur Salomon pauimentum templi totius strauit tabulis abiegnis, quas deinde auro texit, æquè ac parietes templi obduxit tabulis cedrinis, quas deinde auro vestiuit. Ita Vatab. Sanchez & alij.

VERS. 31. ET IN INGRESSV ORACVLI FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARVM, POSTESQVE ANGVLORVM QVINQVE.

VERS. 32. ET DVO OSTIA DE LIGNIS OLIVARVM, ET SCVLPSIT IN EIS PICTVRAM CHERVBIM, ET PALMARVM SPECIES, ET ANAGLYPHA A VALDE PROMINENTIA] q. d. Salomon in ingressu oraculi, id est Sancti sanctorum, fecit duo *ostiola*, id est parua ostia ex eisdem lignis eaque pentagona, id est quinque angulos & totidem postes habentia: atque in eis exsculpsit effigies Cherubinorum, palmarum & *anaglypha*. Anaglypha vox est Græca, significans imagines & picturas è superficie parietis tabulæ vel ostij extantes & prominentes. Hæc de ostiis Sancti sanctorum, nunc de ostiis Sancti hæc subdit.

FECITQVE IN INTROITV TEMPLI POSTES DE LIGNIS OLIVARVM QVADRANGVLATOS. VERS.

ET DVO OSTIA DE LIGNIS ABIEGNIS ALTRINSECVS: ET VTRVMQVE OSTIVM DVPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATVR] q. d. Salomon in ingressu Sancti fecit postes quadrangulos ex olea, eisque annexuit duo ostia ex abiete, *altrinsecus*; ita scilicet vt vnum ostium esset ex vno latere, alterum ab altero priori respondens & obuersum. VERS. B

ET VTRVMQVE OSTIVM DVPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATVR] q. d. Vtrumque ostium erat plicatile, & habebat vertebras, quibus vna pars tenebat aliam, erantque in eis quasi duæ plicaturæ, vt vertunt Septuag. Hebr. *erant duæ*, דלתים *gelilim*, id est valuæ volubiles siue conuoluiles.

Addit Iosephus huic ostio Sancti etiam oppansum fuisse velum, simile velo quod oppansum erat Sancto sanctorum. Ceterum porticus, quæ erat ante Sanctum, nullum habebat velum, sed tota patebat anteriùs, & sine vlla contignatione surgebat in altitudinem 120. cubitorum, quæ erat altitudo templi: latera eius dumtaxat claudebant parietes. Erat enim hæc porticus quasi vestibulum additum templo ad eius decorem, maiestatem & venerationem augendam.

Nota: Tres erant partes templi præcipuæ. Prima Hebr. vocabatur דביר *debir*, vel, vt Septuag. efferunt, *dabir*, id est Oraculum, putà Sanctum sanctorum. Secunda, Hebr. vocabatur היכל *Hechal*, id est Templum, putà Sanctum. Tertia אולם *vlam*, id est atrium, de quo v. 36. Duo priora habebant tectum, non acuminatum, sed planum, vt in eo ambulare possent: sic enim ceteræ domus in Palæstina erant planæ, sed circumcirca habebant septum siue murum exiguum, iuxta legem Deuter. 22. v. 8. ne quis in tecto inambulans incautè ex tecto in terram laberetur & collideretur. In Sanctum sanctorum solus ingrediebatur pontifex, idque semel in anno, scilicet in festo Expiationis Leuit. 16. in Sanctum verò ceteri sacerdotes: in atrium populus, vnde in eo docuit Christus & Apostoli. Igitur Sanctum sanctorum erat vltima, intima & sacratissima pars templi, post quam sequebatur Sanctum, post Sanctum porticus, post porticum atrium sacerdotum, post hoc atrium laicorum mundorum, post hoc vltimum erat atrium immundorum & Gentilium.

ET ÆDIFICAVIT ATRIVM INTERIVS TRIBVS ORDINIBVS LAPIDVM POLITORVM, ET VNO ORDINE LIGNORVM CEDRI] *Vlam*, siue atrium iam dictum, erat duplex, scilicet interius VERS.

rius vicinum Sancto, quod erat atrium sacerdotum & Leuitarum, in eoque erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes immolabant victimas. Alterum atrium erat exterius, in quo populus & laici versabantur, orabant & spectabant sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotali ideóque erat amplissimum, & plura stadia ambitu suo complectebatur, vt tantam populi multitudinem caperet: vnde 2. Paral. 4. 9. vocatur *basilica grandis*. Atrium vtrumque erat sub dio, tum vt fumus tot victimarum in aërem exhalaret, tum quia erat amplissimum, vt tegi non posset; habebat tamen ad latera porticus tectas, vt ad eas populus se tempore pluuiæ & æstus reciperet.

Atrium hoc laicorum, siue populi Israel, non tantùm à parte anteriore, vt putat Ribera; sed ex tribus partibus siue plagis mundi, ambiebat atrium sacerdotum, scilicet ab Oriente, Meridie & Septemtrione: nam ab Occidente atrium sacerdotum claudebatur Sancto & Sancto sanctorum. Ita Iosephus, Theodor. Serarius, Salianus, Vilalp. Hinc atrium laicorum in septem quadra vel quadratas aręas, vt Vilalpando & Salianus; erat distributum; quare in eis erat locus feminarum separatus à viris, honestatis & castitatis causa, vti Romæ fit in templis plerisque. Porrò nulli Gentili, sed solis Iudæis, iisque mundis, licebat ingredi atrium laicorum. Quare pro immundis Herodes, vel ipse Salomon, vt vult Vilalpando pag. 296. adiecit tertium atrium, siue porticum Gentium; quia Iosephus docet Salomonem impleuisse voraginem Mello, eamque extimo muro cinxisse: alioqui enim inde in voraginem labi potuissent. Hic ergo murus fuit atrij Gentium, de quo & Ezechiel c. 40. 5. Ex quo patet murum hunc fuisse quadratum, & in quolibet latere longũ fuisse sexcentos cubitos, id est, vt Iosephus ait, habuisse stadium cum dimidio. Stadium enim continet 400. cubitos: murus autem atrij Israel, separans illud ab atrio Gentium, erat 500. cubitorum in longitudine à quolibet latere.

Ex hoc tertio Gentium atrio gradibus ascendebatur ad secundum atrium Israel siue Iudæorum, eratque intermedium vallum lapideorum cancellorum tres cubitos altum, cui inscriptum erat: *Ne quis Gentilis illud transiret sub pœna mortis*. ita Iosephus. Hinc intelligimus illud Actor. 21. 28. quomodo & cur murmurarint Iudæi contra S. Paulum, eò quòd putarent ipsum Trophimum socium suum, qui erat Gentilis, induxisse in templum, hoc est in atrium Israel. Atria hæc multas habebant portas, inter quas vna erat nomine Speciosa, Actor. 3. 2.

TRIBVS ORDINIBVS LAPIDVM POLITORVM, ET VNO ORDINE LIGNORVM CEDRI] q. d. ædificauit Salomon inter atrium sacerdotum & atrium laicorum murum tres cubitos altum, teste Iosepho, ne laici ingredi possent atrium sacerdotum; sed sacrificia, quæ in eo fiebant vltra murum conspicerent: atque hic murus habebat tres ordines lapidum politorum, quorum alter alteri impositus erat: & super omnes lapidum ordines imposuit ordinem vnum lignorum è cedro.

Atrium sacerdotum erat altius atrio laicorum, vt sacerdotes in eo celsiores essent populo, & ab eo digna afferentur reuerentia: sic & atrium laicorum altius erat atrio Gentium, quare ex atrio Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus: ex atrio verò Israel ad atrium sacerdotum octo gradibus, inde ad Sanctum decem gradibus, vti docet Vilalpando p. 248. & patet Ezech. 40. v. 6. Quare ab atrio Gentium ad Sanctum ascensus erat graduum 25. sed vsque ad atrium sacerdotum quindecim, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum siue Graduales, vt tradunt Hebræi, S. Hieron. & alij.

Intra hæc atria, putà in ipsis porticibus atriorum, ad eorum muros vel latera erant exedræ 1. Paral. 28. 12. exedra autem dicebatur cubiculum columnis fultum & epistyliis pluribus, in quibus vacua erant spatia, quibus prospectus erat in viam. In his exedris partim manebant sacerdotes eo tempore quo ministrabant in templo, qui hic vestes sacras induebant & exuebant; partim seruabatur supellex, oblationes & dona templi: vnde & vocabantur *gazophylacia*, quia in eis seruabatur gaza, id est opes templi, in cistque erant arcæ, in quas populus pecuniam, quam templo offerebat, iniiciebat. Hinc intelligimus illud Ioannis 8. 20. *Et hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo*: gazophylacium enim nunc exedram, nunc arcam vel cistam quæ gazam continet, significat.

Hæ exedræ dicebantur quoque *pastophoria*, vti vertunt Septuag. à παστος, id est thalamus, quia habitabant in eis sacerdotes cùm templi deseruirent, qui ideo vocabantur pastophori. ita S. Hieron. lib. 7. in Isaiam.

Allegor. Atrium repræsentat vitam incipientium Deo seruire, Sanctum vitam proficientium, Sanctum sanctorum verò perfectorum: vnde in atrio erat altare holocaustorum, quod significat mortificationem cupiditatum, & mare æneum siue lauacrum, quod symbolum est pœnitentiæ. Vide dicta Exodi 26. initio capitis.

ANNO QVARTO (regni Salomonis) FVN- VERS. 37.
DATA EST DOMVS DOMINI] Ad templi fundamenta, ait Vilalpando lib. 4. c. 71. & sequenti, pertinent subterranea loca plurima opere firmissimo constructa, & superioribus operibus accuratè respondentia, vbi cryptoporticus & culinæ, & gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ, & oleariæ, exedræ, officinæ, & id genus alia loca, quæ adeò ampla fuerunt atque capacia, vt in illa inferri possent ac conseruari omnes primitiæ ac decimæ totius Israelis, vt suis temporibus multis sacerdotum, ac Leuitarum millibus distribui possent. D

Similia videmus Romæ in cryptis priscis Martyrum, Pontificum & fidelium, adeò vt Roma subterranea non tantùm Vrbis, sed & orbis sit miraculum.

ET IN ANNO VNDECIMO (Salomonis) MENSE BVL (ita legendum cum Hebr. Septuag. & Roman. malè ergo regia habent Elal) IPSE EST MENSIS OCTAVVS] qui nostro partim Octobri, partim Nouembri respondet. Hebræi enim mensibus vtebantur lunaribus, nos verò solaribus. October dicitur בול *bul* à יבל *nabal*, id est defluere, quòd in Octobri defluant VERS. 38.

folia, & depluant imbres. ita Serarius, Chald. Advertit, *mense quo congregantur nouæ fruges.*

ÆDIFICAVITQVE EAM ANNIS SEPTEM] Adde, & septem mensibus, vt pater computanti à secundo mense quarti anni Salomonis vsque ad mensem octauum anni vndecimi eiusdem: sed Scriptura integros numeros annorum consignat, minutias omittit.

Allegor. Radulphus in Præfat. lib. 17. in Leuit. Templum Salomonis, inquit, septem annis, & septem mensibus, constructum est, quia à Christi aduentu vsque ad eius reditum ad iudicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur; idque fiet toto hoc sæculo, quod septē dierum cursu peragitur, ait Eucher. sic & Angelom.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ædificat domum suam, & domum reginæ, & domum saltus Libani: mox vers. 15. fabricat duas columnas ac versu 23. mare æneum, & vers. 38. decem luteres, ceteraq; vasa templi.

1. DOmum autem suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit. 2. Ædificauit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Vnus autem ordo habebat columnas quindecim. 4. contra se inuicem positas. 5. & è regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis: & alteram porticum in facie maioris porticus: & columnas, & epistylia super columnas. 7. Porticum quoque solij, in qua tribunal est, fecit: & texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem. 8. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam vxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant: à fundamento vsque ad summitatem parietum, & extrinsecus vsque ad atrium maius. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem siue octo cubitorum. 11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12. Et atrium maius rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus. 13. Misit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, 14. filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cùm venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius. 15. Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque. 16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum: 17. & quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contexta rum. Vtrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, vt tegerent capitella, quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo. 19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit: perfectumque est opus columnarum. 23. Fecit quoque mare

mare fusile decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, & restricula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25. Et stabat super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonē, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem; & mare super eos desuper erat: quorum posteriora vniuersa intrinsecus latitabant. 26. Grossitudo autem luteris, trium vnciarum erat: labium que eius, quasi labium calicis, & folij repandi lilij: duo millia batos capiebat. 27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipsum opus basium, interrasile erat: & sculpturæ inter iuncturas. 29. Et inter coronulas & plectas, leones & boues & cherubim: & in iuncturis similiter desuper: & subter leones & boues, quasi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per bases singulas, & axes ærei: & per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se inuicem respectantes. 31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: vna rota habebat altitudinis cubitum & semis. 33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radij, & canthi, & modioli, omnia fusilia. 34. Nam & humeruli illi quattuor per singulos angulos basis vnius, ex ipsa basi fusiles & coniuncti erant. 35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidij cubiti, ita fabre facta, vt luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, vt non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura vna, & mensura, sculpturaque consimili. 38. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter vnus, eratque quattuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexterā partem templi contra Orientem ad Meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & hamulas, & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas duas, & funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, vt operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum. 42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis; duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum. 43. Et bases decem, & luteres decem super bases. 44. Et mare vnum, & boues duodecim subter mare. 45. Et lebetes, & scutras, & hamulas, omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erāt. 46. In campestri regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth & Sartham. 47. Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quā ponerentur panes propositionis, aureum: 49. & candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: & quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos, 50. & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo: & cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant. 51. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus, argentum & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

VERS. 1. DOMVM AVTEM SVAM ÆDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS] Tres domos hisce tredecim annis ædificauit Salomon, scilicet domum suam, domum filiæ Pharaonis reginæ, & domum saltus Libani, vt patet v. 2. & 3. has enim tres domos fuisse distinctas patet ex seq. itaque censent Lyran. Abul. Caiet. Dion. Hugo, Vatabl. & alij passim. Hæ tamen tres domus 3. Reg. 9. 10. & 2. Paral. 8. 1. vocantur vna domus, quia erant contiguæ & connexæ, ita vt non tam tres domus, quàm tres partes vel tria membra vnius eiusdemq; domus esse

Cornel. in lib. Regum.

esse viderentur. Sic enim palatium regis vel Pontificis plures in se habitationes, & quasi plura palatia comprehendit. ita Iosephus, Vatalpando, Pineda & alij.

Porrò sicut Dauid domum suam regiam ædificauit in Occidētali parte montis Sion iuxta templum, sic Salomon suum palatium ædificauit in Orientali parte eiusdem montis Sion iuxta templum, tum vt templum totumque montem Sion hisce duabus domibus, quasi duabus arcibus muniret, tum vt ex iis vibem Ierusalem eis subiectam defenderet, & in officio contineret, tum vt facilè templum adire, Deoque lirare & sacrificare posset.

TREDECIM ANNIS] Pluribus annis, ideoque tardiùs ædificata est regia quàm templum, hoc enim septem annis perfectum fuit, vt dictum est c. 6. 37. Causa fuit prima, deuotio & feruor Salomonis vrgentis opus templi, quasi domus Dei; secunda, quia ad templi fabricationem materiam omnem & sumptus iam antè præparauerat Dauid; tertia, quia populus fabricam templi ardentiùs iunit & promouit. ita Iosephus. Adde, Salomonem his tredecim annis tres domos ædificasse, scilicet suam, reginæ, & saltus Libani. ita Abul.

VERS. 2. ÆDIFICAVIT QVOQVE DOMVM SALTVS LIBANI] Erat hæc domus ad elegantiam, amœnitatem & recreationem comparata. Sed cur dicitur *saltus*, siue *sylua Libani?* Resp. primò, quia in loco syluoso montis Sion, ac instar Libani arboribus & viridariis cincta. Nam *saltus* propriè dicitur densior sylua & inuia, quòd ibi arbores saliant, in quo æstiuate & pasci pecudes solent, ait Valla lib. 4. Vnde 2. Paral. 5. 16. vbi nos habemus, *posuitq; ea* (scuta) *rex in armamentario, quod erat constitum nemore*; Hebr. & Septuag. habent, *posuit scuta in domo saltus Libani.* In hac enim domo Salomon reposuit arma militaria, ibique erat eius armamentarium. Secundò, quia domus hæc constructa erat ex lignis Libani. ita Abul. & Serarius. Tertiò, quia suis nemoribus, amœnitate, viriditate, vmbra speciem Libani referebat. Quartò, quia multitudine columnarum cedrinarum cedros Libani imitabatur. ita Theodor. Quintò, quia ex ea prospici poterat Libanus, eiusque aura & frigus tempore æstiuo captari & excipi. ita Arias. Vnde Iosephus & Chald. eam vocant domum refrigerij. Perperam ergo Guilielmus Tyri Episcopus lib. 18. Belli sacri censet hanc domum dici *saltus Libani*, quòd in monte Libano foret ædificata. Sita enim erat in Ierusalem & in monte Sion.

ET QVATVOR DEAMBVLACRA INTER COLVMNAS CEDRINAS] Nota; domus saltus Libani infernè, siue sub se habebat hæc quatuor deambulacra, ita videlicet vt infernè in longū porrecti essent tres ordines columnarum intercepti inter duos parietes domus: inde enim spatiis intermediis necessariò exurgebant quatuor deambulacra. Quisque autem columnarum ordo habebat quindecim columnas in lōgum, æqualiter ex aduerso columnarum aliorum duorū ordinum dispositas, ita vt inter tres columnarum ordines duo essent ambulacra, atque tertium foret inter vnum columnarum ordinem & parietē domus ex vno latere, quartum verò interalium columnarum ordinem & parietem ex altero aduersoque latere. Quare hæc ambulacra tam longa erant, quàm erat ipsa domus. Vide Abul. quæst. 2. & seq.

ET TABVLATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM] *Cameram* vocat fornicem; hæc enim fit opere concamerato, estque ipsa domus concameratio.

ET PORTICVM COLVMNARVM FECIT QVINQVAGINTA CVBITORVM LONGITVDINIS, ET TRIGINTA CVBITORVM LATITVDINIS] ita videlicet vt longitudo porticus huius annecteretur latitudini domus saltus Libani, quæ etiam erat quinquaginta cubitorum; latitudo verò porticus annecteretur longitudini domus eiusdem transuersim: vnde fiebat vt domus centum cubitorum longitudinis, additis hisce 30. cubitis latitudinis porticus, euaderet longa 130. cubitos.

ET ALTERAM PORTICVM IN FACIE MAIORIS PORTICVS] q. d. Salomon *in facie*, id est, ante hanc porticum maiorem adhærentem domui saltus (erat enim porticus hæc domūs ipsius quasi introitus & vestibulum) fecit aliam minorem porticum, ad maioris porticus proportionatam gradationem, decus & ornamentum.

PORTICVM QVOQVE SOLII IN QVA TRIBVNAL EST FECIT] Est hæc tertia porticus, non vestibularis, sed iudiciaria, ideoque non domui saltus Libani annexa, vti duę priores iam dictæ, sed separata, & per se consistens, non longè tamen ab aliis duabus, & à domo saltus Libani dissita. Hæc porticus vocatur *solij*, quia in ea erat solium Salomonis regale & iudiciarium, statuis leonum circumseptum, de quo cap. 10. 18. ita Abulen. & Pineda.

ET DOMVNCVLA IN QVA SEDEBATVR AD IVDICANDVM, ERAT IN MEDIA PORTICV] q. d. In tertia hac porticu erat domuncula, in qua erat solium siue thronus Salomonis iam dictus, iuxta quem, & circa quem humiliores erant throni siue sedes, in quibus sedebant consiliarij & principes cum Salomone iudicaturi, quasi eius assessores: ex quibus omnibus conflabatur iudiciale tribunal, pluribus iudicum sedibus constans, quod domuncula quadam claudebatur, & quasi tegebatur, vt assessores cum Salomone de re quapiam inter se secretò consultaturi, vel sententiam dictaturi, semoti essent à litigantibus, & à populo, qui circumcirca in porticu ambulabat, vel ad iudicium veniebat. Quare domuncula hæc fuit minor quædam ædicula, compacta ex cedro, & vndecumque clausa, vt contineret solum regem cum suis consiliariis: habens tamen suum ostium, per quod litigantes aliique ius suum vel gratiam quampiam postulantes ad solium regis accederent, & ab eo vel ius vel gratiam flagitarent & impetrarent. Habens etiam fenestras plures, vt iis apertis rex sententiam pronuntians, vel ius dicens, aut quid aliud promulgans à toto populo videri & audiri posset. Erat enim hoc quasi prætorium Salomonis. ita Lyran. Dion. Salianus & Pineda lib. 7. de Rebus Salom. c. 7.

DOMVM (palatium) QVOQVE FECIT FILIÆ PHARAONIS] quasi primariæ suæ vxori & reginæ. Causa datur 2. Paral. 8. 11. vbi dicitur: *filiam verò Pharaonis transtulit de ciuitate Dauid in domum quam ædificauerat ei. Dixit enim rex: Non habitabit vxor mea in domo Dauid regis Israel, eò quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.*

VERS. 9. OMNIA LAPIDIBVS PRETIOSIS] scilicet facta erant è marmore, vel pario, vel porphyretico, vel ophite, siue serpentino, &c. nimis enim pretiosum fuisset in domo tam vasta omnia ex gemmis, scilicet ex smaragdis, carbunculis, adamantibus, &c. fabricare. *Lapis* ergo *pretiosus* vocatur hìc marmor pretiosum.

ET EXTRINSECVS (malè quidam legunt, *intrinsecus*) VSQVE AD ATRIVM MAIVS] Hinc patet præter tres porticus iam dictas fuisse in domibus hisce Salomonis atrium maius, de quo v. 12. porticus enim ex eodem lapide pretioso siue marmore factæ videntur, ex quo ipsa domus, vt hic locus insinuat.

VERS. 11. SIMILITERQVE DE CEDRO] q. d. Cedri adhibitæ ad fabricam domorum Salomonis æquali mensura sectæ & aptatæ sunt, sicut secti erant lapides pretiosi earundem.

VERS. 12. ET ATRIVM MAIVS ROTVNDVM (in domibus Salomonis iam dictis v. 9.) subaudi fabricauit Salomon, TRIVM ORDINVM DE LAPIDIBVS SECTIS, ET VNIVS ORDINIS DE DOLATA CEDRO: NEC NON IN ATRIO DOMVS DOMINI INTERIORI, ET IN PORTICV DOMVS] q. d. Sicut Salomon in atrio templi interiori id est in atrio sacerdotum, fecit murum habentem tres ordines lapidum sectorum, & vnum de dolata cedro, vt hoc muro separaret atrium interius sacerdotum ab atrio exteriori laicorum, vti dictum est c. 6. 36. sic prorsus idem fecit in atriis domorum à se ædificatarum, & in porticu.

Dices: Atrium sacerdotum æquè ac laicorum, erat quadratum, vt dixi c. 6. 36. quomodo ergo hic dicitur rotundum? Resp. Erat quadratum constans septenis areis quadratis; dicitur tamen rotundum, quia circumcirca cinctum erat tribus ordinibus lapidum iam dictis. Vnde pro *rotundum* Hebr. סָבִיב *sabib*, id est circumcirca, siue in circuitu, qui circuitus hic erat quadratus, non rotundus. ita Pineda lib. 5. c. 16. in fine.

VERS. 14. MISIT QVOQVE REX SALOMON, ET TVLIT HIRAM DE TYRO FILIVM MVLIERIS VIDVÆ DE TRIBV NEPHTALI, PATRE TYRIO] *Tò de tribu Nephtali* refer non ad *mulieris viduæ*, sed ad *Hiram* artificem. Hic enim fuit ex tribu Nephtali, vt patet ex Hebræo, Chald. & Septuag. mater verò eius fuit ex tribu Dan, vt dicitur 2. Paral. 2. 13.

Dices, quomodo ergo pater Hiram dicitur fuisse Tyrius? Resp. Hiram gente erat Iudæus, putà Nephthalita; sed habitatione & exercitio artis erat Tyrius. Tyri enim habitabat, ibique artem affabrè laborandi didicerat & exercuerat. ita S. Hieron. Hebræi, Lyran. Caietanus & alij. Sic S. Paulus vocatur *Tharsensis*, quia Tharsi erat natus & educatus, cùm gente & genere esset Hebræus.

VERS. 15. ET FINXIT DVAS COLVMNAS ÆREAS] Booz & Iachin. Hæ duæ columnæ rempli fusè hìc describuntur vsque ad v. 23.

DECEM ET OCTO CVBITORVM ALTITVDINIS COLVMNAM VNAM] Intellige quoad stipitem siue scapum columnæ: nam 2. Paral. 3. 15. dicitur quælibet columna fuisse 35. cubitorum, scilicet addēdo quoque & supputando quantitatem basis, capitis & coronæ, qua in apice ornabatur. ita Abul. Lyran. & Caiet. Verùm hæc in iusta architecturæ proportione non possunt ascendere ad tantam altitudinem, vt ipsi columnæ penè æquentur. Quare melius alij respondent quòd vtraque columna simul iuncta erat 35. cubitorum: licet enim vniuersim esset 36. cubitorum (nam bis octodecim faciunt 36.) tamen in vtraque medius cubitus insertus erat suo capitello, in eoque absconditus non apparebat. ita Vatab. & Ribera lib. 2. de Templo c. 12. Tertiò, & verisimillimè, Vilalpandus lib. 5. c. 5. & ex eo Salianus, respondent singulas columnas cum basi sua fuisse septemdecim cubitorum cum dimidio, seclusâ plintho quæ absoluit decimum octauum. Seclusionis autem plinthi causa fuit, quòd reliqua columna cum sua basi caua foret, quam propterea oportuit super solidam plinthum inniti, ideoque seorsim à columna plinthum fundi; plinthus enim est vltima pars basis, quæ spiris subiacet, ita dicta quòd πλίνθον, id est laterem, forma sua repræsentet (vnde & Gallicè vocantur *plinthes*) plinthus enim est exæquata latitudine velut tabula. Vnde & apud Vitruuium lib. 3. c. 2. spitarum plinthides, sunt plinthi basium. Plinthus ergo, id est ima pars basium hìc non computatur, quia hanc architectus prudenter solidam fundere voluit, vt totum opus columnæ, quæ caua erat, firmiùs sustentaret & contineret. vtraque igitur columna simul iuncta erat 35. cubitorum secluso plintho, quia quælibet erat alta septemdecim cubitos cum dimidio, hos enim duplica, & habebis 35. cubitos.

ET LINEA DVODECIM CVBITORVM AMBIEBAT COLVMNAM VTRAMQVE.] Hebr. *Et filum duodecim cubitorum circuibat columnam secundam*: si secundam, ergo & primam: erant enim hæ duæ columnæ omnino æquales & pares. Per *lineam*, vel, vt Hebr. est, *filum*, intelligo mensuram: filo enim mensuramus rerum crassitiem, q. d. columnæ hæ in ambitu & crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum. *linea* ergo notat peripheriam, siue circumferentiam. Iam Vilalpandus, & ex eo Salianus, volunt non vnam, sed *vtramque* columnam simul iunctam habuisse hanc duodecim cubitorum mensuram, ita vt dimidia pars lineæ siue fili 12. cubitorum ambiret vnam columnam, altera pars fili alteram: sic vt vna columna fuerit crassa sex cubitos, & totidem altera, ac consequenter vtraque simul crassa fuerit 12. cubitos; hoc enim exigit symmetria & proportio, vt cum quælibet columna esset alta 18. cubitis, crassa non esset nisi sex cubitis: altitudo enim est tripla ad crassitiem.

Verùm vnamquamque columnam crassam fuisse 12. cubitos disertè docet Iosephus & Ieremias c. 52. 21. vbi columnas has à Chaldæis Ierusalem vastantibus abductas describens ait: *Funiculus duodecim cubitorum circumbat eam*, scilicet

columnam vnam. Sic & Septuag. hîc: *Et perimetrum*, inquiunt, *duodecim cubitorum filum ambiebat eum* (columnam primam) *& sic columna secunda*, scilicet erat pariter 12. cubitorum &c. & Chald. *Et filum*, inquit, *duodecim cubitorum ambiebat illam, & sic fecit columnæ secundæ.* Erant ergo hæ non tam columnæ ad symmetriam & proportionem architectonicam columnarum fabricatæ, quàm moles & turres, vel arces quædam ingentes æneæ ad templi magnificentiam & munimen erectæ. Sic Romæ columna Traiana (æquè ac alia Antonini Imper.) est crassissima instar turris, adeò vt plures viri expansis brachiis eam in circuitu complecti nequeant. vnde & intrinsecus continet cochleam, qua per gradus ab imo ad summum conscenditur. Denique prisci alias fabricarum suarum rationes & proportiones spectabant, diuersas ab iis quas spectauit Vitruuius & posteriores architecti. Ita Sanchez, Vatab. Pagnin. & alij.

Porrò addit Ieremias, columnas has intrinsecus cauas fuisse, ita tamen vt grossitudo æris extrinsecus esset quatuor digitorum in circuitu. Vnde Vilalpandus lib. 5. c. 37. hasce mensuras iusta proportione in sua opinione librans, censet singulas hasce columnas ponderasse quinque talentorum millia, vtramque verò decem talentorum millia. Addit Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas columnas vestisse auro ad crassitudinem digiti vnius. Vnde colligit Vilalpandus in columnis his auro vestiendis expensos fuisse 95. milliones.

Deniq; si colũna in circuitu habebat 12. cubitos crassitiei: ergo in circuitu siue circuli huius diametro habebat 4. cubitos: diameter enim est tertia pars peripheriæ siue circuli: circulus enim continet diametrum ter, & insuper septimam eius partem; quare inter diametrum & circulum illa est proportio, quæ est inter septem & viginti duo. Ita Abul. Ribera, Vatab. Porrò in proportione & symmetria crassitiei ad altitudinem spectatur crassities non tam circuli, vel circuitus, quàm diametri. Cùm ergo columna hæc in diametro crassa fuerit dumtaxat 4. cubitos, alta verò 18. cubitos, fuit ea proportio inter crassitiem & altitudinem, quæ est inter 4. & 18. quæ satis est æqua & congrua. Columnarum enim proportiones ab hominum dimensionibus & proportionibus desumptę sunt. Videmus autem inter homines alios esse graciles sed altos, alios verò crassos & breues; quia quod natura dat crassitiei, hoc demit altitudini: his ergo similis fuit hæc columna crassa & breuis. Adde, columnam hanc præter 18. cubitos sui scapi siue stipitis, insuper habuisse 5. cubitos capitelli, qui iuncti 18. faciunt 23. ergo columna quælibet alta erat 23. cubitis.

VERS. 17. ET QVASI IN MODVM RETIS ET CATENARVM, &c.] q. d. Capitella hæc cingebantur fasciis quibusdam æneis (ait Iosephus) in modum retis siue catenarum, quæ habebant per intervalla aperturas quasi annulos & cancellos, per quos capitellorum elegantia (erant enim liliata, ait Iosephus, siue habebant formam liliorum) appareret.

SEPTENA VERSVVM RETIACVLA IN CAPITELLO VNO] q. d. hæ fasciæ iam dictæ septies circuibant capitella singula, ita vt quasi septem fasciarum versus, siue ordines & gyros efficerent. versus ergo vocat gyros.

ET PERFECIT COLVMNAS, ET DVOS ORDINES PER CIRCVITVM RETIACVLORVM SINGVLORVM, VT TEGERENT CAPITELLA] q. d. Singula capitella, & consequenter singulæ columnæ, habebant duo retiacula, siue duplicem coronam reticulatam & cancellatam, quæ instar retis ambiebat capitellum, illudque tegebat & ornabat. ita Sanchez. Melius Ribera per *duos ordines retiaculorum* accipit duos ordines malogranatorum ex retiaculis dependentium. Id patet ex Hebræo & Septuag. qui habent: *Duo ordines malogranatorum æneorum retibus contexti, opus pensile, ordo super ordinem*; & ex Iosepho, qui ait: *Dependebant inde duæ series malorum punicorum ducentorum numero.* Sensus ergo est q. d. Singuli septeni versus, siue gyri, retiaculi vtriusque columnæ habebant duos ordines malogranatorum: centum enim malogranata in medio singulorum versuum siue gyrorum interposita & quasi inserta erant, vt patet 2. Paral. 3. 16. reliqua verò centum malogranata ex iisdem versibus siue gyris alternè suspensa dependebant, *ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur*, vt dicitur 2. Paral. cap. 4. vers. 13.

VT TEGERENT CAPITELLA, QVÆ ERANT SVPER SVMMITATEM MALOGRANATORVM] q. d. fecit hæc duo retiacula, vt tegerent & circumdarent capitellum, quæ retiacula in septenos versus, siue gyros, distributa erant super summitatem malogranatorum: nam superior versus, siue gyri, pars erat super summitatem malogranatorum appensorum, siue ex gyro infernè dependentium. ita Ribera lib. 2. cap. 14.

C Additur 2. Paral. 3. 16. *Nec non fecit quasi catenulas in Oraculo*, q. d. hæ fasciæ catenarum, siue hæc retiacula catenata erant talia, qualia erant illa quæ fabricata erant in Oraculo, siue in Sancto sanctorum. ita Ribera l. 2. 14. Aliter Caiet. *Fecit*, ait, *catenas in oraculum*. id est, ad mysterium & significationem, scilicet vt catenæ illæ significarent, & tacitè loquerentur futuram regni illius siue Israelis captiuitatem.

EODEM MODO FECIT ET CAPITELLO SECVNDO] Putà in capitello secundæ columnæ.

CAPITELLA AVTEM, QVÆ ERANT SVPER CAPITA COLVMNARVM, QVASI OPERE LILII, FABRICATA ERANT IN PORTICV QVATVOR CVBITORVM] Locus hic totus valdè obscurus & implexus est: vnde à variis variè exponitur, sed vt breuiter & clarè eum explices: Nota, quælibet harum duarum columnarum habebat tria capitella; primum & imum erat, quod proximè stipiti, siue stylo & scapo columnæ erat impositum, vnde propriè vocatur *epistylium*, 2. Paral. 4. 12. eratque altum tres cubitos, vt dicitur 4. Reg. vlt. v. 17. Secundum capitellum erat imo, siue epistylio, impositum, ac tegebatur retiaculo iam dicto, in quo visebantur duo ordines malogranatorum; supra hoc secundum extabat tertium capitellum. ita Ribera.

Hoc v. 19. describitur capitellum imum, siue epistylium. Sensus ergo est q. d. In duabus hisce

sce columnis capitella ima, quæ erant super capita columnarum, id est quę summitati scapi siue stipitis columnarum incumbebant, ideoque *epistylia* vocantur, erant fabricata in formam lilij, idque *in porticu quatuor cubitorum*, id est, ita vt versus porticum, hoc est in latum; non verò in altum, essent quatuor cubitorum: nam in altum erant trium dumtaxat cubitorum, vt dixi. Vnde Septuag. pro *in porticu* vertunt, *iuxta vestibulum*. De secundo capitello iam dictum est v. 16. & seq. nam circa illud erat retiaculum habens duos ordines malogranatorum. De tertio, siue summo, capitello dicetur v. proximo. Sic Vitruuius, & ex eo Architecti columnis triplex imponunt capitellum, nimirum epistylium, zophorum & coronicem. Epistylium est capitellum, quod proximè stylo, siue scapo, columnæ imponitur. Zophorus est illud, quod inter epistylium & coronicem interponitur, quod puluinatis sæpè figuris visitur ornamentisque diuersis instructum. Galli vocant *la frize*: sicut hîc capitellum secundum quasi zophorus retiaculis septenorum gyrorum, ac duobus ordinibus malogranatorum ornabatur. Coronicem vocant ipsam coronidem capitelli.

Tria capitella columnarum.

Zophorus quid?

Vilalpandus censet tria hæc capitella simul iuncta fuisse quinque cubitorum, vt dicitur v. 16. ita vt epistylium fuerit trium cubitorum, vt habetur 4. Reg. vlt. 17. zophorus verò duorum cubitorum, coronis denique vnius. Alij tamen illos quinque cubitos soli secundo capitello, vtpote quod solum habebat retiaculum, attribuunt, cui addunt, tres cubitos epistylij, & aliquot coronicis. Verùm sic capitellum fuisset in quantitate dimidium columnæ: hæc enim erat 18. dumtaxat cubitorum. Quare vt inter capitella & columnam congrua sit proportio, potiùs dicendum videtur, omnia capitella non excessisse mensuram quinque cubitorum, hæc enim proportionem architectonicam habent cum columna 18. cubitorum.

VERS. 20. ET RVRSVM ALIA CAPITELLA IN SVMMITATE COLVMNARVM DESVPER, IVXTA MENSVRAM COLVMNÆ CONTRA RETIACVLA] Hîc agitur de tertio, siue summo capitello, quod erat quasi coronis columnæ addita, *contra retiacula*, id est, super retiacula & è regione retiaculorum, quod capitellum erat *iuxta mensuram columnæ*, id est habebat eamdem crassitiem, quam columna, scilicet duodecim cubitorum.

MALOGRANATORVM AVTEM DVCENTI ORDINES ERANT IN CIRCVITV CAPITELLI SECVNDI] hoc enim secundum capitellum, vt dixi, ambiebatur retiaculo, ex quo dependebant centum malogranata, & totidem inserta siue interposita erant: quodque enim retiaculum habebat ducenta malogranata. Altera ergo columna pariter in suo secundi capitelli retiaculo habebat totidem malogranata, putà ducenta. Ergo vtrisque iunctis erant vniuersim 400. malogranata ex ære fabrefacta, vt dicitur v. 42. & 2. Paralip. 4. v. 13. Porrò dependentia malogranata præcisè fuerunt tantùm 96. sed Script. numerat centum, vt numerum integrum siue plenum assignet, & fortè quatuor reliqua erant quidem, sed tecta non apparebant. Hoc est enim quod dicitur Ierem. vlt. 23. *Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, & omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur*, hoc est illâ, quæ interpòsita erant retiaculis, erant centum, dependentia verò præcisè non erant centum, sed 96. ita Ribera lib. 1. de Templo c. 14.

VERS. 21. ET STATVIT DVAS COLVMNAS IN PORTICV TEMPLI] quæ scilicet porticus erat templi vestibulum, ideoque erat ante Sanctum, nimirum interiecta inter Sanctum & atrium sacerdotum, de qua c. 6. 3. ita vt vna columna vni portæ porticus, altera alteri astaret. ita Vilalpandus. In primo, inquit vestigio sanctuarij eas constituit ab vtroque latere portæ aulæ sanctæ. Sic & Salianus, Adrichom. & alij. Malè ergo nõnulli has columnas statuunt ante atrium sacerdotum, alij ante atrium laicorum.

CVMQVE STATVISSET COLVMNAM DEXTERAM, VOCAVIT EAM NOMINE IACHIN; SIMILITER EREXIT COLVMNAM SECVNDAM (à sinistris) ET VOCAVIT NOMEN EIVS BOOZ] *Iachin* Hebr. idem est quod *directio & rectitudo*, à rad. כון *cun*, id est dirigere. Vnde Septuag. 2. Paral. 3. vlt. vertunt Κατόρθωσις, id est correctio, directio, recta affectio. *Booz* Hebr. idem est quod *in eo fortitudo*. Vnde Septuag. vertunt, ἰσχύς, id est vis & robur. Nonnulli, vt Beda, Abul. Vatabl. Ribera, censent Salomonem idem significasse duobus hisce nominibus *Iachin & Booz*, scilicet optare sè firmitatem & stabilitatem templi. Nam etiam *Iachin* subinde significat firmitatem & fortitudinem. Melius Caiet. & alij hæc duo distinguunt, ac per *Iachin*, id est directionem, accipiunt prudentiam & sapientiam; per *Booz* verò fortitudinem & firmitatem; vt Salomon per *Iachin* significarit templum hoc miro artificio & sapientia esse elegantissimè fabricatum; per *Booz* verò fortissimè fundatum, munitum & stabilitum: vtque iisdem nominibus suum desiderium, & votum patefecerit. q. d. Vtinam Deus meum hoc templum, quasi suum Iachim dirigat, ac quasi suum Booz roboret, vt à nullo hoste, à nullo fulmine deiiciatur. Vtinam Deus diutissimè hoc meum, imò suum templum tueatur, dirigat & confirmet.

Booz & Iachin quid?

Rursum dextra columna *Iachin*, ait Caiet. significabat directiuum imperium tum Dei circa omnes creaturas & homines, sed maximè Israelitas eorumque templum, tum regum regnique Israel: vnde vtraque columna coronata erat. Sinistra verò columna *Booz* significabat fortitudinem ad exequendum ea, quæ per *Iachin*, id est per directiuum imperium prudenter sunt ordinata: vtrumque enim in Deo est Deique prouidentia, quæ sapienter & fortiter omnia gubernat: vtrumque quoque regibus est necessarium. Vtrumque ergo Salomon Deo est gratulatus, ac simul optauit & petit, vt vtrumque Deus in templi & populi regnique custodia ostenderet, sibique & suis successoribus ad bene regendum eadem communicaret.

Allegor.

Allegor. columnæ hæ templi significant Ecclesiæ sapientiam æquè ac firmitatem: ipsa enim est columna & firmamentum veritatis, vti huc alludens ait Apostolus 1. ad Timoth. 3. 15. Vide ibi dicta. Quare Iachin repræsentat Doctores & Rectores Ecclesiæ: hi enim alios docent

cent & dirigunt in viam virtutis & salutis; A Booz significat Martyres virosque fortes. Vnde S. Hieronymus, Beda, Eucherius & Angelom. Columnæ, inquiunt, sunt Apostoli, & Doctores, quia contemplatione ad superna sunt erecti, ac fortes fide & opere. Sunt duæ, quia Iudæos & Gentiles fulciunt. Sunt ante fores templi, vt vtrosque in templum, id est in cælum inducant. Rursum sunt duæ ita dispositæ, vt nobis in prosperis & aduersis ingressum patriæ cælestis ante oculos mentis iugiter habendum esse doceant, vt nec aduersis deiiciamur, nec prosperis extollamur, sed inter vtraque constantes in fide & virtute ad cælum tendamus. Ita auctores citati. Linea 12. cubitorum, ait Beda, norma est Apostolicæ institutionis. Columnæ capitellum imponitur, quia *qui perseuerauerit vsque ad finem, & legitimè certauerit,* B *coronabitur*, sicut ait Apostolus: Nam qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit. Altitudo capitelli quinque cubitorum est, quia corona pro quinque sensuum voluptatibus animosè contemptis atque superatis redditur. Fascia cingens capitellum beatitudo est, quam Theologi accidentalem vocant: septies illud cingit, quia plurimis ex rebus hæc beatitudo oritur, & multæ sunt causæ gaudendi, septem enim pro multis ponitur.

Insuper quilibet sancti in fide eminentes & virtute columnæ sunt, æneæ propter firmitatem in bonis operibus, erectæ per intentionem, altæ per contemplationē, striatæ seu excauatæ per mortificationem, qua prauas appetitiones coercent & sese per carnis macerationem extenuant, quæ excauatio potest etiam ad humi- C litatem referri. Secundò, duo capitella duo sunt testamenta, quorum meditationi & obseruationi Doctores sancti & animo subduntur & corpore. Tertiò, species catenarum & similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis. Quartò, malogranata ducenta magnam & multiplicem eorum charitatem, vnionem, concordiam, zelum significant. Quintò, capitella in florem lilij desinebant. Quid enim per lilium nisi æterna felicitas, & immortalitatis floribus redolens amœnitas designatur, in quam Sancti omnes tandem desinunt, eamdemque cum aliis prædicant, quasi in summo ostentant & promerendam proponunt Ita Angelom. & Beda: *Quid,* inquiunt, *per lilia nisi superæ claritas patriæ, atque immortalitatis floribus redolens paradisi designatur* D *amœnitas?* Plura minutiora vide apud Riberam lib. 2. de Templo c. 15.

VERS. 22. ET SVPER CAPITA COLVMNARVM OPVS IN MODVM LILII POSVIT] q. d. Toti operi columnarum & capitellorum quasi coronidem imposuit lilium, siue formam lilij ex eodem ære fabrefacti, tum vt decorem templi ostenderet, tum vt eius florem à Deo postularet, vt scilicet in eo floreret pietas & Dei cultus purus & castus. Lilium enim puritatis & virginitatis est symbolum, æquè ac gloriosæ resurrectionis Christi & Sanctorum, iuxta illud quod Martyribus accinit Ecclesia in Officio Ecclesiastico: *Sanctorū velut aquila iuuentus renouabitur, & florebunt sicut lilium in Ciuitate Domini.* Et tempore paschali: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te Alleluia.* Et illud sponsi: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Cantic. 2. 1. Vide ibi dicta; & Eccl. 39. 19. & Osee 14. 6. vbi multa de symbolis liliorum dixi. Salomon ergo lilium imponens templo repræsentauit Christi, B. Virginis, & Sanctorum puritatem, splendorem, felicitatem & gloriam æternam: templum enim fuit figura cæli, ac cælestis conuersationis, resurrectionis, & gloriæ.

Tropol. quilibet fidelis & sanctus indiget *Tropol.* columna duplici, vt fiat templum Dei, scilicet Iachin, id est prudenti rectaque directione ad decernendum id quod agendum est; & Booz, id est fortitudine ad illud exequendū. Prudentia enim præit quasi lux, viam virtutis & sanctitatis ostendens; vnde dextram occupat: B fortitudo verò sequitur quasi sinistra, vt id quod prudentia faciendum ostendit, fortiter in opus conferat. Vtraque est opus Salomonis, id est Christi: quare ab eo supplicibus & assiduis precibus cuilibet est flagitanda. Neutra enim sola sufficit, sed si vtraque iungatur, omnia perficit, omnia superat, hominemque ad culmen sanctitatis & in cælum euehit: Spiritus sanctus enim nos diligere debet in viam salutis, ac deinde roborare, vt eam per tot hostes, tentationes, difficultates constanter prosequamur. Vnde Salomon Prouerb. 3. 6. *In omnibus viis tuis*, inquit, *cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Et parens eius Dauid crebrò in psalmis idipsum postulat, vt psalm. 118. 5. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Et v. 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* psalm. 26. 11. *Dirige me in semitam rectam,* psalm. 89. 17. *Opus manuum nostrarum dirige.* Ad Iosue verò ait Deus c. 1. v. 6. 7. & 9. *Confortare & esto robustus* ad debellandos Chananæos, *noli metuere, & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* Et ad Dauid: *Brachium meū consortabit eum.* psal. 88. 22.

FECIT QVOQVE MARE FVSILE DECEM VERS. CVBITORVM A LABIO VSQVE AD LABIVM, *Mare ro-* ROTVNDVM IN CIRCVITV] *Mare* vocat concham ingentem, quæ magnam vim aquarum capiebat, ad manus & pedes sacerdotum (hi enim nudis pedibus ministrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Vnde v. 26. & 31. vocatur *later*, id est lauacrum à fine & vsu, sed à capacitate hîc vocatur *mare*, idque *fusile*, id est fusum ex ære. Erat *rotundum*: vnde diameter eius erat decem cubitorum à labio vsque ad labium, id est ab vno extremo peripheriæ vsque ad aliud ei oppositum; altitudo eius erat quinque cubitorum.

Rursum instituebat duodecim bobus ex ære fabrefactis, qui vultibus suis respiciebant quatuor mundi plagas. Adde huic mari siue conchæ insculptæ erant effigies Cherubim, leonum, boum & palmarum. Denique mare hoc erat in atrio sacerdotum iuxta altare holocaustorum, ac respondebat labro æneo, quod Moyses fecit ex speculis mulierum in Tabernaculo Exodi 30. 18. vbi ostendi labrum hoc æquè ac mare non tam repræsentasse baptismum, vt volunt Eucherius & Angelomus (erat enim labrū hoc æquè ac mare non ante atrium, sed in ipso atrio) quàm pœnitentiam, quæ fidelibus præmittēda est sacrificio & sacramento Eucha-

ristiæ, vti docet S. Gregor. hom. 17. in A Euang. ac Beda lib. 3. de Tabernac. c. vlt. Vide Riberam singula applicantem lib. 2. de Templo cap. 17. Concha hæc vasta & plena aquis, ideoque vocata *mare*, significat amaram & magnam debere esse contritionem & pœnitentiam peccatoris, quæ flumina lacrymarum si non ex oculis, certè ex corde profundat, iuxta illud: *Magna est velut mare cōtritio tua.* Thren. 2. 13.

ET RESTICVLA (Hebr. קו *kaf*, id est linea; Chald. *filum*, quod Noster vocat *resticulam*, id est paruam restem siue funiculum mensorium) TRIGINTA CVBITORVM CINGEBAT ILLVD PER CIRCVITVM] q. d. Mare hoc, siue concha ænea funiculo triginta cubitorum circumcirca cingi & mensurari poterat, hoc est, in ambitu vel circuitu continebat triginta cubitos. Circuitus enim siue circumferentia B circuli est triplex ad diametrum: quare cùm diameter huius conchæ fuerit decem cubitorum, vt dixi, sequitur eius peripheriam siue circuitum fuisse triginta cubitorum.

Notat Abulensis circuitum præcisè fuisse triginta cubitorum & vnius cum dimidio, quia circuitus continet diametrum ter, & insuper septimam diametri partem: sed Script. more suo minorem numerum omittit & supprimit. Hinc Iosepus ait hanc conchā fuisse semi orbis, vel potiùs, vt græcè est, hemisphærij forma & specie.

VERS. 24. ET SCVLPTVRA SVBTER LABIVM CIRCVIBAT ILLVD DECEM CVBITIS AMBIENS MARE] q. d. In summitate continuò post labium maris vel conchæ erat sculptura quædam cingens mare, non retum, sed quasi tertiam eius partem, quæ erat decem cubitorum: hæc autem sculptura erant duo ordines sculpturarum striatarum, de quibus proximè sequitur, ita Ribera. Aliter Caiet. & Abul. qui per *subter labium* intelligūt imam partem conchæ, quæ erat decem cubitorum, ita vt sculptura hæc totam illam ambierit.

DVO ORDINES SCVLPTVRARVM STRIATARVM ERANT FVSILES] q. d. Sculptura iam dicta erant duo ordines sculpturarum striatarum ex ære fuso. *Striatarum*, ita legendum cum Hebr. & Roman. non *historiatarum*, vt legunt codices Regij, nec *historiatarum*, quasi ibi depictæ essent historiæ, vt legunt volunt que alij. *Striatarum* ergo, hoc est habentium striās: striæ autem sunt canaliculi aut sulci, qui per lignum aut æs ducuntur ad elegantiam, ita vt vna pars emineat, altera subsidat, quales videmus Romæ in columnis basilicæ S. Petri ex ære fusis. D ita Ribera & alij, quin & Vitruuius lib. 6. c. vlt. vnde Apuleius *striatam* frōtem vocat contractam caperatamque, & quasi sulcos facientem præ tristitia.

VERS. 25. ET STABAT SVPER DVODECIM BOVES] qui anteriori sui parte, id est faciebus suis, terni respiciebant quaternas mundi plagas, sed posteriori sui parte latitabant, id est absondebantur sub concha quam sustinebant. Allegor. 12. boues sunt duodecim Apostoli, qui iussu Christi fidem & pœnitentiam per omnes mundi plagas prædicarunt.

VERS. 26. GROSSITVDO AVTEM LVTERIS, TRIVM VNCIARVM ERAT] *Luteris*, id est lauacri. Græcè enim λάω, est lauo; inde λουτὴρ est lauacrum, *Luteris* ergo, id est maris ænei iam dicti, vt patet ex Hebr. Chald. & Septuag. Frustra ergo Adrichom. luterem à mari æneo distinguit, ac luterem ponit ad Septemtrionem, mare verò æneum ad Meridiem in atrio sacerdotum, ita vt inter vtrumque medium fuerit altare holocaustorum; in lutere enim ablutas fuisse victimas, in mari æneo verò ipsos sacerdotes. Verùm ad vtrumq; sufficiebat mare æneū cum decem luteribus, de quibus v. 27. Sēsus igitur est q. d. Maris ænei crassities erat trium vnciarum, id est quatuor digitorum, siue palmi, vt vertunt Septuag. hoc est trium pollicum, quæ est quarta pars pedis, siue palmaris crassitudo: nam vncia est duodecima pars pedis, pes autem sedecim digitos continet: tres ergo vnciæ sunt quarta pars pedis, putà quatuor digiti. Hoc est, quod dicitur 2. Paral. 4. 5. *vastitas*, id est crassities *eius habebat mensuram palmi.*

LABIVMQVE EIVS QVASI LABIVM CALICIS, ET FOLIVM REPANDI LILII. q. d. Labium siue labrum maris ænei erat quasi labium calicis, & quasi repandum, id est apertum recuruumque lilium. *Repandum* enim idem est quod recuruum & sinuosum, quodque retrorsum patet. Sic cæruix repanda est incurua; pectus vel dorsum repandum est incuruum. Vnde Plinius lib. 14. 22. *Ad hæc pertinet*, inquit, *pectorosa ceruicis repanda ostentatio.*

Mysticè, Eucherius & Angelomus: *Per labium calicis*, inquiunt, *gustus Dominicæ passionis, per folium repandi lilij patefacta claritas resurrectionis ipsius exprimitur.* Vtraq; enim in lauacro baptismi & pœnitentiæ abluimur. Nam vt ait Eucherius: Christus, *qui ante passionem quidem suam quasi* C *clausum adhuc lilium fuit, cum signis miraculorum quæ fecit clarus homo refulsit: posti resurrectionem verò & ascensionem suam repandum se lilium supernæ patriæ ciuibus exhibuit, quòd in assumpta humanitate potentiam diuinæ claritatis, quam habuit apud Patrem priusquàm mundus esset, ostendit. Vnde in amoris Cantico lilij se vocabulo designare voluit dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium. Labium ergo maris, in quo sacerdotes lauabantur, quasi labium fuit calicis, & folium repādi lilij: quia lauacrum salutare, quo membra summi sacerdotis efficimur, in fide nos sacrosanctæ passionis eius à peccatorū omnium labe purificat, ac purificatos ad visionem gloriæ ipsius perēnis intromittit.*

DVO MILLIA BATOS CAPIEBAT.] Batus, ephi & metreta æqualia sunt, suntque decima pars cori, Ezech. 45. 11. scilicet erat mensura continens tres modios: corus enim continebat decies ampliùs, nimirum 30. modios. Batus erat mensura liquidorum, sicut ephi aridorum, continens tantum quantum amphora Romana, scilicet 48. sextarios, hoc est aquæ vncias 960. vti multis probat Alcazar tract. de Mensuris propos. 14. licet Vilalpandus longè maiorem faciat batum. Dices, 2. Paral. 4. 5. dicitur mare æneum continuisse *tria millia metretas*, id est batos. Resp. cum Vilalpando, Alcazario & aliis, batum fuisse duplicem, maiorem & minorem, maior erat sesquialter alterius, vt duo maiores æquarent tres minores. Iam Vilalpando censet batum maiorem continuisse 108. sextarios, minorem 72. Alcazar verò tract. de Mensuris propos. 14. censet hos batos non fuisse

fuisse communes, sed extraordinarios & minores; adeoque batum hunc fuisse tantùm decimam partem bati. Rursum hos baros fuisse duplices, nimirum maiorem & minorem, ita scilicet vt maior esset sesquialter minoris. Decima autem pars bati est gomer, siue assaron, qui continet 96. vncias, hoc est octo libras duodecim vnciarum. Quare putat Alcazar mare æneum cõtinuisse Romanas amphoras 208. cùm Vilalpãdo ei tribuat amphoras Romanas 4500. Verùm vti hæc mensura Vilalpandi est nimis magna & immanis, ita illa Alcazarij est nimis exigua, & exilior, quàm vt mare vocari possit. Quare ab ordinaria & vulgari mensura bati recedendum non esse censeo, dicoque batum hîc accipi communem, qui æqualis erat amphoræ Romanæ, cõtinens 48. sextarios & vncias 960. quæ faciunt libras 80. quare mare hoc continens duo millia barorum continebat bis mille amphoras Romanas, hoc est sextariorum nonaginta sex millia, librarum aquæ verò centum & sexaginta millia. Hi sunt bati maiores bis mille, qui æquiualent batis minoribus ter mille: habent se enim sicut duo ad tria: quare batus minor continebat dumtaxat 640. vncias, quæ faciũt 52. libras & 4. vncias, vt pater proportionem vtriusque supputanti & inter se conferenti.

Aliter respondent Caiet. & Ribera, scilicet mare æneum cepisse duo millia batorum dumtaxat, si communi modo moderatè tantùm implebatur; sin verò ad summum omnino apicem, cepisse tria millia batorum: & hoc significare Hebr. מַכְאָזִי *machazig* 2. Paral. 4. 5. *machazig* enim idem est quod *fortificante*, id est fortiter planeque implenti capiebat tria millia batorum. Peripheria enim superior quia erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum facilè capiebat mille baros. Liber enim Paralipom. est supplementum libri Regum, supplet enim τὰ παραλειπόμενα, id est quæ in eis relicta & omissa sunt. Vnde sæpè maiorem recenset numerum. ita Vatab.

VERS. 27. ET FECIT DECEM BASES ÆNEAS] Pro decem luteribus, qui his basibus sustinebantur. Id patet ex v. 38. & 2. Paral. 4. 6. vbi dicitur: *Fecit quoque conchas decem, & posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant: porrò in mari sacerdotes lauabantur.* Luteres ergo erant magnæ conchæ, siue labra & pelues, in quibus sacerdotes abluebant victimas iam excoriatas, & carnes earum dissectas, vt lotæ imponerentur altari holocaustorum ad eas Deo offerendum & cremandum: in mari æneo verò soli sacerdotes lauabant suas manus & pedes: licet enim Nachinæi victimas immolãdas priùs abluissent in probatica piscina, antequàm inducerentur in templum, tamen illi animalia integra & viua abluebant: quare in templo, id est in atrio rursum à sacerdotibus eadem iam mactata & dissecta à sanguine & sordibus abluenda erant, vt pura offerrentur Deo in altari. Quocirca mare æneum erat in medio luterum, ac quinque luteres habebat à dextris, quinque à sinistris. ita Ribera. Quisque autem luter capiebat quadraginta batos, vt dicitur v. 38. Idem habet Iosephus in versione Ruffini: malè enim Gelenius pro batis substituit congios.

QVATVOR CVBITORVM LONGITVDINIS BASES SINGVLAS, ET QVATVOR CVBITORVM LATITVDINIS, ET TRIVM CVBITORVM ALTITVDINIS] Erant ergo bases luterum quadratæ, quia latæ quatuor cubitos, totidem longæ: quare ex quaternis tabulis æneis inter se iunctis conflatæ & compactæ fuerunt, ideoque iuncturæ hæ vt non apparerent, tectæ fuerunt sculpturis variis, vt sequitur.

ET IPSVM OPVS BASIVM, INTERRASILE ERAT: ET SCVLPTVRÆ INTERIVNCTVRAS. VERS. 28.

ET INTER CORONVLAS ET PLECTAS, LEONES, ET BOVES ET CHERVBIM: ET IN IVNCTVRIS SIMILITER DESVPER: ET SVBTER LEONES ET BOVES, QVASI LORA EX ÆRE DEPENDENTIA. Locus hic implexus est & difficilis. Omissis variis variorum explicationibus, vt breuiter & clarè rem totam expediam, Nota primò, *opus interrasile* vocari, quod inter tabulas ligneas, aureas vel æneas planas & quasi rasas protuberat, extat & eminet, vt in conchis extant & eminent capita leonum, hominum & boum, &c. Vnde Hebr. est מְסֻגְּרוֹת *misgerot*, id est *clausuræ*, vel vt Vatab. *cincturæ*. *Clausuras* Hebr. vocant sculpturas extantes & eminentes, quia hæ quasi claudunt & terminant tabulam planam, & rasam, putà spatia intermedia tabulæ plana. Vnde Noster opus hoc interrasile, id est sculpturas has vocat *coronulas & plectas*, tum quia coronulis & floribus aliisque rebus contextis & implexis cingebãtur: tum quia ipsæ sculpturæ siue effigies sculptæ vocantur coronæ & coronamenta, id est ornamenta, quia tabulam vel rem cui adduntur coronant & ornant. Quocirca pro his omnibus est Hebraicè vna vox *misgerot*, quam Noster vertit nunc *opus interrasile*, nunc *sculpturas*, nunc *coronulas*, nunc *plectas*. Quædam enim erant in modum coronæ rotundæ, quædam alia figura & forma implexæ, quæ *plectæ* dicebantur. Hæ ergo quatuor voces idem hîc significant. Possunt tamen per *plectas* accipi iuncturæ ipsæ tabularum, vti est in Hebræo, vt plecta deriuetur à πλέκω, id est plico, concinno, necto, iungo: nam inter iuncturas tabularum erant hæ sculpturæ. *Opus interrasile quasi? Plectæ.*

Nota secundò, pro *iuncturas* Hebr. est שְׁבָכִים *scelabbim*, quod Pagnin. vertit, *vestes*; Marinus, *gradus*; Vatab. *prominentias*; sed credendum est Nostro ac Septuag. qui constanter vertunt *iuncturas*, ac Chald. qui vertit *commissuras*. Vnde Exodi 26. 17. Noster & alij passim vertunt *incastraturas*.

Hebræa ergo ad verbum sic habent: *Et hoc opus basis: clausuræ eis, & clausuræ inter iuncturas, & super* (id est iuxta vel inter) *clausuras, quæ erant inter iuncturas, leones, bos & cherubim. & super* (id est iuxta vel inter) *iuncturas sic desuper: & subter leonibus & bobus copulationes, opus descensionis. Clausuras* vt dixi vocat sculpturas leonum, boum & cherubim, &c. quæ tegebant iuncturas tabularum ænearum, ne apparerent esse compactæ, sed viderentur esse continuæ, & ex eodem ære productæ, siue vt non multæ, sed vna integra & solida tabula esse videretur. Sensus ergo est q. d. Salomon sculpsit in basibus decem luterum varias sculpturas, vt illis tegeret iuncturas tabularum ænearum, inter quas sculpturas

tas eminebant sculpturæ leonum, boum & Cherubinorum. Itaque fecit has sculpturas & effigies tam inter iuncturas superiores & altiores, quæ erant desuper, quàm inter inferiores quæ erant subter: addiditque sub leonibus & bobus copulationes, id est lora quædam inter se copulata & cõnexa dependentia, id est deorsum tendentia; hoc est enim *opus descensionis*, quod habent Hebræa. Appositè sculpsit hæc lora, quia boues & leones loris alligari & copulari solent. ita Ribera lib. 2. de Templo cap. 18.

VERS. 30. ET QVATVOR ROTÆ PER BASES SINGVLAS] q. d. Singulæ bases impositæ erant quatuor rotis, vt huc illuc rotari & moueri viderentur.

ET PER QVATVOR PARTES QVASI HVMERVLI SVBTER LVTEREM FVSILES, CONTRA SE INVICEM RESPECTANTES] q. d. Erant in basibus luterum partes quædam extantes, quibus quasi humeris luteres sustentabantur, ex ære fusæ & sibi inuicem obuersæ.

VERS. 31. OS QVOQVE LVTERIS INTRINSECVS ERAT IN CAPITIS SVMMITATE] q. d. Os luteris, id est ipsa superior pars basis, cui luter, siue cõcha luteris imponebatur, erat concaua instar oris, vt et luter pariter concauus aptè inseri posset, eratque in capitis summitate, hoc est, erat in summitate basis. Sic enim Auctor se explicat v. 35.

ET QVOD FORINSECVS APPAREBAT, VNIVS CVBITI ERAT TOTVM ROTVNDVM, PARITERQVE HABEBAT VNVM CVBITVM ET DIMIDIVM] Id clarè explicat Iosephus dicens lib. 8. c. 2. *Qua parte effigies leonum & aquilarum sic erant adaptatæ, vt connatæ putares, interuenientibus inter eas palmarum arbusculis. Atque hæc rotunditas habebat altitudinis cubitum & dimidium, sed dimidius cubitus tegebatur celaturis, & tantùm cubitus apparebat.*

IN ANGVLIS AVTEM COLVMNARVM VARIÆ CÆLATVRÆ ERANT] Nam vt ait Iosephus, tabulæ basium cùm essent quadratæ in angulis habebant columnas, id est columellas quasdam ad elegantiam, quibus latera basium vtrimque inserebantur & quasi incastrabantur, & hæ habebant suas sculpturas quibus ornabantur.

ET MEDIA INTERCOLVMNIA QVADRATA, NON ROTVNDA] *Intercolumnia* vocat ipsos scapos, siue stipites basium, qui inter columnas in angulis annexis quasi medij intercedebant. q. d. Ipse scapus basium quadratus erat, non rotundus: Hebr. & Chald. *Ipsa clausuræ*, id est sculpturæ, *erant quadratæ, non rotundæ. Clausuras*, siue sculpturas, vocat ipsas bases sculptas & effigiatas.

VERS. 33. TALES AVTEM ERANT ROTÆ] q. d. Tales erant rotæ basium, vt viderentur posse rotari & moueri, cùm reipsa essent fixæ, nec rotari possent: & id circo habebant omnia, quæ habent rotæ veræ & rotabiles, scilicet suos axes, radios, canthos & modiolos. Modiolus in rota vocatur ipse nodus siue centrum rotæ, ex quo oriuntur radij, qui inde perducuntur ad canthum, id est ad peripheriam siue circumferentiam exteriorem rotæ.

VERS. 35. VARIAS SCVLPTVRAS EX SEMETIPSA] id est non additicias, sed quasi agnatas & simul cum ipsa, vt ex ipsa basi fusæ viderentur.

SCVLPSIT QVOQVE IN TABVLATIS ILLIS QVÆ ERANT EX ÆRE] q. d. Sculpsit super summas tabulas basium effigies leonum, palmarum, &c. *Tabulata* enim *ex ære* vocat ipsas tabulas æneas inter se connexas & contabulatas. VERS. 36.

FECIT QVOQVE DECEM LVTERES] Ecce hi sunt luteres, quorum bases huc vsque descripsit. VERS. 38.

MARE (æneum) AVTEM POSVIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM] q. d. Ita posuit mare æneum ad Meridiem, vt tamen verteretur ad Orientem. q. d. Non planè obuersum erat Meridiei, sed ei parti Meridiei, quæ nonnihil declinat & vergit ad Orientem. VERS. 39.

Denique mari æneo & decem luteribus ad abluendum victimas, adde ex Aristæa lib. de Septuag. Interpret. post initium, fuisse in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem iugulatarum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus, inquit, est, vt perennis fons videatur. Et ad hoc sunt iuxta aræ basim frequentes aperturæ solis ministris cognitæ. Sed mirabilius est, & ferè inenarrabile subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cũcta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacumque per muros & templi solum, quibus omnia abluuntur, mundentur que, descenduntur. De hisce superius quoque mentionem feci.

Allegor. & Tropol. luteres decem idem significant quod mare æneum, nimirum multiplicem & crebram pœnitentiam, qua in hac vita fragili ob multiplices lapsus & labendi pericula indigemus. Quadraginta bati, quos singuli luteres capiunt, significant dies 40. Quadragesimæ, qui omnes pœnitentiæ sunt addicti. Cetera vide apud Eucherium, Angelonium & Riberam lib. 2. de Templo c. 19. qui minutim singula applicant.

Primus hoc seculo pœnitentiæ sacramentum negauit & sustulit Mart. Lutherus, quare ipse non fuit luter, nec lotor; sed luteus & lutulentus, imò pollutor & profanator sacrorum, vtpote suis poculis, ventri & Veneri totus indulgens, iisque corpus & animam conspurcans quasi *sus lota in volutabro luti*, vt ait S. Petrus Epist. 2. c. 2. v. 22.

FECIT ERGO HIRAM LEBETES, ET SCVTRAS, ET HAMVLAS] Pro *scutras* Hebr. est יָעִים *iaim*, quod Chald. & recentiores vertunt, *scopas*; Sept. *Calfactoriola*; alij vertunt, *fuscinas, phialas, thuribula*; S. Hieron. nunc *scutras, forcipes, tridentes*, nunc *trullas & creagras* vertit. Nomina enim Hebræa sunt polysema, & multa significant. *Scutra* genus est vasis profundi & circulatis, cuius diminutiuum est scutella: quare aliud est *scutra*, aliud scruta, licet Calepinus hæc duo pro eodem habeat. *Scruta* enim sunt vsu attritæ vestes, iumentorum soleæ, claui refixi, sulphurata, vitrorum fragmenta, cetetaque similia, quæ vilissimi proxenetæ venalia habent, quos *scrutarios* appellant, quales Romæ videmus Iudæos, de qualibus ait Horat. l. 2. Epist. 7. VERS. 40. *Scutra quid?*

Villa

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Scutra ergo vel *scuta*, est scutella magna, ità à scuto dicta, quod instar scuti rotunda sit & concaua. Hinc Lucilius lib. 6. ait; *scutam* (scutellam) *ligneolam cerebro infixit.* Et Papias: *Scutra*, ait, *vas æneum æquale fundo, latum & apertum desuper.* Et Priscianus in fine lib. 3. *A scuto*, inquit, *dicitur scutula & scutella, quasi parua scuta vel scutra.* Scutra enim litteram r mutuatur à *scetra, quæ est scutum longum sine ligno, quo vtuntur Afri & Mauritani*, ait Isidor. lib. 18. Etymol. c. 12. de quo Poëta: *Læuam scetra tegit.* Porrò diminutiua r simplicis mutant in l. sic à mitra diminutiuum fit mitella, à capra capella, à sacrum sacellum, ab ager agellus, à piger pigellus, à miser miscellus.

Hamulæ, Hebr. מזרקות *miracketh* sunt vasa spatioria vel infusoria, quibus aqua, vel vinum, vel thus spargitur & funditur. Radix enim זרק *zarac* significat spargere, aspergere, quales sunt ampullæ, quibus in Missa aqua & vinum in calicem spargitur & infunditur. Septuag. vertunt *phialas*; Chald. *pelues*; S. Hieron. hîc *hamulas*, alibi *phialas*, alibi *thuribula*. Audi Columellam:

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

VERS. 42. AD OPERIENDVM FVNICVLOS CAPITELLORVM] *Funiculos* vocat spiras orbiculares, quæ capitello inciſæ ipſum in orbem circuibant & ornabant. Vnde Hebr. est גלות כתורת *galloth ketoreth*, id est *conuoluolæ corona*; Septuag. *vertibilia*; Chald. *vasa rotunda coronarum*; Vatab. *globos coronatos. Funiculos capitellorum* ergo, vocat media capitella, eò quòd in modum funis spiras & gyros haberent: hæc enim Hebr. vocantur *galloth ketoret*, quasi reuolutiones coronæ, vel capita suis spiris in gyrum circumdata & coronata.

VERS. 45. OMNIA VASA QVÆ FECIT HIRAM (nam alij artifices fabricarunt vasa ex auro & argento) &c. DE AVRICHALCO ERANT] Hebr. *de ære* נחשת *memorat*, id est terso & polito, hoc est optimo, vt vertit Chald. & Septuag. quod *aurichalcum* vocatur, quia rubet & fulget vt aurum. Vide dicta Ezech. 1. 27. & Apocal. 1. 15.

Porrò, *Hiram* 2. Paral. 2. 13. à rege Tyri vocatur *pater meus*, quia scilicet rex eum ob præstantiam artis colebat vt patrem: *pater* enim Hebræis sæpè significat magistrum, ducem, præsidem, præfectum. Sic Ioseph à Pharaone vocabatur *pater*, ob præstantiam prudentiæ & prouidentiæ tempore famis. Genes. 45. 8. Sic 4. Regum 13. 14. Rex Israel Eliseum vocat *patrem*, quia eum vt Prophetam & magistrum reuerebatur. Porrò Iosephus his vasis multa alia adiicit, primò mensarum aurearum, super quibus instrumenta varia essent, numerum extendit ad 10000. Secundò, phialarum & spondiorum aureorum 20000. argentearum 40000. candelabrorum 10000. Oenochoarum 80000. phialarum aurearum 100000. argentearum 200000. Lancium aurearum 50000. argentearum 160000. Craterum aureorum 60000. argenteorum 120000. Metrorum seu mensura-

A rum Moysis, Hin, & Assaron aurearum 20000. argentearum 400000. Thuribulorum quibus thus adoleretur aureorum 20000. argéreorum 40000. Quibus verò ad altare holocaustorum ignis auferretur, aureorum 50000. stolarum Hierarchicarum pro sacerdotum principibus 10000. pro sacerdotibus aliis 10000. Tubarum 10000. organorum musicorum, nablorum & cinyrarum ex electro 30000.

FECITQVE SALOMON OMNIA VASA AV- VERS. 48.
REA IN DOMO DOMINI: ALTARE AVREVM &c.] putà altare thymiamatis in Sancto, ante Sanctum sanctorum, de quo dixi Exodi 30. 1. Hinc patet Salomonem fecisse nouum altare thymiamatis in Sancto pro veteri à Moyse fabricato, illudq; vetus Moysis reposuisse in tabulato Sancti. Salomon enim omnia vasa templi noua fecit, excepta arcâ cũ propitiatorio & chęrubim: in arca enim seruabatur lex in tabulis lapideis digito Dei scripta. Arcam ergo à Moyse factam reposuit in templo, necquam fabricauit; cetera verò omnia innouauit. Vnde sequitur:

ET MENSAM, SVPER QVAM PONEREN- VERS. 48.
TVR PANES PROPOSITIONIS, nouam fabricauit pro vetere à Moyse facta, ET CANDELABRA AVREA, QVINQVE AD DEXTERAM, ET QVINQVE AD SINISTRAM] Moyses vnum dumtaxat fecit candelabrum ex auro septiceps, siue habens septem calamos & totidem lucernas; sed Salomon pro vno hoc fabricauit quinque. De mensa hac panum & de candelabro fusè dixi Exodi 25. v. 23. & 31. Quare hîc ea non repetam.

FORCIPES] hoc est emunctoria, ait Abul. & Vatab. *forceps* enim est instrumentum, quo forum, id est calidum tenetur, ait Festus, quod non solùm forcipibus, quibus ignem struimus, sed & emunctoriis, quibus fauillas lucernarum & candelarum capimus & carpimus, conuenit.

MORTARIOLA] sunt vasa propriè, in quibus pilo teruntur quæ soluenda sunt, ait Nonius Marcellus. Vnde S. Isidor. lib. 4. Etymol. c. 11. *Mortaria*, inquit, *dicuntur quòd ibi iam semina in puluerem redacta & mortua cõdiantur.* Verùm hoc loco Hebr. est כפות *capporth*, quæ vox significat vascula curua (כף *caphaph* enim significat curuare) & concaua, in quibus thus vel incensum vel quippiam tale reponitur. ita Vatab. & alij. Vnde Septuag. vertunt, *phialas*; Chald. & Vatab. *cochlearia. Martariola* ergo sunt parua mortaria; itaque vocantur vasa instar mortariorum curua & concaua.

QVÆ SANCTIFICAVERAT DAVID] id est VERS.
quæ Dauid dicauerat, destinauerat & quasi cõsecrauerat Deo in vsum templi. Septuag. *Intulit Salomon sancta* (Hebr. & Chald. *sanctitates*) *Dauid patris sui.* Quæ enim Deo dicantur, adeò sunt sancta, vt sint quasi ipsæ sanctitates.

Nota, in templo nil videri poterat præter marmor, cedrum, aurum, argentum; vt discas in anima sancta & religiosa dicataque Deo, nil nisi purum, solidum & pretiosum reperiri debere.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dedicatio templi, in qua supplicat Salomon Deo, vt orantes in illo, vel versùs illud, exaudiat.

1. TVnc congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuũ, & duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Ierusalem: vt deferrent arcam fœderis Domini, de ciuitate Dauid, id est, de Sion. 2. Conuenitque ad regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus. 3. Veneruntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam sacerdotes, 4. & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes & Leuitæ. 5. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues & boues absque æstimatione & numero. 6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim. 7. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam & vectes eius desuper. 8. Cumque eminerent vectes & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltrà extrinsecus, qui & fuerunt ibi vsque in præsentem diem. 9. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cùm egrederentur de Terra Ægypti. 10. Factum est autem, cùm exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, 11. & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini. 12. Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in nebula. 13. Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. 14. Conuertitque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat. 15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit, dicens: 16. A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi ciuitatem de vniuersis tribubus Israel, vt ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi: sed elegi Dauid vt esset super populum meum Israel. 17. Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel: 18. & ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 20. Confirmauit Dominus sermonem suum, quem locutus est: stetique pro Dauid patre meo, & sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Israel. 21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod pepigit cum patribus nostris, quando egressi sunt de Terra Ægypti. 22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cælum, 23. & ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde suo. 24. Qui custodisti seruo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfecisti, vt hæc dies probat. 25. Nunc igitur Domine Deus Israel, conserua famulo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. 26. Et nunc Domine Deus Israel firmentur verba tua, quæ locutus es seruo tuo Dauid patri meo. 27. Ergóne putandum est quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui? 28. Sed respice ad orationem serui tui, & ad preces eius, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie: 29. vt sint oculi

tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: vt exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus. 30. Vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel, quodcumque orauerint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cùm exaudieris, propitius eris. 31. Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur astrictus; & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, 32. tu exaudies in cælo: & facies, & iudicabis seruos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput eius, iustificansq; iustum, & retribuens ei secundùm iustitiam suam. 33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac: 34. exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. 35. Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam: 36. exaudi eos in cælo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem. 37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obsidens; omnis plaga, vniuersa infirmitas, 38. cuncta deuoratio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, 39. tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique secundùm omnes vias suas, sicut videris cor eius (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) 40. vt timeant te cunctis diebus, quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 41. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum 42. extentum, ubique) cùm venerit ergo, & orauerit in hoc loco, 43. tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena: vt discant vniuersi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc, quam ædificaui. 44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo, 45. & exaudies in cælo orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum. 46. Quòd si peccauerint tibi (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè vel propè, 47. & egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus: 48. & reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint: & orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo: 49. exaudies in cælo, in firmamento solij tui, orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorũ: 50. & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi, & omnibus iniquitatibus eorũ, quibus præuaricati sunt in te: & dabis misericordiam corã eis qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis. 51. Populus enim tuus est, & hereditas tua, quos eduxisti de Terra Aegypti, de medio fornacis ferreæ: 52. Vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israel, & exaudias eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te. 53. Tu enim separasti eos tibi in hereditatẽ de vniuersis populis terræ, sicut locutus es per Moysen seruum tuum, quando eduxisti patres nostros de Aegypto, Domine Deus. 54. Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum: 55. Stetit ergo, & benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens: 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne vnus quidem sermo, ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen seruum suum. 57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque

neque proiiciens. 58. Sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius, & custodiamus mandata eius, & cæremonias eius, & iudicia quæcumque mandauit patribus nostris. 59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, vt faciat iudicium seruo suo, & populo suo Israel per singulos dies: 60. vt sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est vltrà absque eo. 61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius, sicut & hodie. 62. Igitur rex, & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. 63. Mactauitque Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia: & dedicauerunt templum Domini rex & filij Israel. 64. In die illa sanctificauit rex medium atrij, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum. 65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath vsque ad Riuum Aegypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus & septem diebus, id est, quatuordecim diebus. 66. Et in die octaua dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israel populo suo.

Vers. 2. IN MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE, IPSE EST MENSIS SEPTIMVS] Malè nonnulli legunt, *Bethanim*. Legendum enim cum Hebr. Septuag. & Roman. *Ethanim*, id est *fortium*, quia hoc mense septimo fructus sunt *fortes*, id est maturi, ac cùm frugibus collecti reponuntur in horrea, quibus cor hominis & vita confirmatur & roboratur, ait Vatabl. vel propter crebra festa quæ mense septimo celebrabantur, quibus à *fortibus* & piis Deus colebatur: festa enim quasi roborant homines in pietate, & Dei cultu. ita Caiet. vel quia eo mense manifestatur fortitudo & sanitas hominum, quæ maximè tentatur ægritudinibus Autumni, cùm folia defluunt, & hominum vires sole recedente deficiunt. Mensis ergo septimus, siue *Tisri* vocatur *Ethanim* hisce de causis, ac partim B respondet nostro Septembri, partim Octobri, eratque olim primus mensis anni vulgaris, antequàm Deus primum mensem anni sacri constitueret *Nisan*, siue Martium vel Aprilem, ob celebritatẽ Paschæ Exodi 12. v. 2. vnde Chald. hoc loco vertit, *congregatus est Israel in mense quem veteres vocabant mensem primum, & nunc ipse est mensis septimus.*

Dices, Templum perfectum est mense octauo, vt dictum est cap. 6. v. vlt. quomodò ergo dicitur hîc dedicatum mense septimo? Respondet Abulens. Salianus & alij, templum cùm fuit dedicatum, fuisse quidem perfectum quoad partes principales, non tamen habuisse omnimodam suam perfectionem, seu hanc C post dedicationem illi additam, ita vt mense octauo omninò fuerit perfectum. Voluisse enim Salomonem anticipare omnimodam perfectionem ob solemnitatem festi Tabernaculorum in mense septimo, vt in illa coram toto populo templum suum dedicaret.

Aliter respondet Serarius, scilicet dilatam fuisse dedicationem in annum sequentem, mensemque eius septimum, vt interim parietes melius siccarentur, & cætera omnia ad dedicationem necessaria plenius compararentur. Quare dedicatum esse templum anno 12. regni Salomonis mense septimo.

IN SOLEMNI DIE] id est, in festo Tabernaculorum, ait Abul. Verùm id dici nequit: nam hoc festum incipiebat die 15. mensis septimi: hîc autem celebrata est dedicatio templi per 14. dies, vt patet v. 65. qua peracta dimissus est populus die 23. eiusdem mensis, vt patet 2. Paral. 7. 10. iam à die 15. mensis vsque ad diem 23. non intercedunt 14 dies, sed octo dumtaxat. Ergo dies solemnis hîc intelligitur festum hoc dedicationis, quod ob hanc dedicationem magnificentissimam fuit solemnissimum: ita Vatab. Torniellus, Serarius, Salianus, qui censent festum hoc dedicationis incidisse in diem octauum mensis septimi, siue *Ethanim*: inde enim vsque ad diem 23. quo perfecta fuit dedicatio, intercedunt 14. dies, de quibus v. 65. Igitur in 14. hisce diebus includitur festum Tabernaculorum, quod erat solemnissimum, & incipiebat die 15. mensis septimi, durabatque per septem dies: vnde eodem tenebantur omnes masculi ex toto Israele adire templum iuxta legem Deuter. 16. 16. quare hanc temporis festique occasionem studio captauit Salomon, vt solemnior esset dedicatio maiorique populi frequentia celebraretur.

Alleg. dedicatio templi significabat dedicationem Ecclesiæ, & cuiuslibet templi Christiani, de qua vide nostrum Martinum de Roa lib. de Natali die c. 21.

Tropol. significabat dedicationem animæ sanctæ, præsertim B. Virginis, de qua vide Petrum Damiani serm. 2. de Natiu. B. Virginis; vbi illam cum templo Salomonis comparat. Quomodo anima fiat domus & templum Dei, docet Philo lib. de Cherubim, S. Macarius homil. 1. & 10. S. Bernard. sermon. de dedicat.

ET PORTAVERVNT ARCAM DOMINI SACERDOTES] Vers. 4. sicut eamdem tulerant tẽpore

pore Dauidis in Sion 2. Reg. 6. sed maior fuit pompa Salomonis, quàm Dauidis.

ET TABERNACVLVM FOEDERIS] scilicet fabricatum à Moyse; hoc enim propriè dicitur *fœderis*. ita Iosephus, Ribera, Abul. Serarius, Vilalp. Sanchez & alij, licet Salianus & Emmanuel Sà intelligant tabernaculum quod Dauid fabricarat arcæ fœderis in Sion. Nam tabernaculum Moysis non erat in Sion, sed in Gabaon. Verùm non est dubium illud ex Gabaon fuisse à Salomone translatum in Sion, indeque in templum. Adde vtrumque tabernaculum tam Moysis quàm Dauidis, à Salomone fuisse translatum in templum, perinde ac cetera omnia vasa sacra à Moyse fabricata, præsertim altaria in templum translata sunt, id est in tabulatum templi, idque prudenti consilio, ne scilicet alibi quàm in templo, Dei cultus celebraretur, itaque caueretur periculum superstitionis & idololatriæ, ait Caiet.

VERS. 6. ET INTVLERVNT ARCAM IN ORACVLVM TEMPLI, hoc est, IN SANCTVM SANCTORVM SVBTER ALAS CHERVBIM] quos scilicet Salomon nouos fabricarat, altosque decem cubitos, vt arcam, quæ alta erat cubitum vnum cum dimidio dumtaxat, velarent, alisque suis tegerent.

VERS. 9. IN ARCA AVTEM NON ERAT ALIVD NISI DVÆ TABVLÆ LAPIDEÆ] Hac de re assatim dixi Hebr. 9. v. 4. & 5.

VERS. 10. NEBVLA IMPLEVIT DOMVM DOMINI] Nebula enim Deus se suamque gloriam repræsentabat & simul velabat. Caligo enim Deitatis est velamentum, æquè ac sacramentum. Significat enim eam hominibus esse inuisibilem & inaccessam.

VERS. 11. ET NON POTERANT SACERDOTES STARE ET MINISTRARE PROPTER NEBVLAM] tum ob reuerentiam diuinæ maiestatis se ostendentis per nebulam; tum quia nebula hæc sensibilior offendebat oculos sacerdotum, eorumque aciem obtundebat & hebetabat. ita Caiet.

IMPLEVERAT ENIM GLORIA DOMINI DOMVM DOMINI] Nebulam vocat *gloriam Domini*, quia ipsa erat index & symbolum gloriæ Domini, vt dixi: ideoque erat lucida & splendida. ita Caiet. Nebula hæc, inquit, & nebula, & caligo & gloria Domini appellatur. Ex quibus nominibus colligitur, quòd erat nebula per modum caliginis lucidæ & ratione lucis appellatur gloria, seu potiùs honor Domini; ratione verò formæ appellatur caligo; ratione autem materiæ, nebula: erant enim velut vapores nebulosæ caliginis cum splendore, & propterea sensibiliter offendebant oculos sacerdotum ministrantium in altari.

VERS. 12. DOMINVS DIXIT, VT HABITARET IN NEBVLA] Dixit hoc Leuit. 16. 13. vbi iubet Deus pontifici vt non nisi thurificando ingrediatur Sanctum sanctorum, idque ad hoc, vt vapor & nebula thymiamatis operiat propitiatorium, ac Deum in eo residentem; ne si pontifex eum videat, fulgore & terrore diuinitatis exanimetur & moriatur. Idem dixit Psal. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et psal. 17. 10. *caligo sub pedibus eius.* Et v. 12. *Posuit tenebras latibulum suum.* Hinc Deus Moysi & Hebræis loquebatur per caliginem. Exodi 24. 16. Deuter 4. & 5.

FIRMISSIMVM SOLIVM TVVM] Hebr. *directionem ad solium tuum.* Officium templi, ait Caiet. manifestatum esse, non præstare Deo habitationem, sed præbere hominibus directionem mentis eorum, ad solium diuinum sempiternum, quod in cælis est: ad dirigendos siquidem homines in Deum, qui creauit cælos & terram, regitque vniuersum, effectum est templum.

STETIT AVTEM SALOMON ANTE ALTARE, holocaustorum. Stetit ergo inter altare & populum à tribus lateribus circumfusum. Additur. 2. Paral. 6. 13. eum steriisse in suggesto æreo, ibidem pro persona regis collocato, vt videretur ab vniuerso populo, IN CONSPECTV (Hebr. *è regione totius*) ECCLESIÆ ISRAEL] faciem siquidem versùs altare & sanctuarium ad Occidentem habens (in qua etiam plaga erant sacerdotes ac Leuitæ) populus autem per tres alias plagas Orientis, Meridiei & Septentrionis erat. Sic enim incepit facere quod faciendum ab aliis in hac subiuncta oratione docuit; videlicet quòd versa facie ad templum preces Deo funderentur.

Porrò Salomon orationem hanc fudit quasi rex Israelis, ideoque diadema gerebat in capite. Vnde Chald. Cantic. 3. v. 11. cùm per ferculũ Salomonis intellexisset eius tẽplum, pro eo quòd Noster, Septuag. & Hebr. habent: *Egredimini & videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate* &c. sic vertit: *Quando venit Salomon rex, vt faceret deductionem domus sanctuarij, præco egressus est in fortitudine & sic ait: Egredimini & videte habitatores prouinciarum terræ Israel & populus Sion diadema & coronam, qua coronauerunt domus Israel regem Salomonem in die dedicationis sanctuarij; & lætatus est in latitia solemnitatis tabernaculorum, quam fecit rex Salomon in tempore illo 14. diebus.* Et cap. 4. v. 1. additur *Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta, & susceptа est cum beneplacito oblatio eius coram Domino: irruit vox de cælis & ait: Quàm pulcher es cœtus Israel, & quàm pulchri sunt principes cõgregationis & sapientes habitantes in concilio: quia ipsi semper illuminant populum domus Israel,* &c. Videant hîc reges & principes miram pietatem Salomonis, qua ipse rex quasi sacerdos & pontifex templum à se fabricatum Deo dicat & consecrat; ac supplicat, vt Deus orantium in eo preces exaudiat, totique populo benedicit, ideoque à Deo exauditur, ac miraculosa caligine & igne de cælo in victimas delapso decoratur. Imitentur eum principes, & similiter à Deo benedicentur.

ET EXPANDIT MANVS SVAS IN CÆLVM] flexitque genua, vt dicitur 2. Paral. 6. 13. vt hoc gestu testaretur reuerentiam & deuotionem suam erga Deum Deique templum, ac populum ad eamdem exemplo suo excitaret. Salomonem imitati sunt primi Christiani, qui flexis genibus & eleuatis in cælum manibus orabant, cuius ceremoniæ varias causas ex Patribus recensui 1. Timoth. 2. 8. ad illa: *Leuantes puras manus.*

SI ENIM CÆLVM ET CÆLI CÆLORVM (id est summi, vastissimi & capacissimi cæli) TE CAPERE NON POSSVNT, QVANTÒ MAGIS DOMVS HÆC QVAM ÆDIFICAVI] non capiet te. Deus enim

enim est immensus, ideoque est vbique, & omnia implet, ac vltra omnia per immensa vacui spatia extenditur, ideoque mille & milliones infinitos nouorum mundorum in iis creare potest. Idem dixêre philosophi, vnde Aratus:

Iuppiter est quodcumque vides, Iouis omnia plena.

Et Æschylus apud Clement. Alex. lib. 5. Strom.

Iuppiter est æther, est terra,
Cælumq; & omnia Iuppiter, & si quid supra.

Et Orpheus ibidem:

Oceani ad fines expansa est, & manus illi
Vndique dextera, sub pedibus subiectaq; terra est.

VERS. 29. ERIT NOMEN MEVM IBI] q. d. in domo mea ero præsens: ibi colar, illic respondebo, illic preces exaudiam, operabor mirabilia, & gloriam meam ostendam. Hinc rursùm: *Nomen meum erit ibi*, id est ipsum ex nomine meo vocabitur, *templum Domini*, iuxta illud: *domus mea, domus orationis vocabitur.* Matth. 21. 13.

VERS. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMVM SVVM, ET HABVERIT ALIQVOD IVRAMENTVM] q. d. Si quis vocatus ad templum vt iuret, ibidem iurarit se non peccasse in proximum, nec rem eius abstulisse vel læsisse. q. d. Salomon: O Domine oro & supplico, vt in templo hoc ostendas veritatem vel falsitatem iuramenti, vt videlicet peierantem in templo punias quasi sacrilegum & profanatem domum tuam; vt omnibus pateat, quanta religio & reuerentia templo tuo debeatur, quamque in eo tu sis præsens, & virturem tuam spiritalem ostendas. ita enim phrasis hæc explicatur. 2. Paral. 6. v. 22. & 23. ita Abul. Sic olim suspecti de aliquo crimine ducebantur ad oratorium S. Stephani, vt ibi iuramento se purgarent; nam si falsum iurabant, illicò à Deo puniebantur, cuius rei exempla recensct S. August. lib. 22. de Ciuit. c. 8 Idem fiebat peierantibus in templo S. Martini ad eius reliquias, vti narrat Gregor. Turon. lib. 8. c. 16.

VERS. 38. CVNCTA DEVOTATIO (perperam nonnulli legunt *deuoratio*) ET IMPRECATIO] Hebr. *Omnis oratio & supplicatio quæ facta fuerit à quocumque homine*, in templo, &c. Sic & Septuag. ac Chald. *Deuotatio* enim est oratio & voti nuncupatio, & hæc vox olim fuit in vsu, vti ex Apuleio & Cicerone ostendi Prouerb. 20. 25 ad illa: *Ruina est homini deuorare*, vel, vt legunt Beda, Lyran. & alij *deuotare, sanctos.*

Imprecatio verò idem est quod *precatio*: ponitur enim nomen compositum pro simplici: minùs genuinè ergo per eam accipit anathematismum S. August. quæst. 11.

SI QVIS COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SVI] id est, si quis acrem animi dolorem senserit, eumque oratione coram te effuderit in templo, tu exaudies & ab eo liberabis eum.

VERS. 43. NOMEN TVVM INVOCATVM EST SVPER DOMVM HANC] q. d. domus hæc vocatur domus tua.

VERS. 45. FACIES IVDICIVM EORVM] id est, iis eis dices & facies, vlciscendo iniurias eis factas, ipsosque liberando ab oppressoribus iniustis & violentis.

VERS. 48. ET ORAVERINT TE CONTRA VIAM TERRÆ SVÆ, &c. ET CIVITATIS QVAM ELEGISTI, ET TEMPLI] q. d. Si Iudæi extra Iudæam apud gentes constituti te orauerint faciem suam conuertentes ad terram istam, puta ad Ierusalem & templum. Sic Daniel c. 6. 10. *in Babylone captiuus contrà Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Et Psaltes psal. 133. 2. *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras in Sancta*, id est versùs templum sanctum. Quin & Turcæ hodie in suis Mosqueis orantes superstitiosè conuertunt se ad Meridiem, vt respiciant versùs Mecham & suum Mahometem ibi sepultum.

DABIS MISERICORDIAM CORAM EIS] Hebr. *Dabis eos in misericordiis*: q. d. Conciliabis eis gratiam apud hostes, vt ab eis misericordiam consequantur, ac misericorditer tractentur & liberentur.

VTRVMQVE ENIM GENV IN TERRAM FIXERAT] Notent hoc nobiles delicatuli & gloriosuli, qui orant vno genu in terra fixo, altero eleuato quasi pugnaturi cum Deo, ni concedat quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce vtrumque flexit genu, & vtrasque manus in cælum expandit, atque hoc gestu supplex perstitit toto tempore prolixæ orationis suæ: Et nos viles paupereſque homunculi dedignabimur vtrumque genu flectere, vt vno supplicare Deo, altero minari eidem videamur?

BENEDIXIT OMNI ECCLESIÆ ISRAEL] q. d. bene precatus est toti cœtui, siue conuentui populi Israel.

SINT SERMONES MEI, &c. APPROPINQVANTES DOMINO] q. d. Sit Dominus iugiter memor huius orationis meæ, quam ad eum pro futuris posteris sæculisque effudi. ita Vatab.

QVIA DOMINVS IPSE EST DEVS, ET NON VLTRA EST ABSQVE EO] q. d. Non est alius Deus præter eum, sed ipse vnus & solus est Deus verus.

SICVT ET HODIE] subaudi, facitis, vt ita quoque faciatis in posterum, vt perfecto corde Deum ametis, eiusque mandata vniuersa custodiatis. Additur 2. Paral. 6. 41. *Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ*; vt scilicet super arcam residens requiescas in templo hoc à me tibi fabricato. vocat *Arcam fortitudinis*, quia per eam Deus Ierichuntem & Chananæam duce Iosue fortiter expugnauit. Pergit Paralip. *Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem*, vt vndique sint sani & salui, ac salute quasi veste circumquaque induantur & cingantur, vt eam quoque aliis, præsertim laicis, impertiri valeant: *Domine Deus ne auerteris faciem christi*, q. d. Ne meas, puta Salomonis, qui sum tuus christus, id est rex Israelis à te vnctus & creatus, preces iam recensitas, ô Domine, auertas, sed exaudias & adimpleas: stimulum adhibet concludens: *Memento misericordiarum* (Hebr. חסדי *chasde*, id est *pietatum*) *Dauid serui tui*. q. d. Concede mihi quod peto propter merita Dauidis patris mei, qui fuit vir pietatum & misericordiarum, tam actiuè quàm passiuè, quia opera misericordiæ multa & præclara in Saulem ceteroſque Israelitas exhibuit, ideoque vicissim à te Domine magnam misericordiam & gratiam consecutus est.

Porrò Deum exaudisse orationem Salomonis patebit c. sequenti v. 2. Nota hîc, Deum magis exaudire orationes quæ in templo quasi

in domo sua fiunt, quàm quæ alibi ob causas A quas recensui 1. Timoth. 2. v. 1. & 2.

VERS. 63. MACTAVITQVE SALOMON HOSTIAS PACIFICAS (quæ pro pace, id est salute & felicitate sua & populi tam obtenta, quàm deinceps obtinenda offerebantur iuxta legem Leuit. 3.) BOVM VIGINTI DVO MILLIA, ET OVIVM GENTVM VIGINTI MILLIA] Vide hîc rursùm Salomonis pietatem & magnificentiam in cultu Dei.

VERS. 64. IN DIE ILLA SANCTIFICAVIT REX MEDIVM ATRII, QVOD ERAT ANTE DOMVM DOMINI] q. d. Illo die dedicationis templi Salomon per pontificem & sacerdotes dedicauit mediam partem atrij sacerdotum, quæ erat ante Sanctum, vt in ea multa erigerentur altaria ad tot millia victimarum in eis offerenda. Vnum enim altare à Deo præscriptum Exodi 27. 1. omnia hæc capere non poterat. Quare necessitas præsens excusauit Salomonem à peccato, vt non faceret contra Dei legem vetantem erigi aliud altare, præsertim quia simul offerebatin altari à Deo præscripto victimas tot quot illud capere poterat, ceteras verò obtulit in altaribus iuxta illud in atrio sacerdotum à se erectis: vnde tunc totum atrium sacerdotum, vel potiùs dimidia eius pars erat quasi vnum altare. ita Abul.

Deinceps verò Salomon in templo hoc quotidie sacrificia obtulit; sed plura & maiori solemnitate ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum, vt patet 2. Paral. 8. v. 13.

FECIT ERGO SALOMON IN TEMPORE VERS. ILLO FESTIVITATEM CELEBREM, &c. SEPTEM DIEBVS, ET SEPTEM DIEBVS] Priores septem dies fuere dedicationis templi, posteriores septem festi tabernaculorum. Ita Abul. Caiet. & alij.

Denique in hac dedicatione Leuitæ & Cantores ac 120. sacerdotes concinebant tam voce, quàm tubis, cymbalis, organis, citharis, psalteriis; ceteriſque musicis instrumentis personabant, vt dicitur 2. Paral. 5. 11. Fabulantur Rabbini eo tempore portas templi sponte fuisse clausas, cumque cantaretur Psalmus 131. sponte apertas. Miracula verò quæ tunc cõtigerunt fuere, quòd Deus igne cælesti omnes victimas consumpserit, & suam maiestatem ostenderit in nube splendida & gloriosa. Audi 2. Paral. 7. 1. *Cumq; complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta & victimas: & maiestas Domini impleuit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò quòd implesset maiestas Domini templum Domini. Sed & omnes filij Israel videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide, adorauerunt, & laudauerunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus apparet Salomoni, promittitq; ei thronum æternum si in lege sua ambulet: sin autem, minatur ei regni templiq; exterminium. Mox v. 10. Salomon offert Hiram regi Tyri 20. ciuitates: inde v. 17. ædificat munitq; varias vrbes, ac omnes Chananæos reliquos sibi facit tributarios. Denique v. 26. classem mittit in Ophir, quæ ei affert 420. talenta.

1. FActum est autem cùm perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optauerat & voluerat facere, 2. apparuit ei Dominus secundò, sicut apparuerat ei in Gabaon. 3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus 4. Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate: & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea & iudicia mea seruaueris, 5. ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. 6. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos: 7. auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis; & templum quod sanctificaui nomini meo, proiiciam à conspectu meo, eritque Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis. 8. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? 9. Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de Terra Aegypti, & secuti sunt deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. 10. Expletis autem annis viginti postquam ædificauerat Salomon duas domos, id est, domum Domini, & domum regis, 11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna

gna cedrina & abiegna, & aurum iuxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilææ. 12. Et egressus est Hiram de Tyro, vt videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, 13. & ait: Hæcine sunt ciuitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellauit eas Terram chabul, vsque in diem hanc. 14. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri. 15. Hæc est summa expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer. 16. Pharao rex Aegypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis. 17. Aedificauit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem, 18. & Baalath, & Palmiram in Terra solitudinis. 19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque muro, muniuit, & ciuitates curruum & ciuitates equitum, & quodcumque ei placuit vt ædificaret in Ierusalem, & in Libano, & in omni terra potestatis suæ. 20. Vniuersum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non sunt de filiis Israel: 21. horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filij Israel exterminare: fecit Salomon tributarios, vsque in diem hanc. 22. De filiis autem Israel non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum. 23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subiectum populum, & statutis operibus imperabant. 24. Filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam ædificauerat ei Salomon: tunc ædificauit Mello. 25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas, super altare quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum. 26. Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ. 27. Misitque Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos & gnaros maris, cum seruis Salomonis. 28. Qui cùm veniſſent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

VERS. 1. APPARVIT EI DOMINVS SECVNDO, SICVT APPARVERAT EI (primò) IN GABAON] scilicet apparuit ei *nocte*, vt dicitur 2. Paral. 7. 12. in somnis: sic enim ei apparuerat in Gabaon cap. 3. 4.

VERS. 3. SANCTIFICAVI DOMVM HANC] id est, *elegi locum istum mihi in domum sacrificij*, vt exponitur 2. Paral. 7. 12.

VT PONEREM NOMEN MEVM IBI IN SEMPITERNVM] quamdiu scilicet templum erit & subsistet vocabitur domus Domini, ibique ego me meamque præsentiam, gratiam & gloriam ostendam.

ET ERVNT OCVLI MEI ET COR MEVM IBI CVNCTIS DIEBVS] q. d. Coniiciam oculos in domum meam, ipsaque erit mihi chara, cordi & curæ.

VERS. 4. TV QVOQVE SI AMBVLAVERIS CORAM ME, SICVT AMBVLAVIT PATER TVVS IN SIMPLICITATE (Hebr. תֻּם *betom*, id est *in integritate*; Chald. *in veritate*; Septuag. *in sanctitate*) CORDIS, ET IN ÆQVITATE] Hebr. יְשֶׁר *beiosser*, id est *in rectitudine*, hoc est, si integro, vero, sancto & perfecto corde mihi seruieris, vt totum cor mihi tradas, nec illud diuidas, vt eius partem vnam mihi, alteram idolis & cupiditatibus tradas. Deus enim totum cor, totumq; amorem nostrum poscit, iuxta illud: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Deuter. 6. 5. vide ibi dicta. Vnde explicans subdit:

ET FECERIS OMNIA QVÆ PRÆCEPI TIBI, A ET LEGITIMA (leges) MEA, ET IVDICIA (iura & leges iudiciales à me latas) MEA SERVAVERIS.

SI AVTEM AVERSIONE AVERSI FVERITIS] à me meaque lege. VERS. 6.

AVFERAM ISRAEL DE SVPERFICIE TERRÆ, QVAM DEDI EIS: ET TEMPLVM, QVOD SANCTIFICAVI (dicaui) NOMINI MEO, PROICIAM] vti iam ob occisum Christum videmus Iudæos toto orbe errones & vagos, & templum eorum excisum. Sic & Christianos ad hæresim aliaque scelera dilabentes Deus sæpiùs puniuit, & etiamnum punit, excidio gentis & regni; ac templa & monasteria succendi euertique finit. VERS. 7.

EXPLETIS AVTEM ANNIS VIGINTI (ab inchoata templi fabrica, putà anno 24. regni Salomonis) POSTQVAM ÆDIFICAVERAT SALOMON DVAS DOMOS, ID EST DOMVM DOMINI, ET DOMVM REGIS, &c. VERS. 10.

TVNC DEDIT SALOMON HIRAM VIGINTI OPPIDA IN TERRA GALILÆÆ] Quæres, an licitè Salomon has vrbes ab Israele abalienauerit, & tradiderit Hiram regi Tyri gentili? Resp. illum licitè non potuisse illas in æternum abalienare, vt faceret terram Phœnicum, quia iniuriam feciſſet Israelitis contra legem Dei, qui illas eis assignarat & dederat. Rursum Hiram Galilæos hos pertraxisset ad sua idola & gentilismum. Quare nõ tradidit Hiramo absolutum plenumque earum dominium, sed tantùm vsumfructum, vt scilicet Hiram ex eis redditus & iura, quæ Salomon percipere solebat, reciperet, donec expensas suas pro Salomone factas

compensaret; vel certè vsque ad vitam suam, vt eo mortuo rediret ad regnum & reges Israelis, ita Abul. Serarius, Salianus & alij.

VERS. 13. ET APPELLAVIT EAS TERRAM CHABVL] *Chabul* Phœnicum lingua, ait Ioseph. lib. 8. c. 5. significat *non placens*, vile, displicens. ita Abul. Caiet. & alij: Hebræorum verò lingua כבל *chebel* significat *compedes*, inde *chabul* significat *terram tenacem* & lutosam, quæ gradientes remoratur, eisque quasi compedes injicit, vt vix progredi queant. ita R. Dauid, Vatab. & Pagnin. Posset quoque *chabul* per methatesin deduci à כלב *keleb*, id est canis, q. d. *terra canina*, vilis & spurca instar canis; vnde Iosephus ait Hiram noluisse has vrbes acceptare, itaque eas mansisse Israeli.

VERS. 15. HÆC EST SVMMA EXPENSARVM, QVAM OBTVLIT REX SALOMON AD ÆDIFICANDAM DOMVM DOMINI, ET DOMVM SVAM, ET MELLO, ET MVRVM IERVSALEM, ET HEZER, &c.] q. d. Hæc est causa vel materia tot expensarum & sumptuum, quos fecit Salomon; nimirum fabricæ templi, domus suæ, Mello, &c. In his enim fabricis maximas expensas fecit, & ærarium suum opulentissimum exhausit. Hebr. enim est: *Hoc est verbum tributi*, id est hæc est ratio & causa tributi tanti, quod Salomon populo indixit (ob quod populus murmurauit, & à Roboam ad Ieroboam defecit) nimirum, vt ex eo fabricaret templum & tot vrbes. Fabrica enim opes etiam regias & maximas exhaurit. Ita Vatab. Serarius, Sanchez & alij.

Posset secundò, cum Sept. verti; *Hæc est summa distributionis*, in quam scilicet Salomon suas opes tantaque tributa distribuit & expendit, vt *summa expensarum*, sit summa rerum, in quas expensæ sunt factæ, nimirum fabrica templi & tot vrbium. Nam alioqui propriè nulla summa tributorum vel opum Salomonis hic texitur.

ET DEDIT EAM IN DOTEM FILIÆ SVÆ, VXORI SALOMONIS] Iam antè cùm nuberet Salomoni, dederat ei dotem. *In dotem* erg.), id est in augmentum doris. Vnde Hebr. habent: *Dedit ei* שלוחים *sælluchim*; Septuag. ἀποστολάς, id est *missilia*, scilicet munera, hoc est, *dedit ei dono*, vt vertit Chald.

VERS. 18. ET PALMIRAM] Hebr. & Septuag. *Thamar*, id est *Palma*. Videtur ergo vrbs hæc dicta *Palmira*, à palmarum copia, & palmetis ibidem abundantibus, ait S. Hieron. in Ezech. c. 47. & 48. Sita erat trans Iordanem in finibus Israel, pertinebatque ad dimidiam tribum Manasse, distans à Damasco 17. millibus passuum. Ædificauit eam ergo Salomon ibidem tamquam in extremo imperij sui limite, & validissimis mœnibus cinxit: postea ab Hadriano imper. restaurata dicta fuit *Hadrianopolis*. Ab hac vrbe celebri tota regio & solitudo vicina dicta est *Palmirena*. vide Adrichom. pag. 92. n. 73.

VERS. 21. FECIT SALOMON TRIBVTARIOS] scilicet Chananæos omnes, qui residui erant in Iudæa, quos Hebræi non potuerant exterminare. Quæres, an peccarit hîc Salomon? nam Deus iusserat omnes Chananæos occidi. Resp. Abul. non peccasse, quia nec Dauid pater eius illos occiderat: vnde vel Deum in lege sua dispensasse, vel potiùs tunc legem non obligasse, eò quòd tunc cessaret omne periculum quod timebatur Israeli à Chananæis, ne scilicet ipsi Hebræos ad sua idola pellicerent: iam enim erant omninò à Dauide & Salomone suppressi, vt id facere & capita eleuare non auderet. Rursum metuere poterat Salomon, ne, si ipse omnes Chananæos occideret, Philisthini, aliæque gentes in vindictam simili modo omnes Iudæos apud se degentes trucidarent, imò ipsi bellum mouerent. Adde, legem iubentem occidi Chananæos maximè pertinuisse ad Chananæos, qui tempore Iosue viuebant & deinceps, cùm expugnanda & possidenda erat terra, vt indicatur hoc versu: ita Caiet. & alij.

CLASSEM QVOQVE FECIT REX SALOMON] Pineda censet Salomonem hanc classem instruxisse initio regni, ad colligendum aurum pro fabrica templi. Verùm hoc abundè iam antè compararat Dauid, vnde Salianus opinatur ipsum hanc classem adornasse post fabricam templi anno regni sui 24. idque colligit ex v. 10. quod intellige de classibus posterioribus, & maioribus. Nam ante fabricam templi pro eius æquè ac palatiorum vrbiumque ædificiorum immani sumptu, eum hanc classem instruxisse ad aurum comparandum, liquet ex c. 10. 12. vbi dicitur Salomon ex lignis thyinis allatis ex Ophir fecisse fulcra domus Domini & domus regiæ.

GNAROS MARIS] Tytij enim & Phœnices, vipote accolæ maris, in arte nautica & nauigatione omni ævo apud omnes gentes fuere celebres.

QVI CVM VENISSENT IN OPHIR, SVMPTVM INDE AVRVM QVADRINGENTORVM VIGINTI TALENTORVM, DETVLERVNT AD REGEM SALOMONEM] Quæres, quæ & vbi *Ophir* sit Ophir. Nonnulli putant fuisse Angolam, in qua sunt Æthiopes, qui in mancipia adducti sunt Salomoni, vti & hodie inde adducuntur in Hispaniam. Alij censent fuisse Malacam, alij Sefalam, alij cum Eugubino imam Persiam, alij Africam.

Duæ sententiæ sunt probabiliores. Prior, Ophir esse regnum Peru in India Occidentali; tum quia ibi est aurum plurimum & laudatissimum, quod inde quotannis ferè in Hispaniam exportatur; tum quia Ophir per metathesin litterarum est Peru; tum quia aurum Ophir vocatur aurum פרוים *Peruaim*, id est, duarū, Peru, scilicet minoris & maioris. 2. Paral. 3. 7. ita Vatab. Arias, Genebr. & alij, qui censent nouum orbem à Salomone fuisse apertum & cognitum.

Posterior & communior sententia est, Ophir fuisse in India Orientali, adeoque plures eius auriferas regiones complecti, vti auream Chersonesum, ita dictam ab auri copia, Sumatram & Taprobanam, Pegu, Ceylam, aliasque Indiæ Orientalis regiones auriferas. Ita Sanchez, Serarius, Salianus, Gaspar Varerius lib. de Ophir, Iosephus Acosta lib. 1. de natura noui orbis c. 13. & 14. Fauent Iosephus, Hesychius, Theodor. Procop. & S. Hieron. Epist. 140. ad Principiam, qui *Ophir* dictum asserit ab *Ophir* filio Heber. Genes. 10. v. 29.

Probatur primò, quia hæc classis soluebat ex Asiongaber sita in mari rubro, siue in sinu Arabico: ex hoc autem facilis, directa & vicina est nauigatio per promontorium Comorinense in Sumatram & Taprobanam, vtpote directè ei obiacentem, vt patet ex tabulis Cosmographicis: longissima verò, & planè periculosa & anfractuosa fuisset nauigatio ex mari rubro in Peru: oportuisset enim vel per Orientem gyrare totam Indiam Orientalem, Malacam, Iapones & Sinas, ibique reflectere iter in Americam; vel certè per Occidentem circumnauigare Promontorium bonæ spei totamque Africam ac Oceanum vastissimum, inde per Brasiliam, Patagones, Chili & fretum Magellanicum tendere in Peru: longè autem facilior & vicinior in Peru fuisset nauigatio ex Ioppe & Tyro, putà ex mari mediterraneo, vti hodie est ex Hispali in Hispania.

Secundò. Secundò, quia tunc incognitus erat vsus magneris: quare suos cursus nauigantes metiebantur polo & stellis polaribus: vnde littora vicina legebant, nec audebant transire Gades (vbi Hercules suas columnas, quasi nauigationis terminum, quem nemo transire auderet, fixit) multò minùs lineam æquinoctialem. Hinc Gades habitæ sunt extremus tertæ terminus, ipsis etiam Tyriis, vti testatur Strabo lib. 3. Diodor. lib. 5. Paterculus lib. 1. Vnde vetus Prouerbium: *Ad Gades.* Apud Petr. Apianum t. Antiq. extat hoc Gadibus monumentum: *Heliodorus insanus Carthaginensis ad extremum orbis sarcophago testamento, me hîc condi iussi, vt viderem si quis me vnquam insanior, ad me visendum ad hæc vsque loca penetrauerit.*

Tertiò. Tertiò, si India Occidentalis, & nauigatio in eam à Salomone fuisset reperta & trita, vtique mansisset eius memoria & continuatio: auri enim cupido ad eam omnes excitasset. Iam autem nulla eius extat memoria, imò ante Americum Vespucium (vnde dicta est America) terra illa ab omnibus habita fuit vt noua & incognita. Accedit, quòd ex sinu Arabico siue mari rubro, crebra tum erat Tyriorum aliorumque in Indiam Orientalem nauigatio, vti ex priscis auctoribus ostendit Pineda.

Quartò. Quartò, quia Sumatra, Taprobana & loca vicina abundant auro præstanti, gemmis, lignis thyinis, ebore, aliisque rebus pretiosis, quæ in Ophir & Tharsis esse dicuntur c. 10. v. 11. & 22. cùm Peru careat lignis thyinis, simiis, pauonibus, ebore & elephantis, teste Iosepho Acosta loco citato, qui in Peru vixit per 15. annos. Accedit, quòd Maffæus lib. 16. hist. Indic. scribat Pegusios ex maiorum traditione stirpem suam referre ad Iudæos exules, à Salomone damnatos ad aurifodinas Ophiritas, missosque ad aurum in Pegu, locisque vicinis effodiendum. Porrò ab Ophir aurum præstans vocatur Ophirisum, indeque obrizum, ait S. Hieron. loco citato.

Quintò. Quintò, Ophir dicta est ab Ophir filio Iectan, & nepote Heber. Porrò frater Ophir dictus est Heuila, amboque incoluerunt Indiæ & plagæ Orientalis regiones ad Gangem fluuium, quæ ipsorum nominibus appellatæ, fuere auri & gemmarum feracissimæ.

Hinc patet responsio ad argumenta prioris sententiæ. Adde, Ophir nomine suo non tam ad Peru alludere quàm ad Africam, quasi Africa sit Ophirica, siue Africa. Nam in Ophir prima littera est Aleph, quæ est in Africa. Vnde Septuag. & Ioseph. pro *Ophir* vertunt, *Sophir* vel *Sofira*, quam nonnulli putant esse Sofalam, quæ est Africæ regio, per quam è mari rubro venientes nauigant in Sumatram ceteramque Indiam Orientalem. De auro *Peruaim* dicam 2. Paral. 3. 7. Denique nomen Peru fuit incognitum, imò etiamnum Peruanis ignotum est: Hispani enim nuper illud isti regioni indiderunt à flumine quodam ibidem sito, cui nomen est Peru, teste Acosta & aliis.

Denique cur Salomon rex sapientissimus, relictis opibus Indiæ Orientalis sibi vicinæ, iisque præstantissimis, quæsiuisset eas in India Occidentali remotissima, vbi nauigatio erat periculosissima? Si quis tamen omninò velit Ophir esse Peru, dicat partem huius classis nauigasse in Peru, aliam in Sumatram & Indiam Orientalem, sicut nunc ex diuisione Pontificis Alexandri VI. Lusitani nauigant in Indiam Orientalem, Hispani eis vicini in Occidentalem. Plura de Ophir vide apud Pinedam lib. 4. de Rebus Salomonis c. 16.

AVRVM QVADRINGENTORVM VIGINTI TALENTORVM] supplet liber 2. Paral. c. 8. 18. more suo, numeratque 450. talenta. Mysticè, Salomon hac nauigatione repræsentauit, imò viam aperuit Hispanis & Lusitanis in Indiam, tum vt aurum, tum potiùs vt Indorum animas omni auro pretiosiores Christo, qui verùs est Salomon, acquireret.

CA-

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba visit Salomonem, eiusq; sapientiam & magnificentiam admiratur. Mox v. 14. recensentur Salomonis annui redditus & opes, ac v. 18. thronus eburneus, v. 22. classis in Tharsis, atque v. 26. equites & equitatus.

1. Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. 2. Et ingressa Ierusalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, & locuta est ei vniuersa quæ habebat in corde suo. 3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, & non responderet ei. 4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, 5. & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltrà spiritum, 6. dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audiui in terra mea, 7. super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. 8. Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. 9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium & iustitiam. 10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata vltrà aromata tam multa, quàm ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 11. (Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas. 12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & cytharas lyrasque cantoribus: non sunt allata huiusce modi ligna thyina, neque visa vsquè in præsentem diem.) 13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit & petiuit ab eo: exceptis his, quæ vltrò obtulerat ei munere regio. Quæ reuersa est, & abiit in terram suam cum seruis suis. 14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri: 15. excepto eo, quod afferebant viri qui super vectigalia erant, & negotiatores, vniuersique scruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducesque terræ. 16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius. 17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani. 18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis, 19. qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus, singulas. 20. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in vniuersis regnis. 21. Sed & omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & vniuersa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, 22. quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pauos. 23. Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, diuitiis, & sapientia. 24. Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. 25. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos, per annos singulos. 26. Congregauitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & disposuit eos per ciuitates munitas, & cum rege in Ierusalem. 27. Fecitque vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus. 28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. 29. Negotiatores enim regis emebant de Coa, & statuto pretio perducebant. 30. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hebræorum & Syriæ equos venumdabant.

VERS. 1. SED ET REGINA SABA, AVDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI (hoc est, auditâ famâ de mira Salomonis sapientiâ illiâ Deo indita, deque eius stupendis fabricis & operibus quæ faciebat *in nomine*, id est ope & virtute *Domini*: nam *τὸ in nomine Domini*, referendum ad *fama*, non ad *venit*, vt patet ex Hebræo) VENIT TENTARE EVM IN ÆNIGMATIBVS] vt per ænigmata obscura & intricata probaret eius sapientiam.

Regina Saba cuias?

Quæres, cuias erat, & ex qua regione venit hæc regina?

Duplex Saba.

Nota, ex S. Hieron. in Tradit. in Genes. duplex est Saba, vna est ciuitas Arabiæ Felicis, & tum scribitur per litteram *schin*, vnde eius incolæ dicti sunt *Sabæi* (iuxta illud:

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi)

à *Saba* filio Regma eius fundatore. Genes. 10. 7. Altera Saba est in Aethiopia, quæ scribitur per litteram *samech*, vel ei æquipollentem *sin*, fundata & appellata à Saba filio Chus, Genes. 10. 7. ex quo orti videntur Abyssini, quorum rex est Preto-Iohannes. Hæc fuit Æthiopiæ metropolis, & postea à Cambyse nomine sororis suæ vocata est Meroë, teste Iosepho lib. 2. Antiq. c. 10. & Strabone lib. 16. & 17. Vtriusque fit mentio Psalm. 71. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Heb enim est *Reges* שְׁבָא *Saba* (id est Arabiæ) & סְבָא *Seba* (id est Aethiopiæ) *dona offerent.*

Iam nonnulli censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Arabia Felice: hæc enim abundat thure & aromatibus; & quia *Saba* hîc scribitur per *schin*, ita censent Caietanus, Eugubinus, Pererius, Gagneius, Baronius, Suarez & alij, quos citat & sequitur Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. n. 5. & 6.

Venit ex Aethiopia.

Alij verò passim censent reginam hanc venisse ex Saba, quæ est in Æthiopia.

Probatur primò,

Probant primò, quia regina hæc venit ex finibus terræ, vt ait Christus Matth. 12. 42. ergo non venit ex Arabia: hæc enim vicina est Iudææ; sed ex Æthiopia quæ longissimè ab ea distat.

Secundò,

Secundò, quia Æthiopia præ Arabia auro abundat, aliudque nihil ferè quàm aurum mercatui exponit, ait Genebr. in Psalm. 71.

Tertiò,

Eadem thurifera & aromatica est. Tertiò, quòd in Æthiopia fœminæ dominari soleant, vnde eius reginæ communi nomine vocabantur *Candaces*, vt patet Actor. 8. & ex Plinio lib. 6.

Quartò,

29. Quartò, quòd illa sit apud Æthiopes, siue Abyssinos, continua & constans traditio, de qua mox plura. Rursùm, quòd regina hæc à Christo vocetur *regina Austri*. Æthiopia autem Iudææ est ad Austrum, cùm Arabia potiùs sit ei ad Orientem. Adhæc, cùm vocatur *regina Austri*, viderur latissimè per totam quasi Meridionalem plagam regnasse, qualis est vasta Æthiopia, non parua Arabia.

Quintò,

Quintò, quia ab hac regina Æthiopes acceperunt Circumcisionem à Salomone, ac cognitionem S. Script. cultumque veri Dei Israelis; vnde Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum in curru veniens Hierosolymam Deũ adoraturus, legebat Isaiã Prophetam, quando ad eum accessit Philippus, eumque in fide Christi instruxit. Actor. 8. Hic enim primus è Gentibus factus est Christianus, & Christi fidem in Æthiopia propagauit. Vnde de eo cecinit Psaltes: *Aethiopiæ præueniet manus eius Deo*, Psalm. 67. 32. Atque huius rei typus fuit hæc regina: sicut enim ipsa prima ex longinqua regione venit ad Salomonem, vt eius sapientiam audiret: sic & Æthiopia prima venit ad Christi fidem & cultum. Ita censent hoc loco Iosephus, Rabanus, Abul. Hugo, Dionys. item Maldon. Toletus, Iansen. Baradius, Franc. Lucas in Matth. 12. S. Hieron. in Isaiæ 43. Origen. hom. 2. in Cant. S. Augustin. Serm. 152. de Temp. ait, *venisse à partibus Aethiopiæ*, Nazianz. orat. 40. appellans *Aethiopum reginam*, Nyssenus hom. 7. in Cantica, vocans *Aethiopissam, dicensq; eam transmisisse magnum quod intercedebat spatium; vt ad Salomonem accederet.*

Dices, Saba hîc scribitur per *schin*; ergo notat eam quæ est in Arabia. Resp. Rabbinos malè hîc posuisse punctum in dextro cornu, itaque fecisse *schin*, cùm ponendum esset in sinistro, legendumque *sin*.

Porrò, Regina hæc à Iosepho vocatur *Nicaule*, à Rabbinis in libro Iuchasin *Nicolaa*, à Damiano Goës in legatione Æthiop. *Maqueda*. Addit Iosephus ab hac regina fuisse in Iudæam primùm allatam opobalsami radicem, quod tamen verisimile haud videri, alibi dicetur: Addit Glycas eam fuisse Sibyllam, & de dignoscendis puellorum & puellarum faciebus ænigma proposuisse.

Fabulantur nonnulli reginam hanc prædixisse in Cedrone suspendendum (Christum) qui Salomone foret sapientior. Vide Gretserum lib. 1. de Cruce c. 4.

Causa aduentus eius fuit, vt audiret discerետque sapientiam Salomonis, vt ait Christus Matth. 12. 42. Hinc sapienter S. Bernard. scribens ad Hierosolymæ reginam epist. 189. ipsi reginam hanc imitandam proponit: *Regina Austri*, ait, *venit audire sapientiam Salomonis, vt regi discceret & sic regeret: alioqui bene non regis, si bene non regeris.* Vnde Cassiodorus lib. 10. Epist. vlt. Amalesuentham (id est cæli filiam) Gothorum reginam, sapientia & pietate insignem comparat cum regina Saba.

Allegor. Sicut regina Saba ex Æthiopia venit ad Salomonem, vt ab eo disceret sapientiam; sic Ecclesia è Gentibus venit ad Christum, vt hauriret scientiam salutis, ita Eucherius, Angelomus, Beda & S. Bern. serm. 22. in Cant. S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 10. S. Gregor. in Psal. 7. pœnit. v. 7. Prosper lib. 2. de Prædict. c. 27. Idem satis insinuat Christus dicens Matth. 12. *Regina Austri venit à finibus terræ audire sapien-*

pientiam Salomonis; & ecce plusquàm Salomon hic. A Vide præ ceteris Eucherium lib. 3. in libros Regum ante finem. Imò Hebræi in *Bereſcit Rabba*, id eſt, in Geneſi magna ad illud c. 25. 6. *Emiſit eos ad orientalem plagam*, cenſent reginam hanc veniſſe ad Salomonem, eò quòd ex fama tantæ ſapientiæ & virtutum eiuſdem, ſuſpicaretur ipſum eſſe Meſſiam ſiue Chriſtum, idque ſignificare τὸ *In nomine Dei venit*, &c. ita refert Galatinus lib. 8. c. 3.

VERS. 5. NON HABEBAT VLTRA SPIRITVM] q. d. Extra ſe rapta eſt præ admiratione & ſtupore, ait Vatab. Allegor. S. Gregor. in Pſalm. 7. pœnit. v. 7. per reginâ hanc accipiens Eccleſiam: *Electorum Eccleſia*, inquit, *de Gentibus congregata, cognitâ Chriſti gratiâ & Euangelicæ doctrinæ inuentis magiſtris, abiecto ſuperbiæ ſpiritu, omniq; elationis faſtu depoſito, didicit de ſeipſa diffidere, & in regis ſui miſericordia magna ſperare.*

VERS. 8. BEATI VIRI TVI, ET BEATI SERVI TVI, QVI STANT CORAM TE SEMPER, ET AVDIVNT SAPIENTIAM TVAM] Id verius eſt in Chriſto Salomonis antitypo, vti docet ipſe Lucæ 11. 31. Anagog. id veriſſimum erit in cælo, vbi *videbimus Deum deorum in Sion*, & *non habebimus vltrà ſpiritum* præ admiratione gloriæ, *quam oculus non vidit, nec auru audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* ita Angelom. *Et reuera*, ait Eucher. *id quod parat Deus diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non attingitur, caritate non capitur, deſideria & vota tranſgreditur; acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. Videbit homo merita ſua inſuſpicabili retributionum largitate ſuccreſcere; habebit de perceptione fructum, non habebit de ſatietate faſtidium.*

VERS. 11. ATTVLIT EX OPHIR LIGNA THYINA] Hebr. *Almugim*, vel *algumim*, de quibus dixi Apoc. 18. 12. Chald. vertit, *ligna coraliorum*, quæ ſub aquis ſpeciem habent ligni tamquam frutices, ſed cùm ad aërem educuntur, dureſcunt in lapidem. Vatab. vertit, *lignum Braſilicum*; alij, *Ebenum*; Septuag. vertunt, ξυλα κηρωτα, id eſt *dolata*. Angelomus, *Thyina ligna*, ait, *ſunt imputribilia, & ſpinoſa in ſimilitudinem albæ ſpinæ.* Noſter & Septuag. *pinea* vertunt 2. Paral. 2. 8. Hîc Noſter vertit, *thyina*, quia hæc ignota ligna, quæ Hebr. vocantur *almugim*, ſimilia erant lignis ex *thyia* arbore, de qua ſic ſcribit Plin. lib. 3. 16. *Theophraſtus qui primus à Magni Alexandri ætate ſcribit, quæ circa Vrbis Romæ quadringenteſimum quadrageſimum geſta ſunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas referens ex ea templorum veterum contignationes.* Tranſuerſas intelligit trabes, qualia etiam fulcra domus Domini explicantur; ex quo valde proceram fuiſſe arborem liquet. Additque: *quandamq; immortalitatem materiæ in rectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera.* ita Plinius ex Theophr. vnde rectè colligas inſtrumenta muſica ex hac arbore confecta. Theophraſtus autem ipſe ait hanc arborem in Ægypto naſci circa Ammonis delubrum, & in Cyrenæa regione, cupreſſo ſimilem ramis & foliis & trunco & fructu, maximè verò ſicut cupreſſum ſylueſtrem. Ita Theophr. lib. 5. c. 5.

Porrò, 2. Paral. 2. 8. adduntur à Noſtro & Septuag. *ligna arcuthina*, id eſt *iuniperina*; recentiores *abiegna*: ברוש *beros* enim eſt *abies*: quia Hebræa nomina multis rebus competunt, pluresque res ſignificant.

FECITQVE REX DE LIGNIS THYINIS FVLCRA DOMVS DOMINI] Per *fulcra* intellige trabes. Additur 2. Paral. 9. 11. ex iiſdem thyinis Salomonem feciſſe gradus in domo Domini. VERS. 11

QVÆ REVERSA EST] Poſtquàm omnia Salomonis facta dictaque luſtraſſet, ideoque multos menſes, vel annum, vt volunt nonnulli, cum eo manſit; familiariter & crebrò cum eo agens & colloquens, imò vt multi tradunt, ex eo concipiens filium. A deò enim indubitatum eſt apud Æthiopes, quòd eorum Imperatores originem ducant à Salomone, & regina Saba, vt res ſit apud eos ſine controuerſia, de qua omnes eorum libri pleni inueniuntur. Et propterea Imperatores eorum *Iſraelitæ* dicuntur, eoque nomine gloriantur. Et ne aliquan- B do regnum ad alios hereditate peruenire poſſit, in monte Guixên Ambâ aſſeruari ſolent filij Imperatorum, vt deficiente prole maſcula, quæ imperatori præſenti ſuccedat, inde Imperatorem accipere poſſint. VERS. 12 *Prætendunt filium Salomonis.*

Hiſtoriam verò Reginæ Saba, & qua ratione prolem ſuſceperit à Salomone, ita narrant antiquiſſimi libri, qui in Eccleſia *Agſum* aſſeruantur. Narrauerat mercator quidam Tamerin nomine, reuerſus ab Hieroſolymis, reginæ Saba quam viderat & audierat Salomonis gloriam & ſapientiam: illa verò tanto regem viſendi ſtudio exarſit, vt ſtatim de capeſſenda via agere cœperit, tandemque patriam ac regnum relinquens, Hieroſolymam profecta eſt magno ſuorum procerum comitatu & pompa verè regia ſtipata, adeò vt vel in ipſis Hieroſolymis admirationi fuerit. Ibi à Salomone magnificentiſſimè excepta, poſt ſeptẽ menſes edocta iam de vero vnius Dei cultu, & de iis omnibus quæ ſcire optarat, cùm regreſſum ad patriam & regnum pararet, à Salomone ad cœnam lautiſſimam inuitata in eius palatio pernoctauit, & à Salomone prolem concepit, quam poſteà tranſactis nouem menſibus & quinque diebus in lucem edidit, cùm iam regni ſui fines ingrederetur.

Filius ex ea natus in libris qui aſſeruantur in Eccleſia *Agſum* plura habet nomina, nimirum *Bainelehequêm, Ebnaalehaquêm, Ebnehaquem, Menilehec*, quod vltimum nomen frequentiùs auditur vulgò inter Æthiopes. Et idem valet in lingua antiqua atque, *aſſimilatur illi*: reliqua nomina idem valent ac, *filius ſapientis*. Is grandior factus mittem de patre ſuo ſæpiùs interrogauit, tandemque annum 22. agens re cognita, ab ea precibus impetrauit ad Salomonem eundi facultatem, ductuſque à mercatore illo Tamerîn, cum magno comitatu & apparatu Hieroſolymam peruenit, ibique à patre exceptus, cognitus eſt eſſe eius filius. D

Cùm ad matrem redire vellet, iuſſit eum Salomon in regem Æthiopiæ ſolitis inſignibus ritè inaugurari, ac proinde introductus in templum per Sadoc & Ioas ſacerdotes, vnctuſque eſt manu propria filij principis Salomonis, vocatuſque fuit *Dauid* nomine aui ſui, & acclamante vniuerſo populo: *Viuat rex*, ductus eſt per ciuitatem mula regia vectus. Poſt hæc diſceſſit ad matrem cumulatus muneribus à patre acceptis,

acceptis, ſecumque filium ſacerdotis Sadoc, A Zachariam nomine, duxit: in domum ſuam introduxit ea omnia officia, quæ in domo Salomonis in vſu erant, quorum aliqua ij Imperatores adhuc retinent.

Fingunt Æthiopes ſecum aſportaſſe cum Zacharia prædicto ipſam quoque arcam Domini, quam ipſi *Sionem* vocant; niſi dicas, arcam aliam ſimilem illi Moyſaicæ & Salomonicæ fabricatam, eique datam fuiſſe.

Exceptus à matre in regem euectus fuit, & inde mos introductus creandi in regem filios regis, cùm anteà non niſi virgines, quæ ſemper innuptæ remanerent, reginæ creari ſolerent, qualis poſt Chriſtum fuit Candaces regina, Actor. 8. 27.

Hæc omnia tradit P. Emmanuel Paz è Societate noſtra, qui multos annos in Æthiopia vixit, adeoque nuper eius Imperatorem ad or- B thodoxam fidem conuertit, in Hiſtoria Æthiopiæ, quam diligenter & exactè conſcripſit, qui & addit reginam Saba natam in regno Tigri, quod in Abyſſia eſt primarium, eamque vocari reginam *Meridiei*. Habui hiſtoriam hanc eius manu ſcriptam Romæ à R. P. Aſſiſtente Luſitaniæ.

Eadem tradunt rerum Æthiopicarũ hiſtorici, vt Damianus Goes, Victorius, Franc. Aluares, Barrius, Abrahamus Ortelius, ac Genebrar. in Chronol. anno mundi 3150. & Maluenda de Antichriſto l. 5. c. 13. eſto illa fabuloſa æſtiment Thomas Bozius lib. 21. de Signis Eccleſiæ c. 1. & Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis c. 14. n. 46. Fieri poteſt, vt Æthiopes hiſtoriæ huic plura addiderint fabuloſa, ſed tamen rem ipſam ſcilicet Abyſſinos Imper. oriundos eſſe à Salomone & regina Saba, tot ſæculorum traditione continua apud Æthiopes receptam certamque, C vti mihi Romæ afferuêre Abyſſini ſacerdotes orthodoxi, durum eſt negare, præſertim cùm Salomon trecentas habuerit concubinas, & ſeptingentas vxores, quibus, ſi vna hæc regina Saba inferatur vel addatur, quid erit incommodi: potuit enim eam vti ceteras vxorem ducere, vt per eam, eiuſque & ſuos poſteros fidem cultumque vnius veri Dei apud Æthiopes induceret & firmaret; per filium enim ſpurium id ritè & efficaciter fieri nõ poterat. Fauet quòd Imperatori Abyſſinæ pro ſtemmate ſit, *leo ſtans & manu tenens erectam crucem*: leo enim fuit ſtemma Dauidis & tribus Iuda Geneſ. 49. 9. crux eſt ſtemma Chriſti & Chriſtianorum. Denique Pretoianes, ſiue Abyſſinus Imperator, hos ſibi vſurpat titulos, quos ex priſcis Æthiopum monumentis recenſet Ortelius in Theatro tabula 68. ſuntque hi:

Tituli Imperiales.

Dauid ſupremus meorum regnorum, à Deo vnicè D *dilectus,*
Columna fidei, ortus ex ſtirpe Iudæ,
Filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sionis,
Filius ex femine Iacob, filius magnus Mariæ,
Filius Nahu ſecundùm carnem,
Filius Sanctorum Petri & Pauli ſecundùm gratiã,
Imperator ſuperiorũ & maioris Aethiopiæ,
Et ampliſſimarum iuriſdictionum & terrarum;
Rex Goæ, Caffates, Fatigar, Angotæ, Baru;
Baliguanzæ, Adeæ, Vanguæ, Goiamæ,
Cornel. in lib. Regum.

Vbi Nili fontes, Amaræ, Baguaimedri, Anibiæ, Vaguncî,
Tigremahon, Sabaim patriæ reginæ Sabæ,
Barnagaſſi; & dominus vſque in Nubiam,
quæ in Ægyptum extenditur.

Denique à Salomone per reginam Saba Abyſſini acceperunt circumciſionem alioſque Iudaicos ritus, quam etiamnum vnà cùm Baptiſmo vſurpant.

Fauet tempus: nam venit regina Saba ad Salomonem anno regni eius 24. vt patet v. 10. cùm Salomon iam in mulieres pronus, vxores ſibi multiplicaret, ac videret reginam hanc tot naturæ dotibus inſtructam ad Iudaiſmum conuerſam, optare illi connubio iungi, vt ex eo prolem honoratam, ſapientem & fidelem conciperet: ſicut de illa Thaleſtri Amazonum regina ſcribit Iuſtinus lib. 12. occurriſſe Alexandro cum trecentis millibus mulierum, viginti quinque dierum inter infeſtiſſimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quæſituram: poſt triginta igitur dies vtero pleno diſceſſiſſe.

ERAT AVTEM PONDVS AVRI, QVOD AFFEREBATVR SALOMONI (ex Ophir, Tharſis & aliunde quàm extributis, hæc enim mox excipiuntur) PER ANNOS SINGVLOS SEXCENTORVM SEXAGINTA SEX TALENTORVM AVRI] quæ faciunt octo milliones aureorũ coronatorũ Francicorũ, exceptis octo eorundẽ millibus. iam octo milliones coronatorũ Franc. faciunt 24. million. florenorũ Belgicorũ; vnus enim coronatus Francicus valet tres florenos Brabãticos, ſiue Belgicos: licet enim initio ex Ophir tantùm allata ſint Salomoni 420. talenta, vt dictum eſt c. 9. 28. tamen paulatim creſcente cura, & numero foſſorum, plura allata fuêre. Imò Vilalpan. tom. 2. lib. 5. c. 46. & Pineda lib. 4. c. 6. in fine, cenſent pro immenſis ſumptibus fabricæ templi, palatiorum & vrbium Salomonem triplicem miſiſſe claſſem, quarum ſingulæ tertio quoque anno redirent confecto curſu; ſingulis tamen annis vna rediret, & primam quidem claſſem quadringenta & viginti auri talenta deuexiſſe, alteram quadringenta quinquaginta, tertiam verò creſcente hominum induſtria, & foſſorum multitudine, auri cupiditate etiam, ſexcenta & plura talenta reportaſſe, vt hîc dicitur: nam 450. talẽtorum ſecundæ claſſis mentio eſt 2. Paral. 8. 18. ſicut 420. talenta primæ claſſi aſſignantur 3. Reg. 9. 28. Fauet Anaſtaſius Sinaita lib. 10. Hexam. dicens claſſem Salomonis ſingulis annis rediiſſe ex Tharſis. VERS. 14.

EXCEPTO EO QVOD AFFEREBANT VIRI QVI SVPER VECTIGALIA ERANT] Septuag. *Abſque tributis ſubditorum & mercatorum, qui negotiabantur.* Hinc patet tributa & vectigalia Salomonis excludi à ſexcentis ſexaginta ſex talentis iam dictis; ideoque illa ei allata fuiſſe ex Ophir & Tharſis, &c. ita Salianus. Porrò tributa hæc ingentia erant, adeò vt propter ea populus cõtra Roboã rebellarit, vt audiemus c. 12. VERS. 15.

ET NEGOTIATORES] quos Salomon miſit ad emendum & comparandum aurum, vel qui partem auri à ſe comparati Salomoni pendebant pro tributo.

ET SCRVTA (ita legendum cum Roman. non *ſcuta*, vti legunt Lyran. Abul. Hugo & alij)

VENDENTES] qui ſcilicet non tantùm res veteres, ſed & nouas minutim per vlnas & libras diuendebant, quos Galli *les merciers*, id eſt merciarios voeant, qui merces quaſcumque particulatim diſtrahunt. Hebr. eſt, *ex negotiatione aromatariorum*, q. d. Salomon ex minimis etiam mercibus & inſtitoribus, quales ſunt aromatarij, colligebat tributum. Nam vt aiebat Veſpaſian. Imper. *Lucrum ex qualibet re licet ſordida bene olet*, quia *dulcis odor lucri*.

ET OMNES REGES ARABIÆ DVCESQVE TERRÆ] id eſt *ſatrapæ terrarum*, vt dicitur 2. Paral. 9. 14. putà Principes & præfecti terrarum Iudææ vicinarum.

Ex his omnibus patet, quantæ & quàm immenſæ fuerint opes Salomonis, Deus enim in ſinum eius aurum & argentum vndeq̃uaque congerere videbatur: & ipſe ſua ſapientia mille modos illud congerendi excogitabat. Vide Pinedam lib. 4. de Salomone c. 19. & Vilalpand. tom. 2. lib. 5. c. 44. vſque ad caput 54. vbi docet Salomonis opes maiores fuiſſe quàm fuerint Imperatorum Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, ceterorumq̃ omnium.

Hæc munera reges obtulerunt Salomoni ob eius diuinam ſapientiam & virtutem, optantes ab eo inſtrui & dirigi, imò ſe & ſua regna, ait Seuerus Sulpitius, Salomoni regenda offerebant; idq̃ue ſatis innuitur v. 23.

Salomon hîc fuit typus Chriſti, de quo cecinit Dauid Pſalm. 71. 9. *Coram illo procedent Aethiopes.* Et: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent; reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.*

VERS. 16. FECIT QVOQVE REX SALOMON DVCENTA SCVTA] lib. 2. Paral. cap. 9. v. 15. pro ſcutis ponuntur *haſtæ*, ſed haſtæ vocantur ſcuta acuminata inſtar haſtarum; ſic etiamnum ſunt clypei haſtati, id eſt vmbonem & cuſpidem habentes, tamq̃ue valent ad protegendum corpus, quàm ad hoſtem transfigendum. Idipſum oſtendit Vilalpandus pag. 527. ex Polybio qui ait, *vmbone poſſe auerti vehementiores hoſtium ictus*, & ex Suetonio, qui in Iulio Cæſare c. 68. ait eodem poſſe *impelli hoſtem*, imò *ſterni*, vt ait Liuius lib. 10. Et hoc ſignificat Hebr. צִנָּה *tſinna* à radice צָנַן *tſanan*, id eſt *acuere* & *eſſe acutum*. Vnde Noſter *tſinna*, nunc vertit *ſcutum*, nunc *haſtam*, nunc *loricam*, nunc *contum*. Sic & Septuag. Vide Pinedam lib. 5. Salom. c. 6. num. 1.

SEXCENTOS AVRI SICLOS DEDIT IN LAMINAS SCVTI VNIVS] Siclus eſt ſemuncia, ſexcenti ſicli ergo ſunt ſexcentæ ſemunciæ, quæ faciunt libras 25. Quare hæc ſcuta æquè ac peltæ non tam ad bellandum (quis enim miles cum armis ferret ſcutum 25. librarum?) quàm ad magnificentiam & oſtentationem fabricata ſunt. Vnde ea Salomon repoſuit in domo ſaltus Libani, vt ſequitur.

VERS. 17. TRECENTAS PELTAS] Scutum eſt clypeus magnus totum penè tegens hominem, *peltæ* eſt clypeus brevior, habens formam lunæ cornicularæ. Vnde Virgil. 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

TRECENTÆ MINÆ AVRI VNAM PELTAM VESTIEBANT] Mina Hebræa continet 60. ſiclos, id eſt 30. vncias, putà duas libras cum media: *trecentæ minæ auri* ergo faciunt libras 750.

Verùm quia hoc pondus in pelta videtur enorme, hinc nonnulli per *minam* hîc intelligunt ſiclum, cuius mentio facta eſt v. præced. nam hoc verſu in Hebr. ſimilis prorſus eſt ſermo: ſicut enim ibi dixit quodlibet ſcutum fuiſſe ſexcentorum aureorum, ſcilicet ſiclorum (pondus enim ſicli apud Hebræos erat vſitatiſſimũ) ſic hîc ait quamlibet peltam fuiſſe trecentorum aureorum, ſcilicet ſiclorum. Sic & Ioſephus *minam* pro ſiclo vſurpat, cùm ait Ioſephum à fratribus venditum viginti minis, hoc eſt ſiclis argenti. Hinc Sept. & Chald. pro *trecentis ſiclis*, vertunt, *tres minæ* (vnde ſuſpicari quis poſſet, Noſtrũ qui ſequi ſolet Sept. vertiſſe *tres* non *triginta*) porrò mina Romana æquè ac Attica continebat ſiclos 25. hoc eſt 100. drachmas, putà centum aureos. Aureus enim habet pondus vnius drachmæ: quare tres minæ Atticæ pendent valentq̃ue trecentos aureos. Meliùs, vt dixi, per trecentos aureos, intelligas ſiclos, quorum quiſque pendebat, & valebat quatuor drachmas, hoc eſt quatuor aureos.

FECIT ETIAM REX SALOMON THRONVM DE EBORE GRANDEM, ET VESTIVIT EVM AVRO FVLVO NIMIS] tum vt in eo quaſi rex magnificè, velut in ſolio regali conſideret; tum vt in eo ſuorum lites cauſaſq̃ue quaſi iudex decideret (iudicum enim eſt ſedere in ſoliis) vt omnibus eum videre, audire & conſulere cupientibus, aures & reſponſa daret.

Allegor. Salomon hîc repræſentauit poteſtatem iudiciariam datam à Deo Chriſto, quà homo eſt, eiuſq̃ue ſolium gloriоſum, in quo reſidebit in die iudicij, iudicabitq̃ue *omnes tribus terræ*. ita Rupert. Eucher. & Angelom. Audi Eucherium: *Thronus eburneus æterni iudicij poteſtatem auro diuinitatis fulgentem, quam Dominicus homo à Patre accepit, figuram geſtaſſe non dubium eſt. Sex gradus huius throni omnem creaturam viſibilem & inuiſibilem, quæ ſex diebus facta eſt, & Chriſto Domino à Patre ſubiecta, typicè demonſtrabant. Quòd autem ipſe thronus in poſteriore ſui parte rotundus eſſe deſcribitur, hoc procul dubio datur intelligi, quia præſens mundus, qui per metas temporum voluitur, in ſua extremitate à Domino ſit iudicandus. At verò duodecim leunculi per ſex gradus bini ſtantes, ſanctorum Apoſtolorum liniabant poteſtatem, quibus dictum eſt à Domino: Sedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Symbol. thronus hic ſignificat B. Virginem, ex qua verus Salomon, putà æterna Dei Sapientia, carnem aſſumpſit, in eaq̃ue quaſi in throno ſuo ebore puriore, leonibus fortiore, & auro per charitatem fulgentiore ad nouem menſes conſedit: vnde ipſa ab Eccleſia in litaniis vocatur & inuocatur *thronus Salomonis*. ita Lyran. hîc. B. Petrus Damiani egregium ſermonem de hoc throno Salomonis habuit in Natiuit. B. Virginis, vbi illum Virgini elegantер accommodat & ſubiicit: *Fecit*, inquit, *thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo ſedit illa Maieſtas. Hanc ſeſſionem filij & probauit & cognouit Pater, ipſo dicente: Tu cognouiſti ſeſſionem meam.* Et: *Thronus tuus Deus in ſeculum ſæculi.* Et: *Thronus iſte ſicut ſol in conſpectu tuo.* Et poſt pauca: *Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius. Et ex throno*, inquit, *hoc eſt ex Virgine laus Angelorum prorumpit & hominum, quia dum hic reſtituitur, illeq̃ reſarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem. Noſti quidnam dicat qui ſedet in throno? Ecce noua facio omnia. Felix thronus in quo ſedit dominator dominus, in quo, & per quem non ſolùm omnes, ſed etiam omnia renouantur.* Et poſt nonnulla: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem ſummæ diuinitatis intra ſui ventris clauſit arcanum? Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis quidquid maius eſt, minus Virgine, ſolumq̃ opificem opus iſtud ſupergredi.* Vide pluta apud eumdem, vbi ſingula throni huius applicat B. Virgini.

VERS. 19. ET DVO LEONES STABANT] Leo enim erat inſigne tribus Iuda, Dauidis & Salomonis ob robur & regnum. Geneſ. 49. v. 5. ita & Chriſti eorum antitypi Apoc. c. 5. v. 5. Vide ibi dicta. Symbol. leo notat vigilantiam (leo enim apertis oculis dormit) & fortitudinem, quam debet habere rex & iudex, vt vires impiorum retundat & frangat. Vnde Eccleſ. c. 7. v. 6. *Noli*, inquit, *quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Vide ibi dicta.

VERS. 21. NON ERAT ARGENTVM, ſcilicet in vaſis & ſupellectile Salomonis, quia hæc tota erat ex auro: vel potiùs, *non erat*, ſcilicet in æſtimatione. Vnde explicans ſubdit: NEC ALICVIVS PRETII PVTABATVR] nam alioqui v. 22. addit ex Tharſis Salomoni allatum fuiſſe tam argentum, quàm aurum.

VERS. 22. QVIA CLASSIS REGIS PER MARE CVM CLASSE HIRAM SEMEL PER TRES ANNOS IBAT IN THARSIS, DEFERENS INDE AVRVM ET ARGENTVM, ET DENTES ELEPHANTORVM (ebur) ET SIMIAS ET PAVOS.]

Quæres, an hæc claſſis Salomonis navigans in Tharſis ſit eadem cum claſſe navigante in Ophir, de qua v. 11. Putant nonnulli fuiſſe vnam eamdemq̃ue, *Ophir* enim & *Tharſis* vocari immenſum mare, vaſtiſſimas regiones & valdè peregrinas, qualis eſt India ſiue Orientalis ſiue Occidentalis, ita Ioſephus Acoſta lib. 1. de Nouo orbe cap. 14. & alij. Hi ergo per *Ophir* & *Tharſis* accipiunt mare Indicum, eiuſq̃ue emporia ad quæ navigarit claſſis Salomonis ſoluens ex Aſiongaber ſita in mari Rubro, vti ex eadem ſoluens claſſis Ioſaphat navigauit in *Tharſis*, id eſt in Indiam Orientalem, vti dicitur 2. Paral. 20. 36. Idem inſinuat Ioſephus Hebræus.

Planiùs alij cenſent fuiſſe duas claſſes: nam illa ibat in *Ophir*, hæc in *Tharſis*: illa ex Ophir afferebat aurum Ophiritnum & ligna thyina; hæc ex Tharſis aurum, argentum, ebur, ſimias & pauos: illa quotannis ibat in Ophir, vt patet v. 14. hæc ſemel in triennio ibat in Tharſis, vt hîc dicitur: illa ſoluebat ex Aſiongaber ſita in ſinu Arabico, hæc ex Ioppe ſita ad mare Mediterraneum. Quare per *Tharſis* accipe hîc mare Mediterraneum. Tharſis enim fuit filius Iauan, Geneſ. 10. 4. qui primus poſt diluuium incoluit Ciliciam, cuius metropolis eſt *Tharſus*; inde mare vicinum, & tandem reliquum mare Mediterraneum dictum eſt *Tharſis*: Cilices enim olim hoc toto ferè dominabantur. Sic Ionas cap. 1. v. 3. *fugit in Tharſis*, id eſt in mare Mediterraneum. ita Ribera ibidem, Salianus & alij.

Tharſis an ſit Ophir?

Hæc ergo claſſis ſoluens ex Tyro, vel ex Ioppe, navigabat *in Tharſis*, id eſt in vicinum ſibi mare Mediterraneum, variaq̃ue littora, portus & emporia tum Africæ, tum Europæ, tum Aſiæ, vt Arabiæ, Aſiatoliæ, Græciæ, Dalmatiæ, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Mauritaniæ, Cypri, Cretæ, Siciliæ, Sardiniæ, Cycladum, &c. mari huic adiacentia obibat, & quidquid alicubi præclarum pretioſumq̃ue erat, pro Salomone coëmebat. Quare multis ſtationibus vſa, non niſi tertio anno, vt ait Ioſephus, domum redibat. Quòd ſi quis velit eam ex mari Mediterraneo vlteriùs perrexiſſe in Oceanum, & nauigaſſe in Braſiliam, Peru & Mexico, vti modò faciunt Hiſpani, non repugnabo, ac faciliùs id conceſſerim de hac claſſe, quàm de altera nauigante in Ophir, hæc enim triennium impendebat in itu & reditu, illa verò in Ophir vnum annum dumtaxat.

Ruſp. Argentin.

Porrò, noua eſt opinio Pinedæ lib. 4. de Salomone cap. 14. vbi multis argumentis probare contendit *Tharſis* eſſe Tarteſſum, & Hiſpaniam Bæticam, vbi eſt ſita Hiſpalis, vulgò *Seuille*, quæ olim auro abundabat, vt patriæ ſuæ hoc decus Salomonicæ claſſis arroget. Cenſet ergo ipſe vnam dumtaxat eamdemq̃ue fuiſſe Salomonis claſſem, quæ ex Aſiongaber ſita in ſinu Arabico, ſiue mari Rubro, ſoluens, primò nauigarit in Oceanum, acper promontorium bonæ ſpei omnia Africæ littora Gades vſq̃ue circumuecta, venerit *in Tharſis*, id eſt Tarteſſum & Hiſpalim; inde rediens, eadem Africæ littora relegens nauigarit in Indiam Orientalem, putà in Taprobanam & Sumatram, indeq̃ue tertio demum anno in portum Aſiongaber, ex quo ſoluerat, redierit.

An ſit Tarteſſus Hiſp.

Verum ſic prius debuiſſet hæc claſſis ex Tharſis redire in Aſiongaber, ibiq̃ue merces ſuas in Tharſis & Tarteſſo comparatas exponere, ac deinde in Ophir, id eſt in Sumatram navigare. Cur enim merces in Tharſis comparatas nouæ longæq̃ue nauigationis in Indiam & Sumatram periculo expoſuiſſet, cùm facilè eas exponere poſſet in Aſiongaber, quæ nauis ex Tharſis ſiue ex Tarteſſo rudentibus in Indiam neceſſariò præternauiganda erat? Sanè fuiſſet hæc periculoſa nimis, vt videtur, temeraria, & imprudens nauigatio, quâ tot pretioſæ merces credebantur naui & mari infido, cùm in portum vicinum ſecurè deponi poſſent.

FECITQVE VT TANTA ESSET ABVNDANTIA ARGENTI IN IERVSALEM, QVANTA ET LAPIDVM] Eſt Hyperbole, q. d. fecit vt maxima eſſet abundantia argenti, qualis eſt lapidum. Nam alioqui lapidum maior erat copia quàm argenti.

NEGOTIATORES ENIM REGIS EMEBANT VERS. 28.

(equos) DE COA, ET STATVTO PRETIO APERDVCEBANT] Pro, *de Coa*, Hebr. est מקוה quod Noster & Septuag. accipiunt, vt nomen propriũ loci punctantq́; & legunt מקוה *miccoa*, vertuntque, *de Coa*, licet in Septuag. corruptè legatur, *de Ecuc*, vel *Thecuc*. Videtur, *Coa* fuisse vrbs vel regio occidentalis Ægypti, in qua erat equorum negotiatio celeberrima, de qua Stephanus Byzantius. ita Serarius.

Chaldæus verò aliis punctis legens מקוה *micue*, vertit, *Collectio mercatorum regis emebant collectionem pretio*. Chaldæum secuti R. Dauid, R. Salomon, R. Ioseph, & R. Leui apud Pagnin. variè exponunt, sed omnium summa hæc est, multitudinem mercatorum dato pretio ex B Ægypto eduxisse multitudinem vel byssi, vel telæ, vel equorum, vel aliarum rerum. Sed standum est versioni S. Hieron. & Septuag. Nonnulli putarunt *Coam* esse Goam, quæ est sedes proregis regis Lusitaniæ in India Orientali; sed hæc longissimè abest ab Ægypto & Ierosolymis.

Porrò dignitatem & magnificentiam regis maximè consistere in satellitum, equitum, curruum numero & pompa, ex Athenæo, Ælianо, Xenophonte & aliis docet Brissonius lib. 1. de Regno Persarum. Vnde Iulianus Apostata *cùm remouisset fastum palatij, contemptibile reddidit imperium*, ait Socrates lib. 3. Histor. c. 1. & Cassiodor. lib. 6 Tripart. c. 1. sed hac in re, vti & in aliis omnibus, modus seruandus est.

VERS. 29. EGREDIEBATVR AVTEM QVADRIGA EX C ÆGYPTO SEXCENTIS SICLIS ARGENTI, ET EQVVS CENTVM QVINQVAGINTA] *Quadriga*, id est quatuor equi, qui currũ siue quadrigam trahunt. Quisque enim equus stabat 150. siclis: quatuor ergo equi stabant sexcentis siclis; quocirca ipse currus siue quadriga, alio pretio comparanda erat. ita Abul. Siclus argenti est semũncia, siue quatuor drachmæ argenti, puta quatuor Iulij Romani, siue quatuor regales Hispanici, qui faciunt florenum Brabanticum siue Belgicum. Sexcenti sicli igitur sunt sexcenti florenі Brabantici.

ATQVE IN HVNC MODVM CVNCTI REGES HETHÆORVM ET SYRIÆ EQVOS VENVMDABANT] Rectè vertit Noster Interpres. Nam articulus, *lamed* præfixus licet ordinatiè sit nota Datiui, tamen subinde est nota Ablatiui, idemque valet quod à ex de. Vnde sic ex Hebræo vertas, *Et sic de cunctis regibus Hethæorum & Syrorum per manus eorum exibant*, id est vendebantur Salomoni.

Porro Septuag. Chald. & Rabbini *lamed* accipientes vt notam Datiui, contrariè vertũt, *Sic* (600. siclis) *educebant ex Aegypto* equos *cunctis regibus Hethæorum & Syrorum*. Vide Abulensem, qui egregiè Vulgatam versionem hîc propugnat.

Denique tanta rerum omnium opulentia, *Gloria lamen causa. Prima.* felicitas & gloria à Deo data fuit Salomoni ob eius sapientiam & virtutem, vt omnes Israelitæ eamdẽ imitarentur ob spem eorumdẽ præmiorum: ideoque Deo vero seruirent, non idolis, videntes Deum verum maiora dare soli Salomoni, quàm omnia idola suis cultoribus. Israelitæ enim crassi & rudes non nisi terrena sapiebant & sapiebant, vti & modò faciunt posteri eorum Iudæi.

Secundò, vt reges Syrorum, Ægyptiorum, *Secunda.* Arabum, imò totius mundi incitarentur ad colendum Deum Salomonis, vt similem magnificentiam à Deo adipiscerentur, qualem adeptus erat Salomon, vti fecit regina Saba, aliique reges cordati.

Tertiò, vt in Salomone daret specimen & *Tertia.* tenuem ideam felicitatis & gloriæ æternæ, quam suis electis ab æterno præparauit in cælo.

Quartò, vt ostenderet in Salomone quàm *Quarta.* vana esset omnis opulentia & gloria huius mundi, vtpote quæ mox cum ipso Salomone instar fumi euanuit, vt dicerent: *Sic transit gloria mundi*. Quare veram felicitatem & gloriam sitam esse in bonis cælestibus & æternis, vt ea homines ambirent; idque clarè ostendit Deus in Salomone, cuius felicitas mera fuit infelicitas, vti iam patebit: gloria enim eius mox facta est ingloria, & fama infamia, ac opulentia paupertas: nam filius eius Roboam amissis decem tribubus Israel, vnam solam tribum Iudæ ægrè retinuit.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon senex à mulieribus alienigenis illectus, colit earum idola. Quare vers. 11. Deus minatur ei regni amissionem, ac vers. 14. aduersarium ei suscitat Adad Idumæum, & vers. 23. Razon Syrum; denique vers. 26. Ieroboam Hebræum, cui Deus per Ahium scindentem pallium in duodecim partes, quarum decem dedit eidem, promittit regnum decem tribuum, ita vt sola duæ reliquæ, scilicet Iuda & Beniamin, adhæreant filio Salomonis, scilicet Roboam.

1. REX autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas: 2. de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingredieminі ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra vt sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon arden-

ardentissimo amore. 3. Fuerunt què ei vxores quasi reginæ sepringentæ, & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius. 4. Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. 5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. 6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt sequeretur Dominum, sicut Dauid pater eius. 7. Tunc ædificauit Salomon fanum, Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. 8. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis. 9. Igituriratus est Dominus Salomoni, quòd auersa esset mens eius à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundò, 10. & præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, & non custodiuit quæ mandauit ei Dominus. 11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. 12. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, 13. nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi. 14. Suscitauit autem dominus aduersarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. 15. Cùm enim esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa (16. sex enim mensibus ibi moratus est Ioab, & omnis Israel, donec interimeret omne masculinũ in Idumæa) 17. fugit Adad ipse, & viri Idumæi de seruis patris eius cum eo, vt ingrederetur Aegyptũ: erat autem Adad puer paruulus. 18. Cumq; surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntq; secũ viros de Pharan, & introierunt Aegyptũ ad Pharaonem regem Aegypti, qui dedit ei domũ, & cibos constituit, & terram delegauit. 19. Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum vt daret ei vxorẽ, sororem vxoris suæ germanam Taphnes reginæ. 20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, & nutriuit eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis eius. 21. Cumque audisset Adad in Aegypto, dormisse Dauid cum patribus suis, & mortuum esse Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, vt vadam in terram meam. 22. Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, vt quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te vt dimittas me. 23. Suscitauit quoque ei Deus aduersarium Razon filium Eliáda, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum: 24. & congregauit contra eum viros, & factus est princeps latronum cùm interficeret eos Dauid: abieruntque Damascum, & habitauerunt ibi, & constituerunt eum regem in Damasco, 25. eratque aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis: & hoc est malum Adad, & odium contra Israel, regnauitque in Syria. 26. Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, seruus Salomonis: cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua: leuauit manum contra regem. 27. Et hæc est causa rebellionis aduersus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui. 28. Erat autem Ieroboam vir fortis & potens: vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis & industrium, constituerat eum præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph. 29. Factum est igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio nouo: erant autem duo tantùm in agro. 30. Apprehendensque Ahias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. 31. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. 32. Porrò vna tribus remanebit ei, propter seruum meum Dauid, & Ierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel: 33. eò quòd dereliquerit me, & adorauerit Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in viis meis, vt faceret iustitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia sicut Dauid pater eius. 34. Nec auferam omne regnum de manu eius, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter Dauid seruum meum, quem elegi, qui custodiuit mandata mea & præcepta mea. 35. Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: 36. filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid ser-

uo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem ciuitate, quam elegi vt esset nomen meum ibi. 37. Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. 38. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum, & tradam tibi Israel: 39. & affligam semen Dauid super hoc, verumtamen non cunctis diebus. 40. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam: qui surrexit, & aufugit in Aegyptum ad Sesac regem Aegypti, & fuit in Aegypto vsque ad mortem Salomonis. 41. Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia eius: ecce vniuersa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis. 42. Dies autem, quos regnauit Salomon in Ierusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt. 43. Dormiuitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui, regnauitque Roboam filius eius pro eo.

VERS. 1. REX AVTEM SALOMON ADAMAVIT MVLIERES ALIENIGENAS MVLTAS] gentiles scilicet & Chananæas, quæ suos deos & idola colebant, & ad eadē colenda Salomonem maritum suum induxerunt. Vide hîc quàm periculosum sit vxores ducere infideles, vel hæreticas.

VERS. 2. DE GENTIBVS SVPER QVIBVS DIXIT DOMINVS FILIIS ISRAEL: NON INGREDIEMINI AD EAS] Lex ista extat Exodi 34. 16. loquiturque dumtaxat de Chananæis, vt ibidem patet, quales erant Sidoniæ & Hethææ: quare peccauit Salomon contra legem eas ducendo. Alias aliarum gentium feminas in vxores duci lex permittebat Hebræis, dummodo illæ priùs abiuratis idolis ad Deum verum & religionem Hebræorum conuerterentur. In hoc quoque peccauit Salomon, quia duxit eas persistentes in sua idololatria; vnde ab eis ad idola colenda pertractus est. ita Abul.

VERS. 3. FVERVNTQVE EI VXORES QVASI REGINÆ SEPTINGENTÆ, ET CONCVBINÆ TRECENTÆ] id est vniuersim mille. *Reginæ* vocantur primariæ vxores, quæ regum & principum erant filiæ, ideoque regio cultu & nomine vtebantur: *concubinæ* erant secundariæ vxores, vtpote plebeiæ. licet S. Hieron. Epist. 132. eas vocet *scorta*.

Sex crimina Salomonis.

Miserabilis fuit hic lapsus Salomonis viri sapientissimi & sanctissimi, quo in sex grauia scelera prolapsus est. Primum eius scelus fuit, quòd contra legem duxerit alienigenas & idololatras. Secundum, quòd nimis multas, putà mille. Lex enim Deuter. 17. 17. iubebat regi dicebatque: *Non habebit vxores plurimas*. Tertium, quòd eis potestatem fecerit colendi sua idola, imò eis delubra in monte Oliueti ædificarit. Quartum, quòd ipse eadem adorarit. Quintum, quòd suo exemplo multos Hebræos ad eadem colenda impulerit. Sextum, quòd immania tributa populo indixerit, quia ad tot reginas ornandas, & magnificè alendas, immensis opibus erat opus. Et hoc est graue iugum, de quo c. sequenti apud Roboam filium queruntur Hebræi, ideoque ab eo schisma faciunt. In Salomone videre est, quàm verū sit illud vetus dictū:

Vestū pulchra, iocus, potus, cibus, otia, somnus,
Eneruant mentem luxuriamq; fouent.

ET EVERTERVNT MVLIERES COR EIVS] à Deo vero ad idola mentem & voluntatem eius deflexerunt.

VERS. 4. CVMQVE IAM ESSET SENEX, DEPRAVATVM EST COR EIVS PER MVLIERES, VT SEQVERETVR DEOS ALIENOS] Hinc patet Salomonem verè coluisse idola: quare mirum est, id ipsum hîc negare Robertum Stephanum. Nam id ipsum affirmat S. Iren. l. 4. c. 45. Iustin. Dial. contra Tryphon. Tertul. lib. 5. contra Marcion. S. Basil. Epist. ad Chelid. S. Augustin. 14. Ciuit. c. 11. Adorauit ea autē, non quòd in eis aliquid inesse diuinitatis censeret, sed vt suis concubinis morem gereret. Audi S. Augustin. lib. 11. de Genesi ad litteram c. 42. *Ita Salomon vir tantæ sapientiæ numquid nam credendum est, quòd in simulacrorum cultu credidit esse aliquid vtilitatis? sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non ualuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.* Confirmat idipsum exemplo Adæ, dum subdit: *Ita & Adam posteaquàm de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eiq; dedit vt simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam benuolentiâ, quâ plerumque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus; quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit.*

SED COLEBAT SALOMON ASTARTHEN DEAM SIDONIORVM] Hæc erat Venus de qua dixi Iudic. 2. 13. Vide

ET MOLOCH] siue *Melchom*, cui filios concremando immolabant, de quo dixi Leuit. 18. 21. Vnde & Salomonem eidem filium vel filios suos immolasse & concremasse, censet Pineda & Salianus.

TVNC ÆDIFICAVIT SALOMON FANVM, CHAMOS.] *Chamos* est κῶμος deus temulentiæ, puta Bacchus, vnde ab eo dicta est comessatio. Vide dicta Roman. 13. 13. ad illa, *Non in comessationibus.*

Causa tanti lapsus fuit nimia Salomonis prosperitas, opulentia, deliciæ & libidines. Proxima causa fuere vxores, quas ardentissimè amabat: hæ enim eum dementarunt iuxta illud: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.*

Disce hîc, quàm cauendæ sint feminæ; amor earum enim est insuperabilis, & quiduis licet pretiosissimum & scelestissimum ab amasiis extorquet: fuge ergo illas, quia nec sapientiores Salomone, nec fortior Samsone, nec sanctior Dauide;

Dauide; qui omnes per feminas ceciderunt. Sapienter Eucher. hîc: *Admonendi sunt*, inquit, *quibus hoc seculum prosperatur, qui nullis aduersitatibus huius mundi feriuntur, quòd Salomon post acceptam sapientiam vsque ad idololatriam cecidisse describitur, quia nihil in hoc mundo, priusquàm caderet aduersitatis habuisse memoratur: sed concessa sapientia eum funditùs deseruit, eò quòd eum nulla saltem minima tribulationis disciplina custodiuit, nisi postquàm Deum deseruit, & se à Deo desertum esse cognouit.*

Et S. Bernard. lib. 2. de Consider. ad Eugenium sub finem: *Aduerte*, inquit, *quàm rarus semper extiterit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxauerit à sui custodia & disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad niuem vel glaciem? Sapiens Dauid, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto defipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientia. Nec minor cui præsens felicitas arrisit, non irrisit. Quamquam faciliùs inueneris qui sapientiam retinuerint contraria sibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderunt.*

VERS. 11. QVIA HABVISTI HOC APVD TE] quia in animum tuum induxisti à me apostatare & colere idola. Aut, quia in te inuentum est scelus apostasiæ & idololatriæ.

SCINDAM REGNVM TVVM; in duo; scilicet in regnum Iuda & Israel, siue decem tribuum; ET DABO ILLVD SERVO TVO] Ieroboam, quem creabo regem Israelis cap. 12.

VERS. 13. TRIBVM VNAM DABO FILIO TVO] *vnam*, scilicet præter suam, q. d. Præter tribum Iuda, ex qua quia ortus est Dauid, hinc ipsa nepotum eius propria censetur, adiiciam & vnam aliam tribum, scilicet Beniamin. ita Abul. vel, vt Caiet. Tribus Iuda & Beniamin censebantur vna eademque, & vocabantur *regnum Iuda*.

Porrò Abulens. Torniellus & Salianus censent Deum hæc dixisse Salomoni, non per se nec per Angelum, eò quòd eo indignus esset Salomon, sed per Ahiam Silonitem, de quo v. 29. Pineda tamen lib. 3. c. 2. num. 5. censet Deum hîc per se tertiò apparuisse Salomoni; hoc enim simpliciter verba significant, cùm dicitur v. 11. *Dixit itaq; Dominus Salomoni*. Denique Salomon nil Deo respondit, vnde videtur in suo scelere perstitisse.

An Salomō saluatus?

Quæres, an Salomon sit damnatus an saluatus? Problema hoc est priscum. Damnatum censent Tertul. lib. de Præscript. c. 2. Cyprian. Epist. 7. S. Augustin. 17. de Ciuit. c. 8. & 20. S. Chrysost. serm. de Pœnit. Beda in lib. 3. Regum c. 6. Raban. in lib. 4. Reg. c. 23. Isidor. de vita & morte Proph. c. 24. Lyran. Abul. & alij hîc.

Ratio est prima, quia Scriptura cōmemorans eius lapsum tam grauem, non adiicit eius pœnitentiam, sicut adiicit in lapsu Dauidis. Secundò, quia ipse sua delubra idolis ædificata non destruxit: nam ea destruxit tandem Iosias. Respondent aliqui, ipsum ea obseràsse, vel destruxisse vsque ad rudera, quæ ab impiis reædificata, vocantur *excelsa Salomonis*. sed id dicunt, non probant. Tertiò, quia ad hoc videtur Deus Salomonem in hac vita cumulasse omnibus bonis: vt eius merita remuneraretur in hac vita, & scelera puniret in futura, iuxta illud Abrahæ ad diuitem epulonem: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quartò, quia amor ardens feminarum longa consuetudine roboratus penè est insuperabilis; talis autem fuit Salomonis, qui tot suis amasiis perditè amatis vndique cingebatur, vt etiamsi pœnitere vellet, non posset. Huc facit, quod ante paucos annos in Italia vni è nostra Societate contigit. Vocabatur ille vt concubinario cuidam in morte adesset. Adfuit, & totis viribus eum ad pœnitentiam hortatus est, vt amoribus illicitis valediceret, nunc blandiendo, nunc minando instans Dei iudicium & gehennam. Sed & concubina flens rogabat eum vt pœniteret, & moriendo animæ saluti consuleret. omnia frustra, surdo cecinerunt. Ille enim dixit, se nec velle nec posse amicam tamdiu dilectam abdicare. Quare impœnitens miseram exhalauit animam.

Ex aduerso eum pœnituisse & saluatum esse opinantur Rabbini veteres, & ex eis S. Hieron. S. Gregor. Thaumaturgus, Rupertus, Pineda, Salianus, Barradius, Serarius, Sanchez, Delrio, & alij, qui asserunt eum post lapsum scripsisse Ecclesiasten, in quo quasi pœnitens se vanis amoribus & idolis vacasse exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hoc argumentum foret validum, si constaret Ecclesiasten à Salomone scriptum post lapsum, non antè; qua de re dixi proœmio in Ecclesiasten: nam dicta & scripta eius recensita sunt initio libri huius c. 4. & 5. ante lapsum: lapsus verò eius in senio demùm hoc c. 11. narratur.

Probant primò, quia Deus 2. Reg. 7. promiserat Dauidi se Salomonem, si peccaret, correpturum *in virga virorum*, quâ scilicet homines castigari solent vt emendentur.

Secundò, quia Prouerb. 24. 23. Septuag. addunt: *Nouissimè ego quoque egi pœnitentiam, respexiq; vt eligerem disciplinam.*

Tertiò, quia Salomon fuit *Ididia*, id est *dilectus Deo*, Christi typus & scriptor canonicus tot sacrorum librorum. Pluribus id probat Pineda lib. 8. de Rebus Salomonis c. 1. sect. 6. Meam sententiam aperui Eccl. 47. v. 22. ad illa: *Dedisti maculam in gloria tua.* Romæ concionator quidam insignis publicè inter concionandum asseruit, nuper cuidam sanctæ personæ reuelatum esse, Salomonem ad hæc vsque tempora acres pœnas in purgatorio subiisse, at iam iis absolutum abiisse in cælum. Sed hæ reuelationes examinandæ sunt, nec feminis eas asserentibus facilè credendum.

VERS. 14. SVSCITAVIT AVTEM DOMINVS ADVERSARIVM SALOMONI ADAD IDVMÆVM] ab Austro, sicut ab Aquilone hostem ei suscitauit Razon v. 23. Hæc pœna à Deo inflicta fuit Salomoni adhuc viuenti; prior, scilicet regni scissio, eidem irrogata est post mortem.

Quomodo Deus suscitet Israeli & fidelibus hostes, exposui Iudic. 3. 8.

Porrò Pineda lib. 7. c. 18. n. 7. censet has Dei minas de regni scissione Salomoni intentas anno regni eius 32. vt reliquis octo annis maximas molestias & animo & corpore sustineret. Idem tamen in sua chronologia, hanc obiurgationem ad finem anni 37. Salomonis re-

fert. Trigesimo octauo vult suscitatos Salomoni aduersarios, trigesimo nono ipsum resipuisse, quadragesimo denique defunctum esse. quæ videtur plurimum rationi consentanea distributio, ait Salianus.

VERS. 15. ET ASCENDISSET IOAB AD SEPELIENDVM EOS, QVI FVERANT INTERFECTI] Probabile est, quod censet Caiet. tunc accidisse, vt præsidiarij Dauidis relicti in Idumæa à se subacta, post eius obitum cæsi sint ab Idumæis: itaque Ioab iuisse eò ad illos sepeliendos, & ad vindicandam illorum necem: vnde omnes Idumæorum masculos occidisse, exceptis fortè paruulis, qui excipiuntur lege Deuter. 20. 14.

VERS. 21. DIXIT PHARAONI : DIMITTE ME VT VADAM IN TERRAM MEAM] Hæc videtur fuisse series historiæ, quam Script. hîc paucis conuoluit. Adad ex semine regio Idumææ puer fugit, vel potius à seruis suis abductus est in Aegyptum, cùm Dauid vastaret Idumæam. In Aegypto gratiam inuenit apud Pharaonem, adeò vt Pharao ei sororem coniugis suæ dederit vxorem. Hic audiens Dauidem vastatorem Idumææ mortuum, petiit à Pharaone veniam redeundi in suum Idumææ regnum, quam Pharao tandem concessit. Anno ergo Salomonis tertio in Idumæam rediit, trigesimum circiter, vt ait Abulensis, agens annum, vbi cum bona venia Salomonis, interuentu Pharaonis, qui vtrumque sibi affinitate coniunxerat, videtur in Idumæa regnasse tributarius eadem lege ac conditione tributi, quam imposuerat Dauid; nihil enim ab eo tempore in Idumæa mutatum aut turbatum inuenitur. Hic vltimis Salomonis annis, videns eum effeminatum, infatuatum & contemptibilem factum, tributum ei negauit, ac rebellans se suamque Idumæam in libertatem vindicauit. ita Abul. Salianus & alij.

VERS. 23. SVSCITAVIT QVOQVE EI DEVS ADVERSARIVM RAZON] qui, vt sequitur, factus princeps latronum, constituit se regem Damasci. Iusta congruaque fuit hæc pœna, vt Salomoni Deo rebellanti rebellarent pariter tam subditi quàm bello subacti. Sic Deus peccatori suscitat aduersarios, qui eum stimulent, & ad Deum redire cogant.

VERS. 25. ERATQVE (RAZON) ADVERSARIVS ISRAELI CVNCTIS DIEBVS SALOMONIS : ET HOC EST MALVM ADAD, ET ODIVM CONTRA ISRAEL, REGNAVITQVE IN SYRIA] Iosephus, Caiet. & alij sic exponunt q. d. Adad iunxit se cum Razon, ac eius ope roboratus rebellauit Salomoni, feciteque se regem Syriæ. Sed aberrant: nam Syriæ, putà Damasci, regem se fecit Razon, vt dictum est v. præced. Adad verò, vt filius regis Idumææ, in sua Idumæa regnauit. Sensus ergo est q. d. Razon fuit aduersarius Israelis & Salomonis, sicque adauxit malum hostilitatis Adad contra Israel, *regnauitq; in Syria*, scilicet ipse Razon, non autem Adad. Vnde Chald. vertit, *Et fuit* (Razon) *aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis, & cum malo quod fecit Hadad, rebellauit in Israel, & regnauit super Aram*, id est Syriam. q. d. Razon cum Hadad rebellauit Salomoni, & afflixit Israelem, feciteque se regem Syriæ. ita Vatab. Pineda & Salianus. Id clarè significant Septuag. Romana, quæ hæc verba transponunt iunguntque versui 22. vbi sic legunt: *Et reuersus est Ader interram suam: hoc est malum quod fecit Ader, & aggrauauit, siue afflixit Israel, & regnauit in terra Edom.* Pro אֲרָם *Aram* enim legerunt, אֱדֹם *Edom*: litteræ enim ד & ר sunt persimiles, vt vna sæpè pro alia substituatur; sicut hîc pro *Adad* Septuag. legunt *Ader*. Concludit ergo Script. iungendo duos Salomonis hostes, Adad scilicet & Razon, ac tertium maximumque addendo v. sequenti, nimirùm Ieroboam. Denique vtraque sententia conciliari potest, dicendo, Adad primò regnasse in Idumæa, deinde ex ea, vtpote montosa ac sterili, migrasse in Syriam, vtpote diuitem & fertilem, ac mortuo Razon rebellionis socio successisse ei in regno Syriæ. Nam eius filius Benadad fuit rex Syriæ, vt patet 3. Reg. 20. 1. imò ab Adad ceteri reges Syriæ post eum dicti sunt Benadad, id est filij & successores Adad, ideoque infesti Israeli. ita S. Hieron. in cap. 1. Amos, Rabbini & Vatab. 4. Reg. 6. 28.

IEROBOAM QVOQVE FILIVS NABATH, VERS. EPHRATHÆVS] Hic tertius fuit hostis Salomonis. Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. censent *Nabath* esse *Semei*, qui maledixit Dauidi, ideoque occisus est à Salomone; quare eius filium Ieroboam graue, & quasi ex patre ingenitum in Dauidem & Salomonem odium concepisse, ideoque ei rebellasse. Verùm errant: nam Semei erat ex tribu Beniamin, Ieroboam verò erat *Ephrataus*, id est ex tribu Ephraim, quæ tribus fuit arrogans, æmula Iudæ, & auida imperij. Vnde in Ieroboamo illud occupauit, tenuitque penè toto tempore regum Israel. Pluribus exemplis Ephramitarum arrogantiam & turbulentum ingenium, ostendit Salianus anno mundi 3057. n. 22.

MVLIER VIDVA] Ita Hebr. Chald. Septuag. hîc: sed cap. seq. Sept. Rom. habent, *mulier fornicaria*, siue *meretrix*: & sic legit Lucifer Calarit. lib. de Regibus Apostaticis.

LEVAVIT MANVM CONTRA REGEM] postquàm ab Ahia Propheta decem pallij scissuras, & per eas regni decem tribuum promissionem, à Deo accepit, vt sequitur; tunc enim videtur sollicitasse decem tribus per reuelationem huius propheriæ, vt à Salomone tam duro tributorum exactore ad se quasi mitiorem futurum deficerent: fortè etiam apertè rebellauit Salomoni, & regnum inuasit, vti hæc verba insinuant. Ita Ioseph. Pineda & Salianus; licet etiam ante Ahiæ prophetiam Ieroboam rebellasse censeant Abul. & Torniellus.

Qua in re peccauit: Deus enim hîc ei tantùm per Ahiam promisit regnum decem tribuum, non autem illud reipsa ipsi nunc dedit, sed demùm post mortem Salomonis sub Roboam: Quare iniquè & iniustè Ieroboam contra Salomonem regem suum insurrexit. ita Abul. sicut cùm Samuel secretò vnxit Dauidem in regem, non eo ipso dedit ei ius ad regnum, sed vt regnaret post mortem Saulis: vnde Dauid viuente Saule nil circa regnum attentauit.

Denique opinatur Salianus, Ieroboam pariter nil contra Salomonem attentasse, sed tantùm dici *leuasse manum contra regem*, eò quòd ab Ahia designatus sit rex contra Salomonem, & designationem hanc Ahiæ acceptarit. Vulgi enim sermone qui regnum alicuius, licet sibi oblatum, acceptat, dicitur regi rebellare; Serarius verò ait eum *leuasse manum* contra Salomonem, quia eam leuauit contra Roboam Salomonis filium. Verùm eum aliquid mox contra Salomonem molitum esse, hac phrasi propriè significat Script. idque confirmat subdens: *Et hæc est causa rebellionis aduersùs eum.* Rebellauit ergo ipse Salomoni. Vnde Iosephus lib. 8. c. 2. *Hîc*, ait, *Propheta verbis eractus ad spes magnas Ieroboamus, cùm esset alioqui inquieto & ambitioso ingenio, quamprimùm in suam prouinciam peruenit, non immemor præsagij prophetici, sollicitare populum cœpit, vt à Salomone deficeret, ipsiq; principatum desireret.* Iosephum sequuntur Torniellus, Pineda, Abul. & alij.

VERS. 31. TOLLE TIBI DECEM SCISSVRAS] vt per hoc cognoscas *te* sub Roboam è duodecim tribubus Salomonis regno sublaturum, & tibi arrogaturum decem tribus Israel, vt mox explicat Ahias.

Symbol. hæ decem scissuræ significabant regnum decem tribuum in decem familias sibi inuicem succedentes, fore scindendum, ac decies dividendum, ait Rupert. Hic enim fuit ordo & successio regum Israel siue decem tribuum. Primam scissuram decem tribuum à duabus fecit Ieroboam. *Huius filium*, ait Rupertus lib. 5. c. 4. *nomine Nadab percussit Baasa. Hæc secunda Israel scissura regni est. Eiusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, regnauitq; pro eo. Zambri se in palatio incendit obsidente Amri, qui & pro eo regnauit. Post hunc regnauit Achab, & post eum filium eius Ochozias, & post eum frater eius Ioram. Sed istum occidit Iehu, regnauitq; pro eo vsque ad quartam generationem. Quintum ab illo percussit Sellum, regnauitq; pro eo. Sed & istum percussit Manahem, regnauitq; pro eo. Filium quoque huius Phaceiam percussit Phacee filius Romeliæ, regnauitq; pro eo. sed & contra istum coniurauit Ozee, percussitq; eum & interfecit, regnauitq; pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum & transtulit Israel in Assyrios. Hæc decima fuit scissura. Nam in Ieroboam prima, in Baasa secunda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Iehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romeliæ octaua, in Ozee nona, in rege Assyriorum, qui diuisos à Deo & Dauid rege sua, diuisit etiam loco, transferendo in Assyrios, rectè computatur decima.*

Tropol. Ieroboam primus schismaticus notat hæreticos, qui Ecclesiam sua hæresi discindunt ac præsertim principes, qui vt regnum sui regis orthodoxi inuadant, hæresim inducunt, ac hæreticos in auxilium vocant, vti fecit Ieroboam (idem factum vidimus in Belgio) qui idcirco regnum perdidit, vti Deus hîc ei prædicendo comminatur. Hinc appositè, ait Angelomus: *Ieroboam Hebr. interpretatur diiudicàs populum. Nam & hæretici diiudicare populum videntur, cùm erroris sui sequacem faciunt.* Tunc enim fit illud: *Tolle tibi decem scissuras.* Sic & Rupertus lib. 5. c. 5. Eucher. Beda & alij.

VERS. 32. PORRO VNA TRIBVS, Iuda cum Beniamin sibi associata, REMANEBIT EI] scilicet Salomoni, putà Roboam Salomonis filio & successori.

VERS. 36. VT REMANEAT LVCERNA DAVID SERVO MEO] *Lucerna* vocatur Dauidis regis posteritas, non qualiscumque sed regalis, splendida & gloriosa. Sicut enim lux solis se propagans, nouam ibi aëre spargit lucem, & sicut candela vel lucerna vna accendit aliam, & hæc aliam & aliam; sic pariter Dauid rex genuit Salomonem regem, & Salomon genuit Roboam regem, & ita de ceteris eius posteris. *Lucerna* ergo appellatur hîc successio regia posterorum Dauidis, quæ erat quasi lucerna, & quasi residuum quoddam lucis, id est splendoris & gloriæ Dauidis refulgens in Ierusalem. ita Caiet.

ÆDIFICABO TIBI DOMVM FIDELEM] id est familiam regalem, continuam & stabilem, vt scilicet posteri tui in regno decem tribuum continua serie succedant. Mirum est, quòd Ieroboam & Principes ei similes non credant hisce Dei, qui prima est veritas, verbis & promissis; sed contrariis modis per impietatem, fraudes & scelera conentur sibi parare regni regiæque sobolis stabilitatem: quo fit, vt Deum contra se concitent, itaque ab eo funditùs euertantur, vti contigit Ieroboam, omnibusque regibus Israel eius successoribus. VERS. 38.

ET AFFLIGAM SEMEN DAVID SVPER HOC] id est, propter hoc, scilicet propter te, si mihi fueris fidelis. q. d. si mihi fideliter seruieris, te exaltabo, & posteros Dauidis æmulos tuos humiliabo & deprimam. VERS. 39.

VERVMTAMEN NON CVNCTIS DIEBVS] Rabbini in Sederolam c. 15. hoc referunt ad regnū Asa regis Iuda, qui valdè regnū Iuda euexit. Salianus & alij referunt ad Ezechiā; nam eius anno sexto decē tribus abductæ sunt in Assyriā, tuncq; defuit regnum, & reges decem tribuum æmuli regum Iuda. Mysticè, hoc maximè impletum est à Messia, puta à Christo, qui quasi Dauidis filius rursùm regnauit super totū Israel, vniuersumque orbem, ab eoque colitur vt Deus, Messias, & Rex regum. ita Caiet. Abul. Serarius & alij. Vnde à Christo in cælum ascensuro quærebant discipuli: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1.

Porrò Deus tam seriò Ieroboam inculcat veram sui religionem & cultum, quia præuidebat eum schisma facturum à Deo & templo propter regnum, cùm tamen Deus vellet per eum schisma à Salomone in Dei cultu factum resarcire. At cur Deus id præsciens nihilominùs eum regem constituit? Resp. vt puniret populum, eique impio similem, scilicet impium, daret regem, acquè ac iam antè eidem dederat impium Saulem, ait Rupert. & ex eo Salianus. Populus enim iam magna ex parte erat corruptus, tam regis imitatione, quàm propria malitia, ad quam eum pellexit otium, deliciæ, & rerum omnium abundantia. Volens ergo Deus castigare populum impium, dedit regem Ieroboam, qui populi cupidinibus & desideriis ad idola colenda obsequeretur, itaque tot calamitatum, & tandem extremi excidij eidem fieret causa, iuxta illud Iob 34. 30. *Qui regnare facit hypocritam* (id est impium) *propter peccata populi.*

VOLVIT ERGO SALOMON (re intellecta, VERS. 40. quòd scilicet Ahias Ieroboamo detulisset regnum decem tribuum) INTERFICERE IEROBOAM] quasi regni sui æmulum & inuasorem. Addit Chald. Cant. 8. v. 12. eum quoque voluisse occidere Ahiam, eò quòd ipsi regnum detulisset, ideoque Ahiam pariter fugisse in Ægyptum: sed de Ahia nil habet hîc Script. est tamen

tamen id probabile. Nam delicati sunt reges, A & quoslibet etiam sanctos, qui alios reges inducere satagunt, persequuntur vt perduellionis reos, qui enim tangit regnum, tangit pupillam eorum. Verùm hæc magna, ait Dion. fuit Salomonis excæcatio, ambitio & impatientia, quasi vellet & posset impedire propositum Dei de regni diuisione.

VERS. 41. IN LIBRO VERBORVM (id est factorum vel gestorum) SALOMONIS] putà in Diariis, Chronicis & Annalibus Salomonis.

VERS. 43. DORMIVITQVE (somno mortis) SALOMON CVM PATRIBVS SVIS] anno ætatis 60. aiunt Lyran. Abulen. &c. Narrant Zonaras & Cedrenus, eius sepulchrum sub Hadriano Imper. dissiliisse ac concidisse, eamque rem motus & tumultus Iudaicos portendisse. Sic & Dio in Hadriano lib. 69. de Iudæorum defectione tractans, ob quam omnes ferè ab eo interempti sunt, & tota Iudæa desolata: *Id eis*, inquit, *antequàm bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo quòd monumentum Salomonis, quem illi summa reuerentia colunt, sua sponte diuisum corruerat.*

Forma Salomonis. Figuram & formam Salomonis ex Cantic. 5. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus* &c. ita colligit Pineda lib. 6. c. 4. & ex eo Salianus. Salomon fuit colore candido & rubicundo, natura calida & humida, sed paulò calidiore, cæsarie densa, capillis aurescentibus, & modicè crispantibus, sicut elatæ palmarum; oculi iustæ magnitudinis, implentes orbem suum, splendentes ac cæsij, leni placidoque intuitu; genæ efflorescentes atque hilares, sicut lilia mixta rosis; labia eius tenuia & mollia, vt rubentia Syriæ lilia; os ipsum afflans suauis odoris halitum; manus delicatæ, molles, articulatæ, quasi torno politæ, digiti longiores; deductiora brachia; pectus & thorax candida, velut pixis eburnea, moderatæ magnitudinis & formæ; crura illius quasi columnæ marmoreæ, vel Pariæ candidissimæ; pedes sicut bases aureæ elaboratissimæ, mediocri magnitudine; incessus firmus & constans; statura procera & erecta; vox suauissima: dignus qui speciosum forma præ filiis hominum repræsentaret. Sed pleraque horum superuenientes anni vitaque Salomoni ademerunt, ac præsertim effusa libido atque morbi, mœrores & angores ob idololatriam illi à Deo in senio immissi: vnde Ecclesiast. c. 47. eius elogia hac flebili catastrophe threnoq; concludit: *Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam, vt faceres imperium bipartitum.* Vide ibi dicta.

Sub Sal. mone vix. Homer. Sub annum regni Salomonis vigesimum natus est Homerus poëta Græcorum sapientissimus, quem passim imitatus & Latino versu consectatus est Virgilius Latinorum poëtarum princeps. Quare de Homeri natali loco certant septem Græciæ vrbes, nimirum *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argus, Athenæ*: Imò Ieras, id est incolas insulæ Io, Homero aram excitasse, eique quasi Deo sacrificasse, testatur Gellius lib. 3. c. 11. Homero coæuus & suppar fuit Hesiodus. Ita decuit vt sub Salomone Hebræorum, imò mortalium omnium, sapientissimo, sapientia apud Græcos nascereturque, indeque ad Latinos transferretur. ita ex Cyrillo lib. 7. contra Iulian. & aliis Salianus anno Salomonis vigesimo, qui fuit ab excidio Troiæ annus 168. ante Romam conditam 160, tunc quoque regnabat in Latio sextus rex Syluius, Aeneæ Syluij filius, ac Dido cõdidit Carthaginem, ait Euseb. in Chronico.

Denique Iosephus lib. 8. cap. 3. hoc Salomoni epitaphium ponit: *Moritur Salomon regum omnium felicissimus, opulentissimus & prudentissimus, excepto peccato, ad quod à mulieribus iam senescens pertractus est.* Iam antè proclamarat, totique mundo concionatus erat Salomon: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, & tamen vanitas vanaque species mulierum eum in senio dementauit, vanumque reddidit, vt seipsum fecerit summum vanitatis speculum. Euanuit enim eius sapientia, euanuit eius sanctitas, euanuit eius potentia, euanuit eius felicitas & gloria, euanuit denique sanitas & vita præsens, vtinam non æterna. Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus, potentissimus, si Deum deserat, & à Deo deseratur? vtique non est aliud quàm mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abyssus. O si Salomoni liceret ad vitam redire, qualem ageret pœnitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inclamaret! vtique illud S. Saluij à morte ad vitam reuocati apud Gregor. Turon. lib. 7. Histor. c. 1. *Audite filij Adæ, & intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo; sed omnia vanitas. Omnia ergo vt vana contemnite, vt veram gloriam Dei mereamini adipisci in cælo.* Vana sunt sceptra, vanæ tiaræ, vana Venus, vanæ opes, vana vina, vanus orbis vniuersus. *O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!* Nil verum, nil bonum, nil magnum, nisi æternum. Aeterna cogitate, æterna ambite; vt Deus vos beet in æternum, per omnia sæculorum sæcula. Amen.

CA-

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Populus à Roboam poscit tributorum grauium Salomonis relaxationem: ille negat & duriora minatur: quare decem tribus eo relicto regem sibi creant Ieroboam: parat contra eas bellum Roboam vers. 21. sed reuocat eum Deus per Semeiam prophetam. Mox vers. 26. Ieroboam metuens ne populus veniens ad templum, rediret pariter ad Roboam, vitulos aureos quasi idola erigit in Dan & Bethel.

1. VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. 2. At verò Ieroboam filius Nabat, cùm adhuc esset in Ægypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte eius, reuersus est de Ægypto. 3. Miseruntque & vocauerunt eum: venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi. 5. Qui ait eis: Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius cùm adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic. 7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus. 8. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi, 9. dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, vt respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Leuius fac iugum quod imposuit pater tuus super nos? 10. Et dixerunt ei iuuenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loquêris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos. Sic loquêris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Reuertimini ad me die tertia. 13. Respondit que rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, 14. & locutus est eis secundùm consilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquieuit rex populo: quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat. 16. Videns itaque populus quòd noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. 18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: & lapidauit eum omnis Israel, & mortuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem: 19. recessitque Israel à domo Dauid, vsque in præsentem diem. 20. Factum est autem cùm audisset omnis Israel, quòd reuersus esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iudæ solam. 21. Venit autem Roboam Ierusalem, & congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Beniamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: 23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo dicens. 24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel:

Israel: reuertatur vir in domum suam, à me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reuersi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus 25. Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habitauit ibi: & egressus inde ædificauit Phanuel. 26. Dixitque Ieroboam in corde suo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, 27. si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem: & conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. 28. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Ierusalem: Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti. 29. Posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan: 30. & factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan. 31. Et fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui. 32. Constituitque diem solemnem in mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinẽ solemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat. 33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octaui, quem finxerat de corde suo: & fecit solemnitatem filiis Israel, & ascendit super altare, vt adoleret incensum.

VERS. 1. VENIT AVTEM ROBOAM IN SICHEM] *Sichem* enim erat locus Patriarcharum incolatu & sepultura celebris, & quasi sacer; vnde illic conuentum egit Iosue c. vlt. 1. Abimelech Iudic. c. 9. 1. Igitur hîc Israelitæ comitia regni celebrant in Sichem, vt ibidem Roboam sibi regem creent.

VERS. 4. PATER TVVS DVRISSIMVM IVGVM IMPOSVIT NOBIS] Salomon enim ad suam & mille vxorum suarum magnificentiam in vestitu, mensa, famulis, equis & curribus sustẽtandã, immania populo tributa imposuerat, à quibus ex parte liberari hîc iure suo postulat populus.

VERS. 7. SI HODIE OBEDIERIS POPVLO, &c. LOCVTVSQVE FVERIS AD EOS VERBA LENIA, ERVNT TIBI SERVI CVNCTIS DIEBVS] Prudentissimum fuit hoc senum consilium, quia vtilissimum, tum ad tollendam populi exacerbationem contra Salomonem & Roboam, tum ad oppressionem eius subleuandam. Nimia enim tributa exuunt subditorum opes, spiritum & sanguinem, ac subinde vitam: quare iis eorumque tributis & seruitiis priuat se rex, dùm eos iisdem opprimit. Commoditas enim subditorum, est bonum & commoditas Principum; quare lenitas & clementia est summa dos principũ, qua subditos sibi cõciliant, vt regi se sinant, & ad omnia principis sui iussa exequenda faciles se præbeant. Prudentia politica ergo dictat, vt à lenitate auspiceris regnũ, ac lenitate tibi subditos deuincias; posteà iam tibi deuinctis onera necessaria facilè impones. Notum est illud Lucani:

Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege nouo.

Longum enim imperium robur sibi comparauit & auctoritatem, æquè ac audaciam quidlibet imperandi: recens verò sensim lenitate hæc tria sibi comparare debet.

Audi S. Hieron. epist. 62. Episcopi cuiusdam clementiam in subditos celebrantem: *Amari*, inquit, *parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit; quem odit, perisse cupit. Vnde & in nostris literis cùm initia parvulorum in timore consistant; perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris monachos tibi esse subiectos, & ideò magis subiectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt; exhibes militem, & ducem impetras: quasi vnus in pluribus es, vt sis vnus ex pluribus. Citò indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit. Nouimus canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorum, & lectione & quotidianis exemplis multa didicimus, multa vsque ad hanc ætatem experti sumus. Qui scorpionibus cadit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti Dauid disrupat. Certè Romanus populus, ne in rege quidem superbiam tulit. Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Aegyptum, & ad cuius imperium cælum & terra & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generauit mansuetissimus prædicatur; & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate & mansuetudine temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus rogabat, quia potiùs delert ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat: cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oues suis humeris portaturum. Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ouibus suis.*

QVI DERELIQVIT CONSILIVM SENVM, ET ADHIBVIT ADOLESCENTES, QVI NVTRITI FVERANT CVM EO] Vide hîc stultitiam & fastum Roboam, qui maturo senum consilio spreto, sequitur iuuenilem & stolidam adolescentium sententiam, ideoque subditos offendit, auertit, & ad Ieroboam sibi regem creandum adegit. Vide ergo hîc vanitatem à Salomone prædictam, in ipsomet impletam; quam describit Eccles. cap. 2. v. 18. dicens: *Rursùs detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui & sollicitus fui: & est quidquam tam vanum?*

Audi Spartianum in Seuero: *Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decedere.*

Hebræo-

Hebræorum est gnome: sicut bona sunt quatuor, scilicet opes, scientia, senum consilium, animus demissus; sic ex aduerso quatuor sunt mala eis contraria, scilicet paupertas, ignorantia, iuuenile consilium, & animus superbus, quæ Rempub. æquè ac priuatum quemque euertunt; vti Romanum imperium euersum est per iuuenes imprudentes & arrogantes. Hinc in porticu tabernæ meritoriæ, in qua olim alebantur veterani & emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant:

Roma vetus, veteres dum te rexêre Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.
Defunctis patribus successit prava iuuentus,
Cuius consilio præcipitata ruis.

Vide Ciceronem lib. de Senectute, Plutarchum in Nicia, & Thucydidem lib. 6. Hac de causa Augustus Cæsar, teste Suetonio, consiliarios habuit graues & senes, Agrippam & Mecœnatem, quorum consiliis tanta & tam præclara gessit: vnde iis mortuis in infamiam ob filiæ libidines prolapsus ingemuit, dictitans sibi hanc infelicitatem non fuisse obuenturam, si Agrippa & Mecœnas vixissent.

Consilia inimicum fugienda.

Exempla.

Crœsus Lydorum rex nimia felicitate ebrius, Solonis senis sapientissimi monita negligens, ac iuuenibus ipsius potentiæ adulantibus aures præbens, dum Cyri imperium perdere conatur, suum perdidit. Itaque sublatus in pyram, vt illic viuus cremaretur, inclamato Solonis nomine, & re tota detecta, singularem victoris Cyri clementiam expertus est, vti refert Herodotus lib. 1.

Si Xerxes patrui sui senis Artabani prudentia consilia, quàm iuuenilis Mardonij adulationes audire maluisset, vtique Græcos bello tot centenorum millium non lacessiuisset, nec è Græcia summa cum infamia fugere coactus fuisset, teste Herodoto lib. 7.

Dionysius Siciliæ Tyrannus si Platonis senis sapientissimi consiliis obtemperasset, acceptum à patre imperium liberis suis firmius reliquisset; at quia ipsi iuuenum adulationes antepositi, regnò deiectus, compulsus est fieri Ludimagister.

Feliciter imperasset Nero, si senis Senecæ & Burrhi consiliis perpetuò vt cœperat, paruisset. At dum eis primò reiectis, deinde interfectis, iuuenis iuuenum adulantium voces sequitur, sibi accelerauit exitium, & perpetuam apud posteros ob tot flagitia & dedecora infamiam peperit. ita Sueton. in eius vita.

Quocirca sapienter Corn. Tacitus: *Adulatio*, inquit, *perpetuum malum principum, quorum opes sæpius assentatio quàm hostis euertit.* Et reges abundant omnibus rebus in aula, exceptâ veritate. Quid Neronem castissimè educatum crudelem fecit? Adulatio. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? Adulatio. Quid Roboam tyrannum reddidit? Adulatio. In aula igitur vnus Clytus præferendus sexcentis Aristippis. Verè Ouidius:

Agmen adulantum inedia procedit in aula.

VERS. 10. MINIMVS (Hebr. קטני *katanni*, id est, paruus, siue minimus, scilicet) DIGITVS MEVS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI] Est Adagium, q. d. Ego multò sum fortior & excellentior patre meo: ego maiorem habeo mate-

Cornel. in lib. Regum.

riam & magnificentiam præ illa quam habuit pater: quare maiora vobis imponam tributa & onera, quàm imposuerit pater meus Salomon. Vnde Chald. vertit; *Debilitas mea fortior est robore patris mei*; Septuag. *paruitas mea grossior est dorso patris mei*, Vatab. *Exiguum meum, crassius erit lumbis patris mei.* Ecce vt fastus Roboam faciat stolidum & stultum.

EGO CÆDAM VOS SCORPIONIBVS] id est *flagris aculeatis*, vt vertit Vatab. Vox hæc dignior est carnifice, quàm rege. VERS. 14.

QVÆ NOBIS PARS IN DAVID? VEL QVÆ HÆREDITAS IN FILIO ISAI?] q. d. Quænobis est communio, quæ societas, quæ spes & vtilitas in Dauidis stirpe, putà in Roboam, vt eum nobis regem creemus? q. d. Nulla: non ergo illum regem nobis constituamus. Contemptim Dauidem vocant *filium Isai*, siue Iesse, q. d. Dauid fuit vir plebeius & pauper, vtpote filius Iesse cuius nostri: nos eum eximus in Regem, vt nos protegeret: iam autem Roboam eius nepos ob Dauidis nomen insolescens, nos non protegit, sed laniat & diripit. Cur eum igitur nobis regem statuamus, eò quòd sit è familia Dauidis, cùm recenter illa à nobis ad regnum sit promota. Deprimamus ergo eum cum sua familia, ac redigamus in ordinem, & ad statum pristinum vitæ plebeiæ reducamus, atque ex alia familia modestiorem & benigniorem nobis regem eligamus. VERS. 16.

NVNC VIDE DOMVM TVAM DAVID] Chald. *Nunc regna super viros domus tua Dauid*; Septuag. *nunc pasce* (id est rege) *domum tuam Dauid.* q. d. Tu ô Roboam fili Dauidis rege tuos contribules, putà tribum Iuda; nos decem tribus de alio clementiore nobis prouidebimus.

RECESSITQVE ISRAEL A DOMO DAVID] pro Roboam creans sibi regem Ieroboam. VERS. 19

Quæres, an decem tribus licitè fecerint schisma, seque separarint à Roboam, qui erat legitimus regni heres & Salomonis successor? Resp. Abul. id licitè eos fecisse: quia ipsi, inquit, liberi erant: Roboam verò volebat eos in seruitutem redigere: poterant ergo ab eo recedere: populus enim vel respubl. regem creansilli dat imperium & ius regendi. Ergo illa id ipsum ei potest auferre vel minuere, si is eo abutatur in populi perniciem: populus enim non absolutè, sed certis conditionibus se principi regendum tradit, quas si princeps non seruat, potest eum abdicare. Hæc Abul. de quibus alibi dicendum. Veriùs dicas id factum esse ex voluntate & decreto Dei, vt patet v. 24.

Præclarè monet Principem Corn. Tacitus lib. 4. Annal. *Dura*, inquit, *vectigalia populo non imponant: nimia enim in exigendo tributo seueritas, & nimium ipsum tributum impositum monet subditos frequenter ad seditionem.*

PRÆTER TRIBVM IVDA SOLAM] Adde, & Beniamin: hæc enim vnita cum Iuda vnum cum eo constituit regnum. VERS. 20.

DIXITQVE IEROBOAM IN CORDE SVO: NVNC REVERTETVR REGNVM AD DOMVM DAVID] VERS. 26.

SI ASCENDERIT POPVLVS ISTE VT FACIAT SACRIFICIA IN DOMO DOMINI IN IERVSALEM] Timuit Ieroboam, ne populus VERS. 27.

vadens Ierusalem ad templum, rediret pariter ad regem Roboam regnantem in Ierusalem, dicereque: Volumus adhærere Ierosolymæ & templo: ergo & regi eius Roboam: hinc iussit ne quis adiret Ierusalem & templum, sed vt in Dan & Bethel vitulis à se erectis omnes sacrificarent. Videbatur hoc eius consilium politicè prudens, & ad regnum suum statumque politicum tuendum salutare: sed reuera fuit imprudens & pernicioſum, statumque & regnum eius prorsus labefactauit & euertit. Hoc enim ei comminatus erat Deus, *in cuius manu sunt omnium iura regnorum*; & ita contigit: nam quia Ieroboam ad schisma regni sui tuendum, fecit schisma pariter in religione & fide; idcirco *delera est* vniuersa eius *domus* & familia *de superficie terræ*, vt dicitur c. 13. Regnauit enim ipse 22. annis dūtaxat cum multis doloribus & incommodis. Successit ei filius Nadab, qui vix per biennium regnauit, & à seruo suo Baasa regno & vitâ priuatus est, qui mox omnem familiam Ieroboam adeò extinxit, vt ne vnus quidem ex ea fuerit superstes, vti iam antè idipsum ei per Ahiam Prophetam Deus comminatus fuerat: quæ omnia patent 3. Reg. 15. v. 25. & seq. fuit ergo ipse stolidus æquè ac impius, quòd Deo promittenti stabilitatem regni in posteris suis, si sibi soli seruiret, non crediderit. Esto enim populus eius iuisset in Ierusalem adoratum Deum in templo, tamen Deus populum ipsi subiectum & obedientem feciſſet, impediuisseteque ne ad Roboam rediret: hoc enim expresè ei promiserat; ac mille modos id præstandi in mente & manu habebat. Talia ferè sunt consilia politicorum & Machiauellistarum (quorum iste Ieroboam clarissimum est exemplar) qui religionem faciunt seruire politiæ, & talem fidem & religionem amplectuntur, qualem regno vel obtinendo, vel retinendo, vel augendo, aliisque scopis sibi propositis putant aptiorem. Etsi enim eorum consilia initio videantur speciosa & vtilia, tamen plerumque successu temporis maximis difficultatibus principes inuoluunt, & eis perniciem afferunt ita disponente diuinâ prouidentiâ, quæ omnibus hominum consiliis dominatur. Audiant ipsi Nazianz. in laudem S. Athanas. Orat. 21. *Constantius Imper.* inquit, *de tribus in morte doluit; primò, quòd propinquis suis necem intulisset; secundò, quòd Iulianum Apostatam Imperatorem nominasset; tertiò, quòd nouis fidei dogmatibus studuisset, simulq; cum his vocibus è vita discesſit. Princeps enim religionem roborando, ab ea quoque roboratur.* Ieroboam in schismate secuti sunt Donatistæ, de quibus S. August Epist. 171. *Donatistæ*, ait, *Episcopum contra Episcopum ordinauerunt, altare contra altare erexerunt*, idque *in ciuitate Carthaginensi, in capite Africæ*, sicut Ieroboam erexit altare contra altare.

Denique veram religionem, Deique cultum & pietatem regni & Reipubl. esse fundamentum docet S. August. lib. 1. de Ciuit. & seq. S. Ambros. de fide ad Gratian. S. Cyrillus ad Reginas, quin & Philosophi. Audi Platonem lib. 4. de Legibus: *Ante omnia Deum inuocemus, vt ciuitatem nostram stabiliamus, obsecremusq; vt nos exaudiat, & nobis propitius sit atque benignus, ad nos veniat & leges ipse nos doceat, nostramq; ciuitatem adornet.* Et Mercurium Trismegistum apud Rhodig. lib. 9. c. 19. *Est hominis mensura ante omnes religio, quam sequitur bonitas: ea demum tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatem omnium alienarum rerum despectui habeat virtute munita. Vnusquisque pietate, religione, prudentia, cultu & veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis sua eatenus inter homines præstans, quatenus astra reliqua sol luminis maiestate agnoscitur præcellere.* Pythagoræ sententia est, accedendo ad Deum effici vnumquéque oprimum. Xenophon lib. 8. Pediæ Cyri, Cambysen filio suo Cyro ad Astyagen auum proficiscenti, ita loquentem facit: *Hoc vnum præcipuè commēdo, idq; tamquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tua memoria perpetuò recondi cupio: Dei esto amicus, in eumdem pius, nihilq; aggrediaris nisi Dei numine implorato. Imbecilla enim est & hebes mortalium natura, nil Dei sapientiam latet, omnia ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est.* Quæ paterna admonitio tam altè filij animo insedit, vt non absque admiratione passim lectoribus inculcet Xenophon, qua pietate Cyrus deos coluerit, & quo studio ac diligentia operam dederit, vt eos votis, precibus, sacrificiis placaret. Cicero Orat. de Aruspicum resp. *Quàm* inquit *volumus, licet P. C. ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico nativoq; sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac sapientia, quòd deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesq; superauimus.* Valerius Maximus lib. 1. c. 1. *Omnia*, ait, *post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summa maiestatis conspici decus voluit, quapropter non dubitarunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuina potentia bene atque constanter fuissent famulata.* Et eodem in loco: *Non mirum igitur, si pro eius imperio augendo custodiendoq; pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam scrupulosâ curâ paruula quoque momenta religionis examinare videtur, quia nunquam remotos ab exactissimo cultu cæremoniarum oculos habuisse nostra ciuitas existimanda est.*

Porrò omnia præcepta regibus danda his duobus concluduntur: Memento quòd es homo: memento quòd est Deus, iudex & vindex. Prius ad refrænandam eorum potētiam, posterius ad voluntatem pertinet.

FECIT DVOS VITVLOS AVREOS] fecit Ieroboam vitulos potiùs quàm arietes vel equos, quia vitulum aureum patres Iudæorum conflarant & adorarāt in deserto, idque ad similitudinem Apis, quam specie vituli vel bouis coluerāt in Aegypto, Exodi 32. 4. Vide ibi dicta. Vnde contra hos vitulos detonat Osee, ceteriq; prophetæ. Hinc etiam iisdem verbis hîc vtitur Ieroboam, quibus vsi erant maiores eius Exodi 32. dicendo: *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* De his multa dixi in Osee & prophetis. Rursùm Ieroboam fugiens Salomonem iuit in Aegyptum ad Sesac regem, ibique vidit coli (& fortè ipse ad conciliandam sibi gratiam Sesac, coluit) Apin specie vituli: vnde mortuo Salomone rediens in Iudæam, facienſque schisma à Iuda & Ierusalem, erexit vitulos aureos quos viderat coli in Aegypto, vt Aegyptiorum

ptiorum auxiliis fretus resisteret Roboamo & Iudæis.

VERS. 29. POSVITQVE VNVM IN BETHEL, ET ALTERVM IN DAN] quasi in duobus regni sui limitibus: Bethel enim erat limes Israelis ad Meridiem, Dan verò ad Austrum. Rursùm, Bethel erat locus celebris, & sacer ob visionem Dei in scala exhibitam Iacobo patriarchæ, Genes. 32. indeque dicta est *Bethel*, id est *domus Dei*, sed Ieroboam ex *Bethel*, id est, *domo Dei*, fecit *Bethauen*, id est *domum iniquitatis* & idoli, vt ait Osee. Bethel nunc ponitur in tribu Beniamin, nunc in tribu Ephraim, vnde multi putant duas fuisse Betheles, atque hîc intelligi eam, quæ est in Ephraim: huius enim rex erat Ieroboam. Alij tamen cum Adrichomio vnam eandemq; cēsent fuisse Bethel, quæ nunc Beniamin, nunc Ephraim attribuitur, eò quòd sita effet in confinio vtriusque tribus, aut quòd hæc vna ex Beniamin adhæserit Ieroboam, permiseritque apud se collocari hoc idolum vituli.

VERS. 30. ET FACTVM EST VERBVM HOC (id est res hæc. est Metonymia) IN PECCATVM] q.d. occasione horum vitulorum Ieroboam totus Israel lapsus est in idololatriam, illosque vt deos suos adorauit. Quare grauissimè peccauit Ieroboam peccato non tantùm idololatriæ, sed & scandali, quia causa fuit, cur totus Israel deinceps vsque ad sui excidium, vitulos hos quasi idola & deos suos coluerit per annos 256. quibus nouemdecim reges Ieroboam secuti eius vitulos coluerunt.

VERS. 31. ET FECIT FANA (vitulorum & idolorum delubra, non sacra, sed profana & sacrilega) IN EXCELSIS] montibus & collibus, in quibus idololatræ solebant idola sua collocare & adorare.

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPVLI] q.d. Non ex tribu Leui, vti statuerat Deus, sed ex qualibet alia vilissimos homines constituit sacerdotes suorum vitulorum & idolorum: ita profanantes religionem, profanant cetera omnia. Sed id decebat vilissimos vitulos, vt vilissimos haberent sacerdotes. Fuit ergo hoc iustum Dei iudicium. Sic & hæretici hoc æuo ministros suæ hæresis incipientis constituerunt cerdones, sutores, apostatas, & quisquilias hominum. Dignum tali patella operculum.

Sanè Aristot. ex mero lumine naturæ & philosophiæ lib. 7. Politic. c. 9. præcipit, vt homines viles non constituantur sacerdotes, propter honorem qui religioni & maiestati diuinæ debetur.

Vide ergo vnum eundemque vtrobique spiritum diaboli, qui quia contemptor sacrorum, ea omnia ad vilitatem traducit, vt irrideat & omnibus irridenda proponat, vtque eos sensim deducat ad atheismum, vt nihil credant, negentque animæ immortalitatem, gehennam, & omne numen, vti hoc æuo multos hæreticos fieri videmus atheos; vt sapienter aduertit & annotauit Card. Hosius.

Audi Tertul. lib. de Præscript. aduersus hæreticos c. 41. *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquàm facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promoueri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munera immungunt.*

CONSTITVITQVE DIEM SOLEMNEM IN MENSE OCTAVO, QVINTADECIMA DIE MENSIS, IN SIMILITVDINEM SOLEMNITATIS QVÆ CELEBRABATVR IN IVDA] scilicet festi Tabernaculorum, quod Iudæi ex Dei decreto celebrabant die 15. mensis septimi; sed Ieroboam ex proprio cerebro illud transtulit in diem 15. mensis octaui, ne videretur Iudæos sequi, sed ipse esse auctor noui festi æquè ac nouæ religionis & nouorum deorum, sed ridiculorum, scilicet vitulorum. Quid enim stolidius vitulo? vtique non aliud, nec alius quàm is, qui vitulos irrationales vt rationales habet, ac eis rationem, prouidentiam & diuinitatem attribuit. VERS. 32.

ET ASCENDIT SVPER ALTARE, VT ADOLERET INCENSVM] Vide hîc vt Ieroboam ex vno peccato schismatis, labatur in profundum scelerum. Arrogat enim hîc sibi non tantùm regnum, sed & pontificatum, seseque facit pontificem & caput Ecclesiæ. Nam vt pontifex, adolet incensum, festa instituit, sacerdotes consecrat, fana ædificat. ita Iosephus. Quare in Ieroboam rectè torqueas illud Synesij Episcopi Epist. 101. ad Pylæmenem: *Alta ratione in foro verò diiudicare non licet, nisi cuncta & diuina & humana iura confundas, & pro ingenuo vetcrator euadas.* VERS. 33.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRopheta altari Ieroboam scissionem & excidium per Iosiam regem intentat. Iubet eum capi Ieroboam, sed manus ipsius exaresci, quam illi veniam precanti restituit propheta, qui contra iussum Dei comedens cum alio propheta in Bethel, rediens domum à leone occiditur.

1. ET ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super altare, & thus iaciente. 2. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. 3. Dedítque in il-

la die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. 4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. 5. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. 6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut priùs fuerat. 7. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. 8. Respondítque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: 9. sic enim mandatum est mihi in sermone Domini, præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuertêris per viam qua venisti. 10. Abiit ergo per aliam viam, & non est reuersus per iter, quo venerat in Bethel. 11. Propheta autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij sui, & narrauerũt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ locutus fuerat ad regem, narrauerunt patri suo. 12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filij sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda. 13. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cùm strauissent, ascendit, 14. & abiit post virum Dei, & inuenit eum sedentem subtus terebinthum: & ait illi: Tu ne es vir Dei qui venisti de Iuda? Respondit ille: Ego sum. 15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem. 16. Qui ait: Non possum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: 17. quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuertêris per viam qua ieris. 18. Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum, 19. & reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam. 20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, 22. & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. 23. Cumque comedisset & bibisset, strauit asinum suum propheta, quem reduxerat. 24. Qui cùm abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit: & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer. 25. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer. Et venerunt & diuulgauerunt in ciuitate, in qua propheta ille senex habitabat. 26. Quod cùm audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta verbum Domini, quod locutus est ei. 27. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cùm strauissent, 28. & ille abiisset, inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum. 29. Tulit ergo propheta cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem propheta senis vt plangeret eum. 30. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum: Heu heu mi frater. 31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: iuxta ossa eius ponite ossa mea. 32. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ. 33. Post verba hæc non est reuersus Ierobam de via sua pessima, sed e contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. 34. Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.

VERS. 1. ET ECCE VIR DEI (propheta à Deo missus ad nascentem idololatriam Ieroboam castigandam & comprimendam) VENIT DE IVDA (ex Iudæa) IN SERMONE (instinctu & iussu) DOMINI IN BETHEL] Propheta hic à Iosepho *Iadon* vocatur, à S. Hieron. 2 Paral. 10. *Iaddo*, ab Hugone, Lyran. Dion. Serario & Sanchez, *Addo*, qui 2. Paral. 9. 29. dicitur scripsisse gesta Salomonis in visione, quam habuit cõtra Ieroboam. Verùm cùm noster hic propheta statim à visione & prophetia sua contra Ieroboam occisus sit à leone, non videtur habuisse tempus & vitam ad scribenda gesta Salomonis, vti habuit Addo, qui insuper scripsit gesta Abiæ filij & successoris Roboam, vt patet 2. Paral. 13. 22. quare non potuit esse is, de quo hoc cap. vtpote qui initio regni Roboam occisus est. Addit S. Hieron, & Glossa in cap. 1. Zachar. v. 1. Addo hunc fuisse auum Zachariæ prophetæ, qui ibidem nominatur. Verùm inter Addo hunc & Zachariam hunc fluxêre anni plusquàm quadringenti. Verisimiliùs est quod ait Epiphan. in Vitis Prophetarum sub initium, prophetam hunc fuisse *Ioam* (quem Theodor. & Glycas vocant *Ioel*) qui ibidem eius vitam ex hoc 13. cap. describit. Denique Tertul. lib. de Ieiuniis contra Psychicos c. 16. eum vocat *Semeiam*. Sic & Clemens Alex. lib. 1. Strom. c. 1. eum nuncupat *Sameiam* filium Amame.

VERS. 2. ALTARE, ALTARE, HÆC DICIT DOMINVS: ECCE FILIVS NASCETVR DOMVI DAVID, IOSIAS NOMINE, ET IMMOLABIT (mactabit) SVPER TE SACERDOTES EXCELSORVM] Edita est hæc prophetia de Iosia rege trecentis annis ante eius natiuitatem, simulque eius nomen est editum, scilicet quòd vocaretur *Iosias*, id est *salus Dei*, quia ipse idola euertens, fidem veri Dei eiusque salutem omnibus attulit. Sic Isaias c. 45. 1. ducentis annis ante Cyrum eius nomen edidit, & de eo pluta præclara vaticinatus est, quæ Iudæi posteà ostendentes Cyro, ab eo liberationem è Babylone obtinuerunt, teste Iosepho.

VERS. 3. HOC ERIT SIGNVM, QVOD LOCVTVS EST DOMINVS: ECCE ALTARE SCINDETVR] Signum hoc edidit propheta, non sub Iosia, sed hoc ipso tempore cùm Ieroboam in eum extenderet manum, vt dicitur v. 5.

VERS. 4. ET EXARVIT MANVS EIVS] Audi S. Chrysost. homil. 4. in verba Isaiæ: *Christus*, inquit, *cùm ipse quidem in faciem colaphũ cæderetur; in seruum qui colaphũm impegerat, nihil durius fecit: Ieroboam verò cùm extentâ manu conaretur apprehendere Prophetam, à quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per hæc te erudiens, vt quæ tibi ipsi inuehuntur cum mansuetudine ferãs; quæ verò in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia vlciscaris.*

VERS. 6. ET REVERSA EST MANVS REGIS AD EVM] Causam dat S. Ambros. lib. 2. de Virg. ad finem: *Rogauit*, inquit, *veniam, statimq; manus eius, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in vno & misericordiæ diuinæ & indignationis exemplum extitit, vt sacrificanti subitò dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur.*

Porrò Propheta hic tria insignia miracula patrauit: primò enim, scidit altare, vt Ieroboam videret illud à Deo velut sibi exosum; scindi & disrumpi: secundò, manus eius contra prophetam extensam obriguit: tertiò, illa per preces prophetæ sanata est. Et tamen Ieroboam hæresiarcha à sua hæresi & idololatria non resipuit, sed in ea mansit obfirmatus & obduratus. Mira ergo fuit eius cæcitas, durities & malignitas.

VERS. 9. NON COMEDES PANEM, NEQVE BIBES AQVAM, NEC REVERTERIS PER VIAM QVA VENISTI] Iusserat hoc prophetæ Deus ad detestationem idololatriæ, vt ipso facto ostenderet Bethelitas idololatras adeò esse detestabiles, & à Deo quasi excommunicatos, vt nullam fidelibus cum eis cibi vel potus, imò nec viæ communionem habere velit. Iussit ergo eum in reditu aliam inire viam, quasi via in Bethel ob eius idola esset polluta & execranda, nec vllo modo reuisenda. Adeò seuerè verò vetuit Deus ei comedere in Bethel, vt, si à Ieroboam coniectus fuisset in carcerem, debuisset potiùs mori fame, quàm cibum à Bethelitis oblatum sumere. Figura hæc erat Ecclesiasticæ censuræ, & excommunicationis, qua Ecclesia vetat cum excommunicatis communicare & cibum sumere, vt illi bonorum consortio exclusi confundantur & resipiscant. ita S. Cyprian. Epist. 75. Lucifer Calarit. lib. de non conueniendo cum hæreticis, & ex iis Rupertus lib. 5. c. 6. & Abul. hîc quæst. 8. quare hoc eis maleficium non est, sed beneficium, vti fuit ipsi Ieroboam, de quo Iosephus: *Rex*, ait, *miratus viri continentiam, eò magis de se cœpit esse sollicitus, ex iis quæ viderat & audierat parum felicem rerum suarum exitum augurans.*

VERS. 11. PROPHETES AVTEM QVIDAM SENEX HABITABAT IN BETHEL] Chald. *Propheta falsus nomine Michal*, &c. Iosephus quoque eum vocat *pseudopropheram*. Sic & S. Gregor. Rupert. Angelom. Eucher. Lyran. Hugo, Dionys. Caiet. & alij. Vnde nonnulli opinantur eum fuisse idololatram & vatem diaboli. Abul. verò fidelem fuisse putat, sed malum & impium. Verùm id redarguunt sequentia; arguuntq; eum fuisse fidelem & prophetam Dei, non pseudoprophetam, eò quòd, vt ait Theodor. *Deus per ipsum prædixerit homini Dei, id quod esset euenturum, & quòd crediderit ea quæ prædicta fuerant de Iosia; & quòd filiis suis mandarit, vt, cùm decessisset, se cum eius corpore sepelirent*, quæ omnia ostendunt eum fuisse fidelem & pium. Vocatur ergo à S. Gregorio, Ruperto & aliis iam citatis *pseudopropheta*, id est mendax propheta, quia mentitus est dicendo sibi ab angelo reuelatum esse, Deum velle vt secum cibum sumeret. Theodoreto consentit S. Augustin. mox citandus, S. Hieron. Serarius, Torniellus, Salianus & alij.

VERS. 18. ANGELVS LOCVTVS EST MIHI IN SERMONE (iussu) DOMINI, DICENS: REDVC EVM TECVM IN DOMVM TVAM, VT COMEDAT PANEM] Mentitur hîc propheta, vt alium prophetam ad prædium deducat. Videbat enim eum de via fessum, famentem & sitientem nolle in Bethel comedere nec bibere, sed ieiunum redire: quare motus compassione, ex studio hospitalitatis virum Dei ad hospitium suum inuitat, & per mendacium quasi compellit. Sic subinde viros religiosos eamibus vinoque abstinentes decipiunt seculares, vt carnes liquatas sub oleribus abscondita comedant. Cùm agerem in Belgio, extitit quidam eremita ob simplicitatem cognominatus Ioannes simplex, qui in monasterium B. Virgini dicatum veniens,

vinum à procuratore oblatum recusauit, dicens se profiteri iugem à vino abstinentiam. Vnde procurator eum fallens: Dabimus ergo tibi inquit, lac B. Virginis nostræ, iussitque ei aliud vinum suauius apponi: Bibe, inquit, lacà B. Virgine tibi propinatum loco vini quod respuis. Quod ille vt gustauit, valdè exhilaratus: Vtinam, inquit, in eremo nostra tale lac haberemus, cùm vinum non bibamus.

Verùm fuit intempestiua & imprudens prophetæ huius hospitalitas, nam alteri prophetæ mortem peperit: sed id ipse ignorabat: quare venialiter tantùm peccauit; atque officiosum fuit eius mendacium dumtaxat, non perniciosum.

Porrò permisit id Deus, vt prophetiæ suæ veritatem propheræ ipsius inobedientis, & contra iussum suum in Bethel cibum sumentis morte sanciret, vt ex ea cognosceret Ieroboam, B eum verum fuisse prophetam à Deo missum, ac minas ab eo sibi intentatas verè obuenturas.

Nota, Iosephus quem sequitur Glossa, & Abul. censent hunc prophetam ex malo dolo inuitasse prophetam, vt eum faceret mendacem vel perderet. Audi Glossam: *Iste pseudopropheta princeps erat sacerdotum, & valdè à rege colebatur tamquam diuinus: timens autem ne per sermonem viri Dei Rex ab idolorum cultura recederet, & se tamquàm maleficum interficeret, excogitauit vt virum Dei deciperet satis acutè agens, vt dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret; sicut postea fecit, cùm magis homini quàm Deo credidit; ac per hoc monstraretur esse falsa, quæ prædixit, sicq; regi persuadere posset, sicut fecit.* Verùm prius quod dixi, longè verius est.

VERS. 19. C FEFELLIT EVM ET REDVXIT SECVM: COMEDIT ERGO PANEM IN DOMO EIVS] Peccauit hîc propheta, quia nimis facilè & temerè credidit alteri prophetæ mẽtienti Deum reuocasse suum præceptum ei datum de non comedendo in Bethel: debuisset enim magis eum, eiusque oraculum suo contrarium examinare. Cùm enim Deus ipse ipsimet clarè iussisset non comedere in Bethel, non debebat credere alteri prophetæ dicenti Deum hoc præceptum reuocasse. Poterat enim & debebat cogitare: Deus mentiri nequit; hic homo mentiri & fallere potest: cur ergo Deo meo relicto credam homini mendaci? cur pro certo incertum & dubium amplectar? Certò enim mihi constat, Deum absolutè mihi vetasse comedere in Bethel: quare hic homo dicens contrarium à Deo esse decretum, vtique de fraude & de mendacio suspectus est. Nam, vt notat Abul. Deus omnia quæ præceptis eius superuenire possunt, præuidet & præcogitat. Quare in eius præceptis non est vtendum interpretatione & epiikia: secùs est in mandatis hominum, qui omnia futura præuidere nequeunt, ideoque patiuntur epiikiam.

Fuit tamen hoc eius peccatum veniale dumtaxat, quia prophetam credidit esse veracem, non mendacem. Vnde ob peccatum à leone quidem occisus est, sed corpus eius quasi sancti à leone integrum intactumque seruatum est. ita S. August. mox citandus, Eucherius, Angelom. Caietan. Salianus, Serarius & alij.

VERS. 20. CVMQVE SEDERENT AD MENSAM, FACTVS EST SERMO DOMINI AD PROPHETAM, QVI REDVXERAT EVM] Propheta in mensa peccans per inobedientiam, comedensque contra iussum Domini, in mensa pariter punitur, & à Deo sententiam mortis accipit, idque ab hospite suo, putà à propheta qui eum seduxerat & inuitarat, *vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisit*, ait S. Gregor. & ex eo Eucherius & Angelomus.

QVI CVM ABISSET, INVENIT EVM LEO VER. IN VIA ET OCCIDIT] puta suffocauit, vel morsu interemit; at non deuorauit, sed corpus integrum seruauit. ita punitus fuit à Deo propheta, vt Ieroboam ex hac eius punitione cognosceret, ipsum verũ fuisse propheta. Ipse enim inter alia dixerat, sibi à Deo mãdatum ne comederet in Bethel, vt ostenderet quàm odisset Bethel. Nota, Deus hîc peccatum veniale dumtaxat punit morte, quia ipse summus est vitæ necisque omnium Dominus; secùs est de principe & iudice, qui debet peccata pro sui merito proportionaliter punire, grauia grauiter, leuia leuiter. Vnde lex humana peccata venialia morte punire nequit. Sic Deus Moysen ob peccatum veniale incredulitatis puniuit morte in deserto; Numer. 20. Sic vxor Loth, quia respexit retrò, quod tantùm veniale fuit peccatum, exanimata est, & in statuam salis conuersa, Genes. 19. ita Cassian. collat. 7. c. 25. & S. Thom. 3a q. 8. art. 2. ad 3.

Moral. S. Chrysost. in Psal. 3. *Sicut*, inquit, *canis aut quælibet fera, quàm homo beneficiis cicurauit, sibiq; in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet vel obscuret, fuligine puta, aut cœno, aut colore non proprio, non minùs illum allatrat morsuq; appetit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo, quàm si esset alienus. Sic*, inquit Chrysost. *quia propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fœdauerat, non agnouit leo tamquam dominum suum, atque ideò tamquam alienum interfecit. Longè aliter sese leones habuêre cum Daniele; cùm tamen essent in lacu famelici, quia in eo talem inuenerunt speciem & vultum, qualem venerari & osculari iussi sunt: neque enim fœdauerat aut mutauerat faciem fuligine peccati, sicut hic propheta, qui vultui prius puro ac candido, inobedientiæ ster cus aut cœnum asperſit.*

Rursùm, S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. *Qui*, inquit, *ieiunus miracula fecerat, prandens illicò saturitatis pœnas luit.* Denique S. Brigidæ lib. 5. Reuel. Inter. 14. quæst. 1. quærenti, cur subinde iusti mala morte, iniusti bona morte moriantur? Christus respondit: *Quandoque iusti flebilis exitus contingit ad maius eorum meritum, vt qui semper per vitam in virtutibus fuere solliciti, per mortem contemptibilem liberi euolent ad cælum*, atque exemplum affert huius prophetæ à leone occisi.

ASINVS AVTEM STABAT IVXTA ILLVM, ET LEO STABAT IVXTA CADAVER] quasi custos cadaueris viri sancti, æquè ac asini ipsius: quare prædo factus est prædæ suæ custos. Hîc ergo Deus prophetæ sanctitatem ostendit: nam vt ait Theod. *eum honorauit post mortem, quia occisorem* (leonem) *ei induxit custodem: hac quidem ratione honorans, vt prophetam; illa verò puniens vt transgressorem, & eos qui nunc sunt terrens, vt ne parua quidẽ Dei mandata despiciant.* Pergit Theodor. & post eum Procopius, ex hoc loco ostendere,

dere quantam Deus corporum sanctorum habeat curam, vt etiam leones eis custodes apponat. Leo ergo qui fuit carnifex viui, factus est defensor mortui, vt qui pro inobedientia cæsus cernebatur, pro pœnitentia saluus crederetur. Ita Lyran. pœnitens enim pro culpa, mortem à Deo immissam patienter excepit.

Audi S. August. lib. de cura pro mort. cap. 7. *Hactenus enim voluit Dominus seruum suum plectere, qui non sua contumacia spreuerat præceptum eius implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obediuit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, vt ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur; quandoquidem ipsum eius corpus, idem leo qui occiderat, custodiuit, iumento etiam, quo vehebatur, illaso, & simul cum illa* B *immani fera intrepida præsentia ad sui domini funus astante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coercitum potius temporaliter vsque ad mortem, quàm punitum esse post mortem.*

Audi & S. Gregor. 4. Dial. 24. *Stetit leo iuxta asinum, & non comedit de cadauere. Ex qua re ostenditur, quòd peccatũ inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodùm cadauer iusti.*

Eadem ex S. Gregor. trãscripserunt Euchet. & C Angelom. qui & addunt morale documẽtum, neminem se alicuius virtutis æstimare debere, licet quid fortiter gesserit; nã hic propheta permissus est labi & occidi, qui gloriabatur se regẽ Ieroboam contempsisse & increpasse. Simile exemplum S. Eremitæ ob leuem culpam à Deo lethali morbo percussi, & tamen multa miracula patrantis recensẽt Cassianus coll. 7. c. 26.

VERS. 29. TVLIT ERGO PROPHETES CADAVER VIRI DEI] vt honorificè sepeliret & de more plangeret, præsertim quia ipse necis eius per mendacium fuerat causa. Vnde ex sequentibus liquet prophetam hunc fuisse fidelem & pium, qui per præpositeram hospitalitatem seduxerat propheram. Quare Iosephus lib. 8. Antiq. c. 3. valdè à narratione S. Script. discrepat & aberrat, dum ait quòd pseudopropheta hic regem D Ieroboam minis & miraculis prophetę territum volentemque ab idolis respiscere, in idololatria confirmarit, ac miracula prophetæ apud eum eleuarit & confutarit. *Aiebat enim*, inquit Iosephus, *præ lassitudine manum eius obtorpuisse, dum altari inferret victimas, ac deinde post quietem, vigorem pristinum recepisse. Altare quoque recentis etiam tum structura, quòd tot ac tantarum victimarum molem non ferret, disruptum concidisse. Postremò vatis mortem indicat, à leone esse necatum: adeò nihil diuinum, nec in vita, nec in verbis eius fuisse. His dictis re-*

gi persuasit, & mentem eius à Deo & iustis ac piis operibus in totum auersam, in extremam impietatem præcipitauit. In tantum enim posthac contra omne ius ac fas debacchatus est, vt nihil aliud quæreret, quàm quomodo indies magis ac magis semetipse nouis sceleribus superaret. Verùm hæc à narratione S. Script. in sequent. aliena sunt & quasi contraria.

ET REVERSVS INTVLIT IN CIVITATEM PROPHETÆ SENIS] id est in ciuitatem suam, putà in Bethel, vt patet v. 32. ipse enim erat *propheta senex*, qui eum suo mendacio seduxerat, ideoque eum à leone occisum sepeliuit & planxit.

CVM MORTVVS FVERO SEPELITE ME IN VERS. 31. SEPVLCHRO, IN QVO VIR DEI (propheta à leone occisus) SEPVLTVS EST] Id iussit hoc fine, ne ossa sua cremarentur à Iosia: omnia enim ceterorum, vtpote idololatrarum, sepulchra effodit, & ossa in Bethel combussit Iosias, excepto sepulchro prophetæ, qui contra Ieroboam hîc detonuerat, & Iosiam eius idola & idololatras euersurum prædixerat, vt patet lib. 4. Reg. c. 23. quare in eius sepulchro sua quoque ossa sepeliri voluit, vt ossa eius seruarentur intacta.

QVICVMQVE VOLEBAT IMPLEBAT MA- VERS. 33. NVM SVAM] oleo & victimis; curando scilicet manus suas ab alio sacerdote inungi, seq; consecrari, ac manu sua victimas in consecratione offerri solitas offerendo. Vnde sequitur: & hoc ritu FIEBAT SACERDOS EXCELSORVM, id est vitulorum, qui in excelso monte Bethel erecti adorabãtur. Ieroboam enim expulit Leuitas & sacerdotes Aaronicos, qui proinde cum ceteris Israelitis fidelibus idola Ieroboam detestantibus profugerunt in Ierusalem ad Roboam, eiusque regnum firmarunt, vt dicitur 2. Paral. 11. 13.

ET PROPTER HANC CAVSAM PECCAVIT VERS. 34. DOMVS IEROBOAM, peccatum grande idololatriæ, quia scilicet vitulos aureos erexit, ad eosque adorandos compulit totum populum, ET (idcircò) EVERSA EST, ET DELETA DE SVPERFICIE TERRÆ] quasi de terra funditùs abrasa, vt nemo ex ea remaneret superstes, vti patet cap. seq. v. 10.

Nota hîc veram causam interitus & extidij familiarum etiam regalium, qualis fuit Ieroboam, esse idololatriam, hæresin, & scelera cetera ex ea consequentia; idque toto hoc libro, & quarto sequenti, per exempla omnium regum Israel, qui Ieroboam in idololatria vitulorum æquè ac in regno secuti sunt, ostenditur. Vbi mira eorum cæcitas liquet, quòd cùm audirent hasce Dei minas, ac reipsa eas in Ieroboam ceterisque anteccssoribus suis impleri viderent, ipsi tamen quasi dementati, eorum idololatriam secuti sint, ideoque ipsi pariter cum suis familiis à Deo excisi sint.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vxor Ieroboam adiens Ahiam prophetam pro salute filij, diras ab eo Dei minas excipit. Mox v. 29. reliqua gesta tam Ieroboam, quàm Roboam recensentur.

1. IN tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam. 2. Dixitque Ieroboam vxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quòd sis vxor Ieroboam: & vade in Silo, vbi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic. 4. Fecit vt dixerat, vxor Ieroboam; & consurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ senectute. 5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce vxor Ieroboam ingreditur vt consulat te super filio suo qui ægrotat. hæc & hæc loquêris ei. Cùm ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ erat, 6. audiuit Ahias sonitum pedum eius introeuntis per ostium, & ait: Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 7. Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel: 8. & scidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo: 9. sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post corpus tuum: 10. idcircò ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli: quia Dominus locutus est. 12. Tu igitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer, 13. & planget eum omnis Israel, & sepelient: iste enim solus inferetur de Ieroboam in sepulchrum, quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israel, in domo Ieroboam. 14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore: 15. & percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua: & euellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans Flumen: quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel. 17. Surrexit itaque vxor Ieroboam, & abiit, & venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, 18. & sepelierunt eum Et planxit eum omnis Israel iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu serui sui Ahiæ prophetæ. 19. Reliqua autem verborum Ieroboam, quomodo pugnauerit, & quomodo regnauerit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel. 20. Dies autem, quibus regnauit Ieroboam, viginti duo anni sunt: & dormiuit cum patribus suis: regnauitque Nadab filius eius pro eo. 21. Porrò Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. Quadraginta & vnius anni erat Roboam, cùm regnare cœpisset: decem & septem annos regnauit in Ierusalem ciuitate, quam elegit Dominus vt poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autē matris eius Naama Ammanitis. 22. Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccauerunt. 23. Aedificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos, super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam: 24. sed & effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israel. 25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Aegypti in Ierusalem, 26. & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & vniuersa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon: 27. pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum

ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus regis. 28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & posteà reportabant ad armamentarium scutariorum. 29. Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda. 30. Fuitque bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus. 31. Dormiuitque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: nomen autem matris eius Naama Ammanitis: & regnauit Abiam filius eius pro eo.

VERS. 1. AEGROTAVIT ABIA FILIVS IEROBOAM] A per me mortem filio intentatam & immissam ob tua & tui mariti idola, ideoque grauiùs doleatis, quòd vestri filij fueritis quasi parricidæ. Sic Valens Imp. morbum filio suo ob Arrianismum immissum depulit per preces S. Basilij, at mox vocans Arianos ad eum visendum, eumdem perdidit.

ILLE ENIM SOLVS INFERETVR DE IEROBOAM IN SEPVLCHRVM; QVIA INVENTVS EST SVPER EO SERMO BONVS A DOMINO] Aliqui putant filium hunc aliquid boni gessisse, ob quod meruerit apud Deum sepulturam, v. g. quòd fideles euntes in Ierusalem ad adorandum Deum in templo, ire permiserit. ita Rabbini. Verùm filius hic erat puer, vt dictum est v. 12. Meliùs alij, non filij, sed alicuius domestici meritis id attribuunt; hoc enim significat rò *in domò Ieroboam*, q. d. Aliqui è familia Ieroboam nonnulla bona fecerunt, ob quæ Deus eos remunerabitur hac mercede, vt filius hic Ieroboam sepulturâ dignâ donetur. ita Vatab. VERS. 13.

CONSTITVIT (constituere decreuit) AVTEM SIBI DOMINVS REGEM ISRAEL (Baasa seruum Ieroboam) QVI PERCVTIET DOMVM IEROBOAM IN HAC DIE, ET IN HOC TEMPORE] hoc est breui, post paucos dies, post modicum tempus. Pro *in hoc tempore*, Hebr. ad verbum habent: *Et quid? etiam nunc*, q. d. Quin imò ex nunc, ex hoc instanti incipiam percutere Ieroboam, occidendo filium eius paruulum ægrotantem. Aliter Vatab. q. d. *Quid nunc?* id est, quantula & quàm parua est hæc pœna, & tribulatio, præ illis quæ regi Ieroboam parantur in futurum, putà in gehenna? Aliter quoque Chald. qui vertit; *Exterminabit domum Ieroboam, eum qui viuit hodie, & etiam qui gignetur ex nunc & vltrà.* VERS. 14.

ET PERCVTIET DOMINVS DEVS ISRAEL, SICVT MOVERI SOLET ARVNDO] q. d. Deus percutiet regem Ieroboam, eiusque populum C Israel assiduè ab omnibus partibus vndequaque, sicut assiduè ab omnibus ventis agitatur arundo, vt nulla ei sit requies; sed continuis hostium incursionibus; depræ dationibus, præliis conquassetur, donec cadat & intereat. VERS. 15.

Rursùm, VENTILABIT, id est in omnem ventum disperget, ac per quatuor mundi ventique plagas dissipabit, EOS (Israelitas) TRANS FLVMEN] scilicet Euphratem, qui erat terminus terræ Iudæis promissæ. Id reipsa præstitit, cùm sub Osee vltimo rege decem tribus abductæ sunt à Salmanasar in Assyriam anno 6. Ezechiæ regis, vti audiemus c. 16. & 17.

QVIA FECERVNT SIBI LVCOS] puta siluas arboribus consitas, vmbrosas, amœnas & nemorosas, in quibus more Gentium sua colebant idola, quibus hosce lucos dicabant. Vnde in iis comessando, inebriando, fornicando seruiebant

VERS. 5. EGO AVTEM MISSVS SVM AD TE DVRVS NVNTIVS] vt denuntiem filium, pro quo me consulis, moritutum, & alias longè maiores clades Dei iussu infligam: quia Ieroboam Deo fuit durus & refractarius: duro autem nodo durus quærendus est cuneus.

VERS. 10. ET PERCVTIAM DE DOMO IEROBOAM MINGENTEM AD PARIETEM] id est omnem masculum: soli enim masculi ad parietem mingunt, ait Elias in Thisbi. Aut potiùs q. d. Occidam omne viuens in domo Ieroboam vsque ad canem, vt ne canem viuum in ea relinquam: soli enim canes elauata tibia parietem aqua sua conspergunt. q. d. ne canibus quidem parcam. ita Theod. Vatab. Serarius.

ET CLAVSVM] id est carcere conclusum, vel domi abditum.

ET NOVISSIMVM] id est vltimum, qui scilicet vsque ad finem belli relictus fuerit, q. d. reliqui omnes tandem peribunt. Aut *nouissimum*, id est vilissimum, abiectissimum. Hac phrasi vtitur Script. cùm omnes omnino vult significare, q. d. Delebo omnes reliquias & quisquilias tuæ familiæ. Simili modo Deus occidit omnes primogenitos Ægypti, *à primogenito Pharaonis vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere*, Exodi 12. 29.

ET MVNDABO (scopabo, scopis euerram, euertam) RELIQVIAS DOMVS IEROBOAM, SICVT MVNDARI SOLET FIMVS (Chald. *stercus*) VSQVE AD PVRVM] vt nil simi remaneat, sed totum domus pauimentum sit purum.

VERS. 12. IN IPSO INTROITV PEDVM TVORVM IN VRBEM, MORIETVR PVER] vt pateat à Deo

VERS. 3. ET CRVSTVLAM] Chald. *& placentas*; Septuag. *& collyria*; Vatab. *dulciarios panes*; Gallicè, *des gauffres*: nam solebant illis imprimere formam quamdam in qua erant foramina. Hebr. enim נְקֻדִּים *nikudim* significat *punctata*; puta liba vel crustulas punctis notatas & distinctas. B Regina hæc munera non regia, sed plebeia & rusticana, (qualem se simulabat) offert, scilicet panes, placentas, vas mellis.

uiebant Bacchо & Priapo, vt patet c. 15. v. 13. Causas alias lucorum affert Plinius lib. 12. c. 1. *Hæc*, ait, *fuere quondam numinum templa, priscoq; ritu simplicia rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quàm lucos & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata, perpetuò seruantur, vt Ioui esculus, Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin & syluanos faunosq; & dearum genera syluis, ac sua numina non secùs ac cælo attributa credimus.*

Luci vetiti quatuor de causis.

Causas verò cur Deus lucos adeò vetuerit, recenset Philo lib. de Monarch. *Primò*, inquit, *quoniam verum Dei templum non amœnitates postulat, sed seueram castimoniam. Deinde quia non est fas illuc importare quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est brutorum & hominum excrementa. Tertiò, quia syluestris materia nullus est vsus, idem sit, vt poëta loquuntur, telluris inutile pondus: fructiferæ autem arbores parùm cordatos & pios ab intentione animi, religioneq; sacris debita retraherent. Præterea condensa syluarum maleficis conueniunt, ex latebris securitatem & insidiarum occasionem quærentibus: at patentia & oculis expósita loca, quæ introgressi & videri ab aliis & videre alios possunt, sacris maximè apta sunt & accommodata.*

VERS. 16. ET TRADET DOMINVS ISRAEL; hoc est Israelem, putà decem tribus in manus hostium, scilicet Assyriorum, PROPTER PECCATA IEROBOAM] Nota hìc quatuor plagas grauissimas, quibus Deus castigauit idololatriam publicam Ieroboam. Primò enim prædicit filium eius puerum moriturum: secundò, ipsum perituram cum omnibus posteris, idque cum infamia, vt careant sepultura, atque à canibus & feris lanientur. Tertiò, regnum à Ieroboam, eiusque familia ad alium regem transferendum. Quartò, totum populum in captiuitatem abducendum.

VERS. 19. RELIQVA AVTEM VERBORVM (id est factorum. est Metonymia) IEROBOAM, &c. SCRIPTA SVNT IN LIBRO VERBORVM (factorum) DIERVM REGVM ISRAEL] putà in Annalibus, Chronicis & Diariis, in quibus scribebantur gesta regum populique Israel per singulos dies. Aliqui putant hunc librum esse librum Paralipom. sed errant, quia hic liber citatur in. libro Paralip. quare ante librum Paralip. æquè ac ante libros Regum (nam in iis hìc & alibi citatur) conscriptus est. Vide Abul. Proœm. in lib. Paralip.

VERS. 21. PORRO ROBOAM] finitis gestis Ieroboam primi Regis Israel, transit ad gesta Roboam primi regis Iuda.

VT PONERET NOMEN SVVM IBI] *Nomen*, id est nominis sui cognitionem, fidem, cultum, adorationem æquè ac celebritatem, famam, gloriam, miracula, oracula, &c. In Ierusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices & Prophetæ, qui populum in Dei fide cultuque instruerent & promouerent.

NOMEN AVTEM MATRIS EIVS NAAMA AMMANITIS] nimirùm soror aut filia Sobi, quem Dauid loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde vt arctiùs sibi Dauidem deuinciret, petiit, vt Naama daretur vxor Salomoni filio Dauidis, vt dixi 2. Reg. 17. 27. Concessit id Dauid, eò quòd Naama ad Iudaismum se conuerti velle diceret; sed Vatab. & Emman. Sá aliique suspicantur fictam & simulatam fuisse eius conuersionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, & deorum suorum cultricem; imò ad eorum cultum Roboam filium suum traduxisse: atque hanc fuisse causam inualescentis in Iuda idololatriæ. Idcirco enim statim hìc subdit Script. *Et fecit Iudas malum coram Domino, &c. Ædificauerunt enim, & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos.* Discant hìc Principes, quàm periculosum sit & Deo ingratum ducere filias infidelium vel hæreticorum, licet dicant se velle ad fidem conuertì: hoc enim dicunt ob spem regni vel principatus; quia difficile est vt hæresim, quam à puero imbiberunt, serò ex animo eradicent. Hinc & Dauid ducens Maacha filiam regis Gessur, ex ea genuit Absalomem. At qualis fuit Absalom? vtique fratricida & patricida, quia in necem patris cum toto Israele conjurauit. Porrò Absalomis filia vel neptis fuit Maacha, quæ hoc nomen ab auia, putà matre Absalomis accepit, fuitque vxor Roboam, atque auiæ idololatriam & scelera imitata, facta est ipsa, vel potiùs eius soror aut neptis, princeps & sacerdotissa sacrorũ Priapi, quam proinde Asa filius loco mouit, vt audiemus cap. seq. v. 13. Propago ergo idololatriæ æquè ac hæresis, (vti ex S. Hieron. ostendi 2. Timoth. 3. 6.) facta est per feminas, vtpote nouitatis amantes & in suo sensu pertinaces.

Coniugium cum infidelibus pernicio sum.

Exempla.

ET FECIT IVDAS MALVM] puta idola, quæ antonomasticè vocantur *malum*, siue *peccatum*, quia ipsa summum sunt scelus. Nota, Roboam primis tribus regni sui annis, cum sua tribu Iuda in fide & cultu veri Dei perstitit: sed iis elapsis, illam deseruit, variasque effeminatorũ spurcitias permisit: qua de causa Deus in eum anno regni sui quinto immisit Sesac regem Ægypti, qui Ierosolymam cepit & spoliauit, quæ omnia patent ex seq. & ex 2. Paral. c. 11. v. 17. & c. 12. Causa idololatriæ fuit partim mater Roboam, putà Naama iam dicta, partim vxor Maacha, de qua v. 21. partim vicinia idololatrarum: omnes enim Gentes in circuitu, ac præsertim decem tribus Israel colebant idola, ac multæ ex eis florebant pace, opibus, deliciis, atque Iudæos sibi vicinos illiciebant ad sua idola colenda, promittentes eis à diis suis similem rerum abundantiam.

SED ET EFFEMINATI FVERVNT IN TERRA] q. d. Idololatræ permittente Roboam constituerunt lupanaria, non tantùm meretricum, sed & puerorum meritoriorum, seu scortorum masculorum, catamitorum; ad præposteram & execrandam libidinem, qualia constituit impius Simon 2. Machab c. 4. v. 9.

Ecce fructus idololatriæ, æquè ac hæresis, est libido, eaque infamis & horrenda; hac enim coli volunt spurci dæmones, quos in idolis adorabant, vt homines ad omnem spurcitiam omneque scelus impellant, ad Dei creatoris sui iniuriam, æquè ac ad eius offensam & vindictam concitandam.

IN QVINTO AVTEM ANNO REGNI ROBOAM (puniente Deo eius apostasiam & idolatriam) ASCENDIT SESAC REX ÆGYPTI IN IERVSALEM] cum sexaginta millibus equitum,

tum, & peditatu innumerabili ex Ægyptiis, Libyis, Troglodytis & Æthiopibus collecto, vt dicitur 2. Paral. 12. 3. *Sesac* Herodotus apud Iosephum vocat *Sesostrim*, à Diodoro lib. 1. vocatur *Sesoosis*, qui & addit, columnas ab eo in Palæstina erectas, quibus insculpta erant genitalia muliebria, vt notaret incolarum libidinem, & per eam effeminationem & ignauiam, quasi qui virilitatem amisissent, ac pauidi instar feminarum non fuissent ausi arma capere, & sibi resistere. Videtur hic Sesac cognatus fuisse Roboam: nam eius pater Salomon duxerat filiam Pharaonis, cuius in regno Ægypti *Sesac* videtur fuisse successor & filius.

VERS. 26. ET TVLIT THESAVROS DOMVS DOMINI &c.] Sesac diripuit Ierusalem, non tamen eam euertit, tum quia in Ierusalem inuenta sunt opera bona pœnitentiæ, scilicet religionis, deprecationis, sacrificiorum, eleemosynarum, quibus viri pij euersionem deprecati sunt à Deo 2. Paral. 12. 12. tum quia rex Roboam videns Sesac vastare Iudæam, cum suis resipuit dicens: *Iustus est Dominus*, vt dicitur 2. Paral. 12. 6. vbi & additur: *Cumq; vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboq; eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum*: quid scilicet intersit inter seruire Deo, & seruire homini, putà Sesac regi. Deus enim suos seruos ditat & exaltat; Sesac verò deprimit & spoliat. Denique ibidem de Roboam v. 14. dicitur: *Fecitq; malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IMpio Roboam succedit filius impius Abia, huic pius filius Asa qui vers. 12. aufert idola & effeminatos, ac Maacha matrem suam sacerdotissam Priapi. Asæ pio succedit pius filius Iosaphat vers. 24. Ieroboam verò impio regi Israel succedit impius filius Nadab, quem Baasa occidit, totamq; eius familiam succidit.

1. IGitur in octauo decimo anno regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam super Iudam: 2. Tribus annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Maacha filia Abessalom. 3. Ambulauitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. 4. Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & statueret Ierusalem: 5. eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi. 6. Attamen bellum fuit inter Roboam & Ieroboam, omni tempore vitæ eius. 7. Reliqua autem sermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Fuitque prælium inter Abiam & inter Ieroboam. 8. Et dormiuit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitque Asa filius eius pro eo. 9. In anno ergo vigesimo Ieroboam regis Israel regnauit Asa rex Iuda, 10. & quadraginta & vno anno regnauit in Ierusalem. Nomen matris eius Maacha, filia Abessalom. 11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius: 12. & abstulit effeminatos de terra, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. 13. Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in Torrente Cedron: 14. excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis: 15. & intulit ea, quæ sanctificauerat pater suus, & vouerat, in domum Domini, argentum & aurum, & vasa. 16. Bellum autem erat inter Asa, & Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum. 17. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Iudam, & ædificauit Rama, vt non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Iuda. 18. Tollens itaque Asa omne argentum & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus seruorum suorum: & misit ad Benadad filium Tabremon filij Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: 19. Fœdus est inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum: ideò misi tibi munera, argentum & aurum: & peto vt venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, & recedat à me. 20. Acquiescens

Benadad

Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in ciuitates Israel, & percusserunt Ahion, & Dan, & Abeldomum Maacha, & vniuersam Cenneroth, omnem scilicet Terram Nephthali. 21. Quod cùm audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, & reuersus est in Thersa. 22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Iudam, dicens: Nemo sit excusatus. & tulerunt lapides de Rama, & ligna eius, quibus ædificauerat Baasa, & extruxit de eis rex Asa Gabaa Beniamin, & Malpha. 23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, & vniuersæ fortitudines eius, & cuncta quæ fecit, & ciuitates quas extruxit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes. 24. Et dormiuit cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Ciuitate Danid patris sui. Regnauitque Iosaphat filius eius pro eo. 25. Nadab verò filius Ieroboam regnauit super Israel anno secundo Asa regis Iuda: regnauitque super Israel duobus annis. 26. Et fecit quod malùm est in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel. 27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, & percussit eum in Gebbethon, quæ est vrbs Philisthinorum: siquidem Nadab & omnis Israel obsidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Iuda, & regnauit pro eo. 29. Cumque regnasset, percussit omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu serui sui Ahiæ Silonitis, 30. propter peccata Ieroboam, quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Israel: & propter delictum, quo irritauerat Dominum Deum Israel. 31. Reliqua autem sermonum Nadab, & omnia quæ operatus est, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 32. Fuitque bellum inter Asa, & Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Asa regis Iuda, regnauit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.

VERS. 1. IGITVR IN OCTAVO DECIMO ANNO IEROBOAM FILII NABAT, regis Israel, REGNAVIT ABIAM, filius Roboam, SVPER IVDAM.

VERS. 2. TRIBVS ANNIS REGNAVIT] Dices, v. 9. Abia dicitur mortuus anno vigesimo Ieroboam: ergo non tribus, sed duobus tantùm annis regnauit: nam ab anno 18. ad 20. sunt tantùm duo anni. Resp. numerandum hìc esse annũ 18. cùmque fuisse primum regni Abiam, secundum verò fuisse 19 tertium verò 20. regni Ieroboam. ita Abul. Caiet. Salianus & alij. vbi Nota, in Chronologia annum subinde à principio, subinde à fine computari: quocirca vnus annus additus vel demptus in Chronologia nullam facit diuersitatem. Porrò Abul. hìc tres alios modos conciliandi diuersam chronologiam assignat, valdè vtiles & notandos.

Tres canones conciliandi diuersa tempora. Primus. Primus est per Synecdochen, qua pars anni, mensis, vel dici ponitur pro integro anno, mense, vel die. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulchro, quia per partem diei primæ & tertiæ fuit in sepulchro, solo autem die secundo integro in eodem mansit.

Secundus. Secundus, quòd aliquando numerentur anni, quibus filius regnauit cum patre, aliquando verò anni quibus solus ipse regnauit post patrem.

Tertius. Tertius, quòd quandoque interregnum iungitur annis sequentis regis vel Iudicis, vti ostendi Iudic. c. 3. quandoque non. Eosdem modos tradit Richardus de S. Victore tract. de Concordia temporum Regum Iuda.

NOMEN MATRIS EIVS MAACHA, FILIA ABESSALOM] id est *Absalom*, vt dicitur 2. Paral. 11. 21. Hebr. enim *Abisalom*, idem est quod *Absalom*. Quare vix dubitandum est quin Absalom hic sit filius Dauidis, de quo lib. 2. crebra facta est mentio: nec enim alium legimus Absalom. Ideò ergo Absalom hic nominatur, quia ipse ex gestis eius recensitis lib. 2. toti Israel fuit notissimus. Quare *Maacha* hæc eadem est cum *Thamar*: hanc enim solam filiam genuit Absalom, vt patet 2. Reg. 14. 27. ita censent Hebræi, Iosephus, Lyran. Caiet. Sanchez & alij. Minùs rectè ergo Abul. & Salianus censent alium esse hunc Absalom ab Absalome filio Dauidis.

Dices, 2. Paral. 13. 2. hæc *Maacha* vocatur *Michaia, filia Vriel de Gabaa*. Resp. Caiet. Absalom fuisse binomium, aliòque nomine vocatum esse *Vriel*, fortè ob pulchritudinem, quòd adeò esset pulcher, vt Angelus videretur, dicíque posset *Vriel*, id est *lux* & *splendor Dei*. Aut certè Absalõm fuisse patrem naturalem Maachæ, Vrielem verò eiusdem fuisse patrem legalem: quod difficile est concipere, cùm nullus Dauidis filius legatur vocatus *Vriel*, cui quasi fratri sine liberis defuncto Absalom semen suscitare debuerit.

Posset planiùs dici Maacham dici *filiam*, id est *neptem* Absolomis, more Script. quo nepotes vocantur *filij*. Videtur enim Thamar Absalomis vnica filia nupsisse Vrieli, ex coque genuisse Maacham hanc Roboami vxorem, & Abiæ matrem. Id variis coniecturis confirmatur. Nam Vriel hic fuit de Gabaa, quæ erat *Vriel* vrbs in tribu Beniamin; fuit ergo ipse Beniamita; ergo Vriel non est Absalom: hic enim erat de tribu Iuda, æquè ac Dauid.

Secundò, quia Thamar videtur fuisse hoc tempore grandæuior, quàm vt nuberet Roboamo. Nata est enim facilè 12. vel 13. annis ante mortem Dauidis (nam pater eius Absalom occisus est nouem annis ante mortẽ Dauidis, vti dixi in Chron. Dauidis sub finẽ l. 2. Reg.) Adde annos 40. regni Salomonis, habebis 52. annos vitæ Thamar. Esto enim Roboam eam videatur duxisse ante mortem Salomonis: nam ex ea genuit Abiam, qui post triennũ moriens regni successorem reliquit filium Asa, Roboam autem regnauit 17. annis dumtaxat: quare Abia à Roboam ante initum regnum genitus videtur, vt eò moriente esset plusquam 17. annorum: nam post triennium moriens reliquit filium Asa iam grandæuum, & habilem ad regnum. Esto, inquam, id ita sit; tamen non videtur diu ante mortem Salomonis eam duxisse, eò quòd illam duxerit tertio loco; vt patet 2. Paral. 11. 20. filij enim regum ante regnum & ante mortem patris, non solebant multiplicare vxores.

Tertiò, quia hæc semper vocatur *Maacha*, numquam Thamar, ergo non fuit ipsa Thamar, sed Thamaris filia.

Quartò, quia hìc v. 10. de Asa filio Abiæ idem dicitur quòd hìc de Abia, scilicet: *nomen matris eius Maacha filia Abessalom*. Hæc ergo Maacha vel fuit eadem cum Maacha matre Abiæ, vt dicatur *mater*, id est *auia* Asæ; vel certè fuit eius soror iunior, ait Caiet. vt posset duci ab Asa filio Abiæ. Ergo Maacha non fuit Thamar, vtpote quæ nullam sororem habuit, sed fuit vnica filia Absalomis: fuit ergo Maacha filia Thamaris.

Quintò, id disertè asserit Iosephus, qui cùm priùs Maacham vocasset filiam Absalomis, mox libro 8. c. 3 eamdem vocat Absalomis neptem, scilicet ex Vriele & Thamar progenitam.

VERS. 3. AMBVLAVITQVE IN OMNIBVS PECCATIS PATRIS SVI] colendo idola Roboami, permittendo effeminatos, &c. hos cum idolis sustulit filius eius Asa, vt sequitur.

VERS. 4. DEDIT EI DOMINVS DEVS SVVS LVCERNAM, id est prolem gloriosam & regiam, scilicet VT SVSCITARET FILIVM EIVS POST EVM; VT Asa filius ei in regno succederet, ET, per eum, STATVERET IERVSALEM] stabiliendo eam in fide & cultu veri Dei, itaque pariter stabiliendo eius pacem, opes & regnum.

VERS. 5. EXCEPTO SERMONE (id est, re & facto, putà homicidio) VRIÆ HETHÆI] Dices, Dauid multa alia peccata commisit, vt dum ex superbia numerauit populum, quod peccatum Deus punierit peste & morte 70. millium hominum 2. Reg. 24. 15. dum voluit occidere Nabal, omnesque eius domesticos 1. Reg. 25. v. 22. dum Miphiboseth innocenti partem diuidiam facultatum ademit 2. Regum 19. v. 29. Verùm hæc peccata nec tam grauia fuerunt, quàm fuit adulterium & homicidium Uriæ, nec tam certa & à vulgo taxata; quin imò habebant velum & prætextum aliquem honestatis & iustitiæ, saltem apud homines, qui proinde ea vel excusabant, vel non æstimabant. Hoc verò peccatum contra Uriam ab omnibus habitum fuit vt iniustum, enorme & infame; ideoque Deus qui peccata, tanta & tam scandalosa non finit

A impunita, acriter illud puniuit. Ob hoc enim omnia mala Dauidi acciderunt, eique dictum est à Deo, quòd numquam recederet gladius à domo ipsius, idq; ita accidisse ipsa hìc ostendit, dum subdit, inter Roboam & Ieroboam æquè ac Abiam perpetua fuisse bella, cædes & spoliationes: ita Abul. Caiet. & alij.

ATTAMEN BELLVM FVIT INTER ROBOAM ET IEROBOAM OMNI TEMPORE VITÆ EIVS] q. d. Deus ob merita Dauidis voluit ei dare *lucernam*, id est posteritatem regiam, scilicet Salomonem, Roboam & Abiam; sed tamen ob eorum peccata, præsertim idololatriæ, fecit vt perpetua haberent bella cum Ieroboam. VERS. 6.

FVITQVE PRÆLIVM INTER ABIAM ET INTER IEROBOAM] Illud enarratur fusè 2. Paral. 13. vbi dicitur Abiam in aciem eduxisse 400. millia, Ieroboam verò 800. millia, cumque hi, vtpote plures, illos cingerent, ipsos inuocasse Deum, acetus ope ex 800. millibus cecidisse 500. millia. VERS. 7.

NOMEN MATRIS EIVS MAACHA FILIA ABESSALOM] id est Absalom filij Dauidis. *Filia*, id est neptis, vt liquet. Hæc enim Maacha mater Asæ, vel est eadem cum Maacha matre Abiæ, vt vult Lyran. & Serar. vt dicatur *mater*, id est auia Asæ, sicut v. 3. Dauid dicitur Abiæ *pater*, id est auus; vel potiùs eius soror iunior, ex eadem matre Thamar Absalomis filia genita, vt ex Caiet. dixi v. 2. aut certè eius neptis. *Maacha* Hebr. idem est quòd compressio, attritio, fixio, ait Pagnin. Videtur hoc nomen commune fuisse reginis siue filiabus regum Gessur: vnde filia regis Gessur, quam duxit Dauid, vocata est *Maacha*, quæ fuit mater Absalomis, indeque Thamar filia Absalomis suam filiam, quæ nupsit Roboamo vocauit *Maacha*, ac eius sororem, quæ nupsit Abiæ, vocauit quoque *Maacha*: hanc enim tam Hebr. quàm Septuag. Noster, & Iosephus constanter vocant matrem Asæ. Simili modo S. Paula, Melania, Macrina S. Basilij amita, Eudoxia, Constantia, suum nomen ad filias & neptes transmiserunt. VERS. 10.

Porrò nominatur hic Maacha *mater*, vel auia Asæ, vt Asæ insignis virtus & religio ostendatur, quòd à tam impia matre educatus, tamen tam pius euaserit, adeoque ipsam matrem à sacerdotio idolorum amouerit. Sic Plinius lib. 7. Epist. laudat Quadratum iuuenem, quòd in deliciis auiæ degens, viueret tamen seuerissimè.

INSVPER ET MAACHAM MATREM SVAM AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS (sacerdotissa prima:) IN SACRIS PRIAPI] Hebr. ad verbum est, *Ne esset domina, quia fecit id. Ium horrendum*: vbi Sep. vag. Chald. Vatab. Pagnin. & alij *ne esset domina*, exponunt, *ne esset regina*, ne regeret regnum. Vnde & Noster 2. Paral. 15. 16. vertit: *Sed & Maacham matrem Asa regis de augusto deposuit imperio, eò quòd feciffet in luco simulacrum Priapi*. Hic tamen vertit, *Ne esset princeps in sacris Priapi*; hic enim principatus sacrorum Priapi apud Iudæos & idololatras erat augustum imperium, & summa dignitas, vt אֲשֶׁר *asser*, id est *quia, quòd*, capiatur pro אֲשֶׁר בַּ *baasser*, id est *in eo quòd fecit idolum*, putà in cultura sui Priapi. Pro *Priapi* Hebr. est מִפְלֶצֶת *mipleiset*, id est *tremor*, horror; sic vocatur Priapus, tum quia pingebatur vel sculpebatur turpi & horrenda VERS. 13.

renda forma; tum quia horrore suo terrorem A incutiebat furibus & autibus volentibus deprædari hortos, quorum ipse erat Deus & tutor; vnde illud Horatij lib. 1. Satyra 8. de Priapo:

Deus inde ego furum, auiumq;
Maxima formido.

Hinc & ab Hebr. *miphleteſet*, Priapus Latinè dictus est *Phallus & Mutinus*: sic enim eum appellat Iuuen. Satyra 6. Virgilius & Ouidius: ita Serar. Vatab. & Sanchez. Fuit ergo Maacha obscœna & sacrilega, imò obscenitatis & sacrilegij princeps, ac meretricum & scortorum regina, ideoque suo Priapo sacrauit lucum; quia libido, vtpote pudenda, quærit lucos, id est siluas vmbrosas, & tenebras, quibus suam turpitudinem tegat. Vnde *lucus* dicitur per antiphrasin, eò quòd luce careat, sitque opacus. ita Eucherius.

Porrò Hebræi coluerunt Priapum nomine *Beelphegor*, quasi Deum obscenitatis, ritibus & actibus obscenissimis. Vide dicta Numer. 25. 3. fecit autem hæc Asa initio regni, cùm esset penè puer; eò maior fuit eius zelus & pietas. Quocirca Deus hunc Asæ zelum remuneratus est, primò, pace felici & longa; secundò, ædificatione multarum vrbium; tertiò, victoria illustri qua decies centena millia Æthiopum prostrauit 2. Paral. 14. 7.

VERS. 14. EXCELSA AVTEM NON ABSTVLIT] Abul. C per *excelsa* accipit templa à Salomone extructa idolis, quæ manserunt vsque ad Iosiam, qui ea euertit; qua in re, inquit, non peccauit Asa, nec Iosaphat, nec Ezechias, quia templa hæc iam euiluerant, erantque clausa, nec in eis colebantur idola; quare cùm iam non essent amplius scandalosa, permissa sunt ad futuram rei gestæ memoriam.

Melius Caiet. *excelsa*, intelligit templa in montibus & locis excelsis Deo vero dicata, in quibus Israelitæ Deo vero sacrificabant, quæ licet à Deo essent vetita, prudenter tamen ea permisit Asa, ne populi delectatio & consuetudo immolandi in excelsis eum abduceret à cultu Dei ad idololotriam: zelosi tamen reges, quales fuêre Ezechias & Iosias, eadem sustulerunt: quamquam dici posset Asa peccasse, quòd excelsa permiserit, sicut in pluribus aliis peccauit, vti iam dicam.

VERVMTAMEN COR ASA PERFECTVM ERAT CVM DOMINO CVNCTIS DIEBVS SVIS] *Perfectum*, intellige in fide & cultu vnius veri Dei, ac in extirpatione idololatriæ; nam in aliis multis peccauit Asa, vt cùm ægrotans non sperauit in Domino, sed confisus est in arte medicorum, de quo mox. Item cùm diffidens Deo B vasa sacra dedit regi Syriæ v. 18. ad euadendum bellum regis Israel. Rursùm, cùm prophetam se increpantem coniecit in nerium, id est *in carcerem*, & vincula, multosque è populo interfecit 2. Paral. 16. 10. vide Abul. quæst. 18.

ET INTVLIT EA QVÆ SANCTIFICAVERAT, Vt id est dicauerat, consecrauerat, PATER SVVS, ET VOVERAT IN DOMVM DOMINI.

AVRVM QVOD REMANSERAT IN THE- Vu SAVRIS DOMVS DOMINI (aurum templi) &c. MISIT AD BENADAD] Peccauit hac in re Asa, tum quòd aurum templi vsurparit & alienarit; tum quòd magis in Benadad impio, quàm in Deo spem reposuerit, ideoque increpitus est à propheta 2. Paral. 15. 1.

VERVMTAMEN IN TEMPORE SENECTVTIS Vu SVÆ DOLVIT PEDES] Res hæc fusiùs narratur 2. Paral. 16. 12. *Ægrotauit*, inquit, *Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum* (podagra) *vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est*; ideoque mortuus: vnde illicò subiungitur: *Dormiuitq; cum patribus suis & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu filius Hanani Prophetæ Baasæ regi Israel minatur exitium, ideoq; ab eius filio Ela occiditur: hinc vers. 9. Ela à Zambri regno & vitâ multatur. Mox vers. 16. Zambri obsessus ab Amri se cum domo succendit. Inde vers. 24. Amri rex creatus ædificat Samariam. Denique vers. 29. Amri morienti succedit impius Achab cum sua Iezabele. Additur vers. ult. Hiel ædificasse Iericho, ideoq; filios omnes amisisse.

1. FActus est autem sermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baasa, dicens: 2. Pro eo quòd exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, vt me irritares in peccatis eorum: 3. ecce ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus eius: & faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat. 4. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli. 5. Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcumque fecit, & prælia eius nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 6. Dormiuit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: & regnauit Ela filius eius pro eo. 7. Cùm autem in manu Iehu filij Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum eius, & contra omne malum

lum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, vt fieret sicut domus Ieroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehu filium Hanani, prophetam. 8. Anno vigesimosexto Asa regis Iuda, regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. 9. Et rebellauit contra eum seruus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa. 10. Irruens ergo Zambri, percussit & occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, & regnauit pro eo. 11. Cumque regnasset, & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius. 12. Deleuitque Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Iehu prophetæ, 13. propter vniuersa peccata Baasa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerunt, & peccare fecerunt Israel, prouocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 14. Reliqua autem sermonum Ela, & omnia quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 15. Anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, regnauit Zambri septem diebus in Thersa: porrò exercitus obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum. 16. Cumque audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. 17. Ascendit ergo Amri, & omnis Israel cum eo, de Gebbethon, & obsidebant Thersa. 18. Videns autem Zambri quòd expugnanda esset ciuitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia: & mortuus est 19. in peccatis suis, quæ peccauerat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Israel. 20. Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum eius, & tyrannidis, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 21. Tunc diuisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum regem: & media pars Amri. 22. Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, & regnauit Amri. 23. Anno trigesimo primo Asa regis Iuda, regnauit Amri super Israel, duodecim annis: in Thersa regnauit sex annis. 24. Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti: & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulauitque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius quibus peccare fecerat Israel: vt irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 27. Reliqua autem sermonum Amri, & prælia eius quæ gessit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel. 28. Dormiuitque Amri cum patribus suis, & sepultus est in Samaria: regnauitque Achab filius eius pro eo. 29. Achab verò filius Amri regnauit super Israel anno trigesimo octauo Asa regis Iuda. Et regnauit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti & duobus annis. 30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. 31. Nec sufficit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat: insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & seruiuit Baal, & adorauit eum. 32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificauerat in Samaria, 33. & plantauit lucum: & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum. 34. In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.

VERS. 2. TV AVTEM AMBVLASTI IN VIA IERO- A ti familias regum præcedentium ob cultum vitulorum, imò ipsi easdem euerterent, ipsi tamen eosdem vitulos colerent, & colèdos proponerent populo, ne ad templum, & Asa regem Ierusalem rediret; esto reclamarent prophetæ, & excidium eis minarentur. Nimirùm diabolus & ambitio regnandi excæcabat, & dementabat eos. Hinc iusto Dei iudicio factum est, vt omnes sibi inuicem fuerint carnifices: Baasa enim fuit carnifex filiorum Ieroboam, Zambri fuit carnifex filiorum Baasæ, Zambri

BOAM] q. d. Tu secutus es eius idololatriam, & coëgisti populum ad adorandum vitulos aureos à Ieroboami in idola erectos:

VERS. 3. ET FACIAM DOMVM TVAM SICVT DOMVM IEROBOAM] q. d. Sicut per te funditùs excidi familiam Ieroboam ob idololatriã vitulorum, sic ob eamdem stirpitùs euertam tuam progeniem per Zambri, tuo filio Elæ rebellantem vers. 9. Mira fuit peruersitas & stoliditas regum Israel, quòd, cùm viderent iussu Dei planè euer-

verò carnifex fuit Amri: sic apud Romanos Iulius Cæsar sustulit Pompeium, Iulium Brutus & Cassius, hos Augustus. Mox Neronem ad necem adegit Senatus, Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, Titum Domitianus, Domitianum Nerua & Traianus, vti narrat Sextus Aurelius Victor in Epitome Cæsarum: Ecce hîc verum illud Iuuenalis:

Ad generum Cereris (Plutonem) *sine cæde & sanguine pauci*
Descendunt reges, & siccâ morte tyranni.

Vnde de Galba dixit Tacitus: *Omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.* De Vespasiano verò: *Solus imperantium*, inquit, *mutatus in melius.* Sed hac de re fusior erit sermo v. 31. in Achab.

VERS. 5. SCRIPTA SVNT IN LIBRO VERBORVM DIERVM REGVM ISRAEL] putà in Diariis & Annalibus Regum Israel, vt superiùs dixi.

VERS. 7. OB HANC CAVSAM OCCIDIT EVM] putà ob prophetiam, qua Elæ idololatræ intentabat excidium. Fuit ergo Iehu hic verè propheta æquè ac martyr, ac prophetia eum martyrem effecit.

VERS. 9. ET REBELLAVIT CONTRA EVM SERVVS SVVS ZAMBRI] Nota hîc iusta Dei iudicia in reges infideles & idololatras: quia enim Ela rebellauit Deo sumo Domino suo; hinc iusta Dei vindicta ei vicissim rebellauit seruus & chiliarcha suus Zambri: sicut Ela occidit Iehu prophetam Dei, sic & ipse occisus est à Zambri Dei nutu.

VERS. 18. VIDENS AVTEM ZAMBRI QVOD EXPVGNANDA ESSET CIVITAS, INGRESSVS EST PALATIVM, ET SVCCENDIT SE CVM DOMO REGIA] Nimirum Zambri tyrannus sambiens aulam, inuenit vrnam, ac ascendens in regiam resiliit in pyram. Idem fecit Sardanapalus vltimus rex Assyriorum, qui in Niniue obsessus ab Arbaco militiæ suæ Præfecto, ne in eius manus veniret, rogum in regia ingentem extruxit, quo aurum & argentum omne, & quidquid erat regiæ supellectilis congessit. Tum concubinis & Eunuchis in domunculam, quam in medio pyræ extruxerat, conclusis, se regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. ita Diodorus, Iustinus, Strabo, & ceteri passim. Sic vxor Asdrubalis capta à Scipione incensaque Carthagine, dextra læuaque tres filios mortem non recusantes trahens, *incendio se flagantis patriæ obiecit*, ait Valerius Maxim. lib. 2. c. 2. Sic Numantini per 14. annos à Romanis obsessi, cùm fame deficerent, maluerunt se suaque omnia incendere, quàm Scipioni se tradere. Vide Florum lib. 2.

VERS. 22. MORTVVSQVE EST THEBNI] occisus à factione aduersa Amri, teste Iosepho. Addunt Septuag. fratrem quoque Thebni occisum, nomine *Ioramum*.

VERS. 23. ANNO TRIGESIMO PRIMO ASA REGIS IVDA REGNAVIT AMRI SVPER ISRAEL] Licet enim Amri occiso Zambri, à populo acclamatus sit rex anno 27. Asæ, vti dictum est v. 15. & 16. tamen regni æmulum habuit Thebni, cum quo colluctatus est per quinque annos, donec eo mortuo solus regnauit, quod factum anno 31. Asæ, vt hic dicitur. ita Abul. Richard. de S. Victore, Torniellus, Salianus & alij. vnde explicans subdit: SVPER ISRAEL REGNAVIT DVODECIM ANNIS: cœpit enim regnare mortuo Zabri anno 27. Asæ, vti dictum est v. 15. & 16. mortuus est autē anno 38. Asæ, vt dicitur v. 29. iam à 27. anno Asæ vsque ad 38. sunt 12. anni inclusiuè. Vide hîc, vt Deus prolonget regna piorum regum, abbreuiet verò impiorum. Ecce tibi Asa 41. annis regnauit in Iuda, quibus annis octo reges successiuè regnarunt in Israel, scilicet Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Thebni, Amri & Achab, quorum omnium ortus & occasus (excepto Achab) vidit Asa.

IN THERSA REGNAVIT SEX ANNIS] *Thersa* ante Amri erat metropolis & regia regum Israel. Quare in ea regnauit Amri quinque annis, quibus cum Thebni de regno contendit: eo verò mortuo, anno sexto regni sui ex Thersa regiam transtulit in Samariam, quam ædificauit, vt sequitur, ibique regnauit aliis sex annis, hoc est vniuersim tam in Thersa quàm in Samaria, 12. annis, vti dictum est. Causa translationis fuit, quòd Zambri regiam in Thersa secum combussisset, moxque vrbs capta ab Amri, spoliata & vastata fuisset, vt dictum est v. 18. Rursùm, quòd Samaria ob montem cui insidebat, munitior foret. Vnde ipsa diu hostium postea eam obsidentium insultus sustinuit. ita Salianus. His ergo de causis Amri ex Thersa regnum & regiam transtulit in Samariam.

EMITQVE MONTEM SAMARIÆ A SOMER (nomen est viri, qui erat dominus montis) DVOBVS TALENTIS ARGENTI] Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum, siue mille quingēnas vncias (siclus enim est semuncia) quæ faciunt 12. millia drachmarū. Drachma argenti est Iulius Romanus, siue Regalis Hispanicus: quare talentum argenti continebat tria millia florenorum Brabanticorum, siue Francorum Gallicorum, quæ faciunt aureos Romanos mille ducentos: Ergo duo talenta argenti faciunt 6. millia florenorum Braban. quę cōficiunt bis mille & quadringēntos aureos.

ET VOCAVIT NOMEN CIVITATIS, QVAM EXTRVXERAT, NOMINE SEMER (vel Somer) DOMINI MONTIS, SAMARIAM] Putant aliqui priùs Samariam fuisse ædificatam, nam nominis Samariæ mentio facta est c. 13. v. 32. sed hîc vbi veteri ab Amri adiunctum fuisse montem vicinum, & ciuitatem eousque extensam, ac totam deinde vocatā Samariam. ita Sanchez. Alij verò putant vrbem totam primitùs ædificatam ab Amri, ac nominatam Samariam: quare c. 13. per anticipationem vocari Samariam, eò quòd posteà cùm Auctor libri hæc scribebat vocata sit Samaria. Hæc est celebris illa metropolis regum Israel, contra quam detonat Isaias ceterique propheræ.

ET ABIIT ET SERVIVIT BAAL] *Baal*, siue *Bal*, *Bel* & *Belus*, est Iuppiter Belus, puta *Nemrod*. Nemrod enim est Belus, qui fuit pater Nini primi regis Assyriorum, à quo condita & appellata fuit *Ninive*, cuius vxor fuit Semiramis. Nemrod ergo dictus est *Baal*, id est dominus, fuitque auctor idololatriæ sub annum trecentesimum à diluuio, vt dixi Genes. 10. 9. vnde ab eo ceteri deinceps gētium dij & idola dicta, vel agnominata sunt *Baal* vel *Baalim*. Vnde Abul. in lib. 4. Reg. c. 3. q. 3. censet Baal hunc Sidoniorum & Tyriorum fuisse Herculem; hic enim

enim apud eos magno in honore fuit. Vnde Hiram rex Tyri tempore Salomonis eidem statuam erexit teste Iosepho lib. 8. c. 2. Hinc in Tyro quinquennales ludi Herculi celebrabantur, vt patet 2. Machab. 4. 18. ergo idolis & vitulis Ieroboam adiunxit idolum Baal siue Iouis Beli, quod more gentis suæ Sidoniæ colebat Iezabel eius vxor.

Tragica est impiorum regum vita.

Tropol. hinc disce quàm Deo inuisa, ideoque infelix sit impietas, nimirum quòd continua & funestissima sit tragœdia impiorum principum vita; pauca ex dictis c. 12. 13. 16. & lib. 4. c. 9. 10. 11. 15. hæc tragicā accipe.

Exempla.

Postquàm occupauit regnum Israel Ieroboam propter delictum Salomonis, vindicatum per eum in persona Roboam filij eius, translatis decem tribubus in Ieroboam, regnauit & filius eius in Israel. Vindicta in persona filij successit, & ipse cum omni semine & domo Achab erasus fuit per regem nouum Baasa. Baasa Tyranni finita potestas in filio Ela, qui necatus cum omni semine per Zambri eius seruum. Zambri tantùm per septem dies regnauit, & obsessus ab Amri, coactus se in palatio comburere sustulit regiam progeniem. Amri & Achab stirpem sustulit Iehu, seruus foram regis, qui erat ex progenie Achab. Aduenit autem in quarta generatione vindicta super progeniem Iehu, iuxta verbum Domini, & ideò Zacharias, qui ex Iehu descenderat, ob truncatus est à seruo suo, nomine Sellum, qui tantùm regnauit pro eo in Israel per vnum mensem, occisus paritèr à Manahen filio Gadi de Thersa, qui regnauit pro eo decem annis in Israel, & post eum Phaceia filius eius biennio tantùm: nam eum occidit Phaceas filius Romeliæ dux eius; sed & hunc occidit Oseas filius Ela, hic autem translatus cum populo in Assyrios. Sic Saladinus, ait Æmilius lib. 6. domito Oriente tandem mortuus, & omnes eius filij à patruo eorum necati; vno euadente tantùm è manibus Sephadmi parui. Vetus est dictum, tyrannos Principes quàm rarissimè senescere, propter varia pericula, quibus inuoluuntur; & quàm ægerrimè communem luborum & periculi sortem possunt euadere; & paucissimi omnino fuerunt, qui suo fato seu morte naturali perierunt. Quare & Saturninus apud Flauium Vopiscum cùm à suis purpura esset indutus: *Nescitis*, inquit, *amici, quid mali sit imperare. Nam & gladij & tela ceruicibus nostris impendent, imminent hastæ, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur; non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde, quòd omnis ætas in imperio reprehenditur: senex est qui spiam, inhabilis videtur: si iuuenis, ineptus furor. Nam quòd imperatorem me cupitis, in mortu necessitatem me trahitis: sed habeo solatium hoc mortis, solus perire non potero.* Subit meritem quod Ælianus lepidè refert de Tyrannis ex Æsopi scriptis: si quis suem comprehendat, eam votiferati, idque non temerè. Etenim cùm nec lanam portet, neque quidquam aliud eius generis, statim coniectura mortem augurati, scientem seipsam vsui & esui esse capientibus. Similes autem vi-

deri suibus Tyrannos, qui semper in suspicionibus & metu versantur; cùm sciant sicut sues, suam vitam solam omnibus deberi. ita Ælianus lib. 9. var. histor.

VERS. 34. IN DIEBVS EIVS ÆDIFICAVIT HIEL DE BETHEL, IERICHO: IN ABIRAM PRIMITIVO SVO FVNDAVIT EAM, ET IN SEGVB NOVISSIMO SVO POSVIT PORTAS EIVS: IVXTA VERBVM DOMINI, QVOD LOCVTVS FVERAT IN MANV IOSVE] Iosue euertens Iericho statuit eam anathema, ac maledixit ei, qui illam reædificare vellet, dicens cap. 6. vers. 26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit vrbem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Quare nemo vsque ad tempora Achab ausus fuit reædificare Iericho, tunc autem id ausus fuit Hiel ille ctus fertilitate loci. Iericho enim erat fœcundissima & amœnissima, adeoque sola proferebat balsamum. Addit hoc Script. vt indicet quanta fuerit sub Achab scelerato idololatra Dei & prophetarum obliuio, ac quàm corrupti mores auaritiâ: hæc enim stimulauit Hiel ad reædificandum Iericho contra iussum Iosue. Rursum vt eius punitione terreret Achab & idololatras. Si enim Hiel ob reædificatam Iericho contrà iussum Iosue, mulctatus est filiis omnibus; multò magis filiis omnibus se mulctandum à Deo cogitare debebat Achab, qui in Dei iniuriam Baalem suum pro Deo coli volebat.

IN ABIRAM PRIMOGENITO SVO FVNDAVIT EAM, ET IN SEGVB NOVISSIMO SVO POSVIT PORTAS EIVS] q. d. Hiel iaciens fundamenta Iericho, statim perdidit filium suum primogenitum, nomine *Abiram*: deinde pergens illam ædificare, ex ordine perdidit ceteros vsque ad vltimum *Segub*, quem amisit dum portas vrbis locaret. Quantùm ergo crescebat Iericho, tantùm decrescebat familia Hiel, adeoque ipsa perfectā, planè hæc extincta est, *mira pertinacia*, ait Rupert. *sufficiente conditoris nomen, vt totum eum effectu perderet genitoris honorem.* Vbi mira apparet Hielis cæcitas, auaritia & ambitio, qui cùm videret in se impleri minas Iosue, ac sensim filios suos omnes emori, ab ædificatione tamen vrbis non destitit, malens eam perficere cum amissione omnium filiorum, quàm illa omissa filios in vita retinere; fortè etiam hoc fecit vt placeret impio Achab, eique ostenderet se, æquè ac ipsum, esse Dei & prophetarum eius contemptorem.

Tropol. Eucher. *Ille*, inquit, *qui postquàm in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Iesus in die baptismatis condonauerat, redit, quæsq; ipse anathematizauerat diaboli pompas, luxuriosè viuendo repetit; cùm ei rerum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ, qua imbutus est, quasi de Bethel egredienti ruinas Iericho resuscitat. Meritoq; talis coram Domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ ciuitatis, & nouissimum in portarum positione amittit, quia & fundamenta fidei, à quibus bona ædificia inchoare, & claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdit.* Eadem ad verbum habet Angelomus.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias inducit Israeli siccitatem & sterilitatem. Vnde iussu Dei in torrente Carith se abscondit, pascituró, à coruis. Mox vers. 10. in Sarephta viduæ farinam in hydria, & oleum in lecythomultiplicat. Denique v. 17. filium eius mortuum, expandens se super eum, ad vitam reuocat.

1. ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. 2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: 3. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente carith, qui est contra Iordanem, 4. & ibi de torrente bibes: coruisque præcepi vt pascant te ibi. 5. Abiit ergo, & fecit iuxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in Torrente carith qui est contra Iordanem. 6. Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente. 7. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: 9. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorũ, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te. 10. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. 11. Cumque illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. 12. Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. 13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies posteà. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. 15. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die 16. hydria farinæ non defecit, & lecytus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum est autem post hæc, ægrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememoaretur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. 20. Et clamauit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti vt interficeres filium eius? 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. 22. Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ: & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. 23. Tulitque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En viuit filius tuus. 24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

VERS. 1. ET DIXIT ELIAS THESBITES DE HABITATORIBVS GALAAD AD ACHAB] Quæres primò, cur Deus suscitarit Eliam, eumque miserit ad Achab? Resp. vt eius æquè ac Iezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimeret & restingueret, ac Israelem in vera vnius Dei fide & religione conseruaret, ideoque eum armauit zelo & spiritu fortitudinis admirabili, vt solus ipse se opponeret tyrannis, A sacerdotibus & idololatris omnibus. Sic Pharaone opprimente fideles Hebræos, Deus suscitauit Moysen, qui se illi opponeret, & populum ex eius seruitute educeret. Sic Ieroboam vitulos pro diis erigenti opposuit Ahiam prophetam, Manassi Isaiam, Antiocho Machabæos. Sictoti orbi penè Arriano vnum opposuit Athanasium fidei Orthodoxæ Atlantẽ, Pelagianis S. Augustinum, Nestorianis S. Cyrillum

rillum, Iconomachis S. Ioãnem Damascenum, Albigensibus S. Dominicum, Lutheranis & Caluinistis S. Ignatium & similes. Fuit ergo Elias (quod S. Bernard. scribit Eugenio Pontifici in fine lib. 4. de Consider.) *forma iustitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatus, iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, vltor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sal terræ, orbis lumen, propheta altissimi, præcursor Christi, Christus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.*

Elia elogia.

Quæres secundò, quid significat Elias. Resp. *Elias* Hebr. dicitur אֵלִיָּהוּ *Eliahu*, id est *Deus Domini*, vel potiùs *Deus meus Dominus*, ait Pagnin. Aut q.d. *Eliahu*, id est *potens est Deus ipse*. El enim est nomen Dei, quà fortis est & potens ad omnia debellandum: *ia* est abbreuiatum *Iehouà: hu* est *ipse*. Eliæ enim officium fuit ostendere Achab & Israeli non Baal, sed Deum Israelis esse verum Deum, fortem, & omnipotentem omnium Dominum. ita S. Hieron. Angelom. & alij. Vnde Hebræi censent Eliæ nomen sumptum ex illa populi ad Eliam acclamatione: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* c. 18. v. 39. nam antea eum vocatum fuisse *Iaberseyth*, tradunt iidem in Genesi Magna cap. 27. Hinc S. Hieron. in Michææ c. 5. *Elias*, inquit, *idem est quod, Dominus Deus.*

Elia etymò. primò.

Secundò.

Audi S. Isidor. lib. 7. Orig. c. 8. *Elias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsagio sic vocatur. Nam dum altercaretur in sacerdotio cum quadringentis sacerdotibus Baal, inuocato nomine Domini, descendit ignis de cælo super holocaustum. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suã & ait: Dominus ipse est Deus. Ex hac ergo causa tãle prius nomẽ accepit, pro eo quòd per eum postea cognouerit populus Dominum Deum; idem & fortis Dominus interpretatur, vel propterea quòd interfecit eosdẽ sacerdotes, vel propterea quòd Achabi aduersitatem toleranit.*

Tertiò.

Rursum, *Elias* idem est, quod *fortis Domini*, ait S. Hieron. vel *Deus Domini*, ait Pagnin. quia, sicut Moyses à Domino constitutus est Deus Pharaonis Exodi 7. v. 1. sic ab eodem Elias constitutus est Deus Achabi & Iezabelis: sicut enim Moyses decem plagas cælestes & terrestres infligens Pharaoni, coëgit eum dimittere Hebræos: sic & Elias omnia elementa commouit per stupenda miracula, quasi eorum esset Deus & Dominus, quibus Achab & Baalitas perculit, imò occidit.

Tropologicè.

Aliam causam Tropologicam dat S. Ambros. lib. 1. de Cain c. 2. vbi Eliam hisce elogiis ornat: *Victor passionum*, inquit, *nec vllis captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vbertate formauerat; & ideò non legimus de eo sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est.* Deo enim persimilis est, qui ab omni vitio purus & sanctus est: Audi S. Dionys. epist. vlt. ad S. Ioannem Euangelistam quæst. 10. *Quicumque viri studiosi sunt, ab omni quidem rerum corporearum voluptate abducuntur; liberi autem ab omnibus malis, Deiq; amore impulsi, omnium bonorum pacem diligunt & sanctimoniam; atque ab hac vita principium futuræ faciunt, cùm inter homines Angelorum vitam imitentur cum omni animi tranquillitate, Dei nominis appellatione digni, cum benignitate ceteris q; virtutibus*, &c. Rursum, Eliæ competit fortitudo Dei, quam depingens Isaias c. 25. 4. ait: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut æstus in siti tumultum alienorum humiliabis, & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.* Simili enim fortitudine Elias deiecit Achab, Iezabelem & Baalitas, iuxta illud Eccli. 48. 2. *Irritantes illum* (Eliam) *inuidia sua, pauci facti sunt; non enim poterant sustinere præcepta Domini.* Et paulò pòst: *Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & glorioso de lecto suo.*

Quartò.

Porrò Beda, & Angelom. in lib. 4. Regum c. 23. quin & S. Chrysost. hom. 3. de Elia asserunt *Eliam* dici quasi ἥλιον, id est solem, eò quòd ipse fuerit sol Israelis, & curru igneo vectus sit in cælum; indeque à poëtis fingi solem vehi curru igneo, quem quia Phaëthon solis filius regere nesciuit, hinc se & orbem combussit, de quo plura lib. 4. c. 2. Hæc per allusionem dicuntur: constat enim *Elias* esse nomen Hebræum, non Græcum. Simili modo Nazianzen. Hebr. nomen *pascha* deriuat à Græco πάσχω, id est patior; quòd in paschate passus sit Christus.

Elias ἥλιος, id est Sol.

Elia dotes.

Prima.

Quæres tertiò, quæ fuerint eximiæ virtutes & dotes Eliæ, quibus debellauit idololatriam? Resp. prima eius dos fuit vitæ innocentia, austeritas & sanctitas. Audi S. Isidor. lib. de ortu & interitu propher. c. 35. *Elias*, inquit, *sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, deuotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuq; mortis intrepidus.*

Secunda.

Secunda Eliæ dos fuit solitudo & contemplatio. Secedens enim in Carmelum vacabat orationi & contemplationi, ibique Eliseum & alios discipulos collegit quasi auctor vitæ monasticæ & eremiticæ. Vnde Carmelitæ suum nomen & institutum ab Elia in monte Carmelo accepisse profitentur, de quo plura c. 18.

Tertia.

Tertia fuit eius dicendi & arguendi libertas, qua inter cetera ait Achab regi & Iezabeli in faciem, quòd venundati sint sub peccato, & quòd Deus omnem eorum stirpem excinderet, quodque canes lingent sanguinem Iezabelis c. 21. 20.

Quarta.

Quarta, inuicta animi patientia & fortitudo, qua omnes regum & idololatrarum persecutiones generosè sustinuit & superauit, imò omnes sacerdotes Baal occidit c. 18.

Quinta.

Quinta, zelus honoris & cultus diuini, qui eum ad omnia certamina cum rege & Baalitis ineunda compulit, vnde ipse ad Deum ait: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, &c. prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam* cap. 19. 14. Hinc Elias à nonnullis vocatur Angelus, ac de Ioanne Baptista ait Angelus, quòd præcederet Christum *in spiritu & virtute Eliæ*, Lucæ 1. Hinc raptus est

Elias, vt præcurrat Christum ad iudicium, certetque contra Antichristum, à quo proinde occidetur, & martyrio laureabitur Ierosolymæ; sed tertia die coram toto populo gloriosè à morte resurget, & conscendet in cælum, vti dixi Apocal. 11. 3. Denique vide elogia Eliæ apud Eccles. c. 48. 1. *Surrexit*, inquit, *Elias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.* Vide ibi dicta. Fuit enim Elias totus igneus & fulmineus.

Hinc Allegor Elias fuit typus Christi, qui verè fuit *Elias*, id est *Dominus Deus*. Christus enim instar Eliæ magna certamina habuit de fide Messiæ cum Scribis & Pharisæis, ac continuas ab eis persecutiones sustinuit, tandemque mortem crucis, sed ab ea die tertia gloriosus resurrexit, & die 40. in cælum conscendit. ita Angelom. Eucher. Rupert. & alij.

Sixtâ. Denique Elias fuit Dux & Princeps Prophetarum ceterorum: atque hac de causa vnà cum Moyse Legislatore apparuit in Trahsfiguratione Christi, eique nomine omnium prophetarum testimonium perhibuit, quòd ipse verus esset Messias ab eis prophetatus, Matth. 17.

THESBITES] oriundus ex *Thesba* vel *Thesbe* vico, sito in Tribu Gad inter Iebaa & Saron, ait Adrichom. in Descri. terræ Sanctæ. Hinc S. Epiphan. Dorotheus, Isidorus, Metaphrastes & alij in Vita Eliæ docent Eliam natum in Thesbe, quæ Arabiæ est contermina. Audi S. Epiphan. *Elias ex Thesbi erat è continente Arabiæ: morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbi erant ædes sacerdotibus consecratæ ac destinatæ.* Sed clariùs Metaphrastes: *Elias*, inquit, *à sacerdotibus* (Hierosolymitanis scilicet, ad quos de visione consulendos Sobachus parens profectus est) *appellatus est Thesbites, eò quòd esset domus, quæ forte obtigerat sacerdotibus in qua is habitabat, vir tutem exercens ab adolescentia, & flammeam efficiens animam per ignem spirantem Spir tus sancti gratiam.*

Falluntur ergo Abul. Hugo, Lyran. qui censent Eliam oriundum ex vrbe Thebe, in qua occubuit Abimelech Gedeonis filius Iudic. 9. 50. Thebe enim erat in tribu Ephraim iuxta Sichem, Thesbe verò patria Eliæ erat trans Iordanem in Galaadite, purâ in tribu Gad. Quare Elias videtur fuisse Gaddita, indeque nascendo vitiles, fortes & militares hausisse spiritus. Tales enim erant Gaddiæ iuxta illud Genes. 49. 19. *Gad accinctus* (hoc enim Hebr. significat *Gad*) *præhabitur ante eum, & ipse accingatur retrorsum.*

Porrò, *Thesbites* Hebr. idem est quod *captiuans*, vel *conuertens*, ait Angelom. & alij. Elias enim captiuauit & *convertit cor patris in filios, & cor filiorum ad patres eorum*, vt ait Malach. cap. 4. v. 6. De natiuitate & educatione Eliæ hæc habet Dorotheus in eius Vita: *Cùm nasciturus esset Elias, pater eius Sabacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, & igne tanquam fasciis inuolui, & flamma ignis veluti cibo ali, & Hierosolymam profectus, rem istam indicauit, dictumq; illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim vt puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam sententiam haberent, indicaretq; Israelem in gladio & igne.* Eadem habet S. Epiphan. & Metaphrastes in Vita Eliæ. Hinc Eliam perpetuam coluisse virginitatem consentiunt Patres, scilicet S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. & ad Eustochium de Custod. Virgin. Ambros. lib. 1. de Virgin. Idem asserit S. Chrysost. lib. de Virgin. tomo. 5. S. Ephrem. non vno loco: pulchrè paræn. 1. tomo 2. fol. 90. ait: *Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cælum cum Elia vehens*, & fol. 91. *Elias se sua pelle caprina cooperiens in cælos introducet.*

Elias igne vestitus & alitus.

Virgines quoque vel cælibes fuisse Eliseum ceteroscque Eliæ discipulos, non est dubium: quin & ex ipsis plures pro vera Dei religione à Iezabele occisos martyrij lauream adeptos esse, satis liquet ex c. 18. 13.

Porrò, Elias non videtur fuisse sacerdos, ait Abul. Sanchez & alij, quia non oriundus ex Leui, sed ex Gad: vnde & Script. nusquam eum vocat sacerdotem, vti vocat Ieremiam & Zachariam patrem Ioannis Baptistæ. S. Epiphan. tamen, S. Isidorus & alij eum vocant sacerdotem, ortumque ex Leui, quia Leuitæ & B sacerdotes, cùm propriam non haberent possessionem, spargebantur per omnes tribus, vt eas in fide & Dei cultu erudirent. Poterat ergo in tribu Gad nasci Elias Leuita.

Denique Hebræi censent Eliam esse Phinees, filium Eleazari filij Aaron, sed errant, vt ostendi Numer. 25.

DE HABITATORIBVS GALAAD] Migrauit Elias à patria sua Thesbe in vicinam Galaaditim. Cur? Resp. primò, quia Galaaditæ tunc valdè corruptis erant moribus, idololatræ & homicidæ. Iuit ergo ad eos Elias; vt ipsos perse & suos discipulos ad meliorem frugem reuocaret. Id liquet ex Osee prophera, qui sub Ozia rege paulò post Eliam propheravit, ac c. 6. 8. sic ait: *Galaad ciuitas operantium idolum, C supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, participes sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Vide ibi dicta.

Rursum, Galaad erat ferax resinæ, opobalsami & aliorum aromatum, ex quibus conficiuntur emplastra & medicinæ ad curandos morbos & vulnera. Hinc repræsentat prophetas, qui quasi medici spirirales animarum vulnera & ægritudines curant. Hoc est, quod ait Ieremias c. 8. 22. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Vnde ibi Chaldæus Paraphrastes vertit, *Desiderabam doctrinam Eliæ prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicinæ.* Eliæ ergo & Eliseus, vti in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis; sic & in Galaad commorati sunt, vt incolas ad verum Dei cul- D tum traducerent, vt *vbi superabundauit delictum, superabundaret & gratia*, Rom. 5. 20. ideoque hisce in locis Collegia discipulorum, qui proinde *filij prophetarum* vocantur, instituit: vnde ad eos spectat illud Cant. 4. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Hac de causa Elias rapiendus in cælum, Collegia hæc in Bethel, Iericho, Galgalis, &c. obiuit 4. Regum 22. vt suis discipulis valediceret, eosque in aspero vitæ eremiticæ & cœnobiticæ studio prosequendo confirmaret. ita Abul.

VIVIT DOMINVS DEVS ISRAEL, IN CVIVS CONSPECTV STO, SI ERIT ANNIS HIS ROS ET PLVVIA, NISI IVXTA ORIS MEI

MEI VERBA] Non dubium est Eliam zelo A *calum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor imà petit, spera deserit, aër feruet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes; dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, &c. iram Dei vniuersa creatura testatur.*

ABSCONDERE IN TORRENTE CARITH] Quæret enim te, quasi sterilitatis auctorem rex Achab, & si inuenerit, occidet. Fuge ergo & late, ne in tuum caput siccitatis causa reuoluatur. *Torrens Carith* descendit de montibus Ephraim iuxta vrbem Phaselum, vnde iuxta eum multæ erant cauernæ & speluncæ, in quas se abdere poterat Elias. Hic ergo latuit per triennium siccitatis, pastus à coruis. Vnde in eius memoriam S. Helena ibidem ecclesiam extruxit, teste Niceph. lib. 8. cap. 30. *Carith* Hebr. idem est quod *excisio, succisio*, quia hic B Elias terræ germina & sata per ariditatem à se inductam succidit. Vnde S. Chrysost. homil. de Petro & Elia, ait Eliam igneum ardorem & quasi febrim terræ induxisse: *Vix dum*, ait, *exierat sermo eius, cùm subitò mutatur aër, cælum æneum factum, idemq; sermo in terræ viscera tamquam febris incubuit. Et è vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, plantæ simul & arbores tum frugiferæ, tum steriles.*

Meminit huius sterilitatis & famis Menander historicus Gentilis apud Iosephum lib. 8. c. 7. sed mutilè & imperfectè, more Gentilium cùm de rebus Iudaicis loquuntur. Ait enim famem hanc duravisse vno tantùm anno; cùm S. Iacobus c. 5. 17. asserat eam duravisse tres annos & sex menses. Videtur hæc fames tantùm fuisse in Israele: eius enim idololatriam Elias puniebat. Quare quod Lucæ 4. 25. dicitur eam fuisse *in omni terra*, accommodè accipe, scilicet *in omni terra* Achab regi subiecta, & peccatis idololatriæ eius contaminata.

CORVISQVE PRÆCEPI] id est instar præci- VERS. 4. pientis ordinaui, & instinctum hunc eis indidi, vt tibi afferant panem, ita Caiet.

CORVI QVOQVE DEFERABANT PANEM ET CARNES MANE, SIMILITER PANEM ET CARNES VESPERE] Coruus est auis vorax; VERS. 6. *Corui aluè-* inhumana, maligna; illâ ergo vsus est Deus ad *re sanctos.* cibandum Eliam, vt ostende et se omnibus *Exempla.* animalibus imperare, eorumque in solem mutare & conuertere eò quò iubet, ac sanctis, qualis erat Elias; omnes creaturas Deo iubente seruire & obsequi. Sic corui afferebant quotidie dimidium panem ad S. Paulum primum eremitam, integrum verò aduenientè S. Antonio. Vnde ad eum conuersus S. Paulus ait: *Ecce Dominus nobis prandium misit verè pius, verè misericors. Sexaginta anni sunt, cùm accipio quotidie dimidij panis fragmentum, nunc ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam.* ita S. Hieron. in Vita S. Pauli. S. Benedictus verò coruo, qui hora prandij ad se venire & cibum è manu sua sumere solebat, iussit panem veneno infectum à Florentio inuido sibi submissum tollere, & in locum, vbi à nemine inueniri posset asportare; cui obediens coruus idipsum præstitit, vti refert S. Gregor. lib. 2. Dial. c. 8. huius corui progenies etiamnum supereſt, ac à Benedictinis continuè alitur in monte Cassino.

Porrò

Cur. Porrò quòd coruis potiùs quàm aliis auibus Deus vsus sit, causa litteralis fuit, quòd corui amentloca solitaria, ac præsertim torrentes, eò quòd ficciſſimæ & calidiſſimæ sint naturæ. Vnde Proueib. 30. 17. dicitur: *Oculum qui subsannat patrem, &c. effodiant eum corui de torrente.*

Coruis ergo, quasi maximè obuiis auibus, vsus fuit ad alendum Eliam in torrente Carith, vt ex coruo cibum, ex torrente potum in tanta omnium ficcitate caperet. Aqua enim ad potum sufficit, estque potus maximè naturalis, quo ante Noë omnes prisci vsi sunt.

Tropol. Tropol. vide hîc, & reuerere miram Dei in suos fideles prouidentiam: corui enim Deo instigante quotidie bis apportabant panem & carnes Eliæ, scilicet manè ad prandendum, & vespere ad cœnandum. Angeli autem hos panes & carnes apparabant, ideoque meliores & sapidiores erant nostris, qui à pittoribus & cocis apparantur, iuxta illud Psal. 77. 25. *panem Angelorum manducauit homo*: mox eosdem coruis ad Eliam deferendos dabant, eosque continebant, ne illos attingerent, ac impellebant vt ad Eliam intactos deferrent. Nam vt in Vita S. Onuphrij legimus, Deus & Angeli singularem habent curam Eremitarum, qualis erat Elias, eò quòd ipsi omnia deseruerint, & ab omnibus sint deserti, iuxta illud: *Tibi derelictus est pauper, & orphano tu eris adiutor.* Psal. 9. 14. Quocirca S. Basil. hom. 8. in diuites auaros: *Carmelus*, ait, *mons sublimis ac desertus Eliam habuit, cui viaticum cibusq; fuit spes in Deo; & cùm ita viueret, fame tamen extinctus non est, sed auium rapacissimi corui, cibum ei attulêre, & qui alienas solebant escas inuadere, viro iustissimo ministri fuêre: natura quoque obliti, in pane carneq; ei afferendis Dominico præcepto paruerunt.*

ET CARNES] Deus ergo non tantùm panes ad vitam necessarios, sed etiam carnes ad lautitiam pro obsonio Eliæ subministrabat. Quærit Abul. quid comederit Elias diebus ieiuniorum, quibus non licet vesci carnibus; ac respondet eum comedisse quidquid corui afferebant. Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc ipso cum eo in ieiunio dispensabat, volebatque, vt eas comederet, ac dono suo tam liberali frueretur, ne frustra eas misisse videretur.

Allegor. Allegor. S. Prosper. lib. 2. prædict. & promiss. c. 28. *Panis Eliæ*, inquit, *est corpus Christi, quod Iudæi vt corui gentibus ministrarunt, carnem in crucis ligno decoctam gentibus præparantes, ac vt corui vna & raucisona voce clamantes ad Pilatum: Crucifige, crucifige eum.*

Aliter S. Augustin. Serm. 101. de Temp. vbi omnia gesta Eliæ Allegor. applicat Christo & Ecclesiæ: *B. Elias*, inquit, *typum habuit Domini* D *Saluatoris. Sicut enim Elias à Iudæis persecutionem passus est, ita & verus Elias Dominus noster ab ipsis Iudæis reprobatus est & contemptus. Elias reliquit gentem suam, & Christus deseruit synagogam. Elias abiit in desertum, & Christus venit in mundum. Elias in deserto coruis ministrantibus pascebatur, & Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur. Corui enim illi, qui beato Eliæ iubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterèa & de gentium Ecclesia dicitur: Nigra sum sed formosa, filiæ Ierusalem. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formosa? Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & su-*

per niuem dealbabor. Et mox: *Verè Ecclesia gentium coruis similis erat, quando viuentem Dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam, velut mortici-* A *nis cadaueribus, idolis ministrabat.*

Symbol. Auctor mirabil. S. Script. apud S. *Symbol.* Augustin. lib. 2. c. 17. *A coruis*, ait, *ministrari prophetæ præcipitur, vt scilicet culpam, quam in diluuio commiserat in terrâ, purgare auis illa videretur, dum vt fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens & fallax erat ante Noë. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministeriis vteretur. Vnde verò eas carnes & panes ille coruus detulerit, ipse viderit qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quòd ex aliquorum hominum scientium aut nescientium industria corui hæc acciperent, qui coctos panes & carnes quaslibet qualitercumque præparabant.*

VADE IN SAREPHTA SIDONIORVM] Vrbs *Vers.* B hæc sita erat inter Tyrum & Sidonem in via publica, non procul à littore maris, & ab Eleuthero fluuio, duobus milliaribus distans à Sidone. Dicta est, *Sarephta*, id est, *conflatoria*, à צָרַף *tsaraph*, id est *conflare*, quòd in ea essent officinæ conflatoriæ vasorum ex ære, ferro, aliisque metallis.

Iubet ergo Deus Eliam extra Israelis fines & Achab persecutoris sui dominium, abire in ditionem Sidoniorum, vt ibi sub rege gentili securè & quietè degeret. Hinc Alleg. Elias significat Christum, qui persecutionem patiens à Iudæis, Euangelium suum transtulit ad gentes, vti explicat ipse Christus Lucæ 4. 25.

Audi Auctorem mirabil. S. Script. lib. 2. c. 18. *Idcircò ad Sarephtam Sidoniorum saturandus propheta mittitur, vt per illum bona & fidelis vidua pasceretur. Ne verò quem moueat, quòd Sidoniorum terra hanc tandem plagam pariter cum Israel perpessa erat, dum inde Iezabel persecutrix prophetarum, & totius vindictæ & facinoris causa, Sidoniorum regis filia paternam originem ducebat.*

PRÆCEPI ENIM IBI MVLIERI] *Præcepi*, id est ordinaui, disposui, prouidi: non enim propriè Deus præceperat viduæ, cùm ei non esset locutus, imò vidua petenti Eliæ fructum panis, negauit se illud habere v. 12. Si quis tamen contendat Deum reuelasse viduæ aduentum Eliæ, ac iussisse vt eum exciperet & pasceret eo modo quo Elias postulatus erat, non repugnabo. Fuit hæc mulier gentilis, vtpote Sidonia, sed religiosa & deuota, ait S. Chrysost. hom. 3. de Elia & Abul. q. 24.

EN COLLIGO DVO LIGNA, VT FACIAM *Vers.* (coquam) ILLVM MIHI ET FILIO MEO, VT COMEDAMVS ET MORIAMVR] q. d. Post- D quàm modicum hoc farinæ comederimus, moriemur fame, quia non habemus aliud quod comedamus.

Alleg. S. Augustin. Serm. 101. de Temp. notat *duo ligna* significare crucem Christi, in ea enim sunt duo ligna, scilicet vnum erectum, alterum transuersum. *Ideò*, inquit Augustin. *duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat cognoscere. Crux enim Domini Saluatoris duobus lignis aptata est, ideò duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit credidura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa: Colligo duo*

ligna vt faciam cibum mihi & filio meo, & manducabimus, & moriemur. Verum est, fratres dilectissimi, nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur: nam quicumque corpus Christi dignè manducare voluerit, necesse est vt moriatur præteritis, & viuat futuris. A

ET FILIO MEO] sic & Chald. hoc enim est Hebr. לִבְנִי *libni*. Verùm Septuag. aliis punctis legentes לְבָנַי *lebanai*, vertunt, *filiis meis*; significant ergo eam plures habuisse filios, quibus panem eripuit, vt daret Eliæ: Eò maior fuit eius virtus, ita Eucher.

Vers. 13. VERVMTAMEN MIHI PRIMVM FAC DE IPSA FARINVLA SVBCINERICIVM PANEM] qui scilicet sub cinere festinatò citoque coquitur, vt præsenti virgentique fami Eliæ statim succurreret. Sic Abraham Angelis festinantibus coxit panes subcinericios Genes. 18. 6.

Mysticè, Eucherius: *Panis subcinericius*, inquit, *est pœnitentium satisfactio, iuxta illud Psal. 101. Quia cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam; his enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur.*

MIHI PRIMVM FAC] Causam dat S. Prosper p. 2. Prædict. c. 29. *Vt misericordia*, ait, *primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei Script. testatur; ex ipso enim omnis copia.* Sic S. Ludouicus rex Franciæ priusquàm ipse prandere, centum pauperibus prandium dabat.

Vers. 15. QVÆ ABIIT, ET FECIT IVXTA VERBVM ELIÆ] Mira fuit huius viduæ fides, obedientia, liberalitas, vt modicum farinæ sibi ad vitam necessarium daret Eliæ, qui famem hanc induxerat. Vnde exclamat Eucher. *O magnificum mulieris animum, ô immutabile mentis propositum, ô* C *verè venerabile per facula factum: poculum petit, mox offert: & quod regibus iam fortitan deerat, quod diuites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogabat. Pascit pane, quæ cum filio die posterò erat moritura, nec habere se negat; sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem: & non tam postulati, quàm quodammodo exigenti omnem causam pandit in medium: quantitatem victus, & numerum personarum, vt non tam hospitem velit habere, quàm iudicem.* Et inferiùs: *Erat in illo tempore spectaculum angelis hominibusq; gratissimum, quòd inter gentes in terrâ profana, vidua mulier iam tunc esset filia Abrahæ, multò hospitalior ipso parente, multò humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, & erga peregrinos magno detentus affectu: sed erat verè opulentus, erat dives.* Et paulò post: *studio humanitatis omnem vim despexit naturalis affectus, non de se, non de paruulis sollicita; nihil eam à mentis proposito reuocauit, nec proprij sexus infirmitas, nec materna erga paruulos viscera pietatis: occidit in se naturæ officia hospitalitatis intuitu, & effectus est deuotus erga hospitem matris animus filiorum crudele sepulcrum.*

Vers. 16. ET EX ILLA DIE HYDRIA FARINÆ NON DEFECIT, ET LECYTHVS OLEI NON EST IMMINVTVS] non per rarefactionem, sed additionem nouæ farinæ & olei continuam, ait Abul. Vnde ex eo deinceps sustentata fuit vidua cum filio, quin & Elias ipse, vt patet v. 20. Merebatur hoc fides & sanctitas Eliæ, item obedientia & eleemosyna viduæ, qua modicum farinæ quod habebat, dederat Eliæ. Ita S. Prosper lib. 2. de prædict. & promiss. cap. 29. quem audi: *Sic anima fœneratur Deum, si dum*

dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima, quæ corpore absedente Domino, castigantem diligens, vnius thori fidem pudico amore custodit, sacramento farris & olei vnctione munita, secura exspectans gratam pluuiam, cùm ei dixerit Dominus: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Audi & Eucherium liberalitatem & virtutem huius viduæ admirantem, & hoc elogio remunerantem: *Facta est igitur manus viduæ perenne torcular, & mola iugiter fundens. Ecquid dico mulieris manum? In verbo propheta tota domus viduæ piorum cellarium facta est. Non ibi ros, non pluuia, non verè aura, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus; sed omnia & in omnibus sermo propheta affatim viduæ ministrabat.* Pascentem se viduam pauit Elias.

Audi S. Hieron. Epist. 10. ad Furiam: *Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & sua & filiorum salutis* B *Eliæ prætulit famem; vt in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm eleemosynam; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominica præparauit. Farina feritur, & olei capsaces nascitur: in Iudæa frumenti est penuria: granum enim tritici ibi mortuum fuerat, & in gentium viduæ olei fluenta manabant.* Simili modo S. Euthymius (cuius sanctitas toti orbi sub Iustiniano Imp. inclaruit) farina in monasterio deficiente, illam multiplicauit, dicens: *Bono estote animo: quantum enim egentibus impertiti, duplum nobis Dominus elargietur. Spero enim, quòd sicut olim hydria farina non defecit, ita nunc minimè sit defectura.* ita Eustachius in eius Vita, & ex eo Baronius anno Christi 564. Pari ratione Masymas Anachoreta instar Eliæ in duobus doliis pro pauperibus multiplicauit frumentum, & oleum, vti refert Theodor. in Histor. Religiosa c. 14. quem audi: *Hospitum autem & pauperum tam alacri animo curam gerebat, vt patefaceret portas omnibus, qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia; vnum quidem frumenti, alterum verò olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus; habebat autem ea semper plena benedictione, quæ data est viduæ Sarephtanæ, & immissa fuerat in hac dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos, qui ipsum inuocant: & sicut illius hydriam, & guttam iussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat eius animi alacritati.*

Similia sæpè fecit S. Ioannes Eleemosynarius Archiepiscopus Alexandrin. teste Leontio in eius Vita. Vnde eius axioma erat: *Quò plura erogo in pauperes, eò plura semper & maiora à Deo recipio.* Vnde S. Basil. hom. de eleemosyna eum comparat puteo, vel fonti, qui quo plus aquæ effundit, eo amplius aquæ ebullientis admittit, & recipit. Vide S. Chrysost. hom. cui titulus: *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima.*

Alleg. hydria farinæ significabat panem Eucharistiæ, qui quotidie à fidelibus comeditur, nec tamen consumitur, aut deficit vmquam, ira Lanfrancus, Algerus, & alij scribentes contra Berengarium.

QVOD EOCVTVS FVERAT IN MANV ELIÆ] id est per Eliam: manus enim est instrumentum instrumentorum; vnde notat causam instrumentalem; talis enim respectu Dei fuit Elias.

ÆGRO-

VERS. 17. ÆGROTAVIT FILIVS MVLIERIS MATRIS FAMILIAS] putà viduæ iam dictæ : hæc enim mortuo marito erat sola materfamilias. Permisit, vel immisit hunc morbum Deus puero hoc fine, vt mortuus ab Elia suscitaretur; ita que Eliæ fides, & virtus apud Achab, & Baalitas splendesceret. ita Eucher. & alij. Audi S. Augustin. ad Simplician. quæst. 5. *Non malefaciendi causa mortificauit filium eius, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantum prophetam, & tunc viuentibus, & posteris commendaret. Sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed vt glorificaretur Deus in Filio, & ideò consequentia probant, & ipsa etiam fiducia, qua credidit Elias, non ad hoc illud contigisse, vt acerbo luctu eius hospita affligeretur, sed potiùs ad hoc factum esse, vt Deus magnificentiùs ostenderet viduæ, qualem Dei famulum susceperit.*

Nonnulli censent, hunc viduæ filium suscitatum ab Elia fuisse Ionam prophetam. *Tradunt Hebræi*, inquit Hieron. in præfat. in Ionam, *hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui, quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo est veritas; & ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat, & ex eo, quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis.* Sic ipse, vtique recitando non probando. Ionas enim Hebræus erat, hic verò filius erat Sidonius. Vide dicta procemio in Ionam.

VERS. 18. INGRESSVS ES AD ME, VT REMEMORARENTVR INIQVITATES MEÆ, ET INTERFICERES FILIVM MEVM] q. d. Num venisti ad me, ô Elia, tamquam minister Elohim, id est Dei summi iudicis & vindicis, vt ad tuum ingressum puniar morte filij? Videbat enim ipsa Eliam quasi ministrum Dei punire scelera & scelestos, vt cùm toti Israeli ob cultum Baal induxit sterilitatem, & famem. Est enim naturalis quasi antipathia inter sanctitatem & iniquitatem, ac inter sanctos & iniquos; vt vna prædominans aliam excludat, & quasi interimat. Sic Eliæ seuera sanctitas, & sancta seueritas videbatur hîc elidere omnẽ iniquitatẽ familiæ viduæ, ac in eius punitionẽ occidere viduæ filium. Notat Theod. humilitatẽ, & pœnitentiæ spiritum in hac vidua, quòd mortem filij suis peccatis adscribat; ideoque meruit eum resuscitari. Audi Theodor. hîc q. 52. *Sunt*, inquit, *admiratione digna verba viduæ: tuto, inquit lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant... Non dixit, fuisti mihi malum auspicium; mala concilauit mihi tuus aduentus; sed potiùs suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantum enim ei profuit prophetæ doctrina:* Quasi præ humilitate doluerit, se prophetam in domum suam indignè suscepisse.

VERS. 21. ET EXPANDIT SE, ATQVE MENSVS EST SVPER PVERVM] Hebr. וַיִּתְמָדַּד *vaitmoded*, id est *seipsum admensus est* (est enim coniugationis *Hitpael*, quæ notat actionem reflexam agentis in seipsum) super puerum commensus est, & coæquauit seipsum puero, scilicet os suum ori pueri, manibus manus, pectus pectori, tibias tibiis, pedes pedibus applicando, & quoad fieri poterat per contractionem coæquando. Vnde Chald. vertit, *Coarctauit se super puerum*; Septuag. *Insufflauit puero ter*; Vatab. *incubuit puero.*

Quæres, cur id fecit Elias? Resp. variæ fuêre causæ. Prima ethica & pathetica, vt ostenderet eximium suum in viduam, & filium eius amorem, indeq; dolorem de eius morte. Quos enim summè diligimus, hos amplexamur, arctéque complectimur, nec nos ab eis auelli patimur, quasi eis nostras vires, spiritum, & vitam inspirare velimus. Sic S. Ambros. Orat. funebri in obitu fratris sui Satyri, idem se illi fecisse commemorat: *Nihil*, inquit, *mihi profuit vltimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse morienti.*

Secunda physica causa fuit, ait Abul. quòd Elias hoc suo in puerum incubitu, & insufflatione volebat corpus eius ex morte frigidũ calefacere, itaque disponere ad animam, vitamque recipiendam, sicut disponit mater corpus embryonis in vtero, vt Deus deinde iam calefacto, & disposito, infundat animam rationalem: hoc enim est opus solius Dei, matris verò opus est materiam disponere. Sic gallina oua incubando calefacit, vt deinde in pullos formentur, & animentur.

Tertia symbolica, vt ostenderet, quàm ardua & difficilis res esset, mortuum è morte suscitare ad vitam. Vnde idem fecit Eliseus imitans Eliam magistrum suum 4. Reg. 4. 34. Rursùm, vt liqueret, quanta esset distantia inter miracula Eliæ & Christi: Elias enim laboriosè se fatigando & sudando suscitauit mortuum; Christus verò facillimè solo iussu, & verbo, vtpote mortis vitæque Dominus.

Quarta Theologica, vt sancti corporis sui cõtactu cadauer pueri Deo commendaret, ait Serarius. Corpora enim sanctorum non tantùm viua sunt, sed & viuifica; adeò vt corpus Elisei iam mortui mortuum suscitarit quondã à latronibus occisum, qui in sepulchrum Elisei proiectus, dũ sacra eius ossa tetigisset, diuina virtute reuixit, vti narratur 4. Reg. 13. 20. Aliá, magisque propinquam causam dat Abul. Elias, ait, ter puero incubuit: nam primò ei incubuit orans Deum, vt eum resuscitaret: sed cùm id videret non fieri, secundò incumbens puero, orauit feruentiùs. Verùm, cùm nec tum quidem surgeret puer, tertiò eidem incumbens orauit ardentissimè, sicque tandem vitam puero impetrauit. Idem fecit Eliseus. Idem nos imitari & facere conuenit. Deus enim in rebus arduis vult sæpiùs & ardentiùs rogari, vt illud feruentibus, & zelo quasi armatis & inflammatis precibus ab eo extorqueamus. Hoc enim res meretur, sicque crescit nostra deuotio, virtus, & meritum. Atque hic est fructus perseuerantiæ, & orationis perseuerantis, seseque intendentis, & ardentis.

Quinta Mathematica; vt enim corpus maius æquetur minori, debet illud amplecti; ac vicissim minus maiori se subiiciat, oportet. Id patet in circulo minori incluso in maiori. Hic enim subiicit se maiori: vnde maior eum amplectitur & proportionaliter sibi æquat, quia vterque idem centrum ambit, & ad illud circumcircà gyrat, ita vt nulla linea diametralis à maiori circulo ad centrum duci possit, nisi illa priùs circulum minorem intermedium secet, & per-

pertranseat. Quare nulla pars in circulo maiori assignari potest, cui non pars similis & proportionaliter æqualis in minori respondeat. Qua re docemur, quòd vt inferiores Superioribus vniantur, & quasi adæquentur, necesse sit vt Superiores ad inferiores se per amorem inclinent, eosque complectantur; inferiores verò Superioribus debita obedientia, & subordinatione se submittant, & substernãt. Hæ ergo sunt duæ virtutes sublimes, quæ omnia complanant, adæquant, & vniunt, nimirum charitas, & humilitas. Sicut Elias charitate amplexans puerum, & puer naturaliter se submittens, Eliæ, ei se quasi adæquauit, itaque ab eo animam, spiritum, & vitam recepit.

Allegoricam, & præcipuam causam dat S. Prosper parte. 2. Prædict. c. 31. scilicet, vt Elias suo gestu repræsentaret mysterium Incarnationis, quo Dei filius suam Deitatem commensus est, & quasi coæquauit nostræ humanæ naturæ, quam assumpsit, vt per eam nos peccato mortuos viuificaret. *Elias, & post eum Eliseus*, ait Prosper, *vt mortuum paruulum suscitaret, inutilia membra contexit. Et Dominus Iesus seipsum exinaniuit, formam serui accipiens: paruum se illi paruo coaptauit, vt efficeret illud corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Iacens subter se frigiduni suo calore succendit: similiter & noster Saluator Dominus mundum, à cuius calore non est iam qui se abscondat. Insufflauit ille tertiò iacenti, vt trina confessio infunderetur credenti: sic suscitatus est mortuus, dum à morte perpetua iustificatus est impius.*

Vnde Chald. vertit, *Coarctauit se super puerum*; Septuag. *insufflauit ter in puerum.* Sicut enim gallina incubat ouis, totamque se super ea expandit, & quasi commensurat, vt ea calefaciat, & viuificet: sic & Deitas Christi se expandit super totam humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est & coæquauit, vt eam frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam viuificaret: singula enim hominis membra omnesque animæ potentiæ per peccatum spiritaliter erant mortuæ, frigidæ, aridæ & exanimes; quæ in singulas Deitas incumbens, insufflauit in eas, & inhalauit spiritum gratiæ, & vitæ spiritalis. Tertiò autem Elias incubuit puero, eique seipsum coarctando admensus est, quia Christus tertiò seipsum coarctauit, & commensus est humanæ naturæ, scilicet primò, in vtero; secundò, in præsepio; tertiò, in cruce; itaque mortuum genus humanum viuificauit, eique spiritum charitatis, paupertatis, & patientiæ inspirauit, & *cum clamore valido ac lachrymis preces offerens exauditus est pro sua reuerentia.* ita Lyran. Angelom. Eucher. Salianus.

Audi S. Augustin. serm. 201. de Temp. *Filius Corn. in lib. Regum.*

viduæ defuncti iacebat, quia filius Ecclesiæ, id est populus Gentium, multis peccatis & criminibus mortuus est? Currante Elia filius viduæ suscitatur, venientè Christo filius Ecclesiæ, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur. Elias inclinatur in oratione, & viuificatur viduæ filius; & Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus. Et post nonnulla: *Nam quòd tribus vicibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater & Filius sine Spiritu sancto; sed tota Trinitas suscitauit. Denique hoc etiam in Sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, vt nouus surgere meretur.* Hoc igitur est verbum abbreuiatum, de quo Apostolus Rom. 9. 28. *Vt quod cælo non capiebatur, præsepio caperetur*, ait S. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 3. nimirum Verbum infans, puer sapiens, Deus lacteus.

Tropologica causa fuit, vt ostenderet Elias viri zelozum & charitate flagrantem, qui conuertere satagit animas vitiis, & concupiscentiis mortuas, debere per magnam compassionem, commiserationẽ, & zelum iis quasi se coæquare, & commetiri, vt eis frigidis, & torpentibus spiritum vitæ inhalet: peccator enim est quasi cadauer mortuum & frigidum, quare ingenti & crebro concionatoris, Confessarij, & monitoris ardore opus est vt calorem pœnitentiæ & deuotionis ei aspiret, quo ad vitam gratiæ à Deo recipiendam se disponat. Sic enim ignis frigidum lignum priùs calefacit, vt deinde illud igniat. Et gallina oua diu calefacit, vt animentur. Ita faciebat Paulus dicens: *Factus sum infirmis infirmis, vt infirmos lucrifaciam. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*, 1. Corinth. 9. 22. Et: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. 29. Et: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, Galat. 4. 19. *Tropol.*

Anagogica causa fuit, vt significaret Christum in resurrectione commensurum, & quasi coæquaturum nos suæ gloriæ, & corpori glorioso, iuxta illud: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Philip. 3. 21. *Anagog.*

ET REVERSA EST ANIMA PVERI INTRA EVM] *Reuersa*, scilicet è limbo. Hinc patet animæ hominis immortalitas. Hic puer est primus ab origine mundi à morte ad vitam suscitatus; nec enim alium eo priorem suscitatum legimus. ita Caiet. Denique cœnaculum, siue locus in quo Elias hunc puerum è morte suscitauit, etiamnum ostenditur, ait Adrichom. in Sarephta. VERS. 22.

R CA-

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias sistit se regi Achab, & non se, sed ipsum suis idolis turbasse Israelem asseuerat. Mox v. 21. miraculo euocationis ignis è cælo in victimam certat cum prophetis Baal, vincensq; iubet omnes mactari. Denique v. 41. pluuiam Israeli à se siccitate damnato, indeq; fœcunditatem restituit.

1. POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ. 2. Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocauitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valdè. 4. Nam cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane & aqua. 5. Dixit ergo Achab ab Abdiam: Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant. 6. Diuiseruntque sibi regiones, vt circuirent eas: Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram seorsum. 7 Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm cognouisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 9. Et ille, Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me seruum tuum in manu Achab, vt interficiat me? 10. Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quò non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis: Non est hîc: adiurauit regna singula & gentes, eò quòd minimè reperireris. 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 12. Cumque recessero à te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro: & ingressus nuntiabo Achab, & non inueniens te, interficiet me: seruus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. 13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, quòd absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos, in speluncis, & pauerim eos pane & aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias: vt interficiat me? 15. Et dixit Elias: Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, & indicauit ei: venitque Achab in occursum Eliæ. 17. Et cùm vidisset eum, ait: Tune es ille qui conturbas Israel? 18. Et ille ait: Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. 19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. 20. Misit Achab ad omnes filios Israel, & congregauit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Vsquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini eum. Et non respondit ei populus verbum. 22. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt. 23. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frustra cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam. 24. Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bouem vnum, & facite primi, quia vos plures estis: & inuocate nomina deorum vestrorum ignemq; non supponatis. 26. Qui cùm tulissent bouem, quem dederat eis, fecerunt: & inuocabant nomen Baal de manè vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant. 27. Cumque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis: donec perfunderentur sanguine. 29. Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes? 30. dixit. Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curauit altare Domini quod destructum fuerat 31. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israel erit nomen tuum. 32. Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitq; aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, 33. & composuit ligna: diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, 34. & ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò idipsum facite. Fecerunt que tertiò, 35. & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est. 36. Cumque iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. 37. Exaudi me Domine, exaudi me: vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. 39. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. 40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est. 42. Ascendit Achab, vt comederet & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, 43. & dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Reuertere septem vicibus. 44. In septima autem vice, Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum & descende, ne occupet te pluuia. 45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Iezrahel: 46. & manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

Vers. 1. IN ANNO TERTIO, siccitatis, & famis ab Elia inductæ Israeli.

Vers. 3. ABDIAS AVTEM TIMEBAT DOMINVM VALDE] Hebræi, Lyran. & Rupert. putant hunc *Abdiam* esse Abdiam prophetam, qui inter minores prophetas ordine est quartus. Addit Lyran. Abdiam merito huius beneficentiæ in prophetas, à Deo in præmium accepisse donum prophetiæ: S. Epiphan. verò lib. de Prophetis censet, Abdiam hunc fuisse quinquagenarium illum, qui libro 4. c. 1. Eliæ supplex mortem effugit. Sed hunc Abdiam ab vtroque esse diuersum, ostendi prœmio in Abdiam.

Vers. 4. TVLIT ILLE CENTVM PROPHETAS, ET ABSCONDIT EOS] Abul. putat, prophetas hosce fuisse prophetas propriè dictos. Planiùs Lyran. & Caiet. censent, eos fuisse viros religiosos, qui abdicatis curis terrenis seorsim simul habitantes diuinis laudibus insistebant; vt faciunt iam Cœnobitæ. Simili modo legimus 1. Reg. 19. 20. chorum prophetarum non tantùm vocali cantu, sed & musicis instrumentis vna cum Samuele & Saule laudasse Deum. Sic Heman, & Idithun cantores dicuntur *prophetasse*, id est, cecinisse psalmos in citharis & psalteriis 1. Paralip. 25.

Vers. 18. NON EGO TVRBAVI ISRAEL, SED TV, ET DOMVS PATRIS TVI, QVI DERELIQVISTIS MANDATA DOMINI, ET SECVTI ESTIS BAALIM] putà idola, & deos gentium. Vide hîc libertatem Eliæ qua Achab regi culpam, cauſamque siccitatis, & famis à se inductæ in faciem obiectat. Idem fecêre Lucifer Calar. S. Athanas. & S. Hilar. in Epistolis, & libris scriptis ad Constantium Imper. Arianum.

Vers. 19. CONGREGA AD ME VNIVERSVM ISRAEL IN MONTE CARMELI, ET PROPHETAS BAAL QVADRINGENTOS QVINQVAGINTA, PROPHETASQVE LVCORVM QVADRINGENTOS] Pétiit hoc Elias, vt omnes occideret, ac iis occisis exciderent paritet idola Baal, & *lucorum*, id est aliorum deorum, qui in siluis, & lucis colebantur. Fuere ergo vniuersim pseudoprophetæ, siue pseudodoctores hæresis, & idololatriæ 850. quos omnes Elias partim per se, partim per populum interemit. Esto enim soli subinde Baalitæ quasi præcipui nominentur, tamen ceteros quoque fuisse interemptos patet c. 19. v. 1.

Vers. 23. ET EGO FACIAM ALTERVM BOVEM] *faciam*, id est sacrificabo. Summum enim & nobilissimum opus, quod facit homo, est sacrificium: Sic Virgilius:

Cum faciam (id est sacrificabo) *vitulo pro frugibus, ipse venito.*

Vers. 24. DEVS, QVI EXAVDIERIT PER IGNEM, IPSE SIT DEVS] qui scilicet ignem in hostiam

Corn. in lib. Regum.

stiam sibi oblatam è cælo demiserit. Hic enim hoc ipso ostendet se ignis æquè ac cæli esse Dominum, ac sacrificium illud esse suum, id est verum & diuinum. Solebat enim Deus in igne apparere, ac per ignem è cælo missum absumere sacrificia sibi oblata, vti fecit in sacrificio Abelis Genes. 4. 4. Aaronis Leuit. 9. 24. Salomonis 2. Paral. 7. 1. Dauidis 1. Paral. 21. 20. Gedeonis Iudic. 6. 21. Manue Iudic. 13. 20. & aliorum. Ignis enim repræsentat maiestatem Dei. Vnde Deuter. 4. 24. Moyses ait Hebræis: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ignis enim symbolum est castitatis & puritatis, æquè ac efficacitatis diuinæ, vti per 17. analogias ostendi Leuit. 9. 23. Hinc & Spiritus sanctus in specie ignis descendit in Apostolos die Pentecostes Actor. 2. Vide ibi dicta.

Et hæc populus sciebat, atque illa tum ex Scripturis, tum ex Leuitis audierat; vnde statim succlamauit, dixitque: *Optima propositio.* Miraculo enim hæc lis de Deo vero decidenda erat, vti hîc Eliæ suggessit Deus, eò quòd Achab, Iezabel & Baalitæ in cultu Baal essent obstinati, nec vllas rationes in contrarium ad aures admitterent.

VERS. 26. QVI CVM TVLISSENT BOVEM, QVEM DEDERAT EIS, FECERVNT] id est immolarunt Baal. Tradunt, vel potius more suo fabulantur (teste Lyrano & Abul.) Rabbini bouem hunc fugisse à Baalitis ad Eliam, quasi qui dedignaretur immolari Baal, vellentque ab Elia immolari Deo vero, vt hoc prodigio aduerteret populus, Baal non esse Deum, & ad Deum verum, quem colebat Elias, rediret.

TRANSILIEBANT ALTARE QVOD FECERANT] Sic & Septuag. sed Hebr. & Chald. habent *quod fecerat*, scilicet Elias, ait Serarius, & Sanchez, qui censent, Baalitas insultasse hîc altari Eliæ, illudque saltando diruisse, ideoque paulò pòst Eliam v. 30. illud restaurasse. Fauet Chald. qui vertit: *Insaniebant super aram, quam fecerat*, scilicet Elias. Verùm v. 30. contrarium potiùs significat, scilicet Eliam necdum erexisse suum altare.

Quare Vatab. Hebr *quod fecerat* exponit subaudiendo *vnus eorum*, scilicet Baalitarum, vel eorum dux, *rex Achab.* Saltabant ergo Baalitæ inconditi quasi amentes, vt vertit Chald. cùm viderent, Baal à se inuocatum non respondere; tum ex pudore & anxietate, ne ab Elia malè mulctarentur, vti reipsa eis mox contigit; tum vt Baalem anxio hoc suo transultu placarent, commouerent & quasi cogerent ad respondendum: hoc enim gestu significabant suum erga Baalem ciusque altare stu ium & deuotionem, quasi qui cuperent ipsimet fieri victimæ, & in altari immolare se Baali, ideoque lanceolis se incidentes, sanguine suo altare cruentabant, vt sequitur. Similes saltus & gestus inconditos more bacchantium edebant Corybantes, Luperci, & Salij apud Romanos. ita Salianus, Vatab. & alij.

VERS. 27. ET FORSITAN LOQVITVR] colloquitur cum aliquo, vt ad vestras preces attendere nequeat.

AVT IN DIVERSORIO EST] vt comedat, bibat & epuletur. Putabant enim Gentiles deos instar hominum manducare, & potare, ac veseri nectare & ambrosia. Vnde Homerus Iliad. 4. inducit Iouem apud Ægyptios, & Æthiopes epulantem cum aliis diis.

INCIDEBANT SE IVXTA RITVM SVVM CVLTRIS ET LANCEOLIS] vt Baali se, suumque sanguinem litarent, & offerrent, itaque eum flecterent ad respondendum. Idem fecêre Syri, Græci, & Romani, teste Apuleio lib. 8. Luciano in Dea Syria, Plutarcho lib. de Superstitione. Audi Lactantium lib. 1. de falsa relig. c. 21. *Alia virtutis (sacrificia) quam tamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & vtraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt.* De hac Tibullus, vbi feminam sacrificantem induxit:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineoq; effuso spargit inepta Deam.
Statq; latus præfixa veru, flat sanctus pectus,
Et canit euentus, quos Dea magna mouet.

Nimirùm dæmon æmulus Dei, & inuidus homini, diuinis honoribus gaudet, ideoque humano sanguine sibi quasi Deo litari vult, itaque simul homines sibi exosos excruciat, vulnerat & sæpè necat.

ET ILLIS (*Baalitis*) PROPHETANTIBVS] id est Baalem laudantibus & inuocantibus, Chald. *insanientibus.*

CVRAVIT (Elias) ALTARE (Domini) QVOD DESTRVCTVM FVERAT] Abul. q. 27. putat hoc altare primùm erectum à Saule 1. Reg. 14. 12. sed Saul ibi erexit fornicem triumphalem, non altare. Dico ergo Eliam, vt populum inuocaret ab altari, & cultu Baal, iam antè instinctu Dei erexisse altare in monte Carmelo, & ad illud populum conuocasse, vt in eo Deo vero sacrificaret: quare Iezabelem, & Baalitas Eliæ indignantes hoc eius altare destruxisse; Elia verò illud hîc cursùm erexisse, & instaurasse.

ET TVLIT DVODECIM LAPIDES IVXTA NVMERVM TRIBVVM FILIORVM IACOB] Duodecim enim filij Iacob per suos filios, nepotes, & abnepotes constituerunt 12. tribus Israël. Fecit hoc Elias, vt ostenderet se Deum verum colere, illique sacrificare, quem coluerat Iacob, ceteriique Patriarchæ, & prisci Israëlitæ, ac proinde præsentes quoque Israëlitas, vtpote eorum posteros, debere iisdem vestigiis insistere, ac eũdem Deum colere. Vnde subditur:

A. D. QVEM FACTVS EST SERMO DOMINI DICENS: ISRAEL ERIT NOMEN TVVM. Appositè q. d. Sicut Iacob luctans cum Deo (id est Angelo Dei vicario) eumque volentem vincens, vocatus est Israël, id est dominans Deo Genes. 32. sic pariter vos si patriarchæ vestri Iacobi fidem & cultum veri Dei imitati fueritis, fietis veri Israëlitæ, id est dominãtes Deo, ac omnia, quæ ab eo postulaueritis impetrabitis: quod vt faciatis ecce יִשְׂרָאֵל *israel*, id est *dominabitur Deus* in hoc meo sacrificio, per ignem è cælo in illud missum, ac Baalitas prosternet: licet enim & ipsi ope sui Baal, id est dæmonis, potuissent ignem è cælo in bouem suum demittere (hoc enim faciet Antichristus ope dæmonis Apoc. 13. 13.) tamen sciebat Elias ex Dei reuelatione, Deum id non permissurum, vt Baalem confunderet, & se solum Deum verum ostenderet.

FECIT-

FECITQVE AQVAEDVCTVM QVASI PER DVAS ARATIVNCVLAS, IN CIRCVITV ALTARIS] scilicet quasi per duos sulcos, siue per duo spatia, quæ arati poterant. In Hebræo significatur aquæductus fuisse tantùs, vt caperet duo sata. Habet enim: *iuxta domũ*, id est saccum vel mensuram *duorum satorum seminis*, q. d. fecit alueum vel areolam excauatam circum altare tantam, vt caperet saccum continentem duo sata, id est duos modios seminis. vnde Vatab. Malè ergo quidam sic exponit, q. d. fecit tantum alueum, quantus est in quo seminantur duo sata. Sic enim alueus hic fuisset maior alueo Tiberis vel Rheni. Satum enim est mensura Hebræa capiens tantum, quantum modius apud Romanos. Iam modius, dum seminatur integrum agrum implet. Porrò Hebræi *domum* vocant saccum vel vas quodlibet, quod semen aliamue rem continet.

Fecit hoc Elias, tantumque aquæ circa altare effudit, ne quis putaret eum sub altari abscondisse ignem, ac proinde ignem ab eo è cælo euocatum, non è cælo descendisse, sed in terra ab eo absconditum, inde in altare more suo ascendisse. Audi S. Chrysost. hom. de Petro & Elia, quam ex Metaphraste recitat Surius die 1. Augusti: *Attende quod dicturus sum, vidi enim ipse quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædã sunt ex inferiore parte altaris, & fouea quædam obscura: descendunt autem errorũ artifices in foueam illam, & ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium cõficiendum, ita vt multi decepti ignem illum cælestem existiment esse. Ne igitur & Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, vt aquâ illâ, nulla esse infra altare foramina ostenderet, vbi enim aqua foramen inuenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat, necesse est.*

Fabulatur R. Salomon Eliam, cùm tantum alueum aqua in hydria allata implere non posset, fecisse vt pars aquæ ex hydria à se effusæ manus suas attingeret, itaque nouo miraculo ex Eliæ manibus, quasi è duobus fontibus aquas largissimas emanasse, quæ totum alueum implerent, ideoque 4. Reg. 3. 11. dici ab Eliseo in Eliæ manus aquam effusam.

VERS. 38. CECIDIT AVTEM IGNIS DOMINI, ET VORAVIT HOLOCAVSTVM] quasi cibum Dei. Victimæ enim sunt quasi cibus Dei. Scribit Iosephus lib. 8. Antiq. c. 13. locum hunc igne Dei consumptum vsque ad sua tempora perduraſſe. Vide dicta Isaiæ 64. 2. ad illa: *Aquæ arderent igni.*

VERS. 39. QVOD CVM VIDISSET OMNIS POPVLVS, CECIDIT IN FACIEM SVAM, ET AIT: DOMINVS IPSE EST DEVS, DOMINVS IPSE EST DEVS] Hebr. *Iehoua ipse est Elohim, Iehoua ipse est Elohim*, q. d. יְהוָה *Iehoua* qui primus hoc nomen suum indicauit Moysi Exodi 6. 3. ac hoc nomine ab eo & ceteris Israëlitis inuocatus est, ipse est solus, verusque Elohim, id est Deus, & Numen omnia gubernans, cælum, & terram moderans, à quo proinde nos, ceteriique homines omnem alimoniam, omneque bonum exspectare, & postulare debemus. אֱלֹהִים *Elohim* enim significat Deum, quatenùs habet prouidentiam rerum omnium, omniaque regit, iudicat & vindicat. Hinc Hebræi dicunt, sumptum nomẽ Eliæ, siue, vt Hebr. vocatur, אֵלִיָּהוּ *Eliahu*, *Corn. in lib. Regum.*

qui priùs vocabatur *Iaberschuah. Eliahu* enim idẽ est, quod אֵל יָהּ הוּ *El Ia hu*, id est, *fortis Deus ipse.* Iam *El* est abbreuiatum *Elohim*, *Ia* est contractum *Iehoua*, *Hu* est *ipse.* Sic מַכַּבִּי *Machabi*, id est *Machabæi* nomen à Iuda & fratribus sumptum est ex illo Exodi 15. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Mi camocha Baelim Iehoua*, id est: *Quis similis tui in fortibus Domine?* Hoc enim velut insigne & emblema suæ pugnæ & victoriæ præferebant Machabæi, nullam in sua fortitudine spem, sed totam in Deo collocantes. Elias enim Dei ope fortior euasit Achabo, Iezabele, & Baalitis, non tantùm passiuè, eorum persecutiones fortiter sustinendo, sed & actiuè, omnes mactando. Sic S. Liduina, quæ in morbis plurimis & acerbissimis per annos 30. & amplius admirabile fuit patientiæ speculum, hoc nomen quasi omen futuræ patientiæ accepit. *Liduina* enim Belgicè idem est, quod *lata patientia*, vti habet eius Vita in initio apud Surium tom. 7. die 14. Aprilis. Sic Mars Græcè dictus est, ἄρης quòd naturam habeat ἄῤῥατον, id est infractam, inuictam, & immutabilem, ait Plato in Cratylo. Vnde ad hoc etymon alludens Virgil.

Infractos aduerso Marte Latinos,

Elia etymon: Machabæorum, & aliorum

nuncupat. Sic *Agamemnon*, ait Plato, hoc nomen accepit ob laborum, quos perpessurus erat, tolerantiam; decem enim annis obsidens Troiam multa perpessus est. Vnde ἀγαμέμνων dictus quasi ἄγαν μένων, id est *valde manens* in obsidione Troiæ. Sic *Elias* Athenæ diuinus idem est, quod *fortis Domini*, vel *fortis Dominus*, in eo, eiusque operibus.

Notat Beniamin in Itinerario, in Carmelo antrum Eliæ adhuc visi, altarisque diruti vestigia; cuius locus circularis fuerit, diametro ferè cubitorum quatuor.

APPREHENDITE PROPHETAS BAAL] & lu- VERS. 40. corum, putà vniuersim 850. vt dixi v. 19. quos omnes Elias iussu Dei, vt ipse ait v. 36. præcepit occidi; quia ipsi erant Antistites, doctores, & auctores idololatriæ, ideoque blasphemi in Deum, quos Deus per Moysen iusserat occidi: ita Abul. & alij. Audi Auctorem de Mirabil. S. Script. lib. 2. *Quippe qui Elias erat in ea lege, quæ dicit Leuit. cap. 24. blasphemum non patetis viuere: Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Ac per hoc qui idololatriæ cultores mactauerat, blasphemos & sacrilegos de terra purgabat.* Et S. Basil. hom. 20. de Ira: *Illum, qui tamquam pharmaco ad ea, quæ oportet, irâ vtitur, Dominus minimè condemnat. Moyses omnium hominũ mansuetissimus vituli idololatriam damnãs, Leuitarum manus in cædem fratrum armauit. Phinees iusta cõtra publicè fornicantes ira, vt oportebat, vsus, protinùs vtrumque trucidauit. Samuel regem Amalec iusta ira in medium trahens, occidit. Sic itaque sit ira sæpenumerò bonarum actionum ministra. Elias verò zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, & quadringentos sacrorum nemorum comedentes de mensa Iezabel, iusta sapientiq; indignatione in totius Israël vtilitatem, vt morte mulctarentur, effecit.*

DVXIT EOS AD TORRENTEM CISON (vbi Barac cecidit Sisaram cum suis copiis Iudic. 4. v. 7.) ET INTERFECIT EOS IBI] ne terra sancta eorum scelesto sanguine pollueretur, neue eorum cadauera aërem inficerent; idcirco ea deuoluit in *torrentem Cison*, nec in terra,

sed in aquis decurrentibus sepeliuit.

VERS. 41. ET AIT ELIAS AD ACHAB : ASCENDE, COMEDE ET BIBE, QVIA SONVS MVLTÆ PLVVIÆ EST] q. d. Iam peracta est iusta vindicta de impiis idololatris Deo iniuriis : quare Deus iam quasi placatus reconciliari cupit Israeli, ac pluuiam & fœcunditatem illi denegatam restituere. Quocirca nunc mihi Deus reuelauit, pluuiam mox venturam, imò ego eam video quasi venientem, ac sonitum venti vel tonitrui, qui ingentem pluuiam præire solet, videor mihi audire : nullum enim adhuc signum pluuiæ in aëre apparebat, vt patet ex sequentibus. *Ascende* ergo, ô Achab, *comede, bibe*, & exulta ob tam lætum pluuiæ, & fertilitatis nuntium, quod tibi affero.

VERS. 42. ELIAS AVTEM ASCENDIT IN VERTICEM CARMELI, ET PRONVS IN TERRAM POSVIT FACIEM SVAM INTER GENVA SVA] vt attentiùs, & ardétiùs oraret Deum pro pluuia ab eo promissa, vt eam statim exhiberet. Hic enim gestus significabat humilitatem, & attentionem orantis Eliæ, & Dei misericordiam, toto affectu implorantis : hoc enim situ est embryo in ventre matris, eoque quasi tacitè suam miseriam ostendens, implorat Dei misericordiam, vt se in lucem educat. Audi S. Isidor. lib. 11. Orig. c. 1. *Genua sunt commissiones femorum & crurum; & dicta genua, eò quòd sint in vtero genis opposita; cohærent enim sibi, & cognata sunt oculis lacrymarum indicibus & misericordiæ : nam à genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita vt genua sursum sint, quibus oculi formentur, vt cani & reconditi fiant. Eius genua comprimit arcta gena : inde est quòd homines dum ad genua se prosternunt statim lachrymantur. Voluit enim eos natura veteri materni rememorari, vbi, quasi in tenebris cõsidebant, antequàm ad lucem peruenirent.* Hoc ipsum dixit Aristot. lib. 7. de Histor. animal. cap. 8. *Homo in semet conglobatus sic gestatur, vt nasus inter genua, aures extra genua habeat.*

Porrò Abulen. hinc colligit, Eliam ab hoc tempore, quo in mõte Carmelo cælitùs ignem denocauit, eoque Baalitas prostrauit, habitationem suam in eodem monte ad memoriam tanti beneficij & miraculi deinceps fixisse, atque eodem confluxisse ad ipsum plures viros religiosos, qui se totos Deo, orationi, & diuinis rebus, laudibusque tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiosè Deum coluerunt; indeque orta est antiqua, & sancta Carmelitarum religio, & familia. Vnde septem Summi Pontifices Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in bullis huic Ordini concessis, de professoribus huius sacri instituti ita loquũtur: *tanquam religionis speculum, & exemplar claritate fulgentes, sanctorumq; prophetarum Eliæ & Elisæi, & aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes.* Vnde & Sixtus V. huic Religioni concessit, vt Eliam & Elisæum tanquam suæ institutionis patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod & ipsa Religio studiosè seruat, & in ipso officio nomen, & solemnitatem patroni Eliæ tribuunt.

Carmelitæ oriundi ex Carmelo.

Hinc & Niceph. lib. 8. c. 3. asserit, Helenam Magni Constantini matrem in Carmelo templum ædificasse Eliæ Prophetæ. Sanè tempore Eliæ, & Elisæi in Carmelo fuisse oratorium, vel synagogam, ad quam festis diebus populus conueniret tum orationis causa, tum vt Eliam, Elisæum, & similes concionatores audiret, satis significatur lib. 4. Reg. 4. v. 23. idque ibidem docent Lyran. Abul. & alij. Porrò etiamnum Carmelitæ Eliæ festum solemne celebrant die 20. Iulij, quo die Elias Martyrologio Romano asscriptus est. Vide Suarez lib. 2. de Relig. cap. 10.

Extat in Biblioth. Patrum tom. 4. editionis tertiæ Colonien sis p. 725. liber Ioannis XLIV. Ierosolymorum Episcopi ad Caprasium de institutione monachi, in quo Carmelitarum institutum per omnia ab Elia deriuatum ostenditur, quem librum nonnulli Recentiores vetustum esse autumant, auctoremque faciũt Ioannem Ierosolymitanum Episcopum, qui vixit tempore S. Hieron. & ab eo velut Origenista notatus est : sed id multis refutant Doctores Colonienses in præfat. libri, ac Baronius tom. 5. anno Christi 444. & Bellarm. de Script. Eccles. pag. 95. qui censent, stylum esse hominis Latini, & posteriorum temporum.

Denique Salomon montis huius meminit Cantic. 7. 15. dicens: *Caput tuum vt Carmelus.* Vide ibi dicta. Porrò *Carmeli* nomen aptè repræsentat statum Religionis, tum quia hic pijs institutis & meritis abundat, sicut Carmelus frugibus & fructibus; tum quia *Carmel* Hebr. idem est quod *scientia circumcisionis*, scilicet mortificationis passionum, cupiditatum, & affectuum terrenorum, quæ discitur in Religione, quasi in propria huius rei schola.

Quamobrem iure S. Hieron. hos omnes quos diximus, veteris testamenti *monachos* vocat, idemque alio loco seipsum monachis annumerans: *Noster*, inquit, *princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij prophetarum*, quod iisdem penè verbis dicit Isidorus lib. 2. c. 15. qui in libro de Ecclesiasticis officiis hunc vtrumque, & ceteros prophetas *monachorum* appellat *principes*. Ad quos etiam accedit apertè Cassianus l. 1. c. 2. qui ab iis ait monasticæ professionis primordia esse fundata. Elias enim sine vxore, sine liberis, sine familia castâ cælibemque semper egit vitam; in tanta insuper paupertate, vt vestium loco, zonâ pelliceâ amictus describatur; victum autem modò à vidua, modò à coruo quasi mendicatum acciperet.

Hinc & S. Chrysost ait hom. 2. ad populum: *Quid, dic mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper erat: ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit*, &c. *rex pauperis indigebat, & verbis nihil plus quàm meloten habentis inhiabat.*

Addit Adrichom. in Carmelo: In hoc monte spelunca est & fons, vbi habitabant Elias, & Elisæus, & filij prophetarum: posteà habitauerunt (& etiamnum habitant) ibi Fratres Carmelitæ, vnde & originem & nomen habent.

PROSPICE CONTRA MARE] Mediterraneum: inde enim in terra sancta nubes, & pluuiæ ex maris vaporibus exoriri solent. Sciebat Elias ex Dei reuelatione, mox venturam pluuiam;

uiam; sed vt regem & populum eam anidissimè expectantem solaretur, & in pluuiæ spe confoueret, vrque appareret, à Deo per preces Eliæ hanc pluuiam singulari dono dari; hinc mittit puerum septies, vt in mare signum pluuiæ, puta nubes, prospecturet, illudque cùm apparuerit, sibi populoque renuntiet.

VERS. 44. ECCE NVBECVLA PARVA QVASI VESTIGIVM (pedis) HOMINIS ASCENDEBAT DE MARI] Hebr. *paruula quasi vola hominis*; Vatab. *ad magnitudinem volæ hominis*; Chald. *Nubes parua, sicut vola manus hominis ascendit de Occidente*, id est de mari Mediterraneo: hoc enim est ad Occidentem Iudææ.

Nota, vola tam de pedibus quàm de manibus dicitur: Hebr. enim כף *caph*, id est *vola*, propriè est curuitas, siue concauitas tam pedum, quàm manuum, imò & cochlearium, aliarumque rerum curuarum. Chald. hic accipit volam manus: Noster verò *volam pedum*. Vnde vertit, *vestigium hominis*; idque congruentiùs: videbatur enim Deus hîc in nube quasi pedibus descendere ad dandam Israeli pluuiam, & terram fœcundandam.

Elias typus Christi.

Allegor. S. August. Serm. 201. de Temp.: *Elias*, inquit, *figuram habuit Domini Saluatoris. Elias orauit & sacrificium obtulit, & Christus pro vniuerso mundo seipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias orauit in monte Carmeli, & Christus in monte Oliueti. Elias orauit, vt pluuia in terram veniret, & Christus, vt in cordibus humanis gratia diuina descenderet. Quòd autem dixit Elias ad puerum suum: Vade, & considera septies; septiformem sancti spiritus gratiam, quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit se vidisse nubeculam paruulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat.* Probat idipsum ex Euangelio, dum subdit: *Quamobrem ne fortè aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse dixit, illius vtique hominis, qui dixit: Quem dicunt homines esse filium hominis? sicut ergo orante Elia, post tres annos & sex menses pluuia de cælo descendit; ita & in aduentu Saluatoris tribus annis & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluuia verbi Dei totum mundum feliciter irrigauit. Et sicut tunc in aduentu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt, & deleti; ita in aduentu veri Eliæ, id est Domini nostri Iesu Christi observatio sacrilega paganorum destructa est.* Eadem ex August. transcripsêre Beda, Angelomus, & Eucherius.

Simile & quasi parallelum Eliæ fuit Aniani Episcopi factum. Cùm enim Attila rex Hunnorum obsideret Aureliam ad Ligerim, Anianus ciues horratus est, vt sperarent in Deum, eiusque opem implorarent, quod cùm illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conuersus dixit: *Prospicite de muris, num subsidium aduenit.* Putabat enim Aëtium aduentare. Prospicientes autem, neminem viderunt. At ille : *Orate iterùm cum fide : vos enim hodie Dominus liberabit.* Et cùm fecissent : *Prospicite iterum*, inquit. Nemine autem apparente dixit illis: *si cum fide orabitis, Dominus sine dubio nobis aderit.* Illi verò cum fletu magno misericordiam Dei inuocare cœperunt. Inde ex sancti Episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam quasi de terra surgentem viderunt ; quod renuntiantibus dixit : *Atqui hoc Domini auxilium est.* Hunnis proinde id oppidum inuadentibus, tanta vis aquæ de cælo decidit, vt coacti sint in castra reuerti. Sequenti die trementibus & fatiscentibus assiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aëtius Valentiani III. Dux, & Theodoricus Gothorum rex, ac Thorismundus filius eius cum suis quisque exercitibus prodierunt, commissoque certamine Attilam ab vrbe propulerunt. Hæc ita acta Gregorius Turonensis refert lib. 2. c. 7.

ET MANVS DOMINI FACTA EST SVPER ELIAM, ACCINCTISQVE LVMBIS CVRREBAT ANTE ACHAB] *Manus*, id est vis, virtus, alacritas, agilitas ad currendum : q. d. Deus dedit robur, vires & alacritatem Eliæ, vt licet ipse esset ieiunus, fessus, & debilis ex longa concertatione cum Baalitis, item ex prolixa oratione, sacrificio & impetratione pluuiæ, tamen curreret, imò præcurreret currum Achab, qui concitatis equis procurrebat, vt pluuiam euaderet. *Currebat* ergo Elias, vt Achab & Israëlitæ agnoscerent, auctore Deo datam esse pluuiam per preces Eliæ: item vt officium honorarium præstaret regi suo Achab, eum stipando, præeundo, & præcurrendo.

VERS. 46.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iezabel minatur mortem Eliæ : ille fugit, ac sub iunipero pastus ab Angelo, pergit in montem Horeb: ibi v. 10. rogatus à Deo, quid ibi agat, queritur prophetas occisos, se quoque posci ad necem: mox Deus ei apparens in sibilo auræ tenuis iubet, vt vngat Hazael in regem Syriæ, & Iehu in regem Samariæ, ac Elisæum in prophetam sibi successurum: id ipsum mox exequitur v. 19. ac proiecto in Elisæum pallio, illum sibi socium adoptat.

1. NVntiauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quo modo occidisset vniuersos prophetas gladio. 2. Misitque Iezabel nuntium ad Eliam, dicens : Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas : venitque in Bersabee Iuda, & dimi-

dimisit ibi puerum suum, 4. & perrexit in desertum, viam vnius diei. Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei. 5. Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. 6. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. 7. Reuersusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. 8. Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb. 9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hîc agis Elia? 10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. 11. Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, 12. & post commotionem ignis: non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis. 13. Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hîc agis Elia? Et ille respondit: 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum: Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perueneris illuc, vnges Hazaël regem super Syriam, 16. & Iehu filium Namsi vnges regem super Israel: Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges prophetam pro te. 17. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazaël, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus. 18. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum osculans manus. 19. Profectus ergo inde Elias, reperit Elisæum filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. 20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixitque ei: Vade, & reuertere: quod enim meum erat, feci tibi. 21. Reuersus autem ab eo, tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.

VERS. 3. TIMVIT ERGO ELIAS furorem, & potentiam Iezabelis, de quo v. 4. Vide Abul. q. 3.

DIMISIT PVERVM] scilicet famulum, vt solus secretiùs fugeret & lateret.

VERS. 4. PERREXIT IN DESERTVM, &c. CVMQVE VENISSET, ET SEDERET SVBTER VNAM IVNIPERVM] *Iuniperus* enim amat loca calida & sicca; vnde abundat in Syria, ac præsertim in deserto. Vnde Plinius lib. 16. cap. 30. *Iunipero*, ait, *eadem virtus quæ cedro.* Et c. 40. *Cariem, vetustatem q; non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotus, buxus, taxus, iuniperus.* Hinc baccæ iuniperi sunt calidæ, robustæ, & efficaces ad stomachum calefaciendum, siccandum, & roborandum instar piperis & sinapis. Talis est vir zelosus, de quo verè dicas illud Arabum adagium: *Præsta: granum piperis* (vel iuniperi) *decem peponibus.* Zelosus enim instar parui piperis, vel iuniperi, si frangatur, vel confricetur, ignes amoris diuini exhalat, quibus auditores ad bonum stimulat, pungit, accendit.

Appositè ergo sub iuniperi vmbra quieuit Elias: Iuniperi enim baccæ, quæ ardent instar piperis, repræsentant ardorem, & zelum Eliæ; sed hic temperandus erat vmbra patientiæ, & humilitatis: iuniperus enim cùm sit parua, parua humilemque dat vmbram. Talis fuit *Iuniperus* vnus è primis sociis S. Francisci, de quo in Annalibus Waddingi ita legimus, anno Domini 1210. n. 35. *Suæ etiam tunc aggregauit ratio* (S. Franciscus) *sodalitati B. Iuniperum tantæ humilitatis, & simplicitatis virum, vt ab imperito vulgo fatuus crederetur. Incredibilia penè videntur quæ fecit, & dixit ad imam sui deiectionem, nec alius quisquam tam honoris auidus, quàm hic vituperij. Proinde cùm ab aliquo afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandem dicebat ei: Amice proiicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis, imple, ne timeas: iniurias & opprobria, lapides appellans pretiosos. Quando redibat domum, huiusmodi secum habebat sermonem: O inutilis frater quæ fronte redis ad patres? quo te admittent titulo? certè si hospitij gratia te sub tecto colligant, & panem arctum & aquam breuem dederint, rem magnam & tuis meritis maiorem præstabunt: iustè certè te repellent tamquam sua indignum societate. Eius simplicitatem S. Franciscus admirans, adstantibus dicebat: Vtinam, fratres, de huiusmodi iuniperis integram syluam haberemus;* allu-

A *dens ad nominis etymologiam, & proprietatem, quia teste B. Isidoro, vt cinis Iuniperi diutissimè accensos eiusdem ligni carbones seruat, sic hic in sacro pectore accensum seruabat amorem. Et sicut Iuniperus est obsita aculeis, & secundùm Hieron. semper floret, semper nouos affert fructus, & numquam deponit virorem suum; sic hic pœnitentiæ compunctione & asperitate fouebat in se diuinæ charitatis viriditatē. Pro iuniperum* Hebr. est רתם *rothem*, quod retinentes Sept. verterunt *Ratham*, vt habent Complutens. vel *Rathmon*, vt habent Romana: hinc aliqui putarunt *Rathmon* esse *rhamnum.* Audi S. Methodium tract. de Castitate apud Photium in Bibliotheca: *Rhamnus virginitatem denotat*, (quia enim aculeatus est & pungit, hinc denotat vitam asperam & mortificationem, quæ parens est, & nutrix castitatis) *Rhamnus enim arbor casta est, & fortasse ex simili quadam cum virgine natura stirps hæc ἀγνὸς appellatur: rhamnus quidem propter robur, & fortitudinem* B *contra voluptates; ἀγνὸς verò, quòd omni ex parte casta & pura sit. Vnde & Eliam ferunt à facie Iezabelis mulieris fugientem ad rhamnum primùm venisse, atque exauditum fuisse, cibumq; accepisse, quia fugientibus stimulum carnis & feminæ & voluptatem, perfugium & tegumentum castitatis lignum germinauit, quod ab auctore virginitatis Christo plantatum est iis, qui virginitatem complectuntur.* Sicque explicat illud Iudic. 9. 14. *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos*, quia cùm ficus, id est lex naturæ in paradiso, & vitis, id est lex naturæ data Noë post diluuium, qui reperit vitem & vinum, ac olea, id est lex Moysis & prophetarum (hi enim vngebantur oleo) fœtentia hominum vulnera curare nequiuissent, *misit quarto Deus rhamnum, id est castitatem, qua illis imperaret, quæ voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quòd nisi sibi parerent omnes, & sincerè ad se accederent, futurum, vt omnes flammis absumerentur: nullam enim post hanc aliam legem secuturam, sed iudicium & ignem. Hinc cœpit homo iustitiam colere, Deoq; constanter per fidem adhærere, & se à diabolo seiungere.* Hucusque S. Methodius.

Allegor. Rupertus lib. 5. c. 10. per iuniperum accipit sanctam & viuificam Dei crucem, *Iuniperus est crux Christi.* ad quam confugit fidelis, dum timore, aliâue tentatione pulsatur: illic ambit mortem, illic optat commoti Christo, quia eius cruci totum se subiicit, optatque ei configurari & concrucifigi.

PETIVIT ANIMÆ SVÆ (id est *sibi.* est Hebraismus) VT MORERETVR] Vnde tantus pauor, tanta consternatio in Elia, qui paulò antè impauidus certarat cum Achab & Baalitis, cosque superauerat? Resp. primò, quia subduxit Deus illi robur à se iudicium, vt agnosceret Elias, illud fuisse donum Dei, se verò ex natura sua timidum, vti sunt alij homines. Hac de causa solet Deus sanctos, qui præclara gesserunt, obiicere timoribus & tentationibus, vt eos conseruet in humilitate, ne efferantur, sed cogantur ad Deum recurrere. Ita S. Chrysost. hom. de Elia & Petro, quæ extat apud Surium die prima Augusti: *Deus*, inquit, *declarare voluit miracula illa, quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed à sua ipsius potentia facta fuisse. Vide, quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur. Reges, Principes, & populi Eliæ succumbebant; cùm verò Deus abscessisset, etiam mulier vna prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, & natura humana redarguta fuit.* Et paulò pòst: *Non vno, aut altero, sed quadraginta diebus aufugit, & ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tanquam ebrius præmetu, cetera nihil curabat, sed desertas tantùm regiones sequebatur.* Idem penè hîc habent Angelom. & Rabanus. *Sancti*, inquiunt, *viri subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quamdiu verò in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimuntur.*

Addit S. Chrysost. Deum voluisse hoc metu punire crudelitatem Eliæ, qua 850. pseudoprophetas occiderat. Verùm hoc est improbabile, cùm hoc fecerit iussu Dei ex zelo, ad tollendam idololatriam.

Secundò, quia Iezabel videns prophetas suos omnes ab Elia occisos, furebat contra Eliam, ad eum diuisimè excarnificandum, & habebat in manu Achab regē maritum suum, per quem poterat innumeros milites in Eliam immittere. Quare magis timuit Elias Iezabelem, quàm Achab & Baalitas. Nam vt ait Eccles. c. 25. 23. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Vnde S. Ambros. Epist. 23. grauiores ait esse tentationes mulierum, quàm virorum, vtpote quibus viri fortes victi, prostratique sint. Sic & S. Bernard. Serm. 64. inter paruos. Hinc S. Petrus, qui pugnarat contra totam cohortem, & Malcho aurem ampuratat, timuit ancillam, eiusq; metu Christum negauit.

VT MORERETVR] Dices, Elias fugiebat Iezabel volentem se occidere, fugiebat ergo C mortem. Cur ergo eamdem hic optat? Resp. primò, quia in fuga, eiusque difficultatibus, & viæ ærumnis creuit labor, indeque dolor, & mœror Eliæ, qui ita eum depressit, vt optaret mortem ad ærumnas tot tantasque euadendas, quam priùs fugerat. Sic videmus eos, qui pestem mortemque euaserunt, si posteà in graviores tribulationes, & pericula incidant, optare dicereque: Vtinam mortuus fuissem cum sociis, vtinam pestis me cum cæteris abstulisset. Tales fuēre Græci, qui cap. à Troiâ redeuntes, acerrimâ tempestate iactati optarunt se in obsidione Troiæ occubuisse:

Quid fata possunt? inuidet Pyrrhus patri;
Aiaci Vlysses; Hectori Atrides minor;
Priamo Agamemnon. Quisquis ad Troiam iacet
Felix putatur, ait Seneca in Agamemnone.

D Secunda & potior causa fuit, quòd Elias timeret occidi à Iezabele, non quòd mortem metueret, sed ne videretur superatus & victus à Iezabele, & ē ipso vera Dei religio. Iezabel enim iactasset, se occidisse Eliam, & cum eo supplantasse Dei fidem, & cultum. Optat ergo à Deo sibi mortem immitti, ne illa à Iezabele inferatur non tam sibi, quàm Dei cultui, & religioni. Sic Herodias occidit S. Ioannem Baptistam Eliæ antitypum, & Eudoxia S. Chrysostomum. Vide B. Petrum Damiani tom. 2. serm. 2. de S. Vitali.

Allegor. Elias repræsentat hîc infirmitatem Christi pauentis in horto. Ita Rupert. lib. 5. c. 10.

SVFFICIT MIHI DOMINE, huc vsque vixisse, ac

ac tot tantisque beneficiis à te ornatum fuisse. Sufficit mihi, vicissè Achab & pseudoprophetas occidisse. TOLLE, ergo ANIMAM MEAM, ne eam tollat Iezabel cum meo æquè, ac tuo dedecore, & infamia.

NEQVE ENIM MELIOR SVM QVAM PATRES MEI] tum prisci Abraham, Isaac, Iacob, &c. tum proximi, nimirùm propheræ iam antè à Iezabele occisi, quos ego vt me seniores & patres, imò vt Martyres veneror.

VERS. 5. PROIECITQVE SE ET OBDORMIVIT IN VMBRA IVNIPERI] ex lassitudine itineris, & ex mœrore animi. Porrò vmbra iuniperi exilis est, cùm iunperus pro frondibus spinas habeat, & noxia. Nam vrait Virgil. Ecloga 10. *Iuniperi gravis vmbra*: quare vmbra hæc potiùs capitis dolorem & mœrorem in Elia auxit, quàm minuit. Vnde vmbra hæc typus est humanorum præsidiorum, quæ cùm vana sint & B noxia, ad ea tamen confugiunt homines, dum potiùs ad Dei Christique vmbram & protectionem, velut vtilem & solidam confugere deberent cum sponsa, quæ ait Cant. 2. 3. *Sub vmbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et cum Ierem. Thren. 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua vivemus in Gentibus.* Christus enim, vt ait S. Bernard. Serm. 2. super *missus est, parvulos ad se confugientes sub vmbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive à facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona & desiderabilis vmbra sub alis Iesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium.* Hinc rursùm Ierem. cap. 17. 5. *Maledictus*, inquit, *homo qui confidit in homine*, &c. *Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino.*

VERS. 7. GRANDIS TIBI RESTAT VIA] vsque in C montem Horeb, vt ibi videas, & audias Deum v. 11. vti vidit & audiuit Moyses. Sic cuique fideli grandis restat via ad culmen sanctitatis & perfectionis, & grandior via restat in cælum empyreum.

VERS. 8. AMBVLAVIT IN FORTITVDINE CIBI ILLIVS QVADRAGINTA DIEBVS ET QVADRAGINTA NOCTIBVS VSQVE AD MONTEM DEI HOREB] Hinc patet huic cibo & pani admirandam à Deo inditam fuisse virtutem, vt Eliæ vires sufficerent ad iter agendum sine alio alimento per 40. dies & noctes. Vnde Auctor Mirabil. S. Script. l. 2. 19. asserit, panem hunc mirabiliter factum manibus Angelorum; licet Abul. naturalem & communem putet fuisse, cui Deus hanc vim ad confortandum Eliam indiderit, vt alio cibo non indigeret.

Tropologiam totius historiæ habet S. Bernard. toto Serm. 64. inter parvos. D

Allegor. per panem hunc Eliæ, Patres accipiunt Eucharistiam, cuius virtute per 40. dies, id est per totam vitam, quæ nobis est tempus ieiunij & pœnitentiæ, ambulamus *ad montem Dei Horeb*, vt scilicet videamus *Deum deorum in Sion.* Ita Paschasius Radbertus lib. de Sanguine & Corpore Domini cap. 10. Algerus lib. 2. de Sacramento Altaris c. 1. Rupert. lib. 5. cap. 10. R. Samuel Maroch. lib. de Aduentu Messiæ cap. 20.

Anagog. panis hic repræsentat suauissimam A refectionem sanctorum in cælo, per quam non 40. diebus, sed per omnem æternitatem sine cibo sani, fortes, læti & glorioli permanebunt. ita Rupert.

QVADRAGINTA DIEBVS] sine alio cibo, ideoque ieiunus. Paucorum dierum iter est à Bersabee vsque in montem Horeb, scilicet quatuor, vel quinque; præsertim cùm Elias tam nocte quàm die ambularet, & timore ei adderet alas, ait Seratius. Vnde patet eum metu, pauore, mœrore & angore perculsum, vagabundum incessisse, huc illucque diuertendo, quò eum voluntas ferebat, non autem rectum tenuisse iter; ac fortè nec sibi in animo præfixisse viæ terminum, scilicet ire in Horeb. ita Abul.

Nota hîc, Eliam ieiunasse 40. diebus, æquè ac fecit Moyses, & postea Christus, cuius imitatione Ecclesia instituit ieiunium Quadragesimæ.

Scripsit S. Ambros. lib. de Elia & ieiunio, in quo ostendit commoda ieiunij, adfertque varia hac de re è sacra Script. exempla, æquè ac nocumenta ebrietatis & intemperantiæ.

HOREB] *Horeb* est mons Sinai, vti ostendi Exodi 17. v. 6. in quo Moyses legem à Deo accipiens cum eo collocutus est, Exodi 19. vt scilicet in eodem Elias pro lege Dei patiens & pugnans, cum eodem colloqueretur, & modum ad eam propugnandam ab eo acciperet.

MANSIT IN SPELVNCA] In hac spelunca VERS. (vt videtur) Moyses à Deo obrectus Exodi 33. 22. vidit tergum, & gloriam Dei pertranseuntis, ideoque in illa eamdem vidit hîc Elias, sed alio schemate. Moyses enim vidit in specie ingentis lucis, & splendoris, Elias verò in specie tibili auræ tenuis. ita R. Salomon, Lyran. & alij. Hinc spelunca hæc pisces fuit in magna veneratione, adeoque Iosephus lib. 2. Antiq. c. 12. tradit, ante Moysis ætatem locum illum ita antiquis visum esse sacrum, vt pastores religione quadam prohiberentur, greges ad illum montem appellere, quia ibi diuinum esse aliquid suspicabantur.

Symbol. S. Gregor. lib. 2. in Ezech. hom. 13. *Elias*, ait, *cùm vocem Domini secum loquentis audiret, in spelunca suæ ostia stetisse describitur, & faciem velasse; quia cùm per contemplationis gratiam vox superna intelligentiæ sit in mente, totus homo iam intra speluncam non est, quia animam carnis cura non posidet, sed stat in ostio; quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed iam qui in ostio speluncæ consistit, & verba Dei in aure cordis percipit, necesse est vt faciè velet: quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quantò sublimiùs leuamur, tantò semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere, quàm oportet sapere.* Et nonnullis interiectis: *Aurem enim intendere, & faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, & tamen ab omni specie corporea oculos cordis auertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, qua vbique tota, & vbique circumscripta est.* D

ZELO ZELATVS SVM PRO DOMINO DEO VERS. EXERCITVVM] vt tollerem cultum Baal & idolorum, & ideò 850. eorum antistites occidi. Rursùm verti potest cum Vatab. *Mira zelotypia teneor pro Domino Deo.* q.d. Crucior in honorem Dei quadam quasi zelotypiâ, & quasi sustinerem

rem Dei personam, crucior, cùm videam synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficere, & ad Baal quasi ad adulterum transire. A

ALTARIA TVA DESTRVXERVNT] Præter altare enim à Deo constitutum in templo Ierosolymæ, multi ab ea remoti in montibus vicinis altaria Deo vero erexerant, quæ vocabantur *excelsa*, in iisque sacrificabant, quæ licet Deo minùs placerent, tamen ipse ea spiritu hæretico, & impio, quasi illa essent Dei falsi, non veri, euerti nolebat. ita Abul. & Serar.

VERS. 11. ET AIT (Angelus Dei vicarius) EI: EGREDERE ET STA IN MONTE CORAM DOMINO: ET ECCE DOMINVS TRANSIT, ET SPIRITVS GRANDIS ET FORTIS SVBVERTENS MONTES, ET CONTERENS PETRAS ANTE DOMINVM: NON IN SPIRITV DOMINVS; ET POST SPIRITVM COMMOTIO: NON IN COMMOTIONE DOMINVS, ET POST COMMOTIONEM IGNIS: NON IN IGNE DOMINVS, ET POST IGNEM SIBILVS AVRÆ TENVIS. Hebr. *sibilus*, vel *vox tacita*, siue submissa & gracilis. Septuag. addunt αὔρᾳ πνοῆς, id est, *& ibi* (in sibilo) *Dominus.* B

Deus in sibilo auræ tenuis Cur?

Nota, finem & scopum huius visionis fuisse, vt Deus Eliam ira, tædio, & dolore ob licentiam, impunitatem, & scelera Iezabelis, & Baalitarum succensum consolaretur, mitigaret, & erudiret. Primò ergo ipsius oculis, & sensibus offert ventum validissimum, adeò vt is videretur subuertisse montes, & contriturus petras; mox ingentem terræ motum; deinde ignem ardentem, & flagrantem, q.d. Mihi, ô Elia, venti, terra, ignes, adeoque omnia elementa omnesque creaturæ mediæ, summæ, & imæ, ad manum sunt, vt idololatras, & Iezabelem perdam: at hic modus prouidentiæ, & clementiæ meæ non est ordinarius & vsitatus, nec congruus; ideoque nolo eo vti. vnde ait: *Non in eo Dominus.* Quarto denique loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, siue spiritum, & sibilum repræsentantem se, & suam clementiam ac prouidentiam: spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam, & longanimitatem ad puniendа peccata, quam imitati & induere debeat Elias, & quiuis vir Apostolicus. Ita S. Iren. lib. 4. contra hæres. c. 37. *Docebatur*, ait, *propheta turbatior, & concitatior ad vindictam minùs agere.* Et Tertul. lib. de Patientia cap. 15. *Sedet in throno spiritus eius* (id est Dei) *mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est tenera serenitatis apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias: nam vbi Deus, ibi & alumna eius, patientia scilicet.* Et S. Macarius hom. 6. Ecce, inquit, *vox auræ tenuis & in ea Dominus. Liquet ergo quòd quies Domini sita est in pace, & tranquillitate.* Et Theodor. quæst. 57. *Per hoc*, ait, *ostendens, quòd lenitas, benignitas, & clementia sola est Deo grata: vnumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.* S. Chrysost. hom. 1. de Elia in fine asserit, ideò Deum citò rapuisse Eliam, ne, si diutiùs viueret, igne, & zelo eius perderetur orbis, sed in zelum feuerum Eliæ feueriorem est Chrysost. Sic & Procop. C

Causa prima.

Secunda.

Secundò, hic lenis spiritus siue sibilus detulit vocem Dei ad Eliam, qua Deus eum nimis perturbatum, pusillanimem, putantemque, se vnicum superesse Dei cultorem, & prophetam, erudituit; vnde ait: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Rom. 11. 4.

Tertia.

Tertiò, spiritus hic subtilis significabat Dei virtutem, efficacitatem, & vindictam omnia penetrantem. Vnde indicauit Eliæ modum vindictæ in Baalitas exercendæ per Hazael, Iehu, & Elisæum, non per ventum, terræ motum, & ignem. ita Caiet. & Antonius Fernandius in visionibus veteris testamenti, visione 9.

Igitur spiritus hic lenis simul erat subtilis, & acer. Deus enim Deique sapientia, & prouidentia operatur, & castigat iam fortiter, quàm suauiter. Igitur Deus hac visione non volebat Eliæ zelum vindictæ improbare, sed moderari dumtaxat, vt non fieret exitia, & perturbatione animi, qualis erat in Elia; sed ex lenitate, & amore iustitiæ. Vnde mox eidem vindictæ rationem, & modum præscribit, scilicet vt vngat in regem Hazael, & Iehu, ac Elisæum in propheram, vt ipsi eamdem peragant.

Porrò hæc omnia per Angelos, vtpote Dei administros, vt ait Apostolus Hebr. 1. vlt. facta sunt. Vnde Chald. vertit: *Ecce gloria Domini reuelatur, & ante eum erat exercitus Angelorum venti disrumpentium montes, & confringentium petras ante Dominum: non erat in exercitu Angelorum venti maiestas Domini: & post exercitum Angelorum venti erat exercitus Angelorum commotionis* (excitantium terræ motum) *non erat in exercitu Angelorum commotionis maiestas Domini: & post exercitum commotionis, exercitus Angelorum ignis: non erat in exercitu Angelorum ignis maiestas Domini: & post exercitum Angelorum ignis vox canentium in silentio*, quasi demulcentium Eliæ animum mœrentem, & perturbatum.

Symbolicè.

Symbolicè, hac visione significabatur Dei natura, & maiestas, quæ non est ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus, sed subtilissimus, mitissimus, & purissimus spiritus. Hæc ergo Dei apparitio fuit quasi *scintillatio diuinitatis*, vt loquitur Tert. quæ sui reuerentiam à nobis extorquet. Rursùm, significatur hîc Dei indoles, cui propria est lenitas & clementia. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodammodo facit inuitus, & *tactus dolore cordis intrinsecùs*, quia proprium est illius misereri & parcere; atque ideò non inhabitare dicitur in turbine, & igne, quia hæc aliquid sonant horribile, & humanis commodis importunum, sed in aura tenui, quæ recreat, & reficit laborantem spiritum, ait Sanchez ex Theodor. sic & S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 26. cuius verba mox recitabo. D

Allegoricè.

Allegoricè, repræsentabatur Christi Saluatoris in mundum venturi spiritus fore diuersus, & aduersus spiritui Moysis, Eliæ, & legis veteris. Deus enim in Horeb, siue Sina, dans legem Moysi, audiri fecit tonitrua, micare fulgura, ignes coruscare, montem tremere, Exodi 19. & 20. vt duros Iudæos sui, suæque legis metu percelleret. Idem fecit hîc Elias, cùm per eum violatam legem, suique cultum restaurare veller. At verò cùm filius Dei in carnem descendit, venit in spiritu lenitatis, & mansuetudinis, iuxta illud Isaiæ 42. 1. quod citat Matth. cap. 12. 19. *Non contender, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem eius: arundinem quassatam*

tam qua confringet, & linū fumigans non extinguet. Vnde cùm Ioannes, & Iacobus vellent, vt Christus in Samaritanos eum non recipientes instar Eliæ è cælo vibraret ignes, & fulmina, ipse eos repressit, dixitque: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*; Lucæ 9. 55. ita S. Irenæus lib. 4. c. 37. *Domini*, inquit, *aduentus significabatur post legem, quæ data est per Moysen, mitis & tranquillus, & regni eius mitis, & mansueta requietio.* Et Rupert. *Non in ventis*, inquit, *Iudaorum captivitatibus erat spiritus, nondum venerat Messias, sed in spiritu auræ lenis, id est occultus & secretus fuit eius aduentus, quem, quasi de aura tenui, id est de Spiritu S. Maria virgo concepit.* Hunc spiritum lenitatis Christus commendauit & impressit S. Petro, Paulo, ceteris q. Apostolis, & fidelibus. Vnde hic est spiritus legis gratiæ, & noui testamenti, qui longè potentior & efficacior est spiritu timoris, & terroris veteris testamenti. Huc facit Apologus de Euro vento validissimo certante cum sole, vter esset potentior, vter scilicet viatori pallium excuteret. Sanè non excussit Eurus, imò viator Euro flante magis pallio se inuoluit, vt Euro resisteret, sed illud ei suo ardore & calore sudorem ei excutiens extorsit sol: simili modo plus valet, plus potest lenitas, quàm violentia; plus amor, quàm timor; plus ardor, quàm terror. Recitat fusiùs hunc Apologum B. Petrus Damiani lib. 1. Epist. 16. ad Alexandrum II. Pont. additque: *Si Roboam senum consilijs acquiescens populo mitia respondaret, totum Israel sui iuris imperio subdidisset; sed quia cœnorum suorū superbia crediditi, diuisis à se decem tribubus, sublimem regni potentiam hamilem fecit. Rhinoceros etiam qui rabida persequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, lapsi se gremio blandæ virginis non pauescit.*

Porrò S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 25. explicans illud Iob c. 4. *Et vocem quasi auræ lenis audiui*: *Quid*, inquit, *per vocem auræ lenis, nisi Spiritus sancti cognitio designatur. Qui tamen super Apostolos veniens per extertarem sonum, tamquam per vehementem demonstratur, cùm dicitur*: *Factus est repentè de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cùm se notitiæ humanæ imbecillitatis insinuat, & sonitu vehementis spiritus, & voce auræ lenis exprimitur: quia scilicet veniens & vehemens est & lenis: lenis, quia notitiam suam quatenus cognosci vtcumque valeat nostris sensibus temperat; vehemens, quia, quantumlibet hanc temperet, aduentu tamen suo infirmitatis nostræ caliginem illuminando pertundebat.*

Tropol. Tropol. significatur hic primò, modus, quo Deus pœnitentes & perfectionis studiosos exercet & disponit, vt eos ad perfectionē suamque familiaritatem perducat. Primò enim eos terrore mortis, iudicij, & gehennæ quasi vento validissimo, terræ motu, & igne percellit, compungit, eiet lachrymas; ac deinde vt spiritus auræ lenis eos mulcet, adoptat, recreat, & ad altum contemplationis verticem sustollit. Audi S. Gregor. 5. Moral. 26. *Spiritus ante Dominum euertit montes, & petras conterit, quia pauor qui ex aduentu eius irruit, & altitudinem cordis nostri deiicit, & duritiam liquefacit: sed spiritui commotionis, & igni non inesse Dominus dicitur; esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur. Quia pusillum mens cùm in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè consistere prævalet Deus non est. Cùm verò subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cùm saporem incircumscripta veritatis contemplatione subtilè degustamus.*

Idem præstitit Deus Eliæ, dum eum, post terrores, luctas, & pugnas cum Baalitis, curru igneo rapuit in cælum, vbi aurā lenē, id est plena pace mentis & corporis fruitur. Simili modo ego, qui tentationibus agitatur, non demittat animum, sed sciat, ei succedturum *spiritum auræ lenis*, id est consolationem, quietem, & gaudium.

Secundò, traditur hic forma, ait Sanchez, viris Apostolicis, & Prælatis, quæ in corrigendis, aut puniendis diuinæ legis transgressoribus seruari debeat; nempe vt illa impetus, quæ maximè sunt in rerum natura violenta, ventum nimirum, qui concutit, atque subuertit montes; & ignem, qui consumit, & dissipat omnia, idque celeritate incredibili, neque suauitatem assumat tenuis & refrigerantis auræ, donec Deum aduenire videat, quem antecedant quasi stratores viarum, & præcursores ad parandum hospitium, ventus, commotio, ignis.

B

Quod cvm avdisset Elias] Audiebat enim ventum validè perstrepentem, terræ motum locum conquassantem, auram tenuem sibilantem; ignem verò partim audiebat, vtpote frudentem, partim verò videbat, vtpote lucentem. Vers.

Operivit vultvm svvm pallio] vt Deo se hisce signis ostendenti reuerentiam exhiberet, quasi indignus qui in eum aspiceret, eumque contueretur. C

Prophetas tvos occidervnt gladio (quia sese opponebant cultui Baal,) derelictvs svm ego solvs (propheta & zelator veræ religionis, qui me validè eidem oppono.) et qværvnt animam meam] vt me occidant: me ergo occiso nullus supererit propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet, & Baalitis sese opponat. Actum ergo est de vera religione, de tuo cultu, de tota Synagoga: omnia occupat impia Iezabel: vbique colitur Baal: vbique exundat perfidia, & idololatria. Hæc est causa mei doloris & mœroris, meæ fugæ & exilij, vt mori optem potiùs, quàm viuere, & videre tanta mala gentis meæ, & populi Dei. Ita Elias mœrore, ira, & zelo confectus. Vers. 14.

Vnges Hazael regem svper Syriam, et Iehv filivm Namsi vnges regem svper Israel: Eliseum avtem, &c. vnges prophetam pro te] vt hi vltionem iustam de Baalitis, quam tu ô Elia adeò desideras, reipsa peragant. Vnde in Eliæ laudibus dicitur Eccles. 48. 8. *Qui vngis reges ad pœnitentiam*, id est ad pœnam & vltionem impiorum, vt sint diuini cultus vindices. *Vnges regem*, id est regem designabis, regnum ei deferes. Est catachresis: quia enim vnctione creabantur reges, hinc *vngere* is, est regem creare. Nam Hazaël non fuit vnctus ab Elia, sed designatus rex ab Eliseo, quem ad eum misit Elias; Iehu verò in regem Israel vnctus fuit ab vno Elisei discipulo, vt patet 4. Reg. 8. 13. & seq. Itaque Elias hæc iussa Dei executus fuit per Eliseum, quem idcirco iussu Dei sibi subrogauit. Sic Eliseum non legimus vnctum, sed immisso ab Elia in eum pallio designatum prophetam v. 19. ita Theod. Raban. Dion. Abul. Salianus. D Vers. 16.

Sanchez tamen τὸ *vnges* propriè accipit, censetque omnes hos tres ab Elia fuisse vnctos, licet id Script. factum non narret. Ideò enim videtur Elias iussu Dei rediisse per desertum in Damascum, quæ longior & inamœnior erat via, vt ibi Hazaëlem in regem vngeret: esto enim Hazaël postea rursùm ab alio vnctus sit, tamen nil prohibet, eum priùs ab Elia fuisse vnctum. Sic enim Dauid & Saul bis vncti fuere. Hæc sententia probabilis est, atque hunc versum propriè ad litteram accipit.

Qvi est de Abelmevla] Erat hæc vrbs in tribu Manasse cis Iordanem. Fuit ergo Eliseus de tribu Manasse, sicut Elias de tribu Gad, ita S. Hieron. Salianus, Adrichom. & alij; licet S. Epiphan. & Isidor. in vita Elisei dicant, eum fuisse oriundum ex tribu Ruben, qui & addunt, in ortu Elisei mugisse vnum è vitulis aureis, quos conflauit Ieroboam, & illius mugitum auditum fuisse Hierosolymis, & ex eo Sacerdotem quemdam prudentem coniectasse, eo die aliquem esse natum, qui futurus esset sculptilibus omnibus atque idolis exterminium. B

Vers. 17. Et erit, qvicvmqve fvgerit gladivm Hazael, occidet evm Iehv] Quomodo Hazaël & Iehu occiderint idololatras, audiemus in sequentibus.

Et qvicvmqve fvgerit gladivm Iehv, interficiet evm Eliseus] gladio non corporali, sed spirituali; putà gladio linguæ, qua eos acriter redarguet, minabiturque mortem præsentem, & æternam, inquit Angelom. Rabanus, & Hugo. Planiùs accipias hæc de gladio & morte corporali: illo enim idololatras occiderunt Hazaël & Iehu, quibus hîc Eliseus comparatur. Eliseus enim occidit 42. pueros idololatrarum filios sibi insultantes, dicentesque: *Ascende calue* 4. Reg. 2. ac verisimile est eum instar Eliæ magistri sui, iuxta hoc oraculum plures alios idololatras interfecisse, etsi Script. id non commemoret. ita Abul. Lyran. Caietan. Sanchez & alij.

Vers. 18. Et derelinqvam mihi in Israel septem millia virorvm, qvorvm genva non svnt cvrvata ante Baal] Opponit Deus septem millia illi quod dixerat Elias v. 14. *derelictus sum ego solus*. q. d. Falleris Elia, non es solus. En Eliseus tibi accedit: en septem millia virorum Deicolarum, quæ *derelinquam*, Hebr. הִשְׁאַרְתִּי *hsarti*, id est remanere faciam, reseruabo, custodiam, ne à Iezabel occidantur, aut peruertantur; & ad cultum Baal traducantur. D

Et omne os qvod non adoravit evm, osculans manvs] repete *derelinquam*; id est custodiam & in vita conseruabo. Sensus totius versus est q. d. Et custodiam septem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, nec osculando manum eum adorarunt: erat enim hoc dupl. x genus adorationis, genuflexio & osculatio manus. *Osculans manus*, Hebr. *oscu-*

lans eum, scilicet Baal, vt eum osculo hoc saluteret & adoret, quasi suum Deum & Dominum. Noster vertit: *osculans manus*, vt notet ritum modumq; adorandi, qui erat osculari manum idoli; vel manum propriam eo ritu & gestu quasi oscularetur manum idoli, vtpote remoti, vel longè positi. Hunc ritum insinuat Iob c. 31. 26. *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* Huius consuetudinis externi quoque meminerunt. Plin. lib. 28. c. 2. *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus.* Minutius in Octauio: *Cæcilius simulacro Serapidis viso, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labijs impressit.* A *Plin.*

Referit Elisevm filivm Saphatarantem in (cum) dvodecim ivgis bovm] Erat ergo Eliseus agricola locuples, vtpote qui haberet duodecim iuga boum, iisque agrum ingentem coleret. Nam boues hos ipsius fuisse patet ex v. vlt. vbi ipse par boum mactauit pro epulo, quo suis valedixit. B Vers. 19.

Et ipse in dvodecim ivgis bovm arantibvs vnvs erat] Nam quodque iugum boum, siue par boum suum habebat arrigam & aratorem; quare duodecim erant hîc iuga boum, & pariter duodecim aratores, è quibus vnus erat Eliseus.

Misit pallivm svvm svper illvm] vt eum vocaret ad se sequendum, eumque faceret sibi socium, suique instituti participem, vti iam nouitiis in Religione datur pallium, siue vestis eiusdem Religionis. Simili modo olim sponsus sponsam sibi adoptans, tegebat eam pallio suo. Vnde illud Ruth ambientis nuptias Booz c. 3. 9. *Expande pallium tuum super famulam tuam*; & illud Ezech. 16. 8. *Expandi amictum meum super te.* Hac ergo cæremonia institutus est Eliseus propheta socius & successor Eliæ, eiusque cor omninò à Deo immutatum est, atque ex laico factus est Religiosus, ex agricola Propheta, ex idiota theodidactos. Vnde statim reliquit boues, domum, parentes, & secutus est Eliam. Addit Sanchez eum fuisse vnctum ab Elia; hoc enim iusserat Deus v. 16. Vnctio, inquit, Eliseum fecit Prophetam (hic enim vngi solebat) pallium autem, Eliæ contubernalem & monachum. C

Qvod enim mevm erat, feci tibi] q. d. Ego non misi pallio te tetigi, sed Deus cor tuum tetigit, illudque ex carnali fecit spirituale, & cæleste, vt omnia relinquas, & alacer me sequaris; ceteroquin vt ego cum idololatris. Vers. 20

Tvlit par bovm et mactavit illvd, et in aratro bovm coxit carnes, et dedit popvlo et comedervnt] Eliseus quia festinabat, & gestiebat illicò sequi Eliam, ideircò vsus est aratro pro ligni, ad coquendum carnes boum. Dedit ergo typum & exemplum nobis, vt Dei vocationem illicò, resolutè & constanter sequamur, vti notant Caiet. & Abul. Celebrauit enim conuiuium, quo suis valedixit; vt ostenderet se boues, aratrum, agrum, omniaque relinquere, ac lætum sequi Eliam. Hinc colligit Abul. eum fuisse iuuenem & ἄγαμον, id est, sine vxore & cælibem: alioquin enim petiisset ab Elia facultatem salutandi Vers. 21.

tam vxorem & filios, quam partem & matrem. A Rursùm Eliseus, ait Abut, nihil voluit sibi reliquum manere in sæculo, vt liber & expeditus transiret totus ad Dominum: idcirco aratrū, & boues consumpsit, qua in re exemplum dedit Religiosis, vt idem faciant. Hinc & S. Ignatius Epist. ad Philadelph. Eliseum asserit fuisse cælibem & virginem: nimirùm Eliseus Dei vocantis instinctu tam superior erat omni terrena cupiditate. Nam vt ait S. Cyprian. tract. de Orat. Dominic. ad illa: *Adueniat regnum tuum: Qui renuntiauit iam sæculo, maior est & honoribus eius & regno: & ideo, qui se Deo & Christo dedicat, non terrenū, sed cælestia regna desiderat; imò Deum ipsum, qui in illo regnaturus sumus.* Et S. Ambros. lib. 6. de Sacram. c. 5. *Si Deus in nobis regnat, locum habere aduersarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat; sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio.*

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Benadad rex Syriæ obsidet Samariam, & Achab: sed ab eo Dei ope cæditur. Vnde vers. 23. dicens Deum Israel esse Deum montium, ita vallerepar at bellum, in qua rursùm Dei ductu profligatur; captusq; ab Achab venia, viramq; contra iussum Dei impetrat vers. 35. Achab à prophetа vulnerato redarguitur, auditq; se similimodo vulnerandum, imò occidendum, ei quod Benadad dignum morte liberum dimiserit.

1. PORRÒ Benadad rex Syriæ, congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum, & equos & currus: & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam. 2. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in ciuitatem, ait: 3. Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum est: & vxores tuæ, & filij tui optimi, mei sunt. 4. Respondítque rex Israel: Iuxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, & omnia mea. 5. Reuertentesque nuntij, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & vxores tuas, & filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam seruos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum seruorum tuorum: & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, & auferent. 7. Vocauit autem rex Israel omnes seniores terræ, & ait: Animaduertite, & videte, quoniam insidietur nobis. misit enim ad me pro vxoribus meis, & filiis, & pro argento & auro: & non abnui. 8. Dixeruntque omnes maiores natu, & vniuersus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi. 9. Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me seruum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non possum. 10. Reuersíque nuntij, retulerunt ei. Qui remisit, & ait: Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. 11. Et respondens rex Israel, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus. 12. Factum est autem, cùm audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse & reges in vmbraculis, & ait seruis suis: Circumdate ciuitatem. Et circumdederunt eam. 13. Et ecce propheta vnus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: vt scias, quia ego sum Dominus. 14. Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedisequos principum prouinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu. 15. Recensuit ergo pueros principum prouinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia: 16. & egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in vmbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. 17. Egressi sunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiauerunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria. 18. Et ille ait: Siue pro pace veniunt, apprehendite eos viuos: siue vt prælientur, viuos eos capite. 19. Egressi sunt ergo pueri principum prouinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur: 20. & percussit vnusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, & persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. 21. Necnon egressus rex Israel percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna. 22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei: Vade, & confortare,

re, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.) 23. Serui verò regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium sunt dij eorum, ideò superauerunt nos: sed melius est vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. 24. Tu ergo verbum hoc fac: Amoue reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis: 25. & instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, & equos secundùm equos pristinos, & currus secundùm currus quos antè habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quòd obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita. 26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, vt pugnaret contra Israel. 27. Porro filij Israel recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex aduerso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parui greges caprarum: Syri autem repleuerunt terram. 28. (Et accedens vnus vir Dei, dixit ad regem Israel: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.) 29. Dirigebantque septem diebus ex aduerso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusseruntque filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna. 30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in ciuitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porrò Benadad fugiens ingressus est ciuitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum. 31. dixeruntque ei serui sui: Ecce, audiuimus quòd reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel: forsitan saluabit animas nostras. 32. Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, & dixerunt ei: Seruus tuus Benadad dicit: Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc viuit, frater meus est. 33. Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & leuauit eum in currum suum. 34. Qui dixit ei: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam: & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit. 37. Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulnerauit. 38. Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aspersione puluerisos & oculos suos. 39. Cumque rex transisset, clamauit ad regē, & ait: Seruus tuus egressus est ad prælianda cominus: cumq; fugisset vir vnus, adduxit eum quidā ad me, & ait: Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subitò non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti. 41. At ille statim abstersit puluerem de facie sua, & cognouit eum rex Israel, quòd esset de prophetis. 42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. 43. Reuersus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.

VERS. 1. PORRO BENADAD REX SYRIÆ, &c. APPVGNABAT CONTRA SAMARIAM] *Benadad* idem est quod *Ben Adad*, id est filius Adad, ait Ioseph. lib. 8. c. 8. nimirum rebellis illius Idumæi, qui debellata à Dauide Idumæa, fugit in Ægyptum, indeque mortuo Dauide, rediens, animos regnumque resumens, rebellauit Salomoni c. 11. 25. Ideoque paternam indolem, & odium contra Israëlem fouens, grauiter & continuò eum afflixit. Vnde c. 11. 25. de eo dictum & prædictum est: *Hoc est malum Adad, & odium contra Israel.*

Corn. in lib. Regum.

Politicè, disce hic, quàm rebellio obstinata Principum sit periculosa, & in filios per multa sæcula deriuetur. Experiuntur idipsum Hispani in Hollandia. Rebellio ergo in suo principio vel succidenda, vel concilianda est iuxta illud: *Principiis obsta.*

VERS. 3. HÆC DICIT BENADAD (ad Achab, eiusque populum Israel) ARGENTVM TVVM, ET AVRVM TVVM MEVM EST] non iure, sed potestate & imperio, quia ego illud habere volo, & deposco, qui te sum potentior, vt mihi resistere nequeas. Erant enim res Achab & Israë-

lis afflictæ, ita vt in aciem educere non posset nisi septem millia v.15. Hîc ergo incipit Deus punire Achab & Israëlitas ob cultum Baal.

VERS.5. REVERTENTESQVE NVNTII] Missi à Benadad obsidente Samariam ad Achab in ea obsessum, DIXERVNT:

VERS.6. CRAS IGITVR HAC EADEM HORA MITTAM SERVOS MEOS AD TE, ET SCRVTABVNTVR DOMVM TVAM, &c.) Est hæc noua Benadad petitio, qua petit ab Achab, vt permittat à suis diripi non tantùm regiam, sed & totam Samariæ ciuitatem, ait Ioseph. vt scilicet spoliet vrbem, & pretiosissima quæque ex ea ad libitum auferat.

VERS.10. HÆC FACIANT MIHI DII, &c. SI SVFFECERIT PVLVIS SAMARIÆ PVGILLIS OMNIS POPVLI, QVI SEQVITVR ME, q.d. Iuro me deleturum totam Samariæ vrbem, itaque eam euersurum, vt nec parum pulueris in ea remaneat, sed quidquid in ea est auferatur in pugillis exercitus mei numerosissimi. Vnde Chald. vertit, *si sufficerit pulvis Someron* (Samariæ) *vt feratur soleis plantarum pedum populi qui mecum erit.* ita Abul. Est Hyperbole, & prouerbialis locutio, qua gloriosus Benadad in 32. regibus se sequentibus, & copiis innumeris superbiens, iactat, iuratque se Samariam euersurum, spoliaturum & rasurum, vt nihil in ea rapina dignum remaneat. Nec enim tam curiosi vel otiosi erant eius milites, vt omnem puluerem è Samaria, quàm vt omnes thesauros, & omnia pretiosa ex ea efferrent. Aurum enim quærebant, non arenam.

VERS.11. NE GLORIETVR ACCINCTVS ÆQVE VT DISCINCTVS] Est Adagium, q.d. Ne canas triumphum ante victoriam: *accinctus* enim miles vadit ad prælium, partâ verò victoriâ se discingit, arma ponit, & spoliis hostilibus incubat. Vnde Chald. *Ne laudet*, inquit, *se expeditus, & descendens in prælium, sicut vir qui vincit & ascendit* (victor) *ex eo*; Vatab. *ne glorietur, qui iturus est prælium, perinde ac is, qui iam vicit.*

VERS.23. SERVI VERO REGIS SYRIÆ (Benadad) DIXERVNT EI: DII MONTIVM SVNT DII EORVM, IDEO SVPERAVERVNT NOS: SED MELIVS EST VT PVGNEMVS CONTRA EOS IN CAMPESTRIBVS, ET OBTINEBIMVS EOS] q.d. Victi sumus à Samaritis montanis, quia pugnauimus in Samariam, quæ sita est in monte, ideoque in tutela est Deorum, qui montibus & montanis præsunt; descendamus ergo in valles, vbi dij vallium nobiscum erunt, vt montanos & Deos montium in vallibus superemus. Ita isti stolidi putabant Deum Hebræorum esse Deum montium dumtaxat. Sed vnde hic eorum error, & stulta persuasio? Resp. ex multis conglobatis, nimirum primò, quia Moses Hebræorum Dux in monte Sina cum Deo collocutus ab eo legem acceperat. Secundò, quia in monte Sion erectum à Salomone erat templum, in quo Deus habitabat. Tertiò, quia Hebræi Deum colebant in Excelsis, scilicet collibus. Quartò denique, & quod maximè ad præsentem cladem facit, quia Syri in monte Samariæ hanc stragem ab Israelitis acceperant. Hæc fuit Gentilium superstitio, vt montibus Deas Oreades, id est montanas, syluis syluanos, mari marinos, vt Neptunũ, &c. præficerent, A de quibus S. Augustl. lib. 4. de Ciuit. c. 8. vbi eos montium iugis lugatinum Deum, Collibus Collatinam, Vallibus Valloniam Deam præfecisse asserit. De iisdem canit Ouidius lib. 1. Fastor. eosque sic loquentes inducit:

Dij sumus agrestes, & qui dominantur in altis
Montibus, imperium est in sua tecta Ioui.

Dij montiũ vnde?

TV ERGO VERBVM HOC FAC: AMOVE REGES SINGVLOS AB EXERCITV TVO, ET PONE PRINCIPES PRO EIS] qui scilicet belli sint periti, & in rebus bellicis experti, non verò quieti & deliciis assueti, vti sunt reges, quique spe gloriæ & honoris à te adipiscendi fortiùs pugnent, ita Abul. Hos enim significat Hebr. פַּחוֹת *pachot*, id est *Duces*. Chald. *Imperatores*.

QVIA DIXERVNT SYRI: DEVS MONTIVM EST DOMINVS (Hebr. *Iehoua*, id est Deus Israelitarum) ET (idem *Iehoua*) NON EST DEVS VALLIVM; DABO OMNEM MVLTITVDINEM HANC GRANDEM IN MANV TVA] vt ostendam me tam esse vallium Deum, quàm montium, vtque tu, ô Achab, me Deum verum agnoscas & colas, non verò Baal.

PORRO BENADAD FVGIENS INGRESSVS EST CIVITATEM (Aphec iam dictam) IN CVBICVLVM, QVOD ERAT INTRA CVBICVLVM] id est in intimum & secretissimum cubiculum, vt ibi se absconderet.

PONAMVS ERGO SACCOS IN LVMBIS NOSTRIS] quasi seruiles vestes, & luctus ac pœnitentiæ indices, vt iis profiteamur nos pœnitere facti, quòd scilicet Israeli bellum mouerimus; eique quasi victori nos victos in seruitutem dedamus.

ET FVNICVLOS IN CAPITIBVS NOSTRIS] vt profiteamur nos reos esse mortis, meritoque esse restim & laqueum, qui fauces nobis præcludat noscque strangulet. Audi Iosephum: *Illi induti saccos, & restibus capita redimiti, qui priscus apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, & salutis tantùm gratiam petere Adadum significant, deditium eius in perpetuum futurum.*

SI ADHVC VIVIT, FRATER MEVS EST] Putabat Achab ex tanta hostium strage occubuisse Benadad. Vnde audiens eum cladi superstitem, de tanta victoria exultans, eius misertus, inconsultè & temerè in hanc vocem erupit: *Si adhuc viuit, frater meus est.* q.d. charus mihi erit, vt frater, tractabo eum quasi fratrem. Solent reges se mutuò fratres vocare. Hoc dictum Achab serui Benadad ex ore eius illicò rapuerunt, acceperuntque vt omen vel augurium, quasi illud verbum amicum quod ipsi excideret, signum esset misericordiæ & salutionis Benadad, quem proinde statim ad Achab adduxerunt, illeque eum supplicem, vt dicto staret, quasi fratrem excepit, & in currum suum sustulit: sed paulò pòst pœnas huius temeritatis dedit, cùm bellum renouante Benadad, in eo Achab occubuit, vt dicetur cap. vlt.

Symbolicè, Benadad est typus diaboli, qui semper fideles & sanctos persequitur, nunc vi, nunc fraude & dolo. Quare qui cum eo pacem vel fœdus init, vti fecit Achab, certo certius ab eodem euertetur. ita Eucher.

PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO] in quibus ius & iudices, item forum rerum venalium

nalium ac vectigalia constituas in signum subiectionis, q.d. Partem vrbis meæ regiæ, scilicet Damasci, tibi concedam, vt ostendam illam tibi æquè ac mihi esse subiectam, imò me tibi esse subditum, ideoque pendere hoc tributum. ita Abul. Caiet. & Vatab.

VERS.35. TVNC VIR QVIDAM DE FILIIS PROPHETARVM] Iosephus censet hunc fuisse Prophetam Michæam, qui cap. vlt. Achab exitium prædixit. Idem tradit Glycas, & Hebræi in Sederolam, & colligitur excap. vlt. v. 26. vbi pro *tollite*, Hebr. est וְהָשִׁבֹתִיהוּ *vahaschibehu*, id est facite eum redire. Verùm hæc res incerta est. Vnde Serarius & alii censent hunc alium fuisse à Michæa, ideoque non nominari.

B DIXIT AD SOCIVM SVVM IN SERMONE DOMINI, ex oraculo & iussu Dei: PERCVTE ME] vt proprii capitis mei vulnere, repræsentem Achab regi vulnus ipsius, quod parcendo Benadad accepit in anima sua, ac vulnus populi, quod scilicet populus totus accepit in Achab rege quasi capite suo, ac tertiò vulnus, quod tam Achab quàm populus accipiet, cùm à Benadad reparante bellum occidetur, vt patebit cap. vlt. & lib. 4. c. 6. v. 8. & seq. ita Caiet. Addit Abul. aliam causam huius vulneris, scilicet vt per illud Propheta ab Achab non agnosceretur, sed videretur esse miles, itaque accessum haberet ad eum, eique parabolam hanc vulneris exponeret: si enim fuisset agnitus, noluisset eum Achab idololatra audire. Tertia, & potissima causa huius percussionis & vulneris fuit exemplum, vt scilicet Deus in propheta hoc tam percutiente quàm percusso, daret exemplum & speculum perfectæ obedientiæ. Vnde credendum est, ait Abul. quòd paulò pòst Deus hoc vulnus supernaturaliter curarit, ita vt ne cicatrix quidem eius remaneret, idque ad hoc, vt ostenderet, quanti meriti sit pura & simplex obedientia, quamque ex aduerso Deo exosa sit inobedientia, cùm propter eam illum, qui Prophetam percutere noluerat, leoni mactandum obiecerit. Audi S. Chrysost. Orat. 1. contra Iudæos sub initium: *Qui percussit Prophetam, euasit incolumis:*

C *qui pepercit, dedit pœnas: nimirùm vt intelligeres, in iussis diuinis non oportere curiosum esse, examinare quæ rerum, quæ præcipiuntur naturam; sed nihil aliud quàm obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter: Percute me, sed addidit: In verbo Domini, hoc est, Deus præcepit, ne quære vlteriùs. Rex est, qui hanc præscribit legem: reuerere iubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. Atid facere non sustinuit, eosque pœnas dedit grauissimas; suosque exemplo secuturos adhortans, vt quidquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, moremque gererent in posterum.*

Denique R. Salomon, & Lyran. volunt Prophetæ huius sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cũ Achabo periret cap. vlt. sed populus ille victus est, & pro eo satisfacere istiusmodi plagæ non potuit, nec voluit Propheta.

VERS.41. QVIA DIMISISTI VIRVM DIGNVM MORTE] Benadad regem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium & bellum contra Israelitas, tum præcipuè ob blasphemiam, qua dixit me esse Deum montium, non vallium; hæc enim valdè Deum irritauit, vt patet v. 28. ita Hebræi, Rupert. Lyran. Dion. & alii.

ERIT ANIMA TVA PRO ANIMA EIVS] Occideris pro Benadad, quem occidere debuisti.

ET POPVLVS TVVS PRO POPVLO EIVS] occidetur pro Syris Benadad subiectis, quos occidere debuit. Ita reipsa contigit, vt audiemus cap. vlt.

Est hoc exemplum neglectæ iustitiæ, iustæque vindictæ notandum, alteque infigendum mentibus Regum & Iudicum: *Homicida es, eò quòd hostem dimiseris*, ait S. Chrysost. loco citato.

REVERSVS EST IGITVR REX ISRAEL (Achab) IN DOMVM SVAM, AVDIRE CONTEMNENS] Addit Iosephus lib. 8. Antiq. c. 8. eum adeò indignatum, vt Prophetam incarcerarit: fuisse enim Michæam existimat; quem ab eo incarceratum audiemus cap. vlt. Ita Hugo, Dion. & alij.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab petit vineam à Naboth, ille negat: vnde Iezabel eum per falsos testes quasi blasphemum lapidari curat, agrumque eius Achabo tradit. Quocirca v. 17. mittit Deus Eliam, qui Achab & Iezabeli exitium denuntiet, quodque canes lingent sanguinem eorum in agro Naboth. Quo audito pœnitet Achab v. 27. quare Deus ab eo in filium pœnam comminatam transfert.

1. POst verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatiũ Achab regis Samariæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.

4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quòd locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Iezabel vxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, vnde anima tua contristata est? & quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signauit eas annulo eius, & misit ad maiores natu & optimates, qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, 10. & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & regem: & educite eum, & lapidate, sicque moriatur. 11. Fecerunt ergo ciues eius maiores natu & optimates, qui habitabant cum eo in vrbe, sicut præceperat eis Iezabel, & sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: 12. prædicauerunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet vt viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est. 15. Factum est autem, cùm audisset Iezabel lapidarum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia: non enim viuit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cùm audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Iezrahelitæ, vt possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens, 18. Surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam: 19. & loquêris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. Et ait Achab ad Eliam: Num inuenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inueni, eò quòd venumdatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. 21. Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiã de Achab mingentem ad parietem, & clausum & vltimũ in Israel. 22. Et dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filii Nabat, & sicut domum Baasa filii Ahia: quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israel. 23. Sed & de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel. 24. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. 25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est, vt faceret malum in conspectu Domini: concitabat enim eum Iezabel vxor sua, 26. & abominabilis factus est, in tantùm vt sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel. 27. Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: 29. Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui eius.

VINEA ERAT NABOTH] *Naboth* hic fuit vir probus, vt patet ex sequentibus. Vnde *Naboth* Hebr. idem est quod *prophetia*, vel *loquela fructus*, ait ex S. Hieron. Pagninus. Vineam eius, quia sibi vicinam concupiuit Achab: inexplebilis enim est diuitum auaritia & cupiditas, qua de re in hoc caput insignem tractatum scripsit S. Ambros. de Naboth, siue de Nabuthe, in quo acriter perstringit diuites auaros & rapaces, qualis erat Achab: vnde cap. 2. *O diues*, inquit, *nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris, qui te diuitem dicis? quantò plus habuerit, plus requiris; & quanquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, vnde sit grauior ruina lapsuro.* Et post nonnulla: *Denique docet nos Scriptura diuina, quàm miserè egeat, mendicet abiectè. Rex Achab*

Achab in Israel erat, & pauper Naboth. Ille regni opibus A *cauit panem suum, volens se morte mulctare, quòd ei aliquid negaretur.* Et eleganter cap. 6. *Ditem*, inquit, *dicunt Gentiles inferorum præsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant & diuitem, quòd nisi mortem diues inferre non nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim diues, nisi quidàm inexplebilis gurges diuitiarum, inexplebilis auri fames: Quò plus hauserit, plus inardescit.* Et nonnullis interiectis: *Dulcis enim somnus serui, etsi modicum vel multum edat: at satiato diuitiis non est, qui eum sinat dormire: excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, morà vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia.*

VERS. 2. DA MIHI VINEAM TVAM] Hæc verba virget egregiè S. Ambros. cap. 2. iam dicto: *Quæ*, inquit, *vox alia est stipem publicè postulantis, nisi: Da mihi, hoc est: da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit vnde largiri debeas, mihi non dedit. Da mihi; nisi tu dederis, habere non potero. Da mihi, quia scriptum est: Date eleemosynam. Hæc quàm abiecta, quàm vilia?*

VT FACIAM MIHI HORTVM OLERVM] Notat S. Ambros. cap. 3. regis auari impudentiam. *Hæc erat igitur*, inquit, *omnis insania, hic omnis furor, vt spatium vilibus oleribus quæreretur. Non tam ergo ipsi cupitis quasi vile possidere, sed alios vultis excludere. Maior vobis cura de pauperum spoliis, quàm de vestris emolumentis est. Iniuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione diuitis æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est.*

VERS. 3. PROPITIVS SIT MIHI DOMINVS] Hebr. *prohibeat Dominus*, id est absit; Septuag. *Non mihi fiat à Domino*; Chald. *Absit mihi à Domino.*

NE DEM HEREDITATEM PATRVM MEORVM TIBI] q.d. Hereditas à parentibus consignata mihi conseruanda est, non tam vt mea, C quàm vt eorum hereditas: hanc enim memoriam & reuerentiam filius debet parentibus, vt eorum bona tueatur, & ad posteros transmittat. Porrò idem S. Ambros. cap. 3. iam citato. *Quasi contagionem quamdam*, inquit, *sui, pecuniam esse diuitu arbitretur: quasi dicat: Pecunia tua tecum sit in perditionem; ego autem hereditatem patrum meorum non possum vendere.*

Tropol. vinea est anima, quæ est tota hereditas nostra, quare caue, ne eam vili pretio voluptatis, vel honoris vendas diabolo, morti & gehennæ. Vnde S. Ambros. exhort. ad Virgines, per vineam accipit virginitatem, per Iezabel concupiscentiam, per Naboth Christum: *Vinea*, inquit, *quidam fructus virginalis est: coniugia velut olerum plantaria sunt, in quibus frequens zelus* D *est: & ideò sicut olera herbarum citò cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere & extinguere: nec veniat in vos Iezabel vanum illud & sæculare profluuium; hoc enim significatur vocabulo vana & vaua redundantia, sed veniat Nabuthe, qui venit à Patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro ea mortem offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis.*

VERS. 4. ET NON COMEDIT PANEM] ex ira & tristitia, quòd Naboth eius cupiditati restitisset, atque eum quasi contempsisset. Audi S. Ambros. cap. 6. *Non manducauit panem suum, quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum. Aut certè non manducauit panem suum, volens se morte mulctare, quòd ei aliquid negaretur.* Et eleganter cap. 6. *Ditem*, inquit, *dicunt Gentiles inferorum præsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant & diuitem, quòd nisi mortem diues inferre non nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim diues, nisi quidàm inexplebilis gurges diuitiarum, inexplebilis auri fames: Quò plus hauserit, plus inardescit.* Et nonnullis interiectis: *Dulcis enim somnus serui, etsi modicum vel multum edat: at satiato diuitiis non est, qui eum sinat dormire: excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, morà vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia.*

DIXIT ERGO AD EVM IEZABEL VXOR EIVS] Impio marito Iezabel fuit impientior, B auaro auarior, crudeli crudelior, rapace rapacior, cupido cupidior. Vnde S. Ambros. cap. 9. docet Iezabel esse typum auaritiæ, quæ diuitibus promittit contra iustitiam possessionem, quam desiderant. Ipsa enim Achab & Israëli fuit fax & incentrix idololatriæ & malorum omnium quasi furia quædam inferni, vt patet v. 25. VERS. 7.

PRÆDICATE (*indicite*) IEIVNIVM] vt sceleri (putà cædi iniustæ Naboth) prætexatis speciem pietatis & zeli Dei: iubet enim Iezabel indici ieiunium, vt per illud quasi per publicam populi pœnitentiam expietur blasphemia Naboth, quam illi falsò *impingi* curabat. Blasphemia enim erat Hebræis horrenda; vnde eâ auditâ vestes scindebant, aliaque publici doloris & detestationis rei tam indignæ signa edebant. VERS. 9.

BENEDIXIT (Naboth) DEVM ET REGEM] *Benedixit*, id est maledixit. Est Euphonismus per Antiphrasin: quia enim blasphemia res est adeò horrenda; hinc eam Iudæi ne nominare quidem audebant; sed eam significabant per contrarium, putà per benedictionem & laudem. ita S. Hieron. Epist. 34. ad Iulian. VERS. 10.

ET LAPIDIBVS INTERFECERVNT] Blasphemus enim lapidibus obruendus erat ex lege Leuit. 24. 16. Additur 4. Reg. 9. 26. filios Naboth quoque fuisse interfectos, vt sic vinea eorum ab iis ad Achab transiret, quasi deficiente herede heres foret rex. VERS. 13.

Simili modo Eudoxia vxor Arcadii Imper. ambiens vineam Callitropes viduæ, S. Chrysostomum, qui viduæ causam agebat, in exilium egit, & per mille ærumnas itinerum, famis, sitis, militum eum vexantium, &c. ad mortem adegit; vt verè S. Chrysost. non tantùm sit Confessor, sed & Martyr; vtpotè pro iustitia iniustè occisus, non vna mortè, sed centum.

Allegor. Naboth fuit typus Christi, qui à Scribis & Pharisæis ambientibus eius vineam, id est Synagogam, per falsos testes accusatus blasphemiæ, quòd se diceret filium Dei, ideoque occisus est iuxta parabolam vineæ, quam hac ipsa de re eis obiecit Christus Matth. 21. 23. Scribarum enim de Christo vox est v. 38. *Hic est heres: venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius.* Hinc & canes, id est Gentiles (hos enim Iudæi despiciebant quasi canes) Romani, duce Tito & Vespasiano linxerunt sanguinem Iudæorum Christicidarum, in eodem lo-

co,putà Ierosolymæ,& in eodem tempore,scilicet in Paschate, quo ipsi occiderant Christum. ita Angelomus.

VERS. 15. SVRGE, ET POSSIDE] Hebr. יְרֵשׁ *resch*, id est *hæredita*, scilicet titulo confiscationis; quia Naboth accusatus erat criminis læsæ maiestatis tam diuinæ, quàm regiæ, ideoque condemnatus. Quare vinea eius à Iezabele fisco regis Achab fuit addicta.

VERS.19. OCCIDISTI, INSVPER ET POSSEDISTI] Occidisti Naboth,vt eius vineam inuaderes & possideres, itaque iniquæ cædi iniquam possessionem addidisti; quare lege talionis tu pariter occideris, & vineam omniaque amittes, tamque possessione, quàm vita priuaberis.

IN LOCO HOC, IN QVO LINXERVNT CANES SANGVINEM NABOTH, LAMBENT QVOQVE SANGVINEM TVVM] Id ita reipsa per congruam iustamque Dei vindictam contigisse narratur c. 22.38. Dices, ibi dicitur quòd canes linxerint sanguinem Achab in Samaria, at verò Naboth sanguinem canes linxerunt in Iezrahel, vbi occisus est. Resp. Iezrahel pertinuisse ad Samariam, quæ erat metropolis & caput totius regni Israel. Idem ergo locus hic intelligendus est in genere, non in individuo. Ita Abul. Lyran. Vatab. Aliter respondent Hebræi, scilicet arma Achab sanguine eius uncta ablutа fuisse in Piscina Iezrahel, cùm eò ad armamentarium deferrentur: quare tunc canes sanguinem eius ablutum linxisse: sed id confutat Abul. ex eo quòd c. 22. 38. prophetia hæc impleta dicatur cùm eius sanguinem linxerunt canes in Samaria, pro qua perperam Iosephus substituit Iezrahel. Posset quoque dici Deum mitigasse & reuocasse hanc pœnam ob pœnitentiam Achab, vti insinuatur v. 29.

Denique planiùs & plenius Silianus & Sanchez cõtent id impletum in Ioram filio Achab; hic enim occisus est in agro Iezrahel. Sanguis enim sæpè significat filios; hi enim ex sanguine parentum g nuntur: vide illud Anchisæ de Iulio Cæsare.

Proice tela manu sanguis meus, ——

hoc est ô fili mi Iule Æneid.6. Idipsum probatur tum ex v.29.vbi Deus mitigans pœnam hãc Achabo intentam ob eius pœnitentiam, ait se illam ab Achab translaturam in eius filium Ioram, tum ex lib. 4. Reg. c. 9. v. 25. & 26. vbi occiso Ioram iussit Iehu eius cadauer proici in agrum Naboth lingendum & vorandum canibus, vt hæc de eo Dei prophetia impleretur.

Sic Aristobulus primus è Machabæis Iudæorum rex, occidit fratrem Antigonum, sed iusto Dei iudicio doloribus excruciatus vomuit sanguinem, qui eodem loci effusus est, quo ipse fratris sanguinem effuderat. Vnde ipse ingemiscens exclamauit ait Ioseph. 13. Antiq. 19. *Ergo non latet Deum, inquit, meum impium & sceleratum facinus quando tam citò reposcet ad pœnas cognati sanguinis. O corpus impudens quousque retinebis animam, quam materni simul ac fraterni manes flagitant? cur non semel eam reddis, ne sic per partes opus sit libare meum sanguinem; atque ita parentare oppressis per nefas & parricidium? vix ea fatus erat, cùm exhalauit animam, vno tantùm anno in regno exacto.*

VERS.20. EO QVOD VENVMDATVS SIS, VT FACERES MALVM] *Venumdatus*, quasi seruus addictus peccato. vnde Caiet. *venumdatus*, inquit, id est traditus peccato; nam quod venditur, traditur ementi quasi Domino, q.d. Tu ô Achab, tua mala voluntate totus addictus es peccato, quasi ad nihil aliud venditus vel locatus sis quàm ad peccandum. Alludit ad seruos, qui ad certa opera se elocant, iisque totos se addicunt: sic enim Achab seipsum addixerat non tantùm idolis, sed & suæ Iezabeli, vt quasi seruus ab ea ageretur ad omne scelus. ita Abulens. Sensus ergo est q.d. Tu ô Achab reuera non es rex nec Israelita, id est liber, & ingenuæ conditionis, sed mancipium Baal & Iezabelis, quia iis te totum addixisti & mancipasti, vt eis per omnia obsequaris, ac facias quicquid ipsi volunt. Causa fuit, quòd Ithobaal rex Tyri & pater Iezabelis, ideoque socer Achab, esset sacerdos Astharthes, vt ait Iosephus lib.1. contra Apionem, ac nomine suo profiteretur cultum Baal; ideò enim dictus est *Ithobaal*, vel, vt Noster vertit c. 16. 31. *Ethbaal*. Hic ergo pater Baali & Astarthæ addictissimus, imò consecratus sacerdos, suam impiam em & idololatriam transfudit in filiam suam Iezabel, & in maritum eius Achab. vnde Ioseph. lib. 9. c. 7. *Baal*, ait, *Tyriorum Deus erat, quem Achabus in gratiam Ithobalis Tyriorum & Sidoniorum regis, fouere sui coluit, templo ei Samariæ dedicato, & prophetis cum reliquo cultu assignatis.*

Inuere hîc & admirare libertatem Eliæ, qui Achab regem in faciem obiurgat, eique obiectat, quòd sit peccati mancipium, ideoque extremam perniciem denũtiat. Sic S. Athanasius, S. Hilarius, & Lucifer Calaritan. acriter obiurgant Constantinum. Imper. Arrianum, eumque vocant Herodem, Neronem, & Antichristum. Eorum verba recitani Apocal. 11. v. 5.

Tropol. vide hîc quàm vilis, miser & infelix sit peccator, qui instar Achab ob modicam voluptatem, imò ob vnum aureum, vendit se suamque animam diabolo, eamque vt mancipium tradit suæ cupiditati, vt fiat pabulum mortis & fomentum gehennæ.

DEMETAM POSTERIORA TVA] id est posteritatem tuam funditùs excindam. VERS.21

SCIDIT VESTIMENTA SVA] Videtur hæc Achab pœnitentia fuisse ex metu pœnæ, non ex amore iustitiæ, ideoque seruilis, imperfecta, & extorta: vnde non videtur Deus ei condonasse culpam, sed pœnam tantùm distulit, eamque ab eo in filium transtulit, vt dicitur v.29. ita Lyran. Dionys. Caietan. imò S. Gregor. hom.19.in Ezech. *In quibus verbis*, ait, *pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei & reprobi pœnitentia placuit, quia timebat perdere præsens sæculum; aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit & in eis, qui displicebant.*

Veram tamen & seriam fuisse hoc tempore Achab pœnitentiam, censent Abul. Hugo, Vatabl. Sanchez, Serarius, imò S. Chrysost. Epist. ad Theodorum (Mopsuestenum) lapsum, vbi ait: *Achab, perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio circumdatus facinus suum fleuit, atque ita erga se Domini misericordiam prouocauit, vt à cunctis eum absoluerit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quomodo compunctus est Achab à facie meâ, quia*

quia fleuit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius.

Sic quoque S. Ambros. lib. de Nabothe c.17. ac Tertull. lib.4. contra Marcion cap.10. Quæ sententia pariter probabilis est, eamque insinuat id quod Deus ait ad Eliam vers 29. *Nonne vidisti humiliatum Achab?* &c. Nec obstat, quòd Achab post pœnitentiam mox ad pristina scelera redierit. Erat enim homo leuissimus, ait Theodor. & totus à sua Iezabele agebatur. Sic enim hodie multi verè pœnitent sed mox data occasione, in sua solita peccata relabuntur.

Vtramque sententiam concilies dicendo, pœnitentiam Achab fuisse veram attritionem, at non assurrexisse ad contritionem charitate formatam. Seriò enim de peccatis doluit ob imminentes sibi clades ab Elia intentatas; at non doluit de iis amore Dei, quòd scilicet eum, qui est summum bonum, offendisset. Quare pœnam euasit, at culpam non deleuit, nec iustificatus est: quæ sententia videtur verissima & S. Script. summè consentanea. Quare perperam Caluinus censet hanc Achab pœnitentiam fuisse fictam.

QVIA IGITVR HVMILIATVS EST MEI CAVSA, scilicet mei non tam amore, quàm metu & timore, vnde & temporalem tantùm veniam & præmium ei rependo, scilicet, NON INDVCAM MALVM IN DIEBVS EIVS, SED IN DIEBVS FILII SVI] Quare iure exclamat S. Hieron. Epist.30. ad Oceanum: *O filix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem Dei sententiam confessо errore mutauit!* Loquitur autem de pœnitentia Achab. VERS.29.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab regi euntiad bellum pseudoprophetæ prædicunt victoriam, Michæas verò Prophetaexitium. Quare in prælio Achab sagitta transfixus, occumbit. canesq; lingunt sanguinem eius. Mox v.41. describuntur gesta Ioſaphat regis Iuda, eiusq; classis missa in Ophir. Denique ei morienti v.51. succedit filius Ioram, Achab verò succedit filius Ochozias.

1. TRansierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israel. 2. In anno autem tertio, descendit Iosaphat rex Iuda ad regem Israel. (3. Dixitque rex Israel ad seruos suos: Ignoratis quòd nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tolere eam de manu regis Syriæ?) 4. Et ait ad Iosaphat: Venésne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad? 5. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu: populus meus, & populus tuus, vnum sunt: & equites mei, equites tui. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini. 6. Congregauit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu regis. 7. Dixit autem Iosaphat: Non est hîc propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum? 8. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum sed malum, Michæas filius Iemla. Cui Iosaphat ait: Ne loquaris ita rex. 9. Vocauit ergo rex Israel eunuchum quemdam, & dixit ei: Festina adducere Michæam filium Iemla. 10. Rex autem Israel, & Iosaphat rex Iuda, sedebant vnusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi prophetæ prophetabant in conspectu eorũ. 11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus regis. 13. Nuntius verò, qui ierat vt vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore vno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum: & loquere bona. 14. Cui Michæas ait: Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis. 16. Dixit autem rex ad eum: Iterùm atque iterùm adiuro te, vt non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. 17. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem, & ait Dominus: Non habent isti dominum: reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. 18. (Dixit ergo rex Israel ad Iosaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum:

natum, sed semper malum?) 19. Ille verò addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dexteris & à sinistris: 20. & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascēdat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiusce-modi, & alius aliter. 21. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illū. Cui locutus est Dominus: In quo? 22. Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita. 23. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui hîc sunt, & Dominus locutus est contra te malum. 24. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi? 25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum vt abscondaris. 26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium Amelech, 27. & dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec reuertar in pace. 28. Dixitque Michæas: Si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes. 29. Ascendit itaque rex Israel, & Iosaphat rex Iuda, in Ramoth Galaad. 30. Dixit itaque rex Israel ad Iosaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis. porrò rex Israel mutauit habitum suum, & ingressus est bellum. 31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. 32. Cùm ergo vidissent principes curruum Iosaphat, suspicati sunt quòd ipse esset rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Iosaphat. 33. Intellexeruntque principes curruum quòd non esset rex Israel, & cessauerunt ab eo. 34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter pulmonem & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, & eiice me de exercitu, quia grauiter vulneratus sum. 35. Commissum est ergo prælium in die illa, & rex Israel stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus, 36. & præco insonuit in vniuerso exercitu antequam sol occumberet, dicens: Vnusquisque reuertatur in ciuitatem, & in terram suam. 37. Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, 38. & lauerunt currum eius in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem sermonum Achab, & vniuersa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificauit, cunctarumque vrbium quas extruxit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel. 40. Dormiuit ergo Achab cum patribus suis, & regnauit Ochozias filius eius pro eo. 41. Iosaphat verò filius Asa regnare cœperat super Iudam anno quarto Achab regis Israel. 42. Triginta quinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnauit in Ierusalē: nomen matris eius Azuba filia Salai. 43. Et ambulauit in omni via Asa patris sui, & non declinauit ex ea: fecitque quod rectū erat in conspectu Domini. 44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. 45. Pacemque habuit Iosaphat cum rege Israel. 46. Reliqua autem verborum Iosaphat, & opera eius, quæ gessit, & prælia, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 47. Sed & reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris eius, abstulit de terra. 48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom. 49. Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Iosaphat: Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus. Et noluit Iosaphat. 51. Dormiuitque Iosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Ciuitate Dauid patris sui: regnauitque Ioram filius eius pro eo. 52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel, in Samaria, anno septimodecimo Iosaphat regis Iuda, regnauitque super Israel duobus annis. 53. Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui & matris suæ, & in via Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 54. Seruiuit quoque Baal, & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Israel, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

DIXITQVE

VERS. 3. DIXITQVE IOSAPHAT AD REGEM ISRAEL: SICVT EGO SVM, ITA ET TV] Hebr. *Sicut ego, sicut tu,* hoc est, ego sum, sicut tu, & tu es sicut ego. Hebræi enim in comparatione repetunt *tò sicut,* vel *ita*. Sensus ergo est, q.d. Quod tu facturus es, faciam & ego; si tu eas in bellum contra Syros, ibo & ego: omnia erunt nobis communia, & communis quoque erit belli alea & periculum. Causa datur 2. Paral. 18. 1. quòd Iosaphat erat regi Achab affinitate coniunctus: nam Athaliam filiam Achab dederat filio suo Ioram vxorem, ideoque ipse Achabum hîc inuisit, & cum eo iuit ad bellum. Qua in re peccauit præbendo auxilium, & amicitiam fouendo cum impio Achab, ideoque penè in prælio fuit occisus, vt dicitur v. 32. Hinc & reuertens à bello, obuium habuit Iehu propheram, qui eum grauiter increpuit dicendo: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris: & idcirco iram quidem Domini meberis; sed bona opera inuenta sunt in te,* &c. Vbi vides quàm Deo displiceant connubia & fœdera cum impiis, quamque eadem toti regno sint periculosa. Nam impia Athalia extinxit ompe semen regium, id est omnes suos ex Ioram filios & nepotes, vnico Ioas excepto & abscondito, vt ipsa sola regnaret 4. Reg. 11. v. 1. Eâdem de causa naues, quas misit Iosaphat cum nauibus Ochoziæ filij Achab in Tharsis confractæ sunt, vt dicitur 2. Paral. 20. 37. Ibi enim Eleazar Propheta ad Iosaphat dixit: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* E contratio Deus benedicit & prosperat connubia & fœdera cum probis & sanctis, ac sancti suam sanctitatem & felicitatem suis coniugibus & fœderatis aspirare, vti aspirauit Abraham Hethæis Genes. 23. 6. Iacob Labano Genes. 30. 27. Ioseph Putiphari Genes. 39. 3. Moses Hebræis quos ex Ægypti seruitute eduxit Exodi. 12. Samuel Dauidi, Dauid Sauli, &c. Hoc est quod sanxit Apostolus 2. Corinth. 6. 14. dicens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quæ autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui.*

VERS. 5. QVÆRE, &c. SERMONEM DOMINI] oraculum à Deo per Prophetam aliquem, an felix sit futurus belli euentus, an infelix: si enim sit felix, ibimus ad illud; sin infelix, domum redibimus.

VERS. 6. CONGREGAVIT ERGO REX ISRAEL (Achab) PROPHETAS QVADRINGENTOS.] non Dei, sed Baal siue dæmonis, ideoque pseudoprophetas, idololatras & hæreticos. Hinc Lucifer Calarit. lib. 1. de Apostat. Reg. notat principes hæreticos suis adhærere pseudoprophetis, id est Prædicantibus hæreticis, ac veros Dei Prophetas despicere, imò persequi & occidere, vti fecêre Constantius, Valens, Iulianus & alij, qui proinde à suis Arrianis seducti miserè perierunt.

ASCENDE, ET DABIT EAM DOMINVS IN MANV REGIS] putà tuam. ô Achab. Diabolus ab his pseudoprophetis per auguria, & sortilegia eis consueta consultus de belli euentu, A victoriam promittit: sed mentitur. Quare ipse decipit prophetas, & hi decipiunt Achab, eumque nimis sibi credentem in decipulam cēdis quasi murem inducunt.

VERS. 7. DIXIT AVTEM IOSAPHAT: NON EST HIC PROPHETA DOMINI QVISPIAM, VT INTERROGEMVS PER EVM?] Iosaphat erat veri Dei cultor; quare displicuit ei, quòd Achab prophetas Baal, ipsumq; Baal, hoc est dæmonem, consuluisset, nec eis vtpote mēdacibus credidit. Petiit ergo, quæri verum veri Dei Prophetam, eiusque oraculum scisciari & sequi.

VERS. 8. MICHÆAS] Est hic alius & diuersus à Michæa, qui inter minores Prophetas numeratur sextus, imò hic eum præcessit 150. annis; hic enim prophetauit sub Iosaphat & Achab, ille verò sub Ioatham & Achaz; hic in Israel, ille in Iuda.

VERS. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, ET TRADET EAM DOMINVS IN MANVS REGIS] Primò, Caiet. censet Michæam id dixisse antequàm à Deo oraculum accepisset, ideoque aliis Prophetis assensum fuisse, errasse, & falsum prædixisse; at mox adiuratum à rege, à Deo illustratum, verum oraculum de regis nece à Deo accepisse, & pronuntiasse.

Secundò, Dionys. ait hanc responsionem esse ambiguam, tamque de Benadad rege Syriæ hoste regis Achab, quàm de ipso Achab accipi posse. Sic enim dæmon consultus ambiguè respondendo fefellit Crœsum, dicens:

Crœsus Halym penetrans, magnam disperdet opum vim.

Et Pyrrhum, dicens, teste Ennio:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Vide Cicer. lib. 2. de Diuin.

Tertiò, Theodor. & Lyranus censent Michæam hîc nil asserere, sed vt ostendat se non odisse regem Achab, vt ipse putabat, optare illi dumtaxat prosperum belli successum, vt *tradet*, idem sit quod, *opto vt tradat.*

Quartò & genuinè, Michæas hîc loquitur ironicè, q.d. Quandoquidem, ô Achab, prophetæ tui tibi victoriam spondent, tuque eis credis, vade ad prælium: illi enim dicunt te victorem redituru. Experire ergo eorum oraculum, quia mihi meoque non credis. Ego enim scio te in prælio periturum, sed illud nolo tibi edicere, quia tu indignus es qui audias à Deo veritatem, cùm mendacem Baalem consulas, eiusque oracula mendacia audire malis, quàm mea ex Deo vero verissima. Ita Abul. Vatab. Sanchez, Serarius.

VERS. 16. ITERVM ATQVE ITERVM ADIVRO TE] Videbat rex ex vultu, gestu, & modo dicendi, Michæam non seriò, sed figuratè & ironicè loqui. Adiurat ergo eum, vt non nisi veritatem verumque oraculum seriò ex animi sui sensu depromat.

VERS. 17. VIDI CVNCTVM ISRAEL DISPERSVM IN MONTIBVS, QVASI OVES NON HABENTES PASTOREM] Prædicit Michæas Israelis fugam, & mortem regis Achab, eumque occidendum in prælio, q.d. *pastor*, id est rex occidetur; quare eius subditi & milites, quasi oues sine pastore è prælio montis Samariæ diffugient.

VERS. 19. VIDI DOMINVM SEDENTEM SVPER SOLIVM SVVM, ET OMNEM EXERCITVM CÆLI

AS-

ASSISTENTEM EI A DEXTRIS, ET A SINISTRIS] A dextris erant Angeli, à sinistris diaboli; vnde inde exiuit is, qui dixit v. 22. *Egrediar, & ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum eius.* Sic Iob 1. *cùm filij Dei* (Angeli) *assisterent coram Domino, assuit inter eos & Satan.* Vbi S. Gregor. lib. 2. Mor. c. 16. citans hanc Michææ visionem: *A dextra ergo Dei*, inquit, *& sinistra Angelorum exercitus stat, quia & voluntas electorum spirituum diuinæ pietati concordat, & reproborum sensus suæ malitiæ seruiens iudicio districtionis eius obtemperat.*

Nota hanc visionem Michææ non fuisse rem veram, vereque gestam, sed imaginariam: Deus enim in imaginatione Michææ pingebat hanc speciem & formam concilij, vt videretur sibi videre Deum cum Angelis & dæmonibus consultantem de modo decipiendi regem Achab. Nec enim verè Deus concilium cum Angelis, multò minùs cum dæmonibus celebrat, neque cum eis consultat, vpote qui sciat certissimò omnes modos rei confidendæ, quique sint futuri efficaces & habituri effectum, qui non. *Quis* enim *consiliarius eius fuit?* Roman. 11. 34. Idem patet ex Angelorum dissensione & ignorantia, quæ hîc tacitè inducitur, cùm eorum omnium sententijs dæmonis consilium præferatur v. 22.

Igitur fuit imaginaria & symbolica hæc visio, à Deo immissa Prophetæ, vt per eam rex Achab intelligeret sed ecipiâ suis pseudoprophetis victoriam promittentibus, idque fieri Deo permittente & disponente ad iustam eius castigationem & interitum. Accommodat enim Deus se suumque oraculum Achab regis captui & conceptui, ita Seratius, Sanchez & alij.

VERS. 20. ET AIT DOMINVS: QVIS DECIPIET ACHAB] Ista Dei inquisitio præter demerita & scelera Achab, quibus meruit decipi & perire, duo significat. Prius, quòd decipere alienum est à Deo. Vnde Deus illud hîc inquirit quasi ipsum non haberet in se, nec inter diuina illud reperiatur; sed in cœtu dæmonum, qui hîc inter se agitabant consilium de modo decipiendi Achab: vnde Deus eos in hac visione interrogans inducitur, q. d. Quis ex vobis ô dæmones, decipiet Achab? Scio enim vos hac de re agitare consilium.

Posterius, quòd ipsum decipere dæmonum fuerit exactè cognitum, & ordinatum à Deo ad Achabi punitionem: Deus enim volebat punire Achab, ideoque permisit eum consulere dæmonem per suos pseudopropheras, ac dæmoni permisit mentiri & decipere Achab, promittendo victoriam in prælio, quo ipse erat occidendus. Ita S. Augustin. quæst 44. in lib. Iudicum. Vnde Theod. & Procop. docent hîc significari diuinam voluntatem fuisse causam exitij Achab: hæc enim voluit Achabi impietatem punire, ideoque nonnulla eius peccata, quæ tamen liberè fiunt, permisit, nimirum vt consuleret suos magos, eisque crederet, itaque deciperetur & periret. Hæc duo, ait Caiet. significat ista Dei inquisitio. Nam alioqui Deus propriè nihil inquirit, cùm omnia perfectè perspiciat & sciat. Loquitur ergo hîc Script. anthropopathῶς, siue humano more, quia homines in re dubia & futura inquirunt, & A consultant de modo congruo rei peragendæ.

ET DIXIT VNVS VERBA HVIVSCEMODI, ET ALIVS ALITER] Varij modi decipiendi Achab ab astantibus non tam Angelis, quàm dæmonibus in symbolica hac visione Deo suggesti narrantur, qui in particulari non recensentur, quia iis vti noluit Deus. In genere tamen referuntur, vt pateat omnes modos decipiendi à Deo esse cognitos, & in promptu ad manum, vt iis exequatur decretum suæ prouidentiæ, & vindictæ de occidendo impio Achab. Ita Caiet.

EGRESSVS EST AVTEM SPIRITVS] q. d. Vers. Obtulit se Domino ad decipiendum Achab diabolus quispiam, huius enim officium est mentiri & decipere: hoc enim facere nequeùt Angeli boni, ideoque veraces & fideles. *Neque enim*, vt ait S. Gregor. 2. Moral. 16. *fas est credere bonum spiritum fallaciæ deseruire voluisse, vt diceret: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius; sed quia Achab ex præcedentibus peccatis dignus erat, vt tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sponte volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occultâ iustitiâ licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.* Idem docet S. Augustin. lib. 83. quæst. 4. 53.

EGREDIAR, ET ERO SPIRITVS MENDAX Vers. IN ORE OMNIVM PROPHETARVM EIVS] q. d. Suggeram mendacium & mendax promissum omnibus pseudoprophetis Achab, vt illi vno ore regi promittant victoriam in prælio, cùm ipse in eodem sit necandus. Porrò Philastrius lib. de Hæresib. hæresi de Pythonissa hęc addit; incertum vnde: *Et aut immundus spiritus ad Dominum: Faciam me quasi Angelum lucis, & vera bastimilia eloquar, & ducam eum in prælium, & ibi eum deseram, & sic morietur. Et ait Dominus: Vade, sic facies.* Rursum, S. Epiphan. hæres. 25. *Spiritus*, inquit, *erroris est velut flatus in tibia, diuersis modis vnumquemque stolidum concutiens aduersùs veritatem: nam & ipsa tibia imitamentum est draconis, per quem locutus est diabolus & decipit Euam.*

ET DIXIT DOMINVS: DECIPIES, ET PRÆVALEBIS: EGREDERE, ET FAC ITA] verba sunt Dei non iubentis, sed permittentis diabolo parato decipere, vt decipiat Achab. Sic Christus ait Iudæ: *Quod facis fac citiùs.* Ioan. c. 13. 27. id est permitto vt illicò me prodas.

NVNC IGITVR ECCE DEDIT DOMINVS SPI- Vers. RITVM MENDACII IN ORE OMNIVM PROPHETARVM TVORVM] *Dedit*, laxando dæmoni habenas, non impediendo, sed volenti decipere permittendo deceptionem. Dæmon enim neminem decipere vel tentare potest, nisi positiuè id ei permittat Deus. Quare sicut qui leonem fune ligatum manu tenet, si funem laxet, vt leo aliquem inuadat & occidat, dicitur is qui funem laxauit, eum occidisse; sic, & Deus dicitur *dare spiritum mendacii*, cùm funem laxat diabolo eique paratissimo ad mentiendum permittit vt mentiatur, & decipiat. Hisce enim phrasibus significat Script. altissimam Dei prouidentiam ita sua manu continere omnium hominum voluntates, tam malorum quàm bonorum, vt nihil omnino velle aut agere possint, nisi quod Deus permiserit.

PER-

VERS. 24. PERCVSSIT MICHÆAM IN MAXILLAM] A rem faciens: *Vicisti*, inquit, *Galilæe* (ita ipse Christum per contemptum vocabat) teste Theodor. lib. 3. c. 20. Porrò occisus est Iulianus eodem die, quo ipse anno præcedente SS. Ioannem & Paulum S. Constantiæ Constantini Magni filiæ primitcrios occiderat, & martyrio coronarat, nimirum die 26. Iunij, vti solerter aduertit Baronius.

INTER PVLMONEM ET STOMACHVM] Hebr. בֵּין הַדְּבָקִים מִבֵּין הַשִּׁרְיָן *ben debakim vbeh hasiriam*, quod Rabbini vertunt, *inter iuncturas, & thoracem*; Chald. *inter iuncturas loricæ*; Noster 2. Paral. 18. 33. vertit: *inter cerucem & scapulas.* Vtrumque verum est, ait Abul. nam sagitta hæc adunca intrauit inter ceruicem & scapulas Achabi; exiit verò inter stomachum & pulmonem eiusdem: hîc ergo sagittæ exitus, in Paral. verò eiusdem ingressus narratur.

ET LAVERVNT CVRRVM EIVS IN PISCI- Vers. 38. NA SAMARIÆ (perperam Iosephus habet, *Iezrael* vel *Iezrahel*) ET LINXERVNT CANES SANGVINEM EIVS, ET HABENAS LAVERVNT, IXTA VERBVM DOMINI] Pro *habenas*, Hebr. est רחצות *zonoth*, quod Septuag. & Ioseph. vertunt, *meretrices. Meretrices*, inquiunt, *lotæ sunt in sanguine eius.* Iosephus verò: *meretrices posthac ex eo fonte aquabuntur*, quia istæ *noctem flumine purgant, dum manè se lauant*, ait ex Procopio & Theodor. Serarius. Chald. & Rabbini vertunt; *arma*, adduntque hæc relata esse in armamentarium, quod erat in Iezrahel; ibique canes sanguinem iis inhærentem linxisse, itaque ad amussim implerum esse Eliæ oraculum.

Verùm Noster optimè vertit, *habenas.* Agitur enim hîc de curru, eiusque habenis sanguine Achab cruentatis, ideoque lotis in piscina Samariæ; vnde canes ibidem eum linxisse. Atque sic impleta est prophetia Eliæ non per omnia, sed ex parte: quoad omnia verò impleta est in cæde Ochoziæ filij Achab, vt dixi cap. 21. vers. 19.

DOMVS EBVRNEA] Quomodo domus Vers. 39. fiant ex ebore dixi Amos 3. ad illa: *peribunt domus eburneæ.*

NOMEN MATRIS EIVS AZVBA] In libris Vers. 42. Regum nominatur crebrò eorum mater, quia à matre pendet educatio prolium, vel in bonum, vel in malum, & qualis est mater, talis est & proles. Ita Spartani fortes fuerunt in bellis & laboribus, quia matres habebant, quę ex institutione Lycurgi, laboribus & duritiei se & proles assuefaciebant. Vnde Gorgon Leonidæ vxor dicenti sibi cuidam: *Vos solæ Spartanæ vestrùm virùm imperatis*, respondit: *Quia solæ etiam viros parimus.* Ita Plutarch. in Apophteg. Clarius exemplum est in S. Wenceslao Duce Bohemiæ, eiusque fratre Boleslao: ille enim à pia auia Ludmilla piè educatus, pius & sanctus effectus est; hic ab impia matre Dabronucia impiè enutritus, impius & fratricida euasit: nam vt regnum occuparet, S. Wenceslaum occidit, sed Martyrem effecit, vti habet Vita S. Wenceslai, quam ex Ænea Syluio recenset Surius die 28. Septemb. Hoc est quod ait Apostolus: *Quòd si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami.* Rom. 11. 16.

VERS. 24. PERCVSSIT MICHÆAM IN MAXILLAM] quæ ignominiosa & probrosa est percussio, vti dixi Thren. 3. 30.

VERS. 25. VISVRVS ES IN DIE ILLA, QVANDO INGREDIERIS CVBICVLVM INTRA CVBICVLVM, (id est intimum, obstrusissimum cubiculum, quoniam non inuenies locum in quo possis esse tutus à metu Syrorum hostium) VT ABSCONDARIS]

VERS. 27. SVSTENTATE EVM PANE TRIBVLATIONIS, ET AQVA ANGVSTIÆ] vel afflictionis. Vatab. *qualis afflictis dari solet*, q. d. Sustentate eum exiguo pane, & exigua aqua. Chald. *pane qui erit in afflictione*, id est non ad saturitatem, sed ad necessitatem tantùm, vt viuere possit, nec fame vel siti moriatur.

VERS. 28. AVDITE POPVLI OMNES] hoc meum oraculum illudque notate, vt cùm illud verè euenire videritis, me verum prænuntiasse fateamini.

VERS. 30. DIXIT ITAQVE REX ISRAEL AD IOSAPHAT, &c. INDVERE VESTIBVS TVIS] regiis & solitis quasi belli dux, vt animos militibus addas ad fortiter pugnandum.

PORRO REX ISRAEL (Achab) MVTAVIT HABITVM SVVM] ac deposito regio induit plebeium gregarij militis. Fecit hoc Achab non ad honorandum Iosaphat, quasi ipse esset imperator, & belli dux (esto id ipse coram Iosaphat simularet) sed ex terrore prophetiæ Michææ. Esto enim non planè crederet eum vera dicere, scilicet se occidendum in prælio; tamen idipsum timuit, præsertim accedente præcepto regis Syriæ, quo iusserat vt omnes sui in vnum Achab arma conuerterent. Hoc enim præceptum videtur ei innotuisse. Porrò Iosephus addit, id eum fecisse vt faciliùs & certiùs propheriam Michææ eluderet, & falsam fuisse ostenderet, cùm mutato habitu, & in vltimo agmine positus, procul esset à gladiis & ictibus hostium, vt nihil ei de vulnere & morte metuendum videretur.

VERS. 31. NON PVGNABITIS, &c. NISI CONTRA REGEM ISRAEL SOLVM] puta contra Achab, vt eum solum occidatis vel capiatis: ille enim est fax belli. Iosaphat enim sequitur eum vt comes ducem. Quare illo sublato, auferetur omne bellum. Rursum, iussit hoc rex Syriæ instinctu Dei, vt viderur, volentis Achab impium punire & trucidare. Vnde Iosephus addit, solum Achab in prælio occubuisse, idque prædixisse Michæam.

VERS. 34. VIR AVTEM QVIDAM TETENDIT ARCVM, IN INCERTVM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASV PERCVSSIT REGEM ISRAEL] Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri sagittam ex arcu iacientis, at respectu Dei non fuit casus, sed destinatus ictus: Deus enim per Angelos direxit hanc sagittam, vt non alium feriret, quàm impium Achab. Sic Iulianus Apostata, quasi nouus Achab, idolorum cultum restituens, cælesti telo, ait Nazian. orat. 2. in Iulianum, in bello Persico ictus occubuit anno Domini 363. nimirum à S. Mercurio Martyre confossus, vt ex Helladio docet Damascen. orat. 1. de Imagin. Nicephorus lib. 10. c. 35. & alij; ideoque fremens & frendens manum sanguine suo implens, eumque in aë-

Sic S. Machabæa, S. Symphorosa, S. Felicitas, tres inquam matres & heroinæ, septem filiis suis fuêre duces ad martyrium.

VERS. 44. VERVMTAMEN EXCELSA NON ABSTVLIT] Dices, 2. Paral. 17. 6. dicitur ea abstulisse. Resp. non abstulit ea initio regni, ne seditionem populi contra se concitaret; sed in progressu, cùm sat regnum suum firmasset. Vnde in Paral. additur: *cùm sumpsisset audaciam.* Aut abstulit ea, sed non ita, quin rursùm succreuerint ex nimia populi ad illa propensione, vt insinuatur 2. Paral. 20. 33. Denique Lyran. & alij respondent, Iosaphat sustulisse *excelsa* idolis erecta, permisisse verò excelsa Deo vero dicata. Hæc responsio vti planior, ita verior est. Nam cùm Script. dixisset 2. Paral. 17. 6. Iosaphat sustulisse *excelsa & lucos*, scilicet idololatricos, posteà cap. 20. 33. subiicit: *Verumtamen excelsa*, scilicet Deo vero dicata, sed ab eo vetita, *non abstulit.*

VERS. 46. RELIQVA AVTEM VERBORVM (id est rerum & factorũ. est Metonymia in hisce libris frequẽs) IOSAPHAT, &c. NONNE HÆC SCRIPTA SVNT IN LIBRO VERBORVM DIERVM REGVM IVDA?] Nimirum in Chronicis & Diariis in quibus *verba*, id est gesta, regum Iuda per singulos dies descripta erant.

Plurima enim heroica facta Iosaphat hîc breuitatis studio subticentur, è quibus nonnulla recensentur 2. Paralip. c. 17. 2. vbi celebratur zelus Iosaphat in cultu Dei propagando, & in erudiendo populo, ideoque gloria illi in præmium à Deo retributa. Rursùm, eodem libro c. 19. narratur quòd ipse in Iuda reformarit tribunalia, ac Iudices constituerit Leuitas, aliosque viros pios & incorruptos. Ad hæc c 20. recensetur insignis victoria, quam ipse sua pietate & prece à Deo contra Ammon & Moab obtinuit, vbi inter alia v. 12. orans ait: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Quocirca Deus suscitauit prophetam Iahaziel, qui ait v. 17. *Confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Fidens ergo ipse castra præcessit, sed ita vt præmitteret cantores Deum laudantes & concinentes: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Cumque hi cœpissent canere, Deus hostium insidias conuertit in ipsosmet, vt se inuicem inuaderent, & mutua se cæde truncarent. Vnde ad vnum omnes perierunt, ac superuenit Iosaphat cum suis ad spolia eis detrahenda.

NEC ERAT TVNC REX CONSTITVTVS IN EDOM] quia Idumæa subacta à Dauide, regebatur ab eius Præfectis, sed mox sub Ioram filio Iosaphat, *recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem*, vt dicitur 4. Reg. 8. 20. Vers. VIII.

QVÆ NAVIGARENT IN OPHIR] vbi sit Ophir, dixi c. 9. 28. Vers. VIII.

CONFRACTÆ SVNT IN ASIONGABER] quia fœderatæ & iunctæ erant classi impij regis Israel, nimirùm Ochoziæ filij Achab, vt dicitur 2. Paralipom. 20. 37. Vnde Ochozias videns naues suas confractas, petiit à Iosaphat, vt sui serui irent cum seruis Iosaphat in eius nauibus; sed id noluit Iosaphat, vt sequitur; nimirùm quia timebat eamdem vel peiorem Dei vindictam ob societatem cum impio Ochozia. Vers. VIII.

DORMIVITQVE IOSAPHAT CVM PATRIBVS SVIS, ET SEPVLTVS EST CVM EIS IN CIVITATE DAVID] pura in Sion: mausolæum tamen ipsi erectum est in valle, quæ inde dicta est *Iosaphat*, quæ sita est inter Ierusalem & montem Oliueti, vbi fiet iudicium vniuersale, vti ex Beda & aliis dixi Ioëlis 3. 2. Vers. VIII.

Hîc finitur liber tertius Regum, qui complectitur historiã Regum Iuda per annos 126. Salomon enim regnauit annis 40. Roboam 17. Abia 3. Asa 41. Iosaphat 25. iunge hos omnes, habebis annos 126.

Denique quoad synchronismum historiæ Gentilium, hæc tradit Eusebius in Chron. Genebr. Solianus & alij. Tempore Iosaphat imperauit in Israel Achab, & Ochozias illius filius; in Assyria Orphratanes; in Lacedæmone Archelaus; Athenis Mecades, Corinthi Agelas, apud Latinos Capetus Syluius, & Tiberinus Syluius, qui fluuio Tibri nomen dedit, cùm priùs vocaretur Albula; & Agrippa Syluius; in Ægypto Nepher, Cheres, Amenophis, Osochor, Spinaces.

COM-

COMMENTARIVS IN LIBRVM QVARTVM REGVM.

ARGVMENTVM.

Ebræi hunc librum iungunt libro tertio, & cum eo vnum efficiunt. Verùm Latini aptiùs diuidunt, & hîc quartum inchoant. Hic enim cœpit prolapsus regni Iuda, quod sub Salomone cæterisque hucusque regibus, fuerat forte, amplum & opulentum. Porrò libro primo Regum audiuimus gesta Heli, Samuelis & Saulis per 80. annos. lib. secundo gesta Dauidis regis per 40. annos. lib. tertio gesta Salomonis, Roboam, Abiæ, Asæ & Iosaphat, per annos 126. iam verò hoc lib. quarto audiemus gesta Ioram, Ochoziæ, Athaliæ, Ioas, Amaziæ, Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ, Manassis, Amon, Iosiæ, Ioachaz, Ioakim, Ioachin & Sedeciæ per annos 304. ex Dauide recta generationis serie successiuè descendentium; quibus in Israele siue in decem tribubus regnarunt Ochoziàs filius Achab, Ioram, Iehu, Ioachas, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee & Osee, sub quo desiit regnum Israel anno sexto Ezechiæ, cùm totus eius populus à Salmanasar abductus est in Assyriam, vt audiemus cap. 18. 10. Regnum Iuda verò desiit anno vltimo Sedeciæ, cùm eius populus abreptus fuit à Nabuchodonosor in captiuitatem Babylonicam, vt audiemus cap. vltim.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ochoziæ ægrotanti, & de sanitate per nuntios consulenti Beelzebub Elias per eosdem mortem denuntiat, mox vers. 9. duos quinquagenarios ab eo ad se capiendum missos, igne cæleſti cum 50. militibus comburit; tertio verò sibi supplici parcit & cum eo Ochoziam adit, eiq; necem intentat. Moritur ergo Ochozias, eiq; succedit frater Ioram.

1. PRÆVARICATVS est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. 2. Cecidit què Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac. 3. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? 4. Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. 5. Reuersique sunt nun-

tij ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reuersi estis? 6. At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & reuertimini ad regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcircò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 7. Qui dixit eis: Cuius figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? 8. At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. 9. Misitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit vt descendas. 10. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. 11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. 12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius. 13. Iterùm misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum qui mecum sunt. 14. Ecce descendit ignis de cælo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro vt miserearis animæ meæ. 15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem, 16. & locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 17. Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iudæ: non enim habebat filium. 18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?

VERS. 1. PRÆVARICATVS EST AVTEM MOAB IN ISRAEL] id est, vt vertit Chald. Moabitæ rebellarunt Israeli, puta Ochoziæ filio Achab, qui regnabat in Israel. Cùm enim viderent Achab in prælio cæsum, & exercitum eius dissipatum, ac Ochoziam iuuenem, animos sumpserunt, & ei, cui hucusque subiecti fuerant, rebellarunt, negando tributum sibique proprium regem constituerunt: sicut sub idem tempus Idumæi à Dauide subacti, rebellarunt Ioram regi Iuda, vt audiemus c. 8. ita Abul.

VERS. 2. CECIDITQVE OCHOZIAS (filius Achab rex Israel) PER CANCELLOS COENACVLI SVI] id est per fenestras cancellatas & reticulatas tabulati, inquit Pagn. Vatab. & alij. Aut *cœnaculum* vocat solarium siue tectum, quod in Palæstina erat planum, vt in eo ambulare, cœnare, dormire possent. Porrò hoc tectum circumcircà cingebatur lorica siue muro, ne quis incautè ex eo laberetur iuxta legem Deuter. 22. 8. Murus hic reticulatus & cancellatus erat, ex quo fatiscentibus vel ruptis cancellis, lapsus est Ochozias. Ita Sanchez.

Tropol. Eucher. *Ochozias*, inquit, *rex Samariæ qui se à domo Dauid separauit, & per cancellos decidit, hoc significare videtur; quòd hæretici siue schismatici, etsi aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tamen compagem Ecclesiæ vnitatis non habent, quasi patentibus & non solidis lateribus præsidijs, semper ad vitiorum infima relabuntur, dum diuino destituti auxilio suæ pertinaciæ fastu intereant.*

CONSVLITE BEELZEBVB DEVM ACCARON] Sept. *Consulite Baal muscam, deum accaron.* quia Iosephus: *Consulite Myodis (id enim Deo nomen erat) oraculum.* Μυῖα est musca, inde *Myodes* est Deus muscarũ, qui scilicet inuocabatur ad abigendas muscas, quibus abundabant Accaronitæ ob solum humidum & calidum, ex maris vicinia. idem dicebatur Iupiter ἀποδίμυος teste Pausan. lib. 5. & Plinio lib. 29. c. 6. vbi *Myodem* vocat *Aohorem*, fortè quia in Accarone, vt hîc dicitur, colebatur. Simili modo colebatur Deus Smintheus, ad abigẽdos mures; hos enim Cretenses vocant Sminthas; & Parnopius ad abigendas parnopas, id est culices, vel vt alij volũt locustas, teste Pausania in Atticis. Gentiles enim rebus omnibus Deos præficiebant, adeoque colebant Febrim, Cloacinam, Pauorem & Gallorem quasi numina teste S. Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 16. & 23. Sic *Beelzebub* Heb. idem est quod *Baal* siue *Beel* & *Bel* בעל זבוב *Zebub*, id est *muscæ*, vel *Baal Musca*, vt vertunt Sept. idolum enim hoc instar muscæ erat efformatum, ait Nazianz. lib. 2. contra Iulian. & Theodor. q. 3. Hinc & Philastrius inter hæreses numerat *Myolatras*, id est muscæ adoratores, siue *Muscaccaronitas*, hæresi 13. Vide dicta Matth. 10. 25. Quibus adde, nonnullos cum Serario sentire, quòd *Beelzebub* siue *Myodes*, id est *Deus muscæ*, fuerit A libidinis Deus, aut Dea quæpiam, ob impudicitiam & libidinem quæ in muscis notatur; vnde Lucianus in Encomio muscæ tradit olim fuisse meretrices, quæ *muscæ* vocabantur. Insuper Dij (dæmones) omnes propter multitudinem, insolentiam, impudicitiam, mordacitatẽ, sordes, fœtorem, muscæ vocari possunt: vnde hoc sæculo dæmon specie magnæ muscæ vel crabronis inuolans in eum, qui relicta fide orthodoxa Anabaptismum profitebatur, illicò eum quasi possidens, S. Script. peritum efficiebat, eundemque hac peritia priuabat, si ab Anabaptismo ad fidem rediret, vti oculati testes narrant. Rursùm dæmones *muscæ* vocãtur, quia vt ait lib. de Sacrificiis Lucian. *Victimarum sanguini muscarum instar inhærent. Adde, in gentilium* B *vates, muscæ instar, dæmones quandoque inuolasse, vt oracula ederent; quemadmodum Sacerdotale Romanum tradit, eum interdum ad Energumenos obsidendum accedere. Hinc igitur apud Iudæos, qui contemptus & detestabilis erat, vocatur Beelzebub, Matth. 10. Ipseq; dæmonum princeps, Matth. 12. tanquam omnium salacissimus, impudentissimus, contemptissimus,* ait Serarius; aut quia *Myodes* erat *Iupiter* ἀποδίμυος, vt dixi, Iupiter autem est Deorum omnium primus & princeps.

Tropol. colunt Beelzebub, id est Deum muscam vel muscarum, impudentes, luxuriosi, insolentes, iniquieti, litigiosi. Audi S. Greg. lib. 18. Mor. c. 25. explicantem quartam Ægypti plagam, quæ fuit muscarum, Exodi 8. 21. *Ægyptus, quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est.* C *In qua, quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Vnde aliàs dicitur: Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: quia cogitationes superfluæ, quæ assiduè in animo carnalia cogitante & nascuntur & deficiunt, eam suauitatem qua vnusquisque intrinsecus per spiritum est perdunt; quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur: quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feruuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, & ad quietis intimæ desiderium non leuantur. Vnde cùm ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus eiicit, & pòst in eo virtutum dona mira disponit.* Plura de muscarũ symbolis dixi Ecclesiastæ 10. 1. ad illa: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti:*

VERS. QVAMOBREM (quia scilicet relicto Deo cõsulisti Beelzebub) &c. MORTE MORIERIS] Elias intentat mortem Ochoziæ ob consultum dæmonem; quod notent ij qui consulunt diuinos & magos; hos enim Deus plectet morte æterna & sæpè temporali. Sic enim Saul occisus est in prælio, cò quòd consuluisset Pythonissam, 1. Reg. 28 16. Sic Achab telo confossus est, quòd à Pseudoprophetis Baal euentum belli esset scisciturus, lib. 3. Reg. c. vlt. Est enim hæc consultatio scelus graue, & Deo valdè iniuriũ; quia per illud præscientia futurorum & diuinatio adimitur eius diuinitati, cui propria est, ac traditur diabolo. Vnde Deus ostendit quàm acriter hanc sui contumeliam sentiat, dum eam tam atrociter castigat.

VERS. 8. VIR PILOSVS ET ZONA PELLICEA ACCINCTVS] Incedebat enim Elias intonsus, *Corn. in lib. Regum.*

prolixa barba & capillis, hispido vestitu & piloso, puta melote, siue pelle ouina vel caprina intonsa circumdatus, & zona pellicea accinctus; id est corio non apparato, sed adhuc piloso & villoso, quasi eremita mundi contemptor, & paupertatis priscæque simplicitatis amator. Vide Cassian. lib. 1. Instit. c. 1. Fabulatur R. Eleizer c. 31. zonam hanc Eliæ fuisse ex pelle illius arietis, quem pro Isaac immolauit Abraham Genes. 22.

VERS. 9. HOMO DEI, (Ironicè ita eum vocat q.d. O Elia, qui te vocas iactasq; virum Dei) REX PRÆCEPIT VT DESCENDAS] ex vertice montis Carmeli ad nos, vt te quasi captiuũ deducamus ad regem Ochoziam, cui mortem prænuntiasti, vt huius funesti oraculi rationem reddas, & pœnas luas. Itaque quinquagenarius hic peccauit primò impietate, quia impietati Ochoziæ volentis Eliam castigare consensit, eiusque fuit administer. Secundò fastu, quia imperiosè & superbè quasi regij mandati executor iussit eum descendere; ideoque ab Elia, imò à Deo igne cælesti sideratus occubuit.

VERS. 10. RESPONDENSQVE ELIAS DIXIT QVINQVAGENARIO: SI HOMO DEI SVM, DESCENDAT IGNIS DE CÆLO ET DEVORET TE ET QVINQVAGINTA TVOS] Elias titulum ironicum sibi datum, seriũ efficit, eumque in caput dicentis per seriam vindictam retorquet. Vnde nota: pro *Dei* Heb. est, *Elohim*, quæ vox significat Deum quà iudicem & vindicem q. d. Si ego sum minister *Elohim*, id est summi iudicis & vindicis, vt tu ironicè dixisti, ipse *Elohim* me, vt suum ministrum, defendat, ac puniat tuam insolentiam & violentiam, qua me eius ministrum vis capere, & ad regem inuitum pertrahere. Hæc enim violentia in Deum ipsum, qui meus est herus & Dominus, redundat. Quare hanc sui, imò Dei iniuriam Elias vltus est, spiritu vehementi ignem è cælo deuocans. Idem faciet in fine mundi cum Enoch decertans contra Antichristum, eiusque asseclas; vnde Apocal. 11. 5. de vtroque dicitur: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore (iussu) eorum, & deuorabit inimicos eorum.* & Eccles. c. 48. 1. *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et v. 3. *Deiecit ignem de cælo ter.* Vide ibi dicta.

Symbol. S. Ambr. lib. de iis qui myster. initiantur c. 9. cum Elia comparat sacerdotem consecrantem Eucharistiam. Sicut enim Elias igne cælesti consumpsit quinquagenarium cum suis, sic sacerdos vi diuina verborum Christi, consumit substantiam panis & vini, illamque in Christi corpus conuertit: nam vt ait Lanfrancus contra Bereng. *Si tantùm valuit sermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum?*

VERS. 11. FESTINA, DESCENDE] Im, tidentior fuit hic secundus Pentacontarchus priore; tum quia audito eius supplicio non resipuit; tum quia auxit impudentiam, addendo: *festina*: ideoque eadem pœna plexus, ac igne cælesti consumptus est.

VERS. 14. OBSECRO VT MISEREARIS ANIMÆ MEÆ] Hic tertius duorum præcedentium supplicio territus, & sapientior factus, fit supplex Eliæ; vnde non audet petere, dicereque vt descen-

dat, sed misericordiam postulat, vt scilicet sibi A parcat, & dicat quid sibi facto sit opus; quid scilicet regi renuntiare debeat. Quare ei Elias non tantùm pepercit, sed & monente Angelo vltrò se comitem ad regem adiunxit.

VERS. 17. REGNAVIT (in Israel) IORAM FRATER EIVS PRO EO, ANNO SECVNDO IORAM FILII IOSAPHAT REGIS IVDÆ] qui scilicet cum patre Iosaphat adhuc viuente, sed eunte cum Achab ad pugnam contra Syros, ideoque absente, regnabat in Ierusalem, de quo cap. 3. vers. 1. Cæso enim Achab in bello, illicò successit ei in regnum filius Ochozias, & eo primo regni sui anno è morbo moriente, frater eius Ioram.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias curru igneo rapitur in cælum: succlamat ei Elisæus: Pater mi! currus Israel & auriga eius. *Mox vers. 14. pallio Eliæ diuidens Iordanem, sicco pede eum pertransit. Inde vers. 19. aquas pessimas immisso sale persanat. Denique vers. 23. pueros 42. sibi insultantes:* Ascende calue, *immissis duobus vrsis dilacerat.*

1. FActum est autem, cùm leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis. 2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hîc, quia Dominus misit me vsque in Bethel. Cui ait Eliseus: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, 3. egressi sunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te? Qui respondit: Et ego noui: silete. 4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hîc, quia Dominus misit me in Iericho. Et ille ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Iericho, 5. accesserunt filij prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum à te? Et ait: Et ego noui: silete. 6. Dixit autem ei Elias: Sede hîc, quia Dominus misit me vsque ad Iordanem. Qui ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7. & quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt econtrà, longè: illi autem ambo stabant super Iordanem. 8. Tulitque Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum. 9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Eliseus: Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. 10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. 11. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum, 12. Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius. Et non vidit eum ampliùs: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. 13. Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei; reuersusque stetit super ripam Iordanis, 14. & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ, & dixit: Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transiit Eliseus. 15. Videntes autem filij prophetarum, qui erant in Iericho econtrà, dixerunt: Requieuit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum eius, adorauerunt eum proni in terram, 16. dixeruntque illi: Ecce, cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dominum tuum, ne fortè tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium. Qui ait: Nolite mittere. 17. Coëgeruntque eum, donec acquiesceret, & diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cùm quæsissent tribus diebus, non inuenerunt. 18. Et reuersi sunt ad eum: at ille habitabat in Iericho, & dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere? 19. Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliseum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. 20. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, 21. egressus

gressus ad fontem aquarum, misit in illum sal; & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque sterilitas. 22. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc, iuxta verbum Elisei, quod locutus est. 23. Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende calue. 24. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. 25. Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reuersus est in Samariam.

VERS. 2. SEDE HIC] Elias ex modestia & humilitate A voluit occultare suum raptum, ideoque Eliseum à se dimittere. Dona enim Dei, quę pertinent ad aliqualem, inquit Abul. personæ excellentiam, occultari debent, ne homines videantur in eis gloriari, quia Dei est ea manifestare, vti hîc manifestauit raptum Eliæ per filios prophetarum. Quocircà Elias non tam præcipit, quàm hortatur Eliseum dicens: *sede*, id est mane *hîc*: non est necesse vt me comiteris. Verùm Eliseus sapienter ab Eliæ latere discedere noluit, vt eius benedictionis fieret particeps, & zeli spirituſque hæres: vnde ait:

VIVIT DOMINVS, ET VIVIT ANIMA TVA (id est iuro per vitam Dei & animæ tuæ) QVIA (quòd) NON DERELINQVAM TE] Hinc liquet Deum Eliseo reuelasse, Eliam propediem rapiendum fore, illiqueque suggessisse vt caueret, ne eum desereret.

VERS. 3. EGRESSI SVNT FILII PROPHETARVM] B Erant hi discipuli Eliæ, Eliśei, aliorumque prophetarum, qui quasi viri religiosi, totos se dabant Deo: quorum multa iam erant collegia in Galgalis, Bethel, Iericho, Carmelo &c. ab Elia & aliis instituta, ideoque Elias ante raptum, ea hîc visitauit, vt suos alumnos in vera fide, & aspero vitæ eremiticæ instituto confirmaret, vltimaque salutis & perfectionis monita eis daret, & Eliseum successorem suum promulgaret. Exhortationem Eliæ ad eos graphicè hic repræsentat Salianus. Porrò inter eos erant aliqui veri prophetæ, qui hîc raptus Eliæ reuelationem à Deo acceperunt, eamque Eliseo & aliis reuelarunt, vt patet ex seq.

VERS. 7. ILLI AVTEM (Elias & Eliseus) STABANT SVPER, id est iuxta, IORDANEM] vt eum Elias diuideret, & sicco pede transiret.

VERS. 9. OBSECRO, VT FIAT IN ME DVPLEX SPIRITVS TVVS] *Duplex*, id est duplo maior, C aiunt nonnulli cum Theodor. q. 7. & Græcis. Accedit B. Petrus Damiani serm. 2. de natiuit. S. Ioan. Bapt. *In Eliseo*, air, *fuit duplex Eliæ spiritus, non meritorum cumulo, sed exhibitione miraculorum, quia 24. miracula fecit, cùm Elias fecerit 12. dum taxat*, licet alij pauciora numerent. Vnde Anastasius Nicænus q. 55. numerat Eliæ signa septem, Eliśei verò 14. Accedit & S. Ambr. ser. m. 2. de Eliseo, qui exclamat: *O hæreditas pretiosa, in qua plus hæredi relinquitur quàm habetur; plus consequitur qui accipit, quàm possidet: vet qui largitur! Pretiosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur! Igitur Elias, cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terra, quàm secum portauit ad cælos: & licet ipse ad altiora totus trãsfertur corpore, apud filium tamen maiore manet sanctitate.*

Duplex spiritus. Primò.

Alij: *duplex*, inquiunt, respectu tertiæ partis *Secundò*, residuæ, ita vt si spiritus Eliæ in tres diuideretur partes, Eliseus postularet sibi duas, idque videtur innuere: *os duorum*, quod est in Hebr. Vnde Pagn. vertit: *Fiat mensura duarum partium de spiritu tuo super me.* Melius alij *ró duplex* tribuunt *Tertiò*; Eliæ q. d. Oro ô Elia, vt *tuus spiritus duplex*, id *& optimè.* est multiplex, validus & eximius, in me deriuetur; vbi abeunte, ego quasi filius tibi in spiritu tuo eximio, quasi in hæreditate spirituali succedam, eodemque zelo, quo tu, cultum veri Dei contra Baalitas propugnem. Vnde Angelomus: *spiritus duplex*, inquit, *est spiritus prophetiæ & miraculorũ.* Probatur id primò ex Hebræo qui habet: *Os duorum in spiritu tuo fiat mihi*; primogenitus enim duplicem habebat portionem hæreditatis paternæ, cæteri verò filij simplicem & vnam dumtaxat, q. d. Peto vt ego quasi primogenitus tuus, ô Elia, tibi in vtroque tuo spiritu succedam. Secundò, quia Eccles. 48. 4. dicitur de Elia: *Quis poterit gloriari vt Elias?* Ergo ille maiori fuit spiritu, quàm Eliseus. Tertiò, quia ibidem v. 13. dicitur: *Et in Eliseo completus est spiritus eius.* Vide ibi dicta.

SI VIDERIS ME QVANDO TOLLAR A TE, ERIT TIBI QVOD PETISTI: SI AVTEM NON VIDERIS, NON ERIT] Ratio huius conditionis à Deo & Elia propositæ Eliseo fuit, vt magis accenderet Eliśei desiderium & studium, itaque eum præpararet ad tantum spiritus Eliæ duplicis donũ, vtque ipsius Eliæ preces crescerẽt pro Eliseo, proque hoc spiritu ei impetrando, ad ipsius & totius Israelis bonum. Erat enim vterque incertus, an Eliseo præsente raperetur Elias, vt eiusdem spiritus hæres & successor fieret. Ita S. Chrys. hom. 1. in Acta; qui & addit Eliam hîc præfiguraſſe Christum, qui non statim post resurrectionem misit Spiritum in Apostolos, sed voluit priùs eos videre suam ascensionem in cælum, indeque decimo die, putà in festo Pentecostes, misit in eos Spiritum sanctũ, vt ad eum per plures dies se compararent. VERS. 10.

ECCE CVRRVS IGNEVS, ET EQVI IGNEI DIVISERVNT VTRVMQVE] Non erat hic currus igneus verè igneus, sic enim adussisset Eliam, sed habebat formam & speciem ignis, sicut habent meteora in aëre formata. Erant enim reuera Angeli, qui assumentes formam ignis, sursùm vectabant Eliam, iuxta illud: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*, Psal. 103. 4. Fuit ergo hic ignis aër crassior, splendens, rubensque vt ignis, ait Abul. q. 17. Serarius & alij. Hic ergo currus igneus ab Angelis ex nubibus fuit formatus, quo Elias, quasi triumphator & ciuis cæli, raptus est in altum. *Igneus enim* VERS. 11. *Currus igneus quis?*

currus congruebat igneo Eliæ animo, ad eum vehendum in cælum, ait S. Chryſ. hom. 1. de Elia. Item officio ad quod Elias reſeruatur, videlicet ad præueniendum ſecundum Chriſti ad iudicium aduentum. Plures alias huius currus raptuſque cauſas litterales, allegoricas, tropologicas & anagogicas recenſui Eccleſ. 48. 9. ad illa: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Porrò Elias hoc curru igneo non tantùm de Achab, Iezabele & idololatris, ſed & de morte, ipſoque igne triumphauit: fuit enim hic currus triumphi, vti fuit currus Cherubim Ezechielis 1. ait noſter Prado ibidem, q. d. Par eſt, vt tu ô Elia, qui in vita imperaueras igni in cælo, iam ab igne quaſi eius imperator & triumphator, veharis in cælum: vnde patet quàm ineptè dicat R. Kimthi, Eliam in ſphæra ignea ab igne fuiſſe conſumptum. Audi S. Ambr. ſerm. 2. de Eliſeo: *Elias magiſter Eliſei nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum eſt, & quadriga ignea impoſitus quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim exiterat non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici ſunt praui mores, quàm hoſtes inſiſti: vt facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe, quàm morum.*

ET ASCENDIT ELIAS PER TVRBINEM IN CÆLVM] Sept. *Et aſſumptus eſt Elias in commotione vſq; ad cælum.* Chald. *Ad ſummitatẽ cælorum.* Eccleſ. 48. 9. habetur: *Qui receptus es in turbine ignis.* Græcè ἐν λαίλαπι, id eſt *procella ignea.* Videtur ergo Deus emiſiſſe fulgetra, coruſcationes & fulgura, ſimileſque igneas procellas, quæ Eliam raperent & veherent in cælum. Vnde Vatab. ibidem vertit: *Qui procella ignea ſublatus ſis in curru equorũ ardentiũ.* Sic ergo Elias turbine ſiue vento impellente, curru igneo vehente, & Angelo auriga vtrumque moderante, vectus eſt in cælum, ait Abul. Vatab. Serar. Salian. & alij. Audi S. Ambr. in ſymb. Apoſt. ſub finem: *Enoch tranſlatus eſt*, inquit, *ne videret mortem: ſimiliter & Elias in corpore iſto poſitus, curru igneo, id eſt Angelorum ſubuectione, qui ſunt ſpiritus & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione vſque ad cælum aſſumptus eſt.* Author mirabilium Scripturæ lib. 2. c. 22. *Iam iamq; Elias igneo curru receptus velut ad cælum, conſiderante Eliſeo rapitur.* Rurſùm Ambroſius lib. de Nabuthe c. 14. *Cùm reciperetur Elias, & curru quaſi ad cælum ferretur; clamauit ad eum Eliſeus: Pater, pater, agi.ator Iſrael, & eques eius: hoc eſt qui populum Domini bono ductu regebas, conſtantiæ merito hos accepiſti currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobauit. Ideo tanquam boni auriga certaminis, victor æterno præmio coronaris.*

Elia cælum quod?

Reſp. primò

IN CÆLVM] Sept. v. 1. vertunt: *quaſi in cælum.* Hinc primò nonnulli cenſent Eliam verè raptum in cælum, non aëreum, ſed æthereum, ibique quaſi cælitem degere. Ita Dorotheus in ſynopſi cap. de vita Eliæ. S. Hier. in c. 9. Amos, S. Ambr. lib. de Paradiſo c. 3. Alcimus lib. 4. & Serar. Secundò alij cenſent Eliam raptum *in cælum*, id eſt in aërem, indeque traductum in paradiſum terreſtrem; in illum enim raptus fuit Enoch. Eccleſ. 48. 7. ita Iren. lib. 5. c. 5. S. Iuſtin. q. 85. Iſidor. lib. de ortu & obitu Sanctor. c. 5. S. Thom. 1. p. q. 102. art. 2.

Secundò.

Tertio.

Tertiò alij cenſent Eliam ductum in ſecretam aliquã terræ regionẽ. Ita S. Greg. hom. 29. in Euang. & Rupert. lib. 3. de Trinit. c. 33. Quartò certiùs alij dicunt incertum eſſe Eliæ & Enoch locum. ita S. Chryſ. hom. 22. in Epiſt. ad Hebr. ibique Theoph. & Ocum. S. Auguſt. de gratia Chriſti c. 2. & 3. S. Cypr. de montibus Sion & Sina, Theodor. q. 45. in Geneſ. ſiue ergo in terra, ſiue in aëre ſit Elias, vitam agit quietam & ſanctam, in iugi Dei contemplatione, vti ex S. Aug. oſtendi Geneſ. 5. 22.

Quartò vltimi.

Ex hoc Eliæ raptu in cælum, Poëtas accepiſſe fabulas de ſolis quadriga, aſſerit Beda q. 37. & S. Chryſ. hom. 1. de Elia: vbi docet, *Eliam* dici quaſi ἥλιον, id eſt ſolem, imo ab *Elia* ſolem dictum eſſe ἥλιον.

Anagog. raptus Eliæ fuit expreſſus typus aſcenſus Chriſti in cælum, vti docet S. Bern. ſerm. 3. & 6. de Aſcẽſ. ac S. Greg. hom. 29. in Euãg. quẽ audi: *In cælum aëreum Elias ſubleuatus eſt, vt inſecretã quandam terra regionem repentè duceretur, vbi in magna iam carnis & ſpiritus quiete viueret, quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſoluat. Ille etenim mortem diſtulit, non euaſit. Redemptor autem noſter, quia non diſtulit, ſuperauit, eamq; reſurgendo conſumpſit, & reſurrectionis ſuæ gloriam aſcendendo declarauit.* Deinde Chriſti aſcenſũ præfert raptui Eliæ, ſubiiciens: *Notandum quoque eſt, quòd Elias in curru legitur aſcendiſſe: vt videlicet apertè demonſtraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & oſtenſa ſunt adiumenta: quia nec in cælum quidem aëreum per ſe aſcendere poterat, quem naturæ ſuæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noſter, non curru, non Angelis ſubleuatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirùm ſuper omnia ſuâ virtute ferebatur. Illò etenim reuerebatur, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cùm per humanitatem aſcenderet in cælum, per diuinitatem ſuam & terram pariter continebat & cælum.* Et nonnullis interiectis: *Nam Enoch tranſlatus, Elias verò ad cælum ſubuectus eſſe memoratur: vt veniret poſtmodùm, qui nec tranſlatus, nec ſubuectus cælum æthereum ſuâ virtute penetraret.*

Addit deinde, in hiſce tribus ſenſim creuiſſe caſtitatem & ſanctimoniam vſque ad ſummum: *Tranſlatus namque eſt Enoch*, inquit, *& per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus eſt Elias per coitum genitus, ſed non per coitum generans. Aſſumptus verò eſt Dominus, neque per coitum genitus, neque per coitum generatus.*

Vita Elia iam quæ.

Denique Elias & Enoch iam ſunt æternitatis candidati, & paradiſi (ſiue illius primi, de quo Geneſ. 2. ſiue alterius ſimilis aut melioris) coloni, confirmati in gratia, ait Franc. Suarez: ac licet non videant Deum, nec ſint Beati; multa tamen à Deo lumina & ſolatia hauriunt; verſantur enim quaſi *in atrio domus Domini.* Vnde crebriùs ab Angelis, quàm cæteri mortales viſitantur, cum eiſque colloquuntur. Hinc & viuũt ex verbo Dei, ſine cibo & potu corporeo. Deus enim eos conſeruat incorruptos (æquè ac veſtes eorum, vti ſeruauit veſtes Hebræorum per 40. annos in deſerto) ſanos, vegetos, alacres, & de ſuo gradu, ſtatu & officio gaudentes & exultantes. Iuges enim agunt gratias Deo, quòd ſoli ipſi duo ex tot millibus hominum electi ſint, qui in fine mundi pro Chriſto contra Antichriſtum certaturi ſint, ac gentes & Iudæos conuerſuri, tandemque martyrio glo-

glorioſo coronandi, quique fidem & ſpem reſurrectionis ſua tranſlatione, incorruptione & longæuitate hominibus perſuadeant, & reipſa repræſentent.

An meteantur?

An ſint in ſtatu merendi necne, problema eſt? Affirmant Abul. q. 24. Viegas in c. 11. Apoc. com. 5. Maluenda lib. 9. de Antichriſto c. 5. Henriquez lib. vlt. de fine hominis c. 23. & alij. Ratio eſt, quia adhuc ſunt viatores, ac cùm differatur eorum beatitudo, quæ aliis eorum coæuis iam pridem data eſt, videtur huius dilationis vice eis conceſſa facultas augendi ſua merita. Negant Franc. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 55. ſect. 1. Pererius lib. 7. in Geneſ. diſp. de Enoch, q. 5. Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 216. c. 1. & alij. Ratio eſt, quòd raptus eis reputetur quaſi mors, in qua ceſſat omne meritum: & quia alioqui ipſi continuè augendo ſua merita per tot annorum millia, omnes ſanctos gratia & gloria ſuperarent, excepta B. Virgine.

VERS. 12. ELISEVS AVTEM VIDEBAT ET CLAMABAT: PATER MI, PATER MI! CVRRVS ISRAEL ET AVRIGA EIVS] Heb. *Currus Iſrael & equites eius.* Septuaginta: *Et eques eius*, q. d. Vale ô Elia, pater mi, qui eras totum robur Iſraelis, ac magis Iſraelem iuuabas tuo zelo & oratione, quàm magna curruum & equitum multitudo. Ita Procop. Vatab. Caiet. & alij.

Vnde Chald. vertit: *Magiſter mi, magiſter mi, qui melior eras Iſraeli oratione tua curribus & equitibus.* Sic & Ioas rex viſitans Eliſeum morientem, ei ſuccłamauit c. 13. v. 14. *Pater mi, currus Iſrael & auriga eius.* Talis enim poſt Eliam fuit Eliſeus.

Tropol. Elias, id eſt doctor & prædicator mores populi corrigens, currus eſt; quia eum tolerando portat; auriga, quia eum exhortando agitat. Audi S. Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 21. *Quid eſt, quòd Elias, currus Iſrael & auriga dicitur, niſi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi & per patientiam ſuſtinet, & ſacri eloquij verbis docet, & currus dicitur & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala ſuſtinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.* Hinc & S. Cyril. in Collectan. *Currus*, ait *ſignificat excelſam & illuminatam vitæ rationem Eliæ.* Rurſùm S. Ambr. lib. de Iſaac c. 8. *Currus*, inquit, *eſt anima ſancta, auriga & agitator eſt Chriſtus, equi ſunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iuſtitia; hi animã ad cælum euehunt. Velociores*, inquit, *prudentia tardat; iuſtitia admonet flagello proprio ſegniores; temperantia manſuetiores, fortitudo duriores reddit: nouit copulare diſcordes, ne fortè currum ſuum diſſipent. Itaque licet intelligibili ſpectaculo videre vnamquamque animam cum ſummo certamine ad cælum rapi, feſtinantes equos, qui priores perueniant ad brauium Chriſti, quorum prius imponatur palma ceruicibus. Iſti ſunt equi ſubiecti fidei iugo, adſtricti vinculo charitatis, iuſtitia frenis, retinaculis ſobrietatis.*

Politicè: *currus Iſrael & auriga eius*, eſt princeps, qui ſuſtinet quaſi currus onera Reip. & populi, ac dirigit vt auriga iugales: aurigatur, & præſidet, & ſimul baiulat & portat. Princeps & prælatus ergo ſit vt mater, quæ regit & portat infantem. Hinc princeps Hebr. dicitur, נָשִׂיא *naſu*, q. d. portitor, baiulus, qui populi onera A leuat. *Sic* Iſaiæ 9. de Chriſto dicitur: *cuius imperium ſuper humerum eius.*

Moraliter hîc ſignificatur, quòd ſi te totum diuino imperio ſubdideris, facilè à tuis ſubditis debita obſequia impetrabis. Elia per turbinem in cælum abeunte exclamat de terra Eliſeus: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Currum appellat ſimul & aurigam; currum, qui regitur; & aurigam, qui regit: vt oſtenderet, eum optimi principis munia expleniſſe, quòd non ſolùm alios prudenter regeret, ſed etiam ſeipſum ab ipſo Deo regi facilè pateretur. Vnde Lyran. in Commentario Morali ad 1. Reg. 9. *Currus*, inquit *qui ducitur, hîc ponitur primò: & auriga, qui ducit, ſecundò: ad oſtendendum, quòd ille bene ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo.*

Quæres, quo anno, menſe & die Elias ſit raptus in cælum? Reſp. raptus eſt ante finẽ regni Ioſaphat: nam eius geſta hucuſque audiuimus, & audiemus c. ſeq. vbi poſt Eliæ raptum, coram eo prophetauit Eliſeus. Videtur ergo raptus paulò poſt mortem Ochoziæ regis Iſrael, quam ipſe ei prædixerat c. 1. poſt illam enim ſtatim eius raptus hoc c. 2. ſubiungitur. Mortuus eſt autem Ochozias anno regni ſui ſecundo, qui fuit regni Ioſaphat annus 18. & filii eius ſoram cum patre regnantis ſecundus, vt patet hoc libro cap. 3. v. 1. & 7. & lib. 3. c. vlt. v. 52. Vnde Salian. Genebrardus & alii aſſerunt, Eliam raptum ſub annum 19. regni Ioſaphat, qui fuit à creato mundo, ait Salian. annus 3139. poſt raptum Enoch 2162. ante Chriſti ortum, 914. Hiſce ferè conſentiunt Hebræi in Seder Olam, Ioſeph. Abul. Torniellus, Serar. & alii. Hoc ergo anno Chriſti 1638. Elias à raptu ſuo agit annum 2552. Inde Syri cùm longam & felicem alicui vitam precantur, optant ei Eliæ annos & vitam. Viuit enim adhuc Elias & viuet vſque ad finem mundi, quando pro Chriſto certans contra Antichriſtum ab eo martyrio laureabitur. Raptus eſt Elias menſe Iulio, ac die eius vigeſima: illa enim die raptus eius conſignatur in Martyrologio Romano & Menologio Græcorum: quin & Græci in honorem Eliæ templa erexerunt, vt docet Baron. in Martyr. ad diem 20. Iulii. Quoto anno vitæ ſuæ raptus ſit Elias, præcisè definiri nequit. Cœpit ipſe prophetare paulò poſt initium regni Ioſaphat, ait Salian. anno eius tertio, vel quarto vt vult Torniellus: raptus eſt anno eius 19. quare per ſedecim annos prophetauit. Adde his triginta annos, & plures quos habebat cùm cœpit prophetare (nemini enim ante annum ætatis trigeſimum apud Hebræos prophetare licebat) habebis vt minimum annos Eliæ ante raptum 46. Denique Elias in multis fuit typus Chriſti, vt oſtendunt Patres, præſertim S. Cyprian. lib. de Spiritu ſancto, & S. Auguſt. ſerm. 201. de temp. atque ex iis exactè noſter Salian. anno mundi 3139 num. 33. & ſeq.

Elias raptus anno 19. Ioſaphat.

die 20. Iulij.

Succeſſit Eliæ Eliſeus dignus tanto magiſtro diſcipulus, annos natus 40. qui ſub ſex regibus Iuda, ſcilicet ſub Ioſaphat, Ioram, Ochozia, Athalia, Ioas, & Amaſia (quibus ſynchroni & cœæui fuerunt Iehu, Ioachas & Ioas, regnantes in Iſrael) prophetauit per annos 66. mortuuſque eſt anno ætatis 106. qui fuit annus Amaſiæ regis

regis octauus, mundi 3204. ante Christum 849. vti ex S. Cyrillo libr. 1. contra Iulian. & Clemente Alex. lib. 1. Strom. docet Salian. anno mundi iam dicto, scholio 1. Porrò S. Epiphan. in vita Eliſei, ait eo die quo natus eſt Eliſeus, vitulum aureum à Ieroboam conflatum, vocem edidiſſe tam ſonoram, vt audiretur Ieroſolymis, qua ſignificabatur illo die natum eſſe infantem, qui vitulos aureos cæteraque idola euerteret.

APPREHENDITQVE (Eliſeus) VESTIMENTA SVA, ET SCIDIT ILLA IN DVAS PARTES] in ſignum luctus, quòd tanto magiſtro, ſcilicet Elia, per eius raptum foret orbatus. Hic enim raptus erat inſtar mortis Eliſeo: priuabat enim eum ſolita inſtructione, colloquio & conſolatione Eliæ. Veſtis ſciſſione ergo Eliſeus luxit Eliæ abitum, indeque ſuam orbitatem & ſolitudinem.

VERS. 13. ET LEVAVIT PALLIVM ELIÆ, QVOD CECIDERAT EI] quod ſcilicet Elias aſcendens dimittebat Eliſeo, ad ſui memoriam, ac ad Eliſei ſolatium & auxilium. Abul. cenſet hoc pallium fuiſſe cilicinum ex pilis camelorum, vti fuit veſtis S. Ioannis Baptiſtæ. Veriſimiliùs Serar. & alii cenſent fuiſſe melotem, id eſt veſtem factam ex pelle ouina, nam Sept. vertunt: *Et tulit melotem Eliæ, quæ ciderat ſuper eum.*

ET NON SVNT DIVISÆ] Sic & Sept. Hæc tamen verba deſunt in Hebr. & Chald. ſed ſubintelliguntur: ideò enim Eliſeus ſecundò percuſſit aquas, quia primâ percuſſione non fuerat diuiſæ. Noluit enim Deus in primâ aquas diuidi, ne nouus propheta Eliſeus ex parua eo miraculo ſuperbiret de nouo ſuo ſpiritu, ſed per preces ad Deum recurreret. Rurſus vt ſciret ſe hanc aquarum diuiſionem, cæteraque miracula ſecutura, non ſuis ſed Eliæ meritis obtinere. ita Abul. & Caiet.

VERS. 14. VBI EST DEVS ELIÆ ETIAM NVNC?] Hebr. & Sept. *etiam ipſe*, qui ſcilicet ſemper idē eſt, fidelis, omnipotens, & ſeruos ſuos ſe inuocantes exaudiens. *Non quòd Deum putaret abſentem, ſed quòd præſentiam eius in beneficiis requirebat*, ait S. Ambr. in Pſal. 37. Vnde Chald. vertit: *ſuſcipe petitionem meam Domine Deus Eliæ etiam ipſe.* Hoc eſt primum Eliſei miraculum, ſcilicet quòd pallio Eliæ percutiens Iordanem, eum diuiſerit & ſicco pede tranſierit. Notanda pro, *etiam ipſe* Hebr. eſt אַף הוּא *aph hu*, quam vocem Hebræam retinent Sept. vertuntque ἀῶφω (quam proinde perperam Theodor. accipit vt græcam vertitque: *occultum*) quaſi illud ſit nomen proprium Dei. Dei enim nomen eſt illud:

Ipſe nomen Dei, ſed ficte qui eſt. *Ipſe eſt qui fecit nos, ipſe fecit cælum & terram, ipſe eſt Dominus Deus noſter.* הוּא hu enim deriuatur ab הָיָה *haia*, quare idem eſt quod *Iehoua*, ſiue ὁ ὤν, id eſt, *qui eſt*. Exodi 3. v. 6.

VERS. 19. AQVÆ PESSIMÆ SVNT ET TERRA STERILIS] quia ſcilicet terra hæc iuxta aquas peſſimas eſt ſita, vnde in Hebr. & Chald. eſt: *terra orbatrix*, ſiue *terra orbat*, vel perimit, ſcilicet ſemina in ſe iacta, per ſuam amaritiem vel putredinem. Quocirca ſanatis ab Eliſeo aquis, ſanata & fecundata pariter fuit terra: alioqui enim ager Ierichuntis erat fertilis & dives: tantùm ergo aqua falſuginoſa terræ ſibi vicinæ nocebat, eamque ſterilem reddebat. Porrò Ariſtot. in

A Polit. docet in fundandis vrbibus & domibus duo maximè eſſe ſpectanda, ſcilicet an aër ſit bonus, & aquæ ſalubres. aër enim in potu, & aër in reſpiratione penetrant intima hominis, itaque ea benè vel malè afficiunt, ac ſanitatem vel morbum mortemque conciliant.

APFERTE MIHI VAS NOVVM, ET MITTITE IN ILLVD SAL] Vaſis nouitas ſignificabat, per preces & merita Eliſei deinceps fore nouitatem aquarum & terræ, vt ex ſterili fieret fertilis. Quare videtur Eliſeus vas totum cum ſale in fontem immerſiſſe, vt aſſerit Ioſeph. S. Ambr. Beda, Angelom. & Euch. Vers. 20

EGRESSVS AD FONTEM AQVARVM, MISIT IN ILLVM SAL, ET AIT: HÆC DICIT DOMINVS: SANAVI AQVAS ISTAS] Videntur enim aquæ iſtæ, ſi non ſaſæ, certè putres & olidæ fuiſſe, ideoque conuenienter ſalem adhibuit, licet miraculo, aquarum tantum perpurgarit, & perpurgatas tam diu conſeruarit, vt art. c. 34. Sacræ Philoſ. Franc. Valleſius. Imitatur hoc Eccleſia in benedictione ſalis & aquæ, cùm benedicitur aqua luſtralis, dum orat vt aqua ſic benedicta, ſit ſalus mentis & corporis. Ita Abul. Vers. 21

FONTEM] Hinc patet non omnes aquas Ierichuntis fuiſſe prauas, ſed huius fontis dumtaxat, quem fusè deſcribit Ioſeph. multaque addit more ſuo amplificando, & Romanorum auribus accommodando. Audi eum lib. 5. de bello c. 4. *Hunc fontem aliquando ferunt non ſolùm terræ atque lignorum fructus, ſed etiam feminarum partum obtundere ſolitum, cunctaque pariter morbo ac peſte corrumpere. Poſteà vero manſuetuiſſe, contràque ſaluberrimum ac feracißimum eſſe factum ab Eliſeo quondam propheta: qui Eliæ notus fuerat atque ſucceſſerat. Receptus enim hoſpitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quòd humanores eos expertus erat, ipſos & omnem illam regionem perpetuâ gratiâ remuneratus eſt: progreſſusque ad fontem, lagenam fictilem ſale plenam in proſluentem aquam miſit. Iuxtà deinde ad cælum dextram tendens, fontique inuergens blanda libamina, ipſum quidem precabatur vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret. Deum verò, vt fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamque vbertatem fructuum quâ ſucceſſionem prolis daret indigenis, nec eos genitorum ſiliorum aqua deficeret, quoad iuſti manerent. Ad has preces ex diſciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutauit: & qui antea cauſa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor eſt effectus.* Et nonnullis interiectis: *Optimos autem in ea paradiſos ac denſißimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam ſapore quàm nominibus varia: quarum pinguißimæ calcibus preßæ plurimum mellis emittunt, non multùm alio melle deterius: quamquam & mellu altrix eſt illa regio, & opobalſami ferax, qui omnium cariſſimus eſt fructus ibi naſcentium; itemque cyprum & myrobolanum gignit: vi qui diuinum eſſe illum tractum dixerit, non errauerit, vbi & larga & optima generantur, quæ ſunt cariſßima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facilè toto orbe regio certauerit: adeò multiplicatum quod ſatium eſt, reddit. Cuius rei cauſa mihi videtur ißa aquarum vis lata & aëris calor.* Vbi ridiculè, ſi non impiè, Ioſeph. aſſerit Eliſeum precatum eſſe fontem & cælum vt mansuescerent & dulcescerent; nimirùm voluit ſe accommodare Romanis Gentilibus, qui ſuperſtitioſè fontes & cælum

lum precabantur, imò ſubinde vt numina adorabant. Porrò quod ait aquas has ſteriles feciſſe feminas, colligit ex textu Hebræo hîc, qui habet terram fuiſſe מְשַׁכֶּלֶת *meſcacheleth*, id eſt, *orbatricem*, quod directè de terræ fructibus dicitur. Ioſeph. autem idipſum extendit ad feminas, hæ enim propriè dicuntur orbæ dum filiis orbantur. Ioſephum ſecutus S. Ambr. ſerm. 2. de Eliſeo: *Videte*, ait, *quanta Eliſei ſint merita, cuius prima in ciuitate hoſpitalitas, magna eſt filiorum fœcunditas. Dum enim ſterilitatem auertit aquarum, ſucceßionem largitur heredum.* Cenſet ergo ipſe cum Ioſepho Eliſeum non tantùm terræ, ſed & feminis ſterilibus fœcunditatem dediſſe. Pergit Ambr. *Non enim hoc facto vnum Eliſeus ſanauit hominem, aut vnius domus præſtitit medicinam, ſed totius ciuitatis populum reparauit. Si enim tarditùs hoc feciſſet, interueniente ſterilitate, ſenescentibus cunctis ciuitas ſine habitatore remanſiſſet. Igitur Eliſeus dum curauit aquam, curauit & plebem: & dum fontem benedixit vndarum fontem quemdam indulſit animarum. Nam ſicut ſanctificatione eius, de occultis terræ venis aqua ſana produxit, ita de occultis vuluæ viſceribus ſoboles ſana proceſſit. Non enim ſola tantùm fluenta benedixit Eliſeus, quæ fontium iam gremio tenebantur, ſed & illa quæ humido terræ ſolo adhuc indiſcreta, paulatim erant in poſterum defluxura.*

Tropol. S. Ambr. ſerm. 87. qui eſt de Eliſeo, per ſal accipit Chriſtum & Apoſtolos, qui ſuo ſapientiæ ſale condierunt & fœcundum effecerunt totum orbem: *Sterilis ciuitas*, ait, *fuit Eccleſia ante Chriſti aduentum: at vbi venit Chriſtus velut vas fictile aſſumens corpus humanum, ſanauit aquarum vitia, id eſt reſecauit ſacrilegia populorum. Et ſtatim Eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fœcunda inſperſo ſale, id eſt Apoſtolis de quibus dicitur: Vos eſtis ſal terræ.* Sic & Beda in quæſt. qui per ſal accipit ſapientiam Chriſti: Eliſeus enim fuit typus Chriſti tam factis quàm nomine proprio. *Eliſeus* enim Hebr. idem eſt quod *ſalus Dei*, vel, *Deus Saluator*. ita ex Beda Eucher. & Angelom. Eliſeus, inquiunt, vaſi indidit ſal illudque in aquam immittens, itaque eam ſanans & fœcundans ſignificabat, quòd omnes aquæ, id eſt omnes populi, antea virtutibus ſteriles, per Chriſti incarnationem, fœcunditatem & benedictionem accepturi eſſent. Hinc in nomine *Eliſa*, id eſt *Eliſeus* continetur nomen IESV. *Eliſa*, enim idem eſt *El Ieſua*, id eſt *Deus*, vel *potens* (omnipotens) *Ieſus*. Paulò aliter S. Auguſt. lib. contra Fulgentium Donatiſtam non longè ante finem, per fontem Eliſei accipit Iordanem, in quo baptizatus Chriſtus aquas baptiſmi ſalutares effecit: *Eliſeus*, ait, *eſt Chriſtus Saluator, qui aquarum ſterilitatem, id eſt gentium infœcunditatem diſcuſſa morte ſanauit. Accepit vas fictile, hoc eſt corpus fragilitatis humanæ: ſal miſit, id eſt ſapientia diuina repleuit. In aquam proiecit, hoc eſt in Iordanem deſcendit: aquas ſuo deſcenſu ſanauit, id eſt gentes ſuo aduentu redemit, & maritante ſermone, Eccleſiam ex gentibus congregauit, & in fœtus vberes longè lateque diffudit.*

VERS. 23. ASCENDIT AVTEM INDE ELISEVS IN BETHEL] vbi Ieroboam rex alterum ex vitulis ſuis aureis quaſi idolum conſtituerat, vt contra illud depugnaret.

PVERI PARVI EGRESSI SVNT DE CIVITATE, ET ILLVDEBANT EI DICENTES:

A ASCENDE CALVE] Caluities eſt capitis depilatio, ideoque deformitas, ſicut eius pulchritudo & quaſi corona eſt cæſaries & coma, præſertim apud Syros & Palæſtinos, vbi, vtpote in regione calida & ſicca, plerique omnes comati ſunt, denſoſque & duros habent capillos. Vnde Ouidius: *Caluitiei vndæ.*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Et Ariſt. lib. 5. de gener. animal. aſſerit in homine idem eſſe calueſcere, quod in auibus deplumari, aut in arboribus frondes defluere. Hinc olim Romani ſeruis caput radebant; & Caligula Imper. ait Suetonius in eius vita c. 35. adoleſcentulos pulchros & comatos, quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpabat ad ludibrium. Ex aduerſo quantus capitis decor ſit coma, oſtendit S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 9. *Ipſe autem vertex*, inquit, *capitis quàm ſuauis & gratus! quàm ſpecioſa cæſaries, quàm reuerenda in ſenibus, quàm veneranda in ſacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adoleſcentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris!* Deindè addit, quod proximè Ariſtoteles: *Ex arboribus licet quæ humani ſit gratia capitis æſtimare. In capite arboris omnis eſt fructus; ibi omnis eſt pulchritudo: tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt.*

Hoc ergo puerorum in Eliſeum probrum & conuicium: *Aſcende calue*, partim Phyſicum eſt partim Ethicum. Phyſicum, quia exprobrant ei vitium naturæ; putà caluitiem; Ethicum, quia tacitè exprobrant ei libidinem. Caluitium. Calui luxurioſi. Calui enim à multis habentur luxurioſi. Vnde illud Iuuenalis Satyra 4. de Domitiano Imper. luxurioſo & crudeli:

Cùm iam ſemianimum laceraret Flauius orbem,
Vltimus, & caluo ſeruiret Roma Neroni.

& illud Suetonij de Iulio Cæſare: *Vrbani ſeruate vxores, mœchum caluum deducimus.* Imò Plinius & Ariſtoteles propriâ caluitiei cauſam aſſignant libidinem. Plinius enim lib. 11. c. 37. ſic ait: *Deſtuium eorum* (pilorum) *in muliere rarum, in ſpadonibus non viſum, nec in vllo ante Veneris vſum.* Idem tamen ibidem ait: *Quædam animalia naturaliter caluent, ſicut ſiruthio, cameli, & cerui aquatici.* Ariſt. lib. 5. de gener. anim. c. 3. *Nemo*, inquit, *antequam coire incipiat, calueſcit; ſed à venereo coitu potiùs euenit, ſcilicet iis, qui ſua natura ſunt eò propenſiores.* Cauſam ſubdit: *Cùm enim cerebrum frigidißimum omnium corporis partium ſit, tum rei venereæ vſus refrigerat, quo ſit vt calor cerebro ad producendos in capite pilos deficiat, itaque fiat caluities.* Et mox: *qui ſemen ferunt, ea ipſa ætate calueſcunt, qua ſemen emittunt.* Verùm hi authores ſic explicandi ſunt, quòd velint caluitiem in multis orirì ex nimia venere, non tamen in omnibus: rursùs quòd proni in venerem citiùs caluescant quàm alij. Inſuper quòd nemo caluescat antequam potens ſit ſemen emittere, hoc eſt ante pubertatem. Sic Ariſtotelem explicat Cardanus lib. 4. de ſanitate tuenda c. 15. Nam etiam caſtos caluescere patet experientia, vt Eliſeus fuit caluus, quem tamen S. Ignatius Epiſt. ad Philadelp. virginibus annumerat. Alloquès enim virgines ſic ait: *Virgines ſolum Chriſtum præ oculis habete, & eius patrem in animabus veſtris, illuminatæ à Spiritu ſancto. Memor ſum ſanctitatis veſtræ ſicut Eliæ, ſicut Ieſu Naue, ſicut Melchiſedec, ſicut Eliſei,* *Caſti quaſi ſunt.* *que caluæ*

Eliſei, ſicut Ieremiæ, ſicut Ioannis Baptiſtæ, ſicut dilectiſſimi diſcipuli (S. Ioannis) ſicut Timothei, ſicut Titi, ſicut Euodij, ſicut Clementis, & eorum qui in caſtitate de vita exierunt; non detracto autem cæteris beatis qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc non memini. Auicenna docet caluitiem in nonnullis eſſe hæreditariam affectionem, ideoque calueſcere, quia à caluis progeniti ſunt; ſicut vice versâ Æthiopes & ab eis progeniti, ob magnum calorem vix caluescunt. Sic conſtat alios ſenio, alios morbo, alios continuo intenſoque ſtudio, alios profundâ meditatione &c. hæc enim cerebrum deſiccant & debilitant, caluescere. Variis enim ex cauſis poteſt caput infrigidari, cerebrum debilitari & contrahi, ac cranium capitis ſiccitate durari, quæ tres ſunt caluitiei cauſæ, vt docet Ariſt. Galenus 14. Meth. c. 18. cæterique medici. Vnde S. Thomas Aquinas ex parte fuit caluus ob continuum contentumque ſtudium, qui tamen perpetim fuit virgo, imò virginitatis zona ab Angelis cinctus, vt habet eius vita. Porrò alij priſci & moderni caluitiem æquè ac canitiem non probrum ſed decus ſenectutis æſtimant, imò caluos olim habitos fuiſſe pulchros, quaſi lunæ ſplendenti ſimiles, ideoque eos à luna adamari docet vetus ille verſus:

Caluis ſimiles lunæ.

Mauors imberbes, & caluos luna adamaſti.

Idem docet Lucian. cuius verba recitat Robertus Titius lib. 3. controuerſ. c. 17. Lucianus enim agens de hominibus, qui fabulosè in luna habitare dicuntur: *Pulcher*, inquit, *apud illos habetur caluus, & ſine coma: comatos autem abominantur. Apud eos verò, qui cometas inhabitant ſtellas, comati contrà formoſi habentur.* Vnde etiam factum puto, vt calui à Syneſio *lunulæ* nuncupentur: niſi ſi quis malit huius appellationis cauſam ad ſplendorem cranij depilis referre, quod lucet inſtar lunæ: certè de Hocrate dicterium commemoratur, quòd per caluam eius cerebrum eluceret: Valerius quidem Maximus de Aeſchylo poeta loquens ait: *In Sicilia mœnibus vrbis, in qua morabatur, egreſſus aprico in loco reſedit: ſuper quem aquila teſtudinem ferens, eluſa ſplendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde, atque lapidi eam illiſit.* Itaque Petronius arbiter epigrammate quodam caluarram ridere dixit, id eſt ſplendeſcere; id enim interdum ſignificat vox illa, ſicut apud Horatium, *Ridet argento domus.* Denique Nicetas Chonates agens de Duca: *Cæterùm Ducas*, inquit, *cuius ante meminimus, illi aſtans, detracto capite pileo, orabat, vt ſibi diadema imponeretur caluitio oſtenſo, quod inſtar plena lunæ relucebat.*

Nazarei vaſi q. calui.

Denique nonnulli putant Eliſeum non natura vel ætate & ſenio, ſed pro religioſorum & Nazaræorum ritu caput raſiſſe, ideoque fuiſſe caluum, id eſt raſum. Sicut illius illorumque veterum exemplo in noua lege Pontifices, Sacerdotes & monachi per tonſuram Eccleſiaſticam orbiculariter raſo, & quaſi caluo ſunt capite, tum vt Chriſti coronam ſpineam repræſentent, tum vt mundo valedicentes, totos ſe Deo dedicent, vti olim fecêre Nazaræi: ab eis enim tonſuram hanc acceptam eſſe tradit S. Iſidor. lib. de diuin. officiis in conc. Aquiſgran. c. 1. quem audi: *Tonſuræ Eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis, ni fallor, exortus eſt: qui priùs crine ſeruato, denùò poſt vita magnam continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazarai, id eſt Sancti Dei, crine præciſo innouentur. Hoc quoque & Ezechiel propheta iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum, & duces ſuper caput tuum & barbam. Videlicet quia ipſe Sacerdotali gerere Deo in miniſterio ſacrificationis ſeruiebat. Hoc & Nazaræos Priſcillam & Aquilam in actis Apoſtolorum primos feciſſe legimus; Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam diſcipulorum Chriſti, qui huiuſmodi cultu imitandi extiterunt. Eſt autem clericis tonſura ſignum quoddam quod in corpore figuratur, & in anima agitur: ſcilicet vt hoc ſigno & religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atq; inde innouatis ſenſibus, vt comis rudibus, emineſcamus, exſpoliantes nos, iuxta Apoſtolum, veterem hominem cum actis ſuis, induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei; quam renouationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, vbi ipſa mens noſcitur habitare. Quòd vero detonſo capite ſupereſſe, inſertis circuli corona relinquitur; ſacerdotium regnumq; Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari.*

Ab eis tonſura religioſorum.

Quare ſicut hæretici iam Sacerdotes & monachos irrident, vocantque raſos & caluos, iuxta illud vnius ex ipſis: *Turba Sacerdotum vertice raſa caput:* ſic quoque hi pueri à parentibus hæreticis & idololatris inſtructi, videntur Eliſeum eiuſque diſcipulos Nazaræos, indeque eremitas ideoque capite tonſos & raſos per ludibrium vocaſſe, caluos. Hi enim pueri erant Bethelitarum idololatrarum, vitulum aureum colentium filij, teſte S. Aug. cuius verba mox citabo. Eliſeo ergo quaſi viro religioſo illudentes ſuccłamarunt: *Aſcende calue*, ſcilicet in montem noſtræ vrbis Bethel, aut etiam, aſcende in aërem, vti aſcendit magiſter tuus Elias, q. d. rapiat & auferat te malus aliquis genius in auras, vti abſtulit Eliam magiſtrum tuum: ſequere diſcipulus magiſtrum, vt nobis deſinas eſſe moleſtus; nec amplius nos obſcultum vituli aurei caſtiges & obiurges. Ita S. Iuſtin. in q. 80. ad Orthodoxos: *Præſcindenda*, inquit, *per detractionem Eliæ aſſumptionis gratia proferebant, perinde ac ſi dicerent: Abripiat te quoque ſpiritus, & in ea montium inuia & inacceſſa abiiciat, quemadmodum illum abiecit, vt itidem à te liberemur, ſicut ab illo liberati ſumus.*

Porrò vocantur hi pueri parui, quia non erant adoleſcentes, ſed pueri nouem vel decem annorum, ideoque doli & culpæ capaces, vt patet tum ex ipſa petulanti & maledica irriſione, tum ex eius acerrima punitione.

Alleg. Iudæi Chriſto à ſe depilato, & corona ſpinea coronato illuſerunt dicentes: Aſcende in crucem. Vnde S. Bern. ſerm. 1. ad milites templi c. 1. ait: *Aſcendit itaq; crucem caluus noſter, mundo pro mundo expoſitus: & reuelata facie ac diſcooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probroſa & auſtera mortis tam non erubuit ignominiam, quàm nec pœnam exhorruit, vt nos ab opprobrio ſempiterno eriperet, reſtitueret gloriæ. Nec mirum; quid enim erubeſceret, qui ita lauit nos à peccatis, non quidem vt aqua diluens, & retinens ſordes; ſed veluti ſolis radius deſiccans & retinens puritatem? Eſt quippe*

Deus

Dei ſapientia vbique attingens propter munditiam ſuam.

Vrſa, ait, *partus ſuos* (lambendo) *ad ſui effingiem ſimilitudinem, tu filios tuos inſtruere ſimiles tui non potes?*

Eliſeus typus Chriſti crucifixi.

Alleg. Abul. Serar. & alij paſſim, Eliſeus inquiunt, aſcendens in montem, eſt Chriſtus montem Caluariæ aſcendens, ibique crucifixus: illuſerunt ei 42. pueri, id eſt Iudæi dicentes: *Si tu es Chriſtus Dei Filius, deſcende de cruce.* Maledixit eis Chriſtus ordinando eis in pœnam, excidium Ieruſalem, vt ſcilicet poſt quadraginta annos ab aſcenſu ſuo in *Bethel*, id eſt *in domum Dei*, puta in cælum, de ſylua gentium venirent duo vrſi, ſcilicet Titus & Veſpaſianus, qui eos lacerarent & perderent. ita Angelom. Eucher. Beda, Rupert. & S. Hier. in tit. Pſal. 46. *Eliſeus*, ait, *figuram Chriſti tenet: pueri, Iudæorum, qui dixerunt: Aue rex Iudæorum: vrſi propriè dæmones intelliguntur: quia deuorauerunt corda illorum*, ideoq; *Pſal. ille inſcribitur pro filiis Core, qui ſunt filij Calui.* Et S. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum c. 35. *Eliſeus*, ait, *pueros inſultantes & clamantes: Calue, calue, beſtia comedunt: pueruli ſtultitia deridentes Chriſtum, in loco Caluariæ crucifixum, imaſi à dæmonibus pereunt.*

Tropol. Origen. homil. 4. in Ezech. per duos vrſos accipit dæmones & beſtias vitiorum, quæ in animam peccatricem immittuntur. Denique Marcion hæreſiarcha, vt probaret Moyſen Chriſto, & vetus teſtamentum nouo contrarium, illudque à malo & crudeli Deo, hoc à bono & benigno editum: Chriſtus, inquit, iubet nos eſſe vt paruulos; at verò Deus ille vetus immiſit vrſos in paruulos Eliſeum irridentes. Hic ergo illi eſt contrarius. Reſp. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 23. *Satis impudens Antitheſis, cùm tam diuerſa committit, paruulos & pueros, innocentem adhuc ætatem, & iudicii iam capacem, qua conuiciari poterat, ne dicam blaſphemare. Quia ergo iuſtus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens maiori ætati honorem, & vtique magis à minore. Quia verò bonus, adeò diligit paruulos, vt apud Aegyptum benefecerit obſtetricibus protegentibus partus Hebræos, periclitantes edicto Pharaonis. Ita & hac affectio Chriſti, cum creatore eſt.*

Iuſtus maledixit pueris. Cur? Cauſa prima.

Secunda.

Iuſtus.

LEVIT. 22. QVI CVM RESPEXISSET, VIDIT EOS, ET MALEDIXIT EIS IN NOMINE DOMINI] id eſt imprecatus eſt eis à Deo iuſtam punitionem & vindictam. Fecit hoc Eliſeus ex iuſto religionis zelo, primò quia dum ſeruì & prophetæ Dei irridentur, Deus ipſe irridetur. ita S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 4. Secundò, magis parentes, quàm pueros punire voluit; parentes enim idololatræ pueris inſtillabant ſuam idololatriam, & contemptum veri Dei, eiuſque prophetarum. Nam vt ait S. Auguſt. ſerm. 204. de Temp. *Rem parentibus inſtigantibus feciſſe pueri contumelioſi credendi ſunt. Neque enim illi clamarent, ſi parentibus diſpliceret.* & S. Iuſtin. q. 80. citata: *Deus*, ait, *puerorum clade parentes flagellauit, ac ſimul poſteros monuit vt in vero Dei cultu, modeſtia & probitate filios ſuos educent, ne ſimiliter caſtigentur.* Vnde S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 18. narrat paruulum quemdam blaſphemare ſolitum è ſinu patris à dæmonibus abreptum: *quatenus*, inquit, *reatum ſium pater eius agnoſceret, qui paruuli filii animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriuiſſet.* Addit auctor mirabil. S. Script. lib. 2. c. 22. fortè pueros iſtos à parentibus vitulo aureo & idolis fuiſſe conſecratos. Tertiò, Eliſeus bene conſuluit pueris; effecit enim ne impunitate deteriores fierent, ait Theodor. q. 13. ſi enim diutiùs vixiſſent, ſceleratiores & idololatræ parentum doctrina & exemplo euaſiſſent, ideoque grauiùs damnandi.

Tertiò.

EGRESSIQVE SVNT DVO VRSI DE SALTV, ET LACERAVERVNT EX EIS QVADRAGINTA DVOS PVEROS] Appoſitè vrſos immiſit Deus ad deuorandos pueros ante ora patrũ, vt quos ad informandos pueros imitari neglexerant, eoſdem experirentur in illorum internecione lictores. Oſtendit enim hoſce parentes qui in formandis filiis fuerant ſocordes, imò impii, vrſis eſſe peiores. Vrſi enim informes fœtus ſuos lambendò formant & figurant, teſte Plinio lib. 8. cap. 36. & lib. 10. c. 63. Vnde S. Ambr.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliſeus exercitui regis Iſrael ſiti laboranti dat aquam, & victoriam contra Moab. Vnde v. 26. rex Moab vndique circumſeſſus filium ſuum immolat: quare rex Iſrael indignans ab eo recedit.

1. IOram verò filius Achab regnauit ſuper Iſrael in Samaria anno decimo-octauo Ioſaphat regis Iudæ. Regnauitque duodecim annis. 2. Et fecit malum coram Domino, ſed non ſicut pater ſuus & mater: tulit enim ſtatuas Baal, quas fecerat pater eius. 3. Verumtamen in peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, adhæſit, nec receſſit ab eis. 4. Porrò Meſa rex Moab, nutriebat pecora multa, & ſoluebat regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus ſuis. 5. Cumque mortuus fuiſſet Achab, præuaricatus eſt fœdus, quod habebat cum rege Iſrael. 6. Egreſſus eſt igitur rex Ioram in die illa de Samaria, & recenſuit vniuerſum Iſrael. 7. Miſitque ad Ioſaphat regem Iuda, dicens: Rex Moab receſſit à me, veni mecum contra eum ad

prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui. 8. Dixitque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. 9. Perrexerunt igitur rex Israel, & rex Iuda, & rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, & iumentis quæ sequebantur eos. 10. Dixitque rex Israel: Heu, heu, heu, congregauit nos Dominus tres reges, vt traderet in manus Moab. 11. Et ait Iosaphat: est ne hîc propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum? Et respondit vnus de seruis regis Israel: Est hîc Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. 12. Et ait Iosaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditq; ad eum rex Israel, & Iosaphat rex Iuda, & rex Edom. 13. Dixit autem Eliseus ad regem Israel: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Israel: Quare congregauit Dominus tres reges hos, vt traderet eos in manus Moab? 14. Dixitque ad eum Eliseus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. 15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: 16. Hæc dicit Dominus: Facite alueum torrentis huius fossas & fossas. 17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra. 18. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. 19. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus. 20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta est terra aquis. 21. Vniuersi autem Moabitæ, audientes quòd ascendissent reges vt pugnarent aduersum eos, conuocauerunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis. 22. Primoque manè surgentes, & orto iam sole ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ e contrà aquas rubras quasi sanguinem, 23. dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuò; nunc perge ad prædam Moab. 24. Perrexeruntque in castra Israel: porrò consurgens Israel, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab, 25. & ciuitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleuerunt: & vniuersos fontes aquarum obturauerunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita vt muri tantùm fictiles remanerent: & circumdata est ciuitas à fundibulariis, & magna ex parte percussa. 26. Quod cùm vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, vt irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt. 27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram suam.

VERS. 1. IORAM VERO FILIVS ACHAB REGNAVIT SVPER ISRAEL IN SAMARIA ANNO DECIMO OCTAVO IOSAPHAT REGIS IVDA] Dices, hic versus pugnare videtur cum v. 17. cap. 1. vbi dicitur Ioram rex Israel cœpisse regnare anno secundo Ioram filii Iosaphat, qui vtique post patrem Iosaphat regnauit: quomodo ergo hîc dicitur cœpisse regnare anno 18. Iosaphat? Resp. Ioram in Iuda regnare cœpisse cum patre Iosaphat anno 17. regni eius: quare annis 18. Iosaphat fuit annus secundus regni Ioram filii eius, quo Ioram filius Achab cœpit regnare in Israel. Iosaphat enim pergès ad bellum cum Achab contra Syros, vt dictum est cap. vlt. lib. 3. surrogauit sibi filium Ioram, eumque constituit regem in Iuda, tum ne se absente regnum destitueretur rege, tum ne careret successore, si contigisset ipsum in bello mori, vti sæpe fit. ita Abulens. Caiet. Salian. & alii. B

Disputat hîc Abul. q. 21. an deceat religiosos qualis erat Eliseus, in aulis Principum versari, ac respondet decere si sint magnæ solidæque prudentiæ & virtutis, vti erant Elias & Eliseus, quos Deus ad reges mittebat, vt eos in Dei cultu erudirent, vitia castigarent, sana consilia suggererent. Sic Plutarch. scripsit libellum hoc titulo: *Maximè cum principibus viris philosopho esse disputandum.* Vnde Pericles vsus est Anaxagorâ, Dionysius Tyrannus Siciliæ Platone, Pythagora Principes Italiæ, Cato Athenodoro, Scipio Panætio. Cetcrùm ad castra magis religiosos probatæ virtutis mitti expedit, vt milites instruant, coerceant, sacramenta ministrent; vnde multi militum per eos saluantur, qui sine eis damnarentur, vt patet ex missionibus castrensibus in Belgio, Germania, Italia, Gallia, &c. Adde religiosorum exempla sanctitatis, preces & sacrificia multùm prodesse exercitibus, vti profuit hîc Eliseus.

Cetcrùm

Ceterùm Religiosi, qui honoris, libertatis vel vanitatis causa aulas ambiunt, ram aulas quàm seipsos perdunt, ac religionum superioribus magnas creant molestias, vt satius esset eos esse sæculares, quàm religiosos, vt experientia docet. A

VERS. 2. TVLIT ENIM STATVAS BAAL] scilicet abstulit & remouit è Samaria, & regno Israel idola & cultum Baal; quia viderat patrem suum Achab ob eius cultum in prælio cæsum.

VERS. 3. VERVMTAMEN IN SECTATIS IEROBOAM &c. ADHÆSIT] colendo vitulos aureos à Ieroboam erectos, & populum ad eorum cultum impellendo, ne à se deficeret ad Iosaphat regem Iuda, si Ierosolymam eius metropolim adcolendum verum Deum in templo adiret. Magna fuit regum Israel iudicij peruersitas, cæcitas & obstinatio in sustinendis hisce vitulorum idolis, ideoque omnes perierunt & excisi sunt.

VERS. 5. CVMQVE MORTVVS FVISSET ACHAB, PRÆVARICATVS EST REGDVS] hoc est, rex Moab rebellauit, vt vertit Chald. Ioramo regi Israel, eique solitum tributum negauit: quia eum ob iuuenturem, & ob cæsum in prælio Achab patrem contempsit.

VERS. 8. PER DESERTVM IDVMÆÆ] Imprudens fuit hoc responsum & consilium. *Desertum* enim est locus aridus, vbi desunt aquæ pro tantis copiis, quantæ erant in tribus exercitibus, scilicet regis Iuda, regis Israel, & regis Edom: vnde milites mox siti laborarunt & defecerunt, vt sequitur. Permisit id Deus, vt puniret Ioram regem Israel idololatram, vtque viam sterneret ad miraculum abundantiæ aquarum dandæ per se & Eliseum; vt ex eo rex agnosceret se esse verum Deum, ac idola vitulorum abdicaret. C

VERS. 11. EST HIC ELISEVS, &c. QVI FVNDEBAT AQVAM SVPER MANVS ELIÆ] id est qui Eliæ quasi minister seruiebat: ministrorum enim est, fundere aquas super manus dominorum, cùm eas manè vel ante prandium abluunt.

VERS. 13. QVID MIHI ET TIBI EST?] q. d. Quæ mihi societas vel communio est tecum? Tu enim colis vitulos aureos, ego verò verum Deum. *Vade* ergo *ad prophetas patris tui*, puta sacerdotes & cultores vitulorum, quos hucusque in consilium adhibuisti: illos etiam nunc consule, cùm tibi oraculum & consilium in rebus naturaliter desperatis dare non poterunt; vnde in iis confugis ad me & ad Deum verum, quem hucusque spreuisti. Mira fuit hîc dicendi & regem arguendi libertas in Eliseo, digna tanto propheta, & viris Apostolicis imitanda, cùm ab hæreticis principibus ad temporalia commoda euocantur. Vide hac de re exempla Mosis, Eliæ, Pauli, aliorumque quæ recensct S. Greg. 7. Mor. 15. D

VERS. 14. VIVIT DOMINVS (id est iuro per Dominũ) IN CVIVS CONSPECTV STO (quem vt mihi præsentem semper in mente habeo, reuereor, colo & amo æquè, ac magister meus Elias, à quo hoc didici) QVOD SI NON VVLTVM IOSAPHAT REGIS IVDA (qui mecum Deum verum colit) ERVBESCEREM, NON ATTENDISSEM QVIDEM TE, NEC RESPEXISSEM] sed despexissem, nec te dignatus essem responso, multò minùs oraculo, quia in Deum meum negligis & despicis. Qui enim Deum habet præsentem, nullius præsentiam timet aut curat. Quocirca Sextus Philosophus in sententiis (quæ falsò Sixti Pontif. nomine impressæ extant) num. 293. *Ad omnia quæ agis*, inquit, *Deum inuoca testem.* & num. 278. *Exordium in agendo à Deo sume. Ore autem prius Deum habeto & mente, quàm respires.* Et num. 277. *Sapientum animæ insatiabiles sunt in amore Dei.* Et num. 304. *Particeps Dei est vir sapiens.* Et num. 430. *Sapiens mens speculum est Dei.* Et num. 368. *Optime honorat Deum, qui mentem, quoad potest, similem Deo facit.*

VERS. 15. NVNC AVTEM (in honorem & auxilium fidelis piique regis Iosaphat) ADDVCITE MIHI PSALTEM] qui instrumentum musicum manu pulset (hunc enim significat Hebr. נגן menaggen) vnde Chald. vertit: *adducite mihi virum qui norit psallere cithara.* Iussit Eliseus *psaltem* psallere, vt sono suaui & harmonia Musices, animum nonnihil indignatione in regem Israel commotum colligeret, sedaret, eumque in Deum orando sustolleret, & ad recipiendam à Deo prophetiam disponeret. Fuit enim hic Psaltes Leuita, ait Theodr. qui Psalmos pios à Dauide compositos psallere solebat. ita Ruper. Abul. & alij. Audi S. Greg. hom. 1. in Ezech. *Cùm eum* (Eliseum) *Iosaphat de futuris requireret, & prophetiæ ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, vt prophetia ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius animum de venturis repleret. Vox enim psalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, vt intentæ menti vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.* Sic S. Franciscus audiens harmoniam lyræ mente in Deum sustollebatur. Idem de se fatetur S. Augustin. in Confession. dum audiret psalmodiam. B

CVMQVE CANERET PSALTES, FACTA EST SVPER EVM MANVS (id est operatio & illustratio) DOMINI] q. d. canente & personante psalte, Deus Eliseimentem illustrauit, eique futura reuelauit, ac aquam victoriamque promisit. Sic sæpe de Ezech. & aliis prophetis, dum prophetant, dicitur: *facta est super eum manus Domini*, hoc est Deus ei lumen propheticum indidit.

FACITE ALVEVM TORRENTIS HVIVS FOSSAS ET FOSSAS] q. d. facite multas & profundas fossas in alueo huius torrentis, vt iis excipiatis copiam aquarum, quam Deus mox daturus est vobis.

FACTVM EST IGITVR MANE QVANDO SACRIFICIVM OFFERRI SOLET] vt intelligamus ait Caiet. virturem sacrificij matutini, quod iugiter ex lege manè Deo offerebat Iosaphat in templo, cooperatam esse ad hoc miraculum.

ET ECCE AQVÆ (adductæ per Angelos) VENIEBANT PER VIAM EDOM] in castra Iosaphat & regum sociorum, vt ex iis sitim restinguerent.

PRIMOQVE MANE SVRGENTES, ET ORTO IAM SOLE EX ADVERSO AQVARVM, VIDERVNT MOABITÆ E CONTRA AQVAS RV-

Corn. in lib. Regum.

RAE, QVASI SANGVINEM] ex reflexione ra- A diorum solis matutini, qui ob vapores nocturnos, per quos transpartebant, rubri videbantur, sicut iidem rubri videntur, cùm transeunt per vitrum rubrum : rubri quoque nobis apparent] cùm è nube vel terra ad oculum repercutiuntur. Hæc enim est ratio optica, vt patet ex perspectiua & ex quotidiana experientia. Vnde Hebr. est : *Sol illuminauit super aquas, & viderunt aquas rubras.* & Ioseph. *aqua*, inquit, *videbantur rubra eò quòd illo tempore* (mane) *maximè aqua radiis solis icta rutilat.* Non ergo verè rubræ erant aquæ, sed ob radiorum reflexionem rubræ apparebant, ita Abul. & alij. Porrò hac aquarum rubedine decepti Moabitæ, putarunt illas sanguine hostium inter se dimicantium rubricari, ideoque in eos irruentes ab eis cæsi sunt ad internecionem.

VERS. 25. ITA VT MVRI TANTVM FICTILES REMANERENT] Hebr. est : *Donec dimitterent lateres eius in pariete charesseth*, id est *fictilis*, siue lateritio, scilicet ex lateribus fabricato. ita Sept. Pagn. & alij. Secundò, Rabbini & Vatab. vertunt : *Dum taxat in Kir Haresch reliquos fecerunt lapides eius*, quasi *Kir Haresch* fuerit primaria ciuitas Moab, quæque lateritios habebat muros, ad quam proindè ceteris omnibus ab Hebræis vastatis, rex Moab cum suis profugerat ; vnde de ea mox subdit : *Et circumdata est ciuitas à fundibularijs* ; vtraque ergo versio consonat, vtraque vera est, vt dixi Isaiæ 16. 7. Et Ierem. 48. 31. B

VERS. 27. ARRIPIENSQVE FILIVM SVVM PRIMOGENITVM &c. OBTVLIT HOLOCAVSTVM SVPER MVRVM] tum vt Dij placati hoc tam dilecto & insigni holocausto tutarentur murum, tum vt Israelitis murum obsidentibus commiserationem moueret, dum viderent regem, ad tantas angustias redactum, vt filium suum primogenitum immolaret, itaque eum obsidere, & persequi desinerent, eoque relicto domum rediret, vti & fecerunt. Hoc etiam in extremis angustiis facere solitos reges Phœnicum, vt rem dilectissimam, scilicet filium, Deo suo sacrificarent, tradit Porphyr. apud Euseb. lib. 4. de Præpar. c. 7. *Phœnices*, inquit, *vbi grauiùs siue bello siue fame, siue etiam æstu laborarent, necessariorũ suorum aliquem Saturno cõmunibus addictũ suffragiis immolabant : cuiusmodi exemplorũ plena est Phœnicũ historia, quam Phœnicia lingua Sanchoniatho conscripsit* &c. ita Ioseph. Theod. Procop. Abul. & alij. C

Porrò R. Salomon & cum eo alij nonnulli בנו *beno*, id est *filium suum*, vertentes : *filium eius*, regis Edom scilicet, fabulantur regem Moab erumpentem ex vrbe cum 700. viris filium regis Edom cepisse, eumque in vrbem captiuum duxisse. Quare regem Edom, vt filium liberaret, obsidionem deseruisse, ac indignatum regi Israel obsidionem pertinaciùs vigenti ab eo recessisse. Eo verò abeunte, regem Moab filium eius captiuum super murum mactasse & immolasse. Verùm hoc non habet speciem verisimilitudinis. D

ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL, STATIMQVE RECESSERVNT AB EO] q. d. Israelitæ indignari sunt ob tam crudele & indignum facinus, quòd scilicet rex Moab filium suum immolasset, ideoque misereri sunt eius, cùm viderent eum ad tantam necessitatem & miseriam redactum, vt filium suum immolaret. ita Ioseph. *Reges verò*, inquit, *hoc viso, tantam necessitatem miserati, & humanarum vicissitudinum memores, soluta obsidione domum quisque suam reuersi sunt.* Eum secutus Theodor. *Cùm Moabitæ*, inquit, *funditùs de medio tollerentur, tentauit quidem fugere vex eorum. Postquàm autem valida, & strenua cohors ei non permisit, filium primogenitum & regni successorem, in quadam turre obtulit in holocaustum. Hæc cùm conspexisset multitudo hostium, miserata est casum illum, & soluit obsidionem.* ita quoque Abul. Serar. Vatab. Sanian. & alij. Quocirca Moabitæ postmodùm ossa regis Idumææ exhumarunt & incenderunt (eò quòd ipse regem eorum ad immolandum filium suum compulisset) vt ait Amos c. 2. 1. Vide ibi dicta. Audi nunc aliorum sententias. Primò R. Salomon & ex eo Lyran. censent regem Moab Deum verum in tanta necessitate inuocasse eique sacrificasse, eò quòd nec homines nec Dij eum ex illa eripere possent, ad illudque impulsum fuisse exemplo Abrahæ, qui immolare volens Isaac filium Deo, mire illi placuit, magnaque ab eo dona recepit. Verùm Abraham id fecit iussu Dei, sine quo id fuisset illicitum, imò homicidium & parricidium. ita Abul. & Burgensis. Adde, rex Moab non colebat Deum verum, sed idola, id est dæmonem qui eum impellebat ad hoc scelus ; dæmon enim humano sanguine sibi litato delectatur, eumque à suis cultoribus exigit, ideoque eis persuadet se, cùm offensus est, talibus hostiis placari, & inductas calamitates auertere, ac perata bona largiri.

Secundò Burgensis ait, regem Moab consuluisse suos sacerdotes, cur Hebræi adeò fortes forent & felices, illosque respondisse, eò quòd ipsi colerent Deum Moloch, illique suos filios immolarent & concremarent : regem ergo voluisse eos imitari, & Deum simili filij victima in tantis angustiis sibi conciliare. Verùm Moloch erat Deus Ammonitarum, Moabitarum verò erat Chamos, quem sacerdotes regi Moab, vt proprium & domesticum commendasse, non est dubium. Addit Burgen. indignationem magnam, cuius hîc fit mentio, non fuisse hominum, putà Israelitarum sed Dei : Deus enim, inquit, indignabatur Israelitis, quòd ipsi immolando filios idolo Moloch, Moabitis dedissent exemplum idem faciendi. sic & Lyran. indignationem Dei accipit, non Israelitarum. Aut enim Deum indignatum Hebræis eò quòd Angelus ei repræsentaret peccata Hebræorum, eaque grauiora esse ostenderet sceleribus Moabitarum. Idcircò Deum immisisse pestem in castra Hebræorum, vt coacti fuerint deserere obsidionẽ vrbis Moab.

Tertiò, Caiet. & ex eo Pererius in cap. 22. Genes. n. 105. indignationẽ Israelitarum contra se inuicem intelligit, & eius causam & modum sic explicat : Quia, inquit, causa iræ narratur holocaustũ primogeniti regis, & effectus illius, narratur recessus ab oppugnatione regis Moab : intelligere licet, Israelitas idololatras, viso illo holocausto, cooperante diabolo, magni pendisse illud, & desperasse de victoria aduersùs regem, munitum præsidio tanti holocausti. Quocircà commoti sunt ad iram, contra Israelitas

litas volentes persistere in bello : denique magnitudo iræ vicit, & fecit recessum à bello. intellige tamen recessum hunc esse factum, renouatu fœdere cum rege Moab de tributo dando regi Israel ; ita vt finem suscepti belli recessus non abstulerit. A

Hæc sententia duabus prioribus est verisimilior, sed prima, quam initio assignaui, est verisimillima.

Denique sacrilegum & execrabilem hunc filios in graui calamitate immolandi ritum imitari sunt Carthaginenses, vtpote à Phœnicibus (quorum hic ritus fuit proprius, vt paulò antè dixi) oriundi. Carthago enim fuit Tyriorum colonia. Audi Q. Curtium lib. 4. *Sacrum multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erat, vt ingenuus puer Saturno immolaretur : quod sacrilegium veriùs quàm sacrum Carthaginenses à conditoribus traditum, vsque ad excidium vrbis suæ fecisse dicuntur.* Et Diodorus lib. 20. historiæ de Carthaginensibus loquens sic ait : *Dicebant autem Saturnum illis iratum fuisse, quoniam prius ipsi excellentiores ex filiis suis sacrificabant. Postea verò clàm empti infantibus, atque educati, liberorum loco immolabant.* Vnde Imilcè Hannibalis vxor, cùm Aspar filius eius esset mactandus, apud Silium Italicum in calce lib. 4. Punicorum sic lamentatur.

Sit satis ante aras cæsos vidisse iuuencos,
Aut si velle nefas superis fixumq; sedebat,
Me me, quæ genui, vestris absumite votis,
Cur spoliare iuuat Lybicas hac indole gentes?

Porrò in sacrilegium & parricidale hoc sacrificium detonant Patres, vt Tertul. Apolog. c. 9. Cyril. lib. 4. contra Iulian. Lactan. lib. 1. de falsa religione c. 21. S. August. lib. 7. de Ciuitat. cap. 19. Theodor. lib. 7. de Prouidentia.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus primò viduæ pauperi oleum multiplicat. 2. vers. 8. Sunamitidi hospitæ suæ sterili filium impetrat, eumq; mortuum ad vitam reuocat. 3. vers. 38. ollam colocynthidarum amarissimam iniecta farina dulcorat. 4. vers. 42. panes per miraculum multiplicat, vt centum viris sufficiant.

1. MVlier autem quædam de vxoribus propheratum clamabat ad Eliseum, dicens : Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Dominum : & ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. 2. Cui dixit Eliseus : Quid vis vt faciam tibi ? Die mihi, quid habes in domo tua ? At illa respondit : Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar. 3. Cui ait : Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. 4. Et ingredere, & claude ostium tuum, cùm intrinsecus fueris tu, & filij tui : & mitte inde in omnia vasa hæc : & cùm plena fuerint, tolles. 5. Iuit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos : illi offerebant vasa, & illa infundebat. 6. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum : Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit : Non habeo. Stetitque oleum. 7. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille : vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo : tu autem, & filij tui viuite de reliquo. 8. Facta est autem quædam dies, & transibat Eliseus per Sunam : erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum vt comederet panem : cumque frequenter inde transiret, diuertebat ad eam vt comederet panem. 9. Quæ dixit ad virum suum : Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. 10. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam & candelabrum, vt cùm venerit ad nos, maneat ibi. 11. Facta est ergo dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi. 12. Dixitque ad Giezi puerum suum : Voca Sunamitidem istam. Qui cùm vocasset eam, & illa stetisset coram eo, 13. dixit ad puerum suum : Loquere ad eam : Ecce, sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi ? numquid habes negotium, & vis vt loquar regi, siue principi militiæ ? Quæ respondit : In medio populi mei habito. 14. Et ait : Quid ergo vult vt faciam ei ? Dixitque Giezi : Ne quæras : filium enim non habet, & vir eius senex est. 15. Præcepit itaque vt vocaret eam : quæ cùm vocata fuisset, & stetisset ante ostium, 16. dixit ad eam : In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium. At illa respondit : Noli quæso domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.

tuæ. 17. Et concepit mulier, & peperit filium, in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Eliseus. 18. Creuit autem puer. Et cùm esset quædam dies, & egressus isset ad patrem suum, ad messores, 19. ait patri suo: Caput meum dolco, caput meum dolco. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam. 20. Qui cùm tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, & mortuus est. 21. Ascendit autem, & collocauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium: & egressa, 22. vocauit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar. 23. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: Vadam. 24. Strauitque asinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi. 25. Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei e contrà, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa. 26. Vade ergo in occursum eius, & dic ei: Rectènè agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit: Rectè. 27. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius. & accessit Giezi vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. 28. Quæ dixit illi: Numquid petiui filium à domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me? 29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri. 30. Porrò mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam. 31. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus: reuersusque est in occursum eius, & nuntiauit ei, dicens: Non surrexit puer. 32. Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: 33. ingressusque clausit ostium super se, & super puerum: & orauit ad Dominum. 34. Et ascendit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. 35. At ille reuersus, deambulauit in domo, semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitque oculos. 36. At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram: tulitque filium suum, & egressa est, 38. & Eliseus reuersus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo, dixitque vni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum. 39. Et egressus est vnus in agrum vt colligeret herbas agrestes: inuenitque quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. 40. Infuderunt ergo sociis, vt comederent: cumque gustassent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere. 41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla. 42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat. 43. Respondit que ei minister eius: Quantum est hoc, vt apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit, 44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.

VERS. 1. MVLIER AVTEM QVÆDAM] Ioseph. A lib. 9. cap. 2. quem sequuntur Hebræi, Theodor. Lyran. Abul. & alij, asserit hanc mulierem fuisse vxorem Abdiæ dispensatoris Achab. 3. Reg. 18. 3. illamque hoc beneficium & miraculum multiplicati olei obtinuisse ab Eliseo, ob merita & eleemosynas mariti sui, qui in persecutione Iezabelis abscondera rat centum prophetas Domini. Deus enim liberalitatem liberalitate remunerat, ac in misericordes summè misericors est, iuxta illud: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5.

ET ECCE CREDITOR VENIT] Hebræi VERS. 1. tradunt hunc creditorem fuisse Ioram regem Israel, qui pecunias dederit Abdiæ, quas ille erogarit in alendis secretò centum prophetis, ideoque illas ab vxore eius iam à rege peteti. Verùm id confutat Abul. q. 4.

VT TOLLAT DVOS FILIOS MEOS AD SERVIENDVM SIBI] Solebant Hebræi filios vendere aut seruos abducere pro debitis parentum, vt patet Matth. 18. 25. & Isaiæ 50. vers. 1. Idem olim fecêre Romani, teste Dionys. Halicar. lib. 2. & Athenienses, teste Plutarcho in Solone: quin & Christiani, vt patet ex lege 2. de patribus qui filios distraxerunt lib. 4. Cod. tit. 43. Quod & suo tempore factum grauiter queritur & deplorat S. Ambr. lib. de Iob c. 8.

NISI PARVM OLEI QVO VNGAR] Sic & Sept. Hebr. est, *nisi lecythus olei.* Noster & Sept. addunt: *quo vngar*, id est quo semel dumtaxat vngi possim, vt significent modicum esse vas, & modicum esse olei. Olei enim vsus propriè est ad vnctionem, quæ apud Hebræos erat vitata & frequens. Alij cum Sanchez, *quo vngar*, scilicet post mortem illicò, quæ mihi ob famem imminet. Moris enim Hebræis æquè ac gentibus erat mortuos vngere ante sepulturam. B

VERS. 3. PETE MVTVO AB OMNIBVS VICINIS TVIS VASA VACVA NON PAVCA] Ego enim efficiam, vt omnia oleo impleantur, & quò plura vacua artuleris, eò plura oleo plena recipies. Tropol. significatur cor vacuandum esse à cupiditatibus terrenis, vt Deus illud oleo gratiæ suæ impleat. Audi S. Bern. serm. 6. de Ascens. *Vnde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cùm aliis copia tanta exuberet? Profectò nec auarus, nec inops est gratia distributor, sed vbi vasa vacua desunt, stare oleum necesse est. Vndique se ingerit amor mundi cum consolationibus, imò desolationibus suis, obseruat aditum per fenestras irruit, mentem occupat; sed non eius qui dixit: Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum. Præoccupatum nempe sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, vt pariter sapiæ quæ sursùm sunt, & quæ super terram.* S. Greg. verò hom. 3. in Ezech. per oleum accipit doctrinam, quæ per doctores in vacuas hominum mentes effunditur. *Quia dum*, inquit, *ab vnius ore doctoris, parum quid de amore diuinitatis multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia, vnguento diuini amoris vsque ad summum replentur. Etiam multorum nunc corda, quæ priùs fuerant vacua vascula, vnguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur.* Vnde S. Aug serm. 206. de Temp. docet viro Apostolico quærenda esse *vasa vacua*, id est homines instructione indigentes, in quos oleum doctrinæ infundat: sic enim illa crescentibus hominibus crescet. C

VERS. 4. ET CLAVDE OSTIVM TVVM] tum ne quis superueniens tuam infusionem olei in vasa interturbet, vel remoretur & sistat; tum vt miraculum hoc & beneficium sit secretum, vtque videas solum Deum illud operari, nec vllum hominem ei cooperari; tum vt sola oleo fiuaris, ne quis quippiam ex eo postulet aut decerpat. Mysticè S. Aug. serm. 206. de Temp. *Significatur*, inquit, *vt vnusquisque eleemosynam clauso ostio faciat, id est pro solo Dei amore, non ideò vt laudetur ab hominibus, sed vt apud Deum inuenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio facit, quia apertum omnibus patet. Qui verò pro sola vita æternâ, & pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publicè faciat, clauso ostio fecit: quia de illa eleemosyna non hoc quærit quod videtur, sed quòd non videtur: laus enim humana videtur, æternum præmium non videtur.* D

ILLI OFFEREBANT VASA, ET ILLA INFVNDEBAT] infundendo ergo crescebat oleum. Angeli enim continuò aliud & aliud oleum lecytho suggerebant & indebant, donec omnia vasa implerentur, quo facto stetit oleum, subducente se Angelo. Alleg. S. Aug. serm. 206. de Temp. *In oleo*, ait, *misericordia intelligitur. Ergo vidua illa ideò debitum creuerat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Considerate fratres: Defecit oleum & debitum creuit. Creuit oleum, & periit debitum. Creuerat cupiditas, & perijt charitas. Redit charitas, & perit iniquitas. Veniente verò Eliseo Christo Domino vidua, hoc est Ecclesia per augmentum olei, id est donum gratiæ & misericordiæ, vel charitatis pinguedine de peccatorum debito liberatur.* VERS. 5.

Tropol. idem S. Aug. ibidem per oleum accipit charitatem, quæ erogando non minuitur sed sui diffusione semper accrescit. *Considerate*, inquit, *fratres charissimi, quamdiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est charissimi. Qui se solùm diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum reddit. Cùm verò in alienis vasculis, id est omnibus vicinis & propinquis, & omnibus omninò hominibus operit oleum charitatis infundere, tunc & sibi sufficere, & ab omnibus se debitis poterit liberare. Et verè fratres talis est natura sancti amoris, & veræ charitatis, vt erogando crescat, & quantùm in aliis plus expenditur, tantùm in se abundantiùs cumuletur.* Idè confirmat ex antitheti cibi & olei, siue charitatis: *Cibum corporis si volueris egenti tribuere, ad præsens, quod illi dederis, tu habere non poteris: Panem charitatis si dederis centum hominibus, integer manet. Si vniuerso mundo largiri volueris, tibi nihil deficit; imò non solùm non deficit, sed omnium illorum quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter crescit. Verbi gratia: Vnum panem charitatis habebas; si nemini dedisses, ipsum solum haberes. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisisti.* Rationem à priori subiicit: *quia tanta est possessio charitatis, vt & singulis tota sit, & omnibus integra esse possit. Ergo & alijs dedisti, & tu nihil penitùs perdidisti. Imò non solùm non perdidisti, sed sicut iam dixi, quidquid alijs à te collatum est, tu centupliciter acquisisti.* Vnde subdit quærendos esse homines pane corporali vel spirituali egentes, vt eis charitatem exhibentes, faciamus eam tam in nobis, quàm in ipsis continuò crescere. Eadem habent & ex S. Aug. transscripsêre Eucher. Angelom. Beda, Rupert. & alij.

TRANSIBAT ELISEVS PER SVNAM: ERAT AVTEM IBI MVLIER MAGNA] tum opibus & fama, scilicet opulenta, honorata, celebris; tum probitate & pietate. Vnde Chald. vertit: *Ibi erat mulier timens peccata.* Fabulatur R. Salomon Sunamitidem hanc fuisse sororem Abisag Sunamitidis, quæ Dauidi seni data est vxor, ad eum calefaciendum 3. Reg. 1. nam à morte Dauidis vsque ad Eliseum, fluxêre plusquàm 80. anni. Quare hæc mulier debuisset excedere annum ætatis centesimum. VERS. 8.

VERS.9. ANIMADVERTO, QVOD VIR DEI SANCTVS EST ISTE] Id aduertebat ex Eliſei modeſtia, abſtinentia, grauitate, ſermone, precatione aſſiduâ, aliiſque virtutibus heroicis. Quæ fabulatur R. Salomon; id illam cognouiſſe ex eo quòd menſæ, quam toties ſtrâuerat Eliſeo, nunquam muſca inſediſſet, vel quid ſordidum inhæſiſſet.

VERS.10. FACIAMVS ERGO EI COENACVLVM PARVVM] Hebr. & Chald. *Cœnaculum muri parui muri*, id eſt ex muro & ſolida fabrica, non verò ex leuibus aſſeribus; vel vt Vatab. *muri*, id eſt muro concluſum & ſeptum, ac ſemotum ab aliis domus partibus, vt quietè & ſecretò ibi ſolus degat, oret & meditetur Eliſeus.

ET PONAMVS EI IN EO LECTVLVM ET MENSAM ET SELLAM ET CANDELABRVM] ſcilicet nil niſi præciſè neceſſarium: ſciebat enim Eliſeum paupertatis ſtudioſum puluinaria, tapetes, aliaque ornamenta, quaſi ſuperflua non admiſſurum.

VERS.13. IN MEDIO POPVLI MEI HABITO] q.d. Ego pacificè inter meos ciues & vicinos viuo, omnes amo, & ab omnibus amor: quare nulla mihi cum quopiam liteſt, vt pro ea regis vel principis opem implorare debeam; imò ſi ea egerem, ciues mei me iuuarent, & pro me regem interpellarent: omnibus enim nota & chara ſum.

VERS.16. IN TEMPORE ISTO (q.d. proximo anno ſub hoc idem tempus) HABEBIS IN VTERO FILIVM]

NOLI MENTIRI ANCILLÆ TVÆ] *Mentiri*, non formaliter: ſciebat enim Eliſeum virum ſanctum nolle illam fallere & contra mentem loqui, vt falsò ei promitteret filium; ſed materialiter q.d. vtinam verus, non falſus reipſa accidat ſermo tuus: vtinam ſermò tuus non ſit tantùm appretiatio beneuola, ſed & efficax prophetia, vt reuera ſequente anno naſcatur mihi filius.

VERS.17. ET CONCEPIT MVLIER, ET PEPERIT FILIVM] Tropol. audi ex vitis Patrum lib.6.c.1. de contemplatione: *Dixit aliquando ſenex: Sunamitis Eliſeum ſuſcepit, eò quòd non haberet affectum cum aliquo homine. Dicitur Sunamitis perſonam habere animæ, Eliſeus ſpiritus ſanctit: quacumque ergo hora recedit anima à ſæculari confuſione & perturbatione, aduenit ei ſpiritus Dei, & tunc poterit parere cùm ſit ſterilis.*

VERS.23. QVAM OB CAVSAM VADIS AD EVM? HODIÈ NON SVNT CALENDÆ (ſcilicet Neomenia, quæ erat prima dies lunæ & menſis, ideoque quaſi feſta Hebræis) NEQVE SABBATHVM] Hinc liquet, ait Abul. q.30. Vatab. Serar. & alij, ſolere Hebræos feſtis diebus Eliſeũ aliosque ſanctos prophetas adire, vt eius exhortationes & pia monita exciperent, vtque eius preces & benedictionem poſcerent.

QVÆ RESPONDIT: VADAM] q. d. Omninò ite ad Eliſeum cupio, opto & deſtino. Cauſam ſubticet, ne maritus audiens filium vniceum mortuum, dolore exanimetur.

VERS.24. MINA] Duc aſinum, & me in aſino ad Eliſeum.

VERS.26. RECTENE AGITVR CIRCA TE? &c. QVÆ RESPONDIT: RECTE] *Rectè*: licet enim filius meus ſit mortuus magno meo dolore, tamen A ſcio eum mortuum ex voluntate & decreto Dei, quæ rectiſſima & ſanctiſſima eſt. Aut quia mox, *rectè* mecum agetur: omninò enim confido eum à te reſuſcitandum. Sic de puella mortua ait Chriſtus: *Non eſt mortua, ſed dormit*, quia ſcilicet ego eam mox à morte ſuſcitabo, vt non tam eſſe mortua, quàm dormire videatur. Lucæ 8. Sunamitis autem hoc prætexit apud Giezi, vt per eum pateat ſibi acceſſus ad Eliſeum, qui virgo & caſtus vitaris conſortia feminarum, ſi audiſſet eius filium iam mortuum, ad eum ſuſcitandum miſiſſet ſiium ſeruum Giezi, vti & reipſa poſtmodùm fecit.

APPREHENDIT PEDES EIVS, ET ACCESSIT GIEZI, VT AMOVERET EAM] Sciebat enim Giezi Eliſei humilitatem, religionem & caſtitatem, vt nollet tangi, & hoc pedum tactu honorari, & quaſi adorari à femina. VERS.27.

TOLLE BACVLVM MEVM] Hinc Eliſeum, geſtaſſe baculũ, ideòq; priſcos monachos eum geſtaſſe docet Caſſian. lib.1. Inſtit. c.9. additque myſticam eius ſignificationem dicens: *Cuius geſtatio ſpiritaliter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuiſibiles nequitiarum, ſpiritualium beſtias, inermes incedere: de quibus Beatus Dauid liberari poſtulans dicit: Ne tradas Domine beſtiis animam confitentem tibi; ſed irruentes eas retundere crucis ſtipaculo, ac longiùs propulſare, atque aduerſùs ſe ſæuientes, ingi memoriâ Dominicæ paſſionis, & imitatione illius mortificationis extinguere.* VERS.29.

SI OCCVRRERIT TIBI HOMO, NON SALVTES EVM] Cauſa fuit prima, ne Giezi ſalutando obuios, eum eiſque colloquendo moras in via necteret, ſed illicò puerum appoſito baculo ſuſcitaret, antequam maritus eum eſſe mortuum reſciſceret, q.d. ait S. Auguſt. ſerm. 106. de Temp. *Ite velociter ambula, vt nullis fabulis occupari aut retardari præſumas.* Secunda, vt res maneret ſecreta. Tertia, quia Giezi ait Theodor. & Procop. erat laudis auidus, vnde obuios gloriando dixiſſet: Meus herus Eliſeus miſit me vt ſuſcitem mortuum, ideoque id factus ad eum pergo: quare hac iactatione offendiſſet Deum, itaque impediuiſſet miraculum, nec Deus per eum puerum ſuſcitaſſet. Quarta, vt Giezi vitaret omnem oculorum auriumque diſtractionem, totumque ſe diſponeret per preces ad tanti miraculi patrationem. Ita Caiet. Abul. & S. Ambr. in c.10. Lucæ lib.7. ad illã, *Neminem ſalutaueritis: Feſtinatò enim*, inquit, *iubebat eum contendere, vt celebrandæ reſurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij, mandato diflecteretur à munere. Ergo & hîc non ſalutationis officium auferitur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis aboletur: vt quando diuina mandantur, paulliſper ſequeſtrentur humana.* Neminem ſalutaueritis. Cæſar. Cauſſin. Tertia. Quarta.

POSVIT BACVLVM SVPER FACIEM PVERI, ET NON ERAT VOX NEQVE SENSVS] Allegoricam cauſam dat S. Aug. ſerm. 106. de Temp. dicens: *Puer iſte (Giezi) typum habuit beati Moyſi. Miſit enim eum Deus cum baculo in Aegyptum: ſed baculus ſine Chriſto flagellare Aegyptum potuit, de originali vel actuali peccato liberare, vel reſuſcitare non potuit. Nihil enim, dicente Apoſtolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat vt qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet. Baculus ſine Eliſeo nihil valebat, quia crux ſine Chriſto nihil poterat.* S. Petrus per baculum à ſe miſſum è mortuo ſuſcitauit S. Matrem ſuũ diſci- VERS.31.

diſcipulum, & primum Treuirenſem Epiſcopum, vt habet eius vita, & S. Macedonius per baculum ſuum ſuſcitauit Theodoretum penè exanimem, vti ipſe refert in Philotheo. cap.3. A

PVER NON SVRREXIT] Cur? Rationem reddit Rabbi Salomon apud Lyran. *Hoc*, inquit, *fuit propter demeritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſei, ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat, ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Indignus enim eſt, qui miracula faciat, qui de illis faciendis gloriatur. Hoc profectò & præuidit & præcauit Eliſeus dicens ad puerum quem mittebat: *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* nam vt rectè Theodor. q.17. *Sciebat*, inquit, *eum eſſe bonoris cupidum & cauſam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimento ne faciat miraculum.* Aliam cauſam dat R. Eliezer cap. 33. *Ridebat*, inquit, *Giezi dicendo obuiis: Crediſne baculum iſtum vitam reſtituere?* B

VERS.34. ET INCVBVIT SVPER PVERVM, POSVITQVE OS SVVM SVPER OS EIVS, &c.] Franciſcus Valleſius ſacræ Philoſoph. c. 35. ſi liceret dicere, inquit, puerum non fuiſſe omninò mortuum, ſed ſyncopen paſſum, naturalis fuiſſet hæc Eliſei curatio: nam ſyncope correpti, extinctione naturalis caloris periclitantur mori, ſolentque fotu & calefactione (maximè anhelitus humani: is enim calor congenereſt & vitalis) reuocari. Rursùm diſcurrebat Eliſeus, vt ſuum calorem puero infundendum excitaret: is enim maximè exercitio excitatur: vnde mox per eum ſibi incumbentem excipiens, cœpit oſcitare, calore iam incipiente flatum agitare, & diſcutere, & creſcente vigore & ſpiritibus animalibus moueti, aperti ſunt oculi, & deinde aliorum ſenſuũm inſtrumenta, & puer ad officia vitæ reuocatus eſt. Verùm ex narratione S. Script. clarè liquet puerum verè fuiſſe mortuum, non ſyncopen paſſum: incubuit ergo puero Eliſeus eaſdem ob cauſas, ob quas Elias magiſter ſuus ſimili mortuo incubuerat, quas recenſui 3.Reg.17.21. C

Allegorica & præcipua cauſa fuit, vt Eliſeus, vti nomine, ita & facto repræſentaret Filij Dei incarnationem, in qua ipſe carnem noſtram induit, & quaſi os ori, manus manibus, pedes pedibus accommodauit. Ita S. Auguſt. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli: *Quid*, inquit, *ſignificauit mortuus puer, niſi Adam?* (& peccatorem Adæ filium per peccata mortuum) *poſuit baculum ſupra mortuum, non ſurrexit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vniuificare, omninò ex lege eſſet iuſtitia. Non ergo potuit lex viuificare. Venit ipſe grandis ad paruulum, Saluator ad ſaluandum, viuus ad mortuum, venit ipſe. Et quid fecit? Iuuenilia membra contraxit, tamquam ſeipſum exinaniens, vt formam ſerui ſuſciperet. Iuuenilia ergo membra contraxit, paruum ſe paruo coaptauit, vt efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Itaque in iſto typo Chriſto prophetico expreſſo ſuſcitatus eſt mortuus, tamquam iuſtificatus eſt impius.* Rurſum idem S. Auguſt. ſerm.106. de Temp. *Venit*, inquit, *Eliſeus & aſcendit in cœnaculum, quia venturus erat Chriſtus, & aſcenſurus crucis patibulum. Inclinauit ſe Eliſeus, vt puerum reſuſcitaret: humiliauit ſe Chriſtus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Miſit Eliſeus oculos ſuper oculos, manus ſuper manus. Videte fratres quantùm ſe vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Eliſeus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Chriſtus impleuit. Audi Apoſtolum dicentem: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Quia paruuli eramus, paruulum ſe fecit. Quia mortui iacebamus, priùs ſe medicus inclinauit: quia & veneratà fratres nemo poteſt iacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare. Quòd autem puer oſcitauit ſepties, ſeptiformis gratia ſancti Spiritus oſtenditur, quæ humano generi vt reſuſcitetur in aduentu Chriſti tribuitur.* Eadem ex S. Auguſt. habent Eucher. Angelom. Beda, Rupert. & alii. Audi quoque S. Ambr. tom.2. in cap.4. Eccleſiaſtæ Exhort. ad Cleticos, qui hæc de Chriſto in cruce ſe nobis commoriente, calefaciente & viuificante explicat. *Chriſtus nobis commortuus eſt, vt nos calefaceret, qui ait: Ignem veni mittere in terram. Mortuus eram, ſed quia in baptiſmate commortuus Chriſto ſum, accepi lumen vitæ à Chriſto. Et qui in Chriſto moritur, per Chriſtum calefactus, vitæ & reſurrectionis vaporem accipit.* Frigidus erat puer, calefacit eum Eliſeus ſpiritu ſuo, dedit ei vitæ calorem. *Condormiuit ei, vt eum calor quietis eius, qui in ſymbolo conſepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque eſt, qui non moritur in Chriſto. Calefieri non poteſt, cui ignis ardens non appropinquat. Inualeſcere non poteſt alter, qui ſecum non habet Chriſtum.* Audi denique S. Bern. ſerm.15. in Cant. *Oculis ſuis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu. Ori meo iunxit ſuum, & mortuo ſignum pacis impreſſit: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, reconciliauit nos Deo, iuſtitiæ mortuos. Os ori applicuit, iteratò inſpirans in faciem meam ſpiraculum vitæ: ſed ſanctiorũ, quàm primò. Nam primò quidem in animam viuentem creauit me: ſecundò in ſpiritum viuificantem reformauit me. Manus ſuas meis ſuperpoſuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ: aut certè manus ſuas miſit ad fortia, vt doceret manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Et oſcitauit puer ſepties, quia ſepties in die laudem dicere conſueuit.* Pſalm. 118. D

Symbol. B. Petrus Damiani lib. de contemptu ſæculi c.28. *Is*, inquit, *quem terroris virga ſuſcitare non poterat, per amoris ſpiritum ad vitam redit, dum, ſe paruulo accommodauit & compoſuit, facilè erexit & ſuſcitauit.* Rursùm Eliſeus hîc ſymbolum dedit Euchariſtiæ, in qua Chriſtus, vt ait S. Cyrill. totum ſe nobis commiſcet, ac quaſi oculos oculis, os ori, manus manibus, animam animæ noſtræ applicat; id quod pulchra ſpecie per viſum repræſentatum fuit Ruperto Abbati Tuitienſi: cùm enim ipſe à ſuperiore iuberetur capeſſere ſacerdotium, puraretque ſe tanto gradu indignum, per viſum vidit Chriſtum crucifixum ſe ad amplexum inuitantem. Quare Rupert. Chriſtum arctiſſimè amplexus & oſculatus, narrat Chriſtum, quò profundiùs oſcula admitteret, diuinum os ſuum aperuiſſe, & hians præbuiſſe: ſimul etiam factum eſſe, vt inter eos amplexus, tum diuino amore maiorem in modum inflammaretur, tum etiam ſacerdotii, quod anteà fugiebat, deſiderium ſibi inſpirari ſenſerit; quod, ſimul ac illuxit, cùm ſuo Abbati indicaſſet, paulò pòſt cum omnium gaudio executum eſſe. Adiungit etiam aliud, quo poſt eum ordinem ſuſceptum, non minùs ſit confirmatus. Nam iacenti in lectulo, homi- *Eliſeus ſuſcitare non poterat, per amoris ſpiritum ad vitam redit, per Euchariſtiam.* *Viſio Ruperti.*

hominis species apparuit de cælo labens, capite obuoluto, quasi agnosci nollet, eaque secta in eum tota dimisit; vt caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intimè commiscerentur, quin etiam ipsam animæ substantiam modo quodam, qui verbis exprimi nō posset, ita penetraret, atque imprimeret, & quidem citius & profundius, quam mollissima cera signo imprimatur. Addit verò, quod facilè credi possit, secutam esse tantam tantique incredibilem iucunditatem ac suauitatem, vt nisi ea celeriter à Deo inhibita esset, is quasi torrens voluptatis sese dilatione animam de corpore abstraxerit. Hoc ipse narrauit, de seipso refert ipse Rupertus lib. 12. in Matth. pag. 1621. & ex eo Hier. Platus lib. 1. de bono status relig. c. 37.

Tropol. qui vult proximos peccato mortuos ad vitam gratiæ reuocare, eorum infirmitati se accommodet oportet, ac per excessum charitatis os ori, manus manibus, linguam linguæ quasi applicet. Idem faciat religiosus, vt tam aliis religiosis, quàm sæcularibus, quoad licet, per omnia se accommodet, vti faciebat Apostolus dicens: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* Est enim in religione summa omnium vnio, concordia, familiaritas, opitulatio, vti ex S. Basil. Chrysost. & aliis docet Platus lib. 1. de bono status relig. c. 27. & 28.

VERS. 34. ET INCVRVAVIT SE SVPER EVM] contrahendo membra sua magna, vt ea quasi adæquaret paruis membris pueri. Addunt Sept. *& inflauit super eum*, id est halitu suo afflando calefecit puerum. vnde sequitur.

ET CALEFACTA EST CARO PVERI] vt videlicet per calorem disponeretur ad animationem & vitam: sicut ergo mater disponit C embryonem in vtero, calefaciendo, ad ànimam illi à Deo infundendam, sic fecit & Eliseus hîc. Voluit enim Deus eum miraculum hoc operari eo modo, qui naturæ esset conformis. Simili modo Deus Adamum efformans in hominem viuentem, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes. 2.

VERS. 35. AT ILLE REVERSVS DEAMBVLABAT IN DOMO SEMEL HVC ATQVE ILLVC] vt ambulando excitaret tum maiorem calorem, quem puero deinde incumbendo aspiraret, tum maiorem feruorem orandi pro pueri resuscitatione. Alleg. Eliseus ambulans repræsentabat Christum ambulantem per Iudæam, & vbique semina Euangelii spargentem. ita Eu- D cher.

ET OSCITAVIT PVER SEPTIES, APERVITQVE OCVLOS] Vatab. & alii: *sternutauit.* Sept. *Confortatus est.* Cùm enim puer capite laborasset, vt dictum est v. 19. videtur caput habuisse oppletum humoribus, qui spirituum vitalium meatus occupantes, eum suffocarunt. Quare iam per Eliseum calore, vita & vigore ei redditis, caput confortatum, sternutando expulit humores se grauantes: ita cerebrum purgauit, puerumque perfectæ sanitati reddidit.

VERS. 39. ET COLLEGIT EX EA COLOCYNTHI- A DAS] *Colocynthis* est cucurbita agrestis, qua medici vtuntur, vt pituitam vehementer expurgent; estque amarissima, vnde vocatur *fel terræ*, ait Vallesius S. Phil. c. 36. additque; non tantùm amara est, sed & perniciosa; adeò vt, si supra quatuor obolos etiam emendata sumatur, possit super purgationes & exulcerationes ventris & mortem afferre, atque adeò admota externùs enecet fœtus. Hinc discat studium pauperatis. Audi Theodor. *Quòd autem vita Prophetarum*, inquit, *nullas habuerit possessiones; docet historia. Nam qui erat eorum primus* (Eliseus) *nunc quidem eos excepit conuiuio, olerum agrestium: hunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosq; ab aliis allatos. Et his autem tantam benedictionem* B *impertiit, vt & illos centum satiaret, & post satietatem superessent permulti.*

MORS IN OLLA] q. d. pulmentum huius Vers. ollæ amarissimum est, & pessimum, vt videatur esse venenum mortiferum. Tropol. *mors est in olla* deliciarum mundi, quæ gulam & venerem prouocant, ideoque varios morbos ac mortem præsentem & æternam accersunt; amaræ sunt ergo, vt colocynthides. Aliter S. Bern. vti mox dicam.

AFFERTE INQVIT FARINAM] Farina Vers. enim, quia glutinosa & leniens instar amyli, ait Vallesius, colocynthidarum mordacitatem & acrimoniam temperat. vnde prudenter adhibita, hîc fuit ab Eliseo, licet potissima causa correctionis pulmenti fuerit virtus diuina & miraculosa. Simili modo in lepra Naaman curanda, aliquid iuuit aqua Iordanis cap. 5. & in vlcere Ezechiæ sanando, aliquid iuuerunt Isaiæ ficus c. 20. v. 7. quia extergunt & discutiũt tumores, si fiat cataplasma ex eis & farina hordeacea vel triticea. ita Vallesius & Serar. licet contrarium sentiant Angelom. & alii, sic licet hæc non iuuisse, sed potiùs obfuisse, vt ostenderetur curationem hanc fieri non vi naturali, sed supernaturali & diuina.

INFVNDE TVRBÆ] Notat Theodor. q. 19. filios prophetarum nil proprii possediisse, sed vixisse in communi, vt iam faciunt religiosi.

Tropol. S. Bernard. serm. 65. inter paruos: *Prælatus ex debito officii sui apponit subiectis ollam grandem, herbas agrestes continentem, id est admonitionem de grauibus differentem, acerbitate refertam, sed tamen igne sancti Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatem, clamant: Mors in olla, & non possunt gustare. Sapiens igitur dispensator non affert, imò afferri iubet farinam; quoniam non præbet, sed hortatur habere caritatem, cuius condimento redduntur dulcia, quæ priùs videbantur amara. Potest namque prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem caritatis palato cordis infundere.*

VT APPONAM CORAM VIRIS CENTVM] Vers. Eliseus hîc miraculosè multiplicans panes repræsentat Christum, qui bis paucis panibus pauit plura hominum millia. Mysticè singula hæc adaptantem prædicatoribus, vide Angelomum.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus liberat Naaman à lepra, eamq; immittit auaro & Simoniaco Giezi.

1. NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis & diues, sed leprosus. 2. Portò de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de Terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman, 3. quæ ait ad dominam suam: Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria, profectò curasset eum à lepra, quam habet. 4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, & nuntiauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de terra Israel. 5. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Israel. Qui cùm profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum, 6. detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba: Cùm acceperis epistolam hanc, scito quòd miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum à lepra sua. 7. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? animaduertite, & videte quòd occasiones quærat aduersum me. 8. Quod cùm audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel. 9. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei: 10. misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. 12. Numquid non meliores sunt Abana & Pharphar, fluuii Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? Cùm ergo vertisset se, & abiret indignans, 13. accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, & si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis? 14. Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. 15. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israel. Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo. 16. At ille respondit: Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit. 17. Dixitque Naaman: Vt vis, sed, obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. 18. Hoc autem solùm est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re. 19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. 20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, vt non acciperet ab eo quæ attulit: viuit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid. 21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cùm vidisset ille currentem ad se, desilit de curru in occursum eius, & ait: Rectè ne sunt omnia? 22. Et ille ait: Rectè, dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescẽtes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. 23. Dixitque Naaman: Melius est vt accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerunt coram eo. 24. Cumque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt. 25. ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus: Vnde venis Giezi? Qui respondit: Non iuit seruus tuus quóquam. 26. At ille ait: Nónne

cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. 27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

VERS. 2. DE SYRIA EGRESSI FVERANT LATRVNCVLI] id est milites ad prædandum hostilem terram Israel: sic milites olim vocabantur *latrones* ob causas quas superiùs dedi: nunc sæpè non tantùm vocantur, sed reipsa sunt latrones.

CAPTIVAM DVXERANT PVELLAM PARVVLAM] per quam Deus Naaman principem Syriæ sanauit tum corpore, tum mente, vt fieret fidelis & Dei cultor. Sic sub Constantino Imper. femina Christiana captiua assiduis suis precibus, ieiuniis & pietatis exercitiis Iberos ad Christi fidem traduxit, teste Niceph. lib. 8. cap. 34.

VERS. 5. ET DECEM MVTATORIA VESTIMENTORVM] vt ea offerret Eliseo, qui iis vteretur, cùm vestem quotidianam mutare vellet. Vestes elegantiores & pretiosiores intelligit, quibus vtimur in publico & diebus solemnibus, ait Vatab.

VERS. 6. VT CVRES EVM A LEPRA] vt cures eum à lepra liberari per prophetam, quem audio apud te esse thaumaturgum. Nec enim rex nouerat Eliseum, ideoque non ad eum, sed ad regem Israel sibi notum scribit, vt per Eliseum curet Naaman sanari.

VERS. 7. NVMQVID EGO SVM DEVS?] Rex Israel crudè accipit verba regis Syriæ: nec enim sciebat quid puella regi Syriæ de Eliseo dixisset, quodque rex non per se, sed per Eliseum peteret curari Naaman à lepra. Vnde suspicatus est regem sibi insidiari, bellumque meditari, & hanc belli occasionem prætexere.

VERS. 10. MISITQVE AD EVM ELISEVS NVNTIVM] Cur ipse Eliseus non iuit ad Naaman, vt eum quasi principem honorificè exciperet? Respondent primò Theodor. & Procop. quòd legis adeò studiosus esset Eliseus, vt ne immundi quidem hominis aspectum, multò minùs contactum ferre vellet: vt scilicet intelligeremus, quàm eorum mores & consuetudinem defugere oporteat, quos grauiorum scelerum infidelitatis & hæreseos lepra inquinat.

Secundò, & veriùs, vt ostenderet se ab aula & aulicis abstractum, Deo soli quasi religiosum vacare, ideoque partu facere principum præsentiam, famulos, equos, & pompam, quæ mundus admiratur. Non ergo id fecit ex superbia, vtpote qui, *non solùm se conspici, sed teneri etiam à muliere permisit* c. 4. ait S. Greg. 7. Mor. c. 15. qui & sub initium capitis cellitudinem animi in Eliseo similibusque sanctis deprædicans ait: *Cuncta quippe quæ foris eminent, occultorum obtutibus per despectum iacent. Nam super se interiùs rapti, in alto animum figunt: & quæ in hac vita patiuntur, quasi longè infra labentia atque à se aliena conspiciunt; atque vt ita dixerim dum mente extra carnem fieri decertant, penè ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profectò oculis quidquid temporaliter eminet, altum non est. Namvelut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plenè despiciunt: seq; ipsos per spiritalem celsitudinem transcendentes, subiecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Vnde & nullis contra veritatem potestatibus parcunt: sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus authoritatem premunt.*

Sic S. Antonius salutatus à Constantino Magno per litteras, vix voluit respondere; respondit tamen coactus penè à discipulis, eique monita salutis dedit, teste S. Athan.

Tertiò, voluit Eliseus miraculi & sanitatis futuræ magnitudinem augere, dum per famulum internuntium illud peragit, ait Abulens. idque non contactu, sed solo verbo, ait Author mirab. S. Scrip. lib. 2. c. 28.

VERS. 11. PVTABAM, QVOD EGREDERETVR AD ME, ET STANS INVOCARET NOMEN DOMINI DEI SVI, ET TANGERET MANV SVA LOCVM LEPRÆ, ET CVRARET ME] Loquitur Naaman ex sensu principum gentilium superborum, qui ex suo iudicio præfigunt sibi modum patrandi miraculi; sed Deus volens eos humiliare, alium eius modum præscribit, vt discant Deo se suumque iudicium submittere, ac à Deo legem accipere, non dare, illique simpliciter per omnia obedire.

VERS. 12. NVMQVID NON MELIORES SVNT ABANA ET PHARPHAR FLVVII DAMASCI?] Audi Beniamin in itinerario: *Vrbs ipsa Damascus maxima, atque pulcherrima est, muris cincta: regio verò tota hortis & paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens milliaria. Nusquam alias in tota terra fructifera vrbs huic similis visitur, quam duo flumina ex Hermone monte delapsa beant, Amma & Pharphar, sita est enim vrbs sub Hermione monte, Amma vrbem ipsam influit, cuius aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora & plateas deducuntur; est q; regio ipsa negotiis omnium terrarum frequens. Parphar verò vrbem ipsam præterfluens, hortos & paradisos omnes irrigat.*

VERS. 13. PATER, ETSI REM GRANDEM DIXISSET TIBI PROPHETA, CERTE FACERE DEBVERAS: QVANTO MAGIS QVIA (quod) NVNC DIXIT TIBI: LAVARE ET MVNDABERIS] Benignus in famulos instar patris erat Naaman, adeò vt ab eis *pater* vocaretur, & vt pater amaretur, qui proinde beneuolè consilium salutare illi suggesserunt, quod ipse placidè audiuit & acceptauit. Sic & Eliseus Eliam magistrum suum vocabat patrem dicens: *Pater mi, currus Israel & auriga eius.* Sic etiamnum Hollandi natura sua benigni suos heros & dominos vocant: *Vaer*, id est pater.

VERS. 14. DESCENDIT ET LAVIT SEPTIES IN IORDANE] Cur septies? vt septenarius numerus, qui vniuersitatis numerus censetur, demonstraret omnia scelera capitalia, quæ septem numerantur; & in omne tempus, quod septem hebdomadæ diebus circumfertur, penitùs ex animis eradicanda. Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 9. nationum, ait: *quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrerent. Quapropter septies, quasi per singulos titulos, in Iordane lauit; simul & vt totius hebdomadis caneret expiationem; quia vnius lauacri vis & plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita & lauacrum.*

Secundò septies, vt significetur perfecta corporis & animi ablutio & sanitas: illa enim constat elementis quatuor, eorumque iusta temperie producitur: hæc verò inuocato S. Trinitatis nomine in baptismo peragitur. ita Theodor. & Procop.

Tertiò, septena lotio septem Ecclesiæ Christi Sacramenta adumbrat, quibus omnis peccati lepra abstergitur. hæc ergo sunt quasi septem baptismata & ablutiones animæ.

ET MVNDATVS EST] Ecce hic est fructus simplicis obedientiæ. Sic Constantinus Magnus à lepra purgatus est aqua baptismi collati à S. Syluestro, non vi aquæ, nec etiam vi baptismi præcisè (Baptismi enim effectus est abluere peccata animæ, non lepram corporis) sed quia aqua hæc *diuinæ voluntatis & prophetica iussionis instrumentum fuit*, vt ait S. Ambr.

Alleg. lotio Naaman in Iordane, significat primò baptismum, qui lauat lepram animæ. Hic enim in Iordane, dum Christus in eo baptizatus est, ad hoc quasi cõsecratus fuit. Secundò, pœnitentiæ; Iordanis enim Hebr. idem est quod, *fluuius iudicij*, quod in sacramento pœnitentiæ peragitur. ita Angelom. Prosper & alij. Audi S. Ambr. lib. 4. in cap. 4. Lucæ: *Discę spiritalia sacramenta signari. Corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur caro, affectus diluitur. Non enim magis corporis, quàm mentis lepram video fuisse mundatam; quando post baptismum veteris erroris colluuione detersa, negat se Diis alienis hostias, quas spoponderat Domino, litaturum.*

VERS. 15. OBSECRO ITAQVE VT ACCIPIAS BENEDICTIONEM A SERVO TVO] scilicet munera quæ tibi attuli v. 5. Hæc enim ab Hebræis vocatur, *benedictio*, quia signa sunt amoris & beneuolentiæ. Adde hæc *benedictio* est realis, idemque quod *benefactio*. Sic benedicere Dei est efficax, idemque quod benefacere.

VERS. 16. VIVIT DOMINVS ANTE QVEM STO, QVIA NON ACCIPIAM] q.d. esto sim cum meis discipulis in summa egestate & paupertate, tamen iuro me tua munera non accepturum, vt ostendam hoc miraculum non esse meum, sed Dei: vtque illud me purè ex amore Dei, non ob munera patrasse demonstrem; vtque tu dicas seruos Dei, non munera hominum sed Dei ambire.

Sanctis rapta-tam mone-ta. Cirri

Idem fecit S. Hilarion. Audi quid de Oriono à legione dæmonum per eum liberato in eius vita scribat S. Hier. *Curatus*, ait, *cum vxore & liberis, venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona asserens. Cui sanctus: Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint: quorum alter accepit pretium, alter obtulit vt ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumq; Orionus flens diceret: Accipe, & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti paupere: ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam?*

Perfecta ergo sanctitas munera quælibet & quantalibet refutat, vti fecit Abraham Genes. 14. 22. de quo S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 3. *Quantum*, inquit, *est illud, quòd de præda vi-*

Corn. in lib. Regum.

ctoria nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi, mercedis susceptio; & beneficij arrodit gratiam. Plurimùm enim refert, vtrum pecuniæ, an gloriæ dimicaueris.

Hinc à Deo audire meruit: *Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Genes. 15. vers. 1. Vbi D. Ambros. citatus: *Quoniam*, inquit, *sibi mercedem ab homine non quæsiuit, à Deo accepit.* Hinc Eliseus hîc fuit typus Christi iubentis Apostolis: *gratis accepistis, gratis date*, ait S. Aug. serm. 208. de Temp.

VERS. 17. OBSECRO, CONCEDE MIHI SERVO TVO, VT TOLLAM ONVS BVRDONVM DVORVM DE TERRA] Israel. *Burdonum*, id est *mulorum*, vt vertit Chald. Sept. Vatab. Pagn. & alii. Hebr. enim פֶּרֶד *Pered* est *mulus*, ac fortè à *Pered* dictus est burdo, litterâ P. in vicinam labialem B commutando. Fit in D. lib. 32. t. 49. mentio *burdonum*, vbi malè Accursius baculos intelligit, qui Gallicè *bourdons* vocantur. Vnde Cuiacius lib. 11. Obseruat. cap. 16. *burdones* asserit esse mulos, qui manni & burici vocantur, geniti ex asino & equa, vel equo & asina; ideoque Hebr. dicuntur *peradim*, id est diuisi, separati, quòd diuisæ & diuersæ à suis genitoribus sint species: פָּרַד *parad*, enim est diuidere, separare. Sensus est q. d. concede vt possim tollere de terra tua tantum quantum possunt ferre duo *burdones*, id est muli, vt ex ea quasi sancta erigam in patria mea altare Deo Israel, quem solum verum esse Deum ex hoc miraculo sanationis meæ agnosco, veneror & amo. Vnde verisimile est Naaman circum altare erexisse templum vel sacellum, in eoque cum tota familia sua Deum coluisse, ac multos alios ad illum ibi colendum induxisse. Potuisset Naaman ex terra Syriæ altare erigere, Israeliticam tamen optauit, quòd eam, vti monet Theodor. quæst. 19. Abul. q. 22. sanctam crederet, quam præ cæteris Deus elegisset, in qua populum templumque suum collocasset, quæ tot sanctissimorum virorum domiciliis & virtutibus celebraretur.

Nota hunc locum pro cultu reliquiarum Sanctorum; nam votum Naaman probauit Eliseus propheta Dei.

NON ENIM FACIET SERVVS TVVS HOLOCAVSTVM AVT VICTIMAM DIIS ALIENIS NISI (sed tantùm) DOMINO] Hebr. *Iehoua*, qui verus & vnicus est Moysis & Israelis Deus. Huc ecce Naamanum perduxit Elisei sanctitas & munerum despicientia. Vnde sanctiorem, ait Mendoza in lib. 1. Reg. cap. 12. v. 4. iudicauit terram illam, in qua munerum cupiditas sepelitur, quàm illam aquam in qua corporum lepra expiatur. Ob eam rationem sananti lepram Eliseo obtulit aurum, tanquam Medico: repudianti aurum obtulit preces, tamquam Deo: neque propria authoritate, sed illius obtenta priùs facultate, terræ portionem ausus est exportare.

VERS. 18. HOC AVTEM SOLVM EST, DE QVO DEPRECERIS DOMINVM PRO SERVO TVO, QVANDO INGREDIETVR DOMINVS MEVS (rex Syriæ) TEMPLVM REMMON, VT ADORET, ET ILLO INNITENTE SVPER MANVM MEAM, SI ADORAVERO IN TEMPLO REMMON, ADORANTE EO IN EODEM LOCO, VT

IGNOSCAT MIHI DOMINVS SERVO TVO PRO HAC RE]

VERS. 19. QVI DIXIT EI : VADE IN PACE] Greg. de Valentia tract. de fide & fidei professione disp. 1. q. 3. puncto 2. ad 3. censet hanc petitionem Naaman continere rem illicitam, scilicet professionẽ idololatriæ Naaman enim cooperatum fuisse idololatriæ regis in adoratione idoli Remmon, ideoque Elisæum non annuere nec directè respondere, sed permittere, id est negativè se habere, quia videbat eum hoc tempore incapacem correctionis, ad deponendam hanc idololatriæ simulationem, ideoque illam in aliud tempus distulisse, ac pro hac vice sufficisse ei, quòd Naamanum ad veri Dei cognitionem perduxisset. Verùm si Naaman cooperabatur idololatriæ, debuisset Elisæus eum hac de re docere nec dissimulare. Nã ex eo quod ait: *Vade in pace*, omninò colligebat Naaman Elisæum suæ petitioni annuere, & cõcedere vt rege adorante, adoraret & ipse in tẽplo Remmõ; quare Elisæus fouisset & confirmasset Naaman in sua idololatria, quod absit.

Peiùs Priscillianistæ, quos sequitur Machiauellus, dicebant, licitum esse simulare exteriùs hæresim vel idololatriam, dummodo in animo veram fidem retineas; vnde aiebant: *Iura, periura, secretum prodere noli.* Mitiùs, perperàm tamen Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo resp. ad 5. asserit, licitum esse extrinsecùs simulare idololatriam, si absit scandalum, nec instet præceptum confitendi fidem.

Adoratio Naaman fuit curuatio politica.

Nota ergo adorationem hanc Naaman, non fuisse propriè dictam: sic enim fuisset impia & idololatrica; sed impropriam, scilicet incuruationem corporis, vel genuflexionem obsequij causa, vt scilicet regem ex officio sibi commisso fulciret & sustentaret in templo, vti & alibi facere consueuerat; quod facere non poterat, nisi rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret. Est Catachresis. Id patet ex Hebr. שׁחה *sacha*, quod propriè significat, curuare vel incuruare se, vti vertit hic Arias. Alia ergo fuit adoratio regis, alia Naaman; rex enim propriè adorabat idolum suum Remmon: Naaman verò adorabat impropriè, id est curuabat se, vt regi suo se curuanti accommodaret, eumque sustentaret & honoraret. Erat ergo hæc eius adoratio non religiosa, sed politica & ciuilis; sicut *Abraham adorauit*, id est reuerentiam exhibuit, *filios Heth*, Genes. 23. 7. & Iacob *adorauit*, id est veneratus est filium suum Ioseph principem Ægypti. Hebr. 11. 21.

Solebat enim rex Syriæ cùm incederet, aut se quacumque de causa prosterneret, innixi aut manibus aut humeris Naaman: quare necesse erat, vt sese Naaman ad regis motum, atque habitum accommodaret. Ex quo fiebat, vt cum stante staret, cum incedente incederet, & procedente ipse quoque procederet. Hoc enim si omisisset, inciuilis & rusticus, imò infidelis habitus fuisset.

Dices, Naaman cooperabatur regi adoranti Remmon: ergo cooperabatur eius idololatriæ. Resp. negando consequentiam. Cooperabatur enim Regi ad actionem naturalem, scilicet ad curuationem corporis dumtaxat, non autem ad moralẽ, vel ad intentionẽ regis, quæ erat curuando se adorare Remmon. Sic nobiles, ait Caiet. comitantes suum regem euntẽ ad cõcubinam, non peccant, quia non comitantur eum, vt vadat ad fornicandum & peccandum, sed absolutè vt vadat quocumque libuerit, comitantur enim eum dumtaxat honoris & obsequij causa, ceu famuli dominum suum.

Sensus ergo Naaman fuit q. d. Peto ô Elisæe facultatem, vt curuãte se rege in templo Remmon, ad eum adorandum, liceat & mihi regem sustentanti curuare me, non ad adorandum Remmon, sed vt hoc obsequium & seruitium regi meo præstem ad quod ex officio meo teneor, tam in templo quàm alibi, ne gradu & dignitate apud regem excidam. Rex enim innititur super me; quare quocũq; ipse se flectit, & vertit, ego pariter me vertere & flectere debeo. Erat ergo actus hic curuandi adiaphorus & indifferens, eratque cultus non sacer, sed ciuilis & politicus. Nam sustentare regem siue stantem, siue ambulantem, siue genuflectentem per se est actus obseruantiæ; per accidens verò, est quòd contingat eum sustentari dum ille coram idolo incuruatur. Id enim non est idolo, sed regi reuerentiam exhibere.

Dices secundò, Naaman dabat scandalum aulicis; putabant enim ipsi eum adorare cum Rege idolum Remmon. Resp. nullum fuit scandalum, tum quia sciebant Naaman ex officio teneri ad sustinendum regem in hac corporis curuatione, nec aliud prætendere; tum quia Naaman publicè abdicarat idola, & profitebatur cultum veri Dei Israelis, eique altare & sacellum erexerat, in quo totam suam familiam Deum verum secum adorare compellebat. Ita Abul. Lyran. Burgen. Caiet. Serar. Sanchez, Salianus hîc, & Suarez de fide, tract. 1. disp. 14. sect. 4. n. 8.

Quin & Tertul. lib. de Idololatria c. 15. in fine: *Sed quoniam*, inquit, *ita malis circumdedit saeculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quae nos homini, non idolo officiosos habent. Planè ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo. (proprium enim idoli officium est) sed neque consilio neque sumptu aliasve opera in huiusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriae: si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij.*

Porrò hac in re circumspectè agendum est; vna enim circumstantia subinde speciem facti mutat, & quod erat licitum, facit illicitum; vt si rex velit suos famulos cogere ad idololatriam, ideoque eos compellat secum ire ad tẽplum, vt secum idolum adorent, vt fecit Iulianus apostata. Vnde Valentinianus dux militiæ postea imperator, Iulianum quidem euntem ad idolorum fanum, honoris causa comitatus est, sed cùm ibidẽ sacrificus idololatra roscidis quibusdam frondibus eum asperssisset, ipse illi alapam impegit conuiciisque eum proscidit, ac partem vestis in quam asperginis illius gutta ceciderat, abscidit. Quocirca ipse ob Christianam fidem à Iuliano militia exutus, & in exilium actus hac sua in fide constantia meruit Iuliano post Iouianum in imperio succedere. *Qui ergo omnia pietati posthabuit, omnia consecutus est munere pietatis*, ait Baron. anno Christi 364.

Sic S. Serg. & Bacchus primicerij Maximiani Imp. comitati sunt eum sacrificaturũ Ioui vsque ad ianuas templi, sed illud ingredi noluerunt. Causam rogati dixerunt, se religione prohiberi: se enim Christianos esse, nec Iouem sed Deum verum colere. Qua de causa excruciati gloriosum obiêre martyrij agonem die 7. Octobris: quia nimirùm tunc asseclæ Imperatoris solebant iniicere thus thuribulo in honorem idoli, & idolo acclamare, aliisque signis & modis cooperari idololatriæ Imperatoris. Adde tunc flagrante Imperatorum in Christianos persecutione, signum idolorum cultus erat astare sacrificiis. Denique sub decem primis Imper. fideles persequentibus, Christiani feruentes erant, & quamlibet idololatriæ speciem & vmbram horrebant & cauebant.

Porrò Naaman hîc factus est veri Dei cultor, non tamen Iudæus vel proselytus, quia non fuit circumcisus: quare legem Moysis seruare non tenebatur, vti ad eam æquè ac ad circumcisionem obligabantur omnes Iudæi, tanquam Abrahæ, Isaac & Iacob posteri: mansit ergo Naaman gentilis, & Deum verum colebat, vti colebant patres omnes ante diluuium in statu legis naturæ. Vide S. Aug. serm. 207. de Temp. qui est de Naaman Syro.

Remmon est Venus.

REMMON] nonnulli censent *Remmon* esse Iouem summum Deorum, itaque dici quasi רם *ram* id est *excelsum*, vtpote altitonantem. Melius Seratius, Sanchez & alij censent esse Venerem, tum quia Venus erat Dea Syriæ, tum quia Syri Venerem faciebant tam Deum quàm Deam teste Macrobio; tum quia *Remmon*, Hebr. significat *malum punicum*. Veneri autem poma præsertim aurea & punica, ob pulchritudinem & seminum fœcunditatem sacra fuisse testantur Theocritus, Virg. Lucian. & Ouid. lib. 10. Metamor. Vide Pierium Hieroglyph. lib. 54. Sic Romani colebant Pomonam quasi Deam pomorum, teste S. Aug. lib. 3. ciuit. 24.

ABIIT ERGO AB EO ELECTO TEMPORE] Chald. & Pagn. *Abiit ab eo milliare terræ.* Sept. *In spatio terræ.* Isidorus; *quasi per stadium terræ.* Vatab. *iugerum agri.* Caiet. ex R. Dauid: *prandio terræ*, id est tanto spatio Naaman abierat ab Elisæo, cùm ad eum venit Giezi petens munera, quantum durante prandio confici poterat, scilicet milliare. Et huic expositioni vulgatam versionem accommodat Sanchez, vt *electum tempus* vocetur milliare: milliare enim est communis & electa hominum mensura, quam scilicet omnes communi consensu elegerunt ad demetiendum locorum spatia & distantias.

Verùm Noster Genes. 35. 16. vertit: *verno tempore*, alibi vertit *tempus viriditatis*. Ergo *tempus electum*, est tempus vernum quo omnia virent. Ita Rupert. addit hoc Script. vt significet Elisæum prudenter Naamano præscripsisse lotionem in Iordane, ex eo quòd erat tempus vernum; tunc enim tepente aura lotiones corpori salutares sunt, cùm in hyeme ob frigus sint noxiæ. Rursùm vt significet lætiorem hanc à lepra curationem accidisse Naamano, ex tempore, vtpote quæ acciderit in vere, cùm omnia florent & lætitiam homini aspirant; lætissimum ergo ipsum rediisse domum. Vide dicta Genes. 35. 16.

VERS. 20. VIVIT DOMINVS, QVIA CVRRAM POST EVM, ET ACCIPIAM AB EO ALIQVID] q. d. Iuro per Deum quòd petam à Naaman aliquod antidoron, siue munus pro sanitate ei data à meo magistro Elisæo. Hinc patet Giezi propriè non fuisse Simoniacum, quia miraculosam sanitatem Naamano non vendidit pretio, nec de eo cum ipso pactus est; sed post gratis ei datam ab Elisæo sanitatem, munus aliquod ab eo petiit: Simoniacus verò primus fuit Simon magus, qui à S. Petro emere voluit pretio Spiritum sanctum, Act. 8. vnde ab eo hoc peccatum nomen *Simoniæ* accepit. Peccauit tamen graviter Giezi, primò, quòd inscio & inuito Elisæo, hoc munus à Naaman petierit & acceperit. Secundò, quòd mentitus sit Elisæo id petere. Tertiò, quòd Elisæo hanc notam cupiditatis insserit, quæ multùm eius sanctitati & honori derogabat. Ipse enim respuens munera Naaman ab eo, habitus fuit vt vir diuinus, & propheta cælestis: iam verò petens munera videri ei potuit homo egens & cupidus, ac similis pseudoprophetis, qui pro suis vaticiniis accipiebant munera. Quare poterat Naaman deficere à fide quam conceperat de Deo vero, ex sanctitate & integritate Elisei. Vnde valdè verisimile est Elisæum effecisse, vt Naaman resciret, Giezi se inscio munera hæc ab eo petiisse, ideoque à se lepra punitum, vt hac ratione integritas sua in munerum contemptu Naamano constaret; itaque ille in opinione, quam de eo conceperat ac vera in Deum fide confirmaretur. Quartò, Giezi peccauit furto, quia Naaman munera hæc mittebat Elisæo, pro quo ea Giezi petebat: Giezi autem illa in suos vsus commertere destinabat. Vnde ea abscondit v. 24. ne quid Elisæus de iis sciret. Quocirca mox Elisæus illi exprobrat v. 26. *Accepisti argentum*, inquit, *vt emas olueta & vineas.* Quintò, peccauit Simonia mentali, animum enim habuit Simoniacum: petiit enim munera à Naaman intuitu sanitatis miraculosè illi ab Elisæo collatæ, quasi hæc merces & hoc pretium Elisæo pro sanitate deberetur. Vnde S. Ambros. lib. de dignit. Sacerd. c. 4. ait Simoniacos esse sectatores Giezi & Simonis magi, ideoque lepram simoniæ adhærere eorum non corporibus, sed mentibus.

Peccauit Giezi. Primò, Secundò. Tertiò, Quartò, Quintò.

NONNE COR MEVM IN PRÆSENTI (præsens) ERAT, QVANDO REVERSVS EST HOMO (Naaman) DE CVRRV SVO IN OCCVRSVM TIBI] *Cor*, id est mens & oculi mẽtis meæ à Deo supernaturaliter eleuati & adiuti fuêre, vt absentem & remotam tuam munerum à Naamam acceptionem, quasi præsentem cognoscerent, & cernerent. q. d. Putabas me absentẽ cùm munera petiisti: at ego spiritu tibi præsens eram; mentis enim intuitu vidi omnia quæ fecisti. Mulrò ergo magis ait S. Aug. lib. 22. ciuit. 29. sancti in cælis absentia & remota quæ in terra fiunt, cernere possunt. VERS. 26.

Simili modo S. Benedictus vidit absentia multa, vti narrat S. Greg. 2. dial. c. 13. 18. 19. vnde addit S. Greg. eum habuisse spiritum Elisei.

ACCEPISTI ARGENTVM &c. VT EMAS OLIVETA ET VINEAS ET OVES ET BOVES ET SERVOS ET ANCILLAS] Talentum argenti continebat sex millia siclorum argenti, hoc est sex millia florenorum Brabanticorũ siue Fran- VERS. 26.

corum vt vocant Galli: quare duo talenta quæ accepit Giezi valebant duodecim millibus Francorum, quæ faciunt quatuor millia coronatorum Francicorum: quorum quisque cõtinet duodecim Iulios siue Regales. hac summa autem illo æuo, cùm omnia essent vili pretio, ac rarum foret argentum, poterant emi hæc omnia. Alij disiunctiuè explicant q.d. Vt emas vel olieta vel vineas vel oues & boues. Hinc videtur quòd Eliseus munera hæc sibi à Naaman per Giezi missa, ipsi Giezi concesserit & dederit, ne ipse iniustè ea possidens continuè peccaret.

VERS. 27. SED ET LEPRA NAAMAN ADHÆRÆBIT TIBI ET SEMINI TVO VSQVE IN SEMPITERNVM] non absolutè vt patet, sed q.d. ad longissimum & immemorabile tempus, v.g. per trecentos annos, siue in tertiam & quartam generationem. Exodi 34.7. ita Serar. Abul. Sanchez & alij.

Argentum ergo quod iniquè accepit Giezi, fuit veneno infectum & pestiferum, instar vestium nummorumque quibus in domo pestè infecta pestis adhæresci, vt ea accipientem inuadat & inficiat. Sic enim lepra Naaman quasi adhæsisset argento, infecit Giezi illud recipientem, eumque leprosum effecit.

Quare deinceps Giezi cum Eliseo versatus non est, sed vt leprosus hominum consortium ex lege Leuit. 13. & 14. vitare debuit: nec enim eum Eliseus legis studiosissimus ad se admisisset. Ita Abul. q. 10. quòd ergo Giezi c. 8. cum rege Ioram collocutus dicitur, eique miracula Elisei narrasse, id videtur contigisse antequàm percussus esset lepra; vnde Abul. Serar. Salian. & alij censent hîc esse Hysterologiam, ac Giezi lepram, & consequenter Naamani ad Eliseum aduentum & sanationem, posteriùs contigisse, scilicet anno vltimo regni Ioram, cùm paulò pòst ipse occisus est à Iehu: si quis tamen ordinem S. Script. retinere velit, dicat oportet, Giezi pœnitentiam egisse, sicque Deum & Eliseum placasse, lepramque à se, si non à posteris omnibus repulisse, ait Serar. itaque iam mundatum collocutum esse cum rege Ioram.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliseus ferrum securis in aqua mersum ad lignum, quasi ad suum manubrium enatare facit: inde v. 8. consilia secreta regis Syriæ reuelat regi Israel. Mox v. 14. milites Syros ad se capiendum missos excæcat, ductq. ad regem Israel, eosq. vetat percuti, imò cibo refici iubet. Denique v. 24. rex Syriæ obsidet Samariam, eamq. ad extremam famem redigit. Quare rex Israel Eliseum ad necem deposcit, sed ille legatis regis ostium occludi præcipit.

1. DIxerunt autem filij prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis. 2. Eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de silua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. 3. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit: Ego veniam. 4. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Iordanem, cædebant ligna. 5. Accidit autem, vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamauitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam. 6. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natauitque ferrum. 7. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud. 8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum seruis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias. 9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Caue ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt. 10. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel neque bis. 11. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: & conuocatis seruis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? 12. Dixitque vnus seruorum eius: Nequaquam Domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclaui tuo. 13. Dixitque eis: Ite, & videte vbi sit: vt mittam, & capiam eum. Annuntiaueruntque ei dicentes: Ecce in Dothan. 14. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cùm venissent nocte, circumdederunt ciuitatem. 15. Consurgens autem diluculò minister viri Dei, egressus, vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus: nuntiauitque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus? 16. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. 17. Cumque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Elisei. 18. Hostes verò descenderunt ad eum: porrò Eliseus orauit ad Dominum, dicens: Percute obsecrò gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisei. 19. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: 20. cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine aperi oculos istorum, vt videãt. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. 21. Dixitque rex Israel ad Eliseum, cùm vidisset eos: Numquid percutiam eos, pater mi? 22. At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad dominum suum. 23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, & vltrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 24. Factum est autem post hæc, congregauit Benadad rex Syriæ, vniuersum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam. 25. Factaque est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 26. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: Salua me domine mi rex. 27. Qui ait: Non te saluat Dominus: vnde te possum saluare? de area, vel de torcular? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: 28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. 29. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, vt comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. 30. Quod cùm audisset rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filij Saphat super ipsum hodie. 32. Eliseus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: & antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quòd miserit filius homicidæ hîc, vt præcidatur caput meum? videte ergo, cùm venerit nuntius, claudite ostium, & non finatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est. 33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum à Domino est: quid ampliùs expectabo à Domino?

VERS. 1. DIXERVNT AVTEM FILII PROPHETARVM AD ELISEVM: ECCE LOCVS IN QVO HABITAMVS CORAM TE (nos regente, docente & dirigente, quasi nostro duce & magistro) ANGVSTVS EST NOBIS] quia indies crescebat discipulorum ad eos & ad Eliseum confluentium, ac religiosam vitam ambientium numerus, ob eorum vitæ sanctitatem, & famam virtutis.

VERS. 2. EAMVS VSQVE AD IORDANEM, ET TOLLANT SINGVLI DE SILVA MATERIAS SINGVLAS, VT ÆDIFICEMVS] tuguria in quibus tanta multitudo religiosorum habitet. Vide hîc priscorum religiosorum paupertatem, laborem, & vnanimitatem. Auctor Theodor. *Chorus prophetarum extremam amplectebatur* (vltrò & voluntariè) *paupertatem; non enim habebant domos, sed vtebantur tuguriis. Quamobrem à magno illo propheta supplices petierunt, vt abiret cum ipsis ligna secantibus ad ea construenda. Tanta autem vtebantur paupertate, vt ne securim quidem sustinerent possidere.* Et S. Hier. Epist. 4. ad Rustic. *Filij prophetarum*, air, *quos monachos in veteri testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant.* Idem prorsùs fecere monachi & eremitæ post Christum, tempore S. Antonij, S. Basilij, S. Hieronymi: vnde iuxta Iordanem ædificabant sibi casulas & tuguria, vt patet ex vitis Patr. Hinc & ipse S. Hieron. per S. Paulam quinque ædificauit monasteria, ad quæ Romanam nobilitatem euocauit, atque vni eorum ipse præerat. Quocirca Franc. Suarez tomo 3. de religione lib. 3. c. 1. n. 6. & seq. ex S. Ignatio, Hier. Ambr. & Damasceno docet hos filios, id est discipulos propheratum fuisse typum & præludium Religiosorum noui testamenti, ac instar eorum coluisse castitatem, paupertatem & obedientiam, sed sine voto.

HEV, HEV, HEV DOMINE MI.] Tropol. VERS. 5. Eucher. *Rectè*, inquit, *is qui ferrum amiserat, clamabat, Heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam. Habent enim hoc electi proprium, si quando in eis sua scientia furtiua vanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor velociter redeunt, & quidquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inueniunt, lachrymis insequuntur. Qui flentes non solùm cauetè inspiciunt, quæ malè commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerant.*

DIXIT AVTEM HOMO DEI (Eliseus Dei seruus) VBI CECIDIT FERRVM? AT ILLE MONSTRAVIT EI LOCVM: PRÆCIDIT ERGO LIGNVM ET MISIT ILLVC, NATAVITQVE FERRVM] Idem prorsùs Gotho cuidam pau- VERS. 6.

peri præstitit S. Benedictus, qui, vt ait S. Gregorius 2. Dial. c. 6. *accessit ad locum* (ad lacum in quem ceciderat ferrum ex falce) *tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit dicens: Ecce labora, & noli contristari.*

Quæres, an verum hîc fuerit miraculum? Asserit Vallesius S. Phil. c. 37. dicens Deum ferro grauitatem detraxisse & indidisse leuitatem, vt è fundo enatando ferretur in altum. Verùm dico non fuisse hîc propriè dictum miraculum, quod omnem naturæ & naturalium causarum vim excedat oportet, vt à solo Deo patrari possit. Omnia enim hæc facta sunt per Angelum, qui lignum ab Eliseo præcisum & in manubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inseruit, in altum extulit, & securim ibi fluitantem sustentauit, donec eam lignator apprehenderet. ita Abul.

Ferri enatantis Allegoria.

Alleg. Tertul. lib. contra Iudæos c. 13. per aquas Iordanis accipit baptismum; per lignum, crucem Christi; per ferrum, dura peccatorum corda. *Quid*, inquit, *manifestius huius ligni Sacramento? quòd duritia huius seculi mersa in profundo erroris, & à ligno Christi, id est passioni eius in baptismo liberatur; vt quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.* Sic & S. Ambr. lib. 2. de Sacram. c. 2. *Ecce*, inquit, *aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum, quasi ferrum premitur atque demergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam iam leuior fructuosi ligni species leuatur.* Et mox: *Videsergo, quòd in cruce Christi omnium hominum leuatur infirmitas.* Et Theodor. q. 19. *Hoc*, inquit, *præfigurauit Seruatoris nostri dispensationem; quomodo enim lignum quidem, quod est leuissimum fuit demersum; quod est autem grauissimum, nempe ferrum, supernatauit: ita diuinæ naturæ descensus effecit, vt humana natura ascenderet.*

S. Aug. verò serm. 210. de Temp. per fluuium accipit fluentes voluptates & concupiscentias, ex quibus nos mersos liberat Eliseus, id est Christus per lignum crucis. *Securis illa*, inquit, *in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyssum infelici ruina corruerat, sicut scriptum est: Infixus sum in limo profundi. Et iterùm, Deueni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Fluuius enim ille, vbi securis cecidit, significat præterfluentem & fugitiuam, & in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam seculi huius. Fluuius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores trãsitoris voluptatibus inhærentes, fluere dicuntur; ideò securis illa in fluuio & in limo iacebat oppressa.* Pergit deinde ad Eliseum, id est Christum Saluatorem: *Veniens verò Eliseus misit lignum, & natauit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in medium producere, nisi paruulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare? Postquàm verò natauit ferrum, misit manum Propheta, & recepit illud, & rediit ad vtiles vsus domini sui. Ita & de nobis factum est, dilectissimi fratres, qui de manu Domini superbiendo eccideramus, per crucis lignum iterum ad manum vel ad potestatem Domini redire meruimus. Et ideò quantùm possumus, cum ipsius adiutorio laboremus, ne iterùm superbiendo de manu Domini corruamus.*

S. Irenæus autem lib. 5. c. 17. per ferrum accipit firmum Dei verbum, quod per lignum (comedendo ex ligno scientiæ boni & mali à Deo vetito Genes. 3.) negligenter amisera-mus, nec inueniebamus, sed per lignum crucis Christi recepimus. *Quòd autem securis similis sit verbo Dei*, inquit, *docet Ioannes Baptista dicens: Iam autem securis ad radicem arborum posita est.* Matthæi 3.

Tropol. Angelom. *Ferrum in manubrio*, inquit, *donum intellectus in corde est: ligna verò per hoc cædere, est prauè agentes increpare; quod nonnunquam dum fluxè agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profectò intelligentiam ad hoc nouimus dari, vt ante dantis oculos ex bona actione debeat restitui. Vnde rectè is, qui ferrum amiserat, clamabat: Heu, heu, heu domine mi, & hoc ipsum mutuum acceperam.* Idem iisdem verbis habet Eucher. ac penè Ruper.

Anagog. Beda: sicut ferrum aquis mersum Eliseus reduxit ad manubrium; sic Christus corpus suum aquis passionis & mortis demersum reuocauit ad vitam. Idem faciet nobis in cõmuni omnium resurrectione. Corpus enim nostrum instar ferri est durum, graue, frigidum, ferruginosum, & pronum vt in abyssum ruat; sed Christus ferro huic contrarias dotes corporis glorioſi inseret, illudque quasi igniet, vt sit clarum, agile, leue, subtile, impassibile, glorioſum.

DIXITQVE VNVS SERVORVM EIVS] Abul. putat hunc fuisse Naaman, quem Eliseus à lepra curarat: sed videtur incredibile, quòd ipse Eliseum sibi tam beneficum regi prodiderit, vti sub initium cap. 8. fatetur Abul.

ELISEVS PROPHETA QVI EST IN ISRAEL, INDICAT REGI ISRAEL OMNIA VERBA QVÆCVMQVE LOCVTVS FVERIS IN CONCLAVI TVO] Spiritus enim prophetiæ est cognoscere tam arcana, absentia, & remota, quàm futura prædicere. Vtrumque enim eandem virtutem requirit, scilicet opem & reuelationem diuinam.

NOLI TIMERE: PLVRES ENIM NOBISCVM SVNT, QVAM CVM ILLIS] *Plures*, nimirùm Angeli, qui pro Deo & sanctis eius, quasi cælestes acies innumeræ & fortissimæ militant, ob quas ipse vocatur *Deus sabaoth*, id est *exercituum*, iuxta illud Psal 33. *Immittet* (Hebr. חנה *chone*, id est, *castra metabitur*) *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Sic de Iacob fugiente Esau dicitur Genes. 32. 1. *Fueruntq; ei obuiã Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Sic Angeli pugnarunt pro Mose & Hebræis contra castra Pharaonis in mari rubro. Exodi 14. Vnde S. Ambr. serm. 1. de Eliseo: *Diuinus timor*, inquit, *terrorem à nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Saluator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quàm murus tuetur; misericordia facilius liberat, quàm rapina; oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum percutit aduersarium, oratio autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum* Et paulò pòst: *Mira res, plures è cælo defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Causam subdit: *Scire enim debet, quòd aduersarij meritis magis quàm virtute vincuntur, & non tam virtute quàm sanctitate superantur, sicut sanctus Eliseus, hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat.*

VERS. 17. ET APERVIT DOMINVS OCVLOS PVERI] *Non mirum*, ait S. Ambros. serm. de Eliseo, *sioratio aperuit oculos, vt videret exercitus; non mirum, inquam, si nouos inserit oculos, qui noua promeretur auxilia. Aut cur non aciei producat obtutum, qui acies instruxerat Angelorum? Cur, inquam, non oratione sua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis suis caliginem nubium penetrauit? Necessariò ergo S. Eliseus hoc facto ministro formidoloso præstitit securitatem, cui iam refuderat claritatem.*

ET ECCE MONS PLENVS EQVORVM, ET CVRRVVM IGNEORVM, IN CIRCVITV ELISEI] Angeli hos equos & currus specie ignis ex aëre & nubibus ac radiis solis, appositè ad ignis colorem exhibendum per eas transparentibus, efformarunt, vt Eliseo suam cælestem naturam igneamque celeritatem, fortitudinem, vim & efficaciam repræsentarent, vti repræsentarant Eliæ in eius raptu. Spiritus enim Eliæ successor & heres fuit Eliseus; in eo ergo impletum fuit illud Dei promissum: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Zachar. 2. 5. vide ibi dicta. Causam dat S. Amb. serm. 2. de Eliseo. *Quid mirum*, ait, *si is auxilia meretur è cælo cuius animus semper in cælo est, sicut ait Apostolus: Nostra autem conuersatio in cælis est? Ergo si nostra conuersatio in cælis est, & cælestium conuersatio potest esse nobiscum: hoc est, vt qui vitâ viuimus, Angelorum rectè consortium mereamur. Est ergo sanctè viuentibus quædam inter se cognatio, coniunctio atque societas; nec interest vtrùm in cælis maneant, an in terris; angelici sint habitus vel humani, dummodo in iis sit eadem vita vel sanctitas. Conuersatio enim connectit, quos separat elementum, & diuersis licet corporibus diuidantur, isdem tamen actibus coniunguntur. Atque ideò sit vt sancti sibi quodam consortio cohærentes, à se inuicem non discedant: & modò Angeli ad terras veniant, modò homines ad cælestia transferantur: ac profectu meliore quibus vita communis est, incipiunt illis viuendi etiam elementa esse communia.*

VERS. 18. PERCVTE OBSECRO GENTEM HANC CÆCITATE] Septuag. ἀποφορίᾳ, id est *auidentia*, vt scilicet videntes non videant, nec aduertant. Hinc eâ percussi hîc Syri Eliseum quidem & ciuitatem videbant, sed non agnoscebant nec aduertebant. Simili cæcitate & aorasia percussi sunt ciues Sodomæ, inuadentes domum Lot Genes. 19. Audi S. Ambr. serm. 1. de Eliseo: *Tunc igitur orauit Eliseus, & omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum si aduersariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem; & si hostibus auferet visum, qui ministro præstat aspectum. Vbi sunt, qui dicunt, plus quàm preces sanctorum, hominum arma possè? Ecce vna oratio Elisei totum exercitum vulnerauit, & vnus propheta in ritis omnis est hostium numerus captiuatur. Quæ cæteræ regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vt de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.*

VERS. 19. DIXIT AVTEM AD EOS ELISEVS: NON EST HÆC VIA, NEQVE ISTA EST CIVITAS] Abul. putat Eliseum hic officiosè mentitum. Videbant enim Syri ciuitatem Dothain in qua, vel iuxtaquam tunc degebat Eliseus, quem quærebant: hoc autem videtur negare Eliseus dicens: *Neque ista est ciuitas*, quam quæritis. Excusat Eliseum Lyran. dicens eum locutum esse non de ciuitate Dothain, *in* qua tunc degebat, sed de Samaria vbi habebat domum & fixerat sedem, vt patet v. 32. Non enim respondet hîc Eliseus ad quæsita Syrorum, vtpote qui nihil interrogarant, sed ad mentem eorum, q. d. Quæritis Eliseum ô Syri, venite mecum, ego ostendam vobis viam in Samariam, in qua ipse habitat, ibique ego eum vobis ostendam, faciamque vt agnoscatis, quem modò præsentem quidem habetis, sed tamen percussi aorasiâ non cognoscitis. Nolebat enim ab eis agnosci in Dothain, sed in Samaria; vt eos ad regem deduceret, & conuiuio exciperet. In hisce autem verbis nullum fuit mendacium, sed celatio veritatis dumtaxat, quæ licita est, & sæpe necessaria: si enim veritatem aperuisset, dixissetque: *Ego sum Eliseus quem quæritis*, non potuisset eos tradere regi Israel, nec suam in eos potentiam æquè ac beneficentiam ostendere. Quòd si Syri rogarint Eliseum: Quæ est via in Dothain, vbi est Eliseus? vti nonnulli censent, idque responsio Elisei subindicat, non tenebatur Eliseus ad eorum, vtpote hostium mentem respondere, sed ad propriam & suam; scilicet hanc non esse Samariam patriam suam, vbi Eliseum, quem quærebant, erant agnituri, vti dixi.

NON PERCVTIES] id est non occides Syros, quos ad te perduxi: *si enim occidantur*, ait Theodor. *non cognoscetur magnitudo miraculi: sin autem reuertantur ad eum qui misit, ille quoque discet Dei nostri potentiam.* VERS. 22.

SED PONE PANEM ET AQVAM CORAM EIS, VT COMEDANT ET BIBANT] Noluit Eliseus Syros licet hostes, occidi à rege Israel, sed benignè & lautè tractari, vt eos charitate superaret, & ex inimicis amicos faceret, vt deinceps tertã Israel non inuaderent, nec prædarentur; quod & fecerunt victi ab Elisei tum potentia, tum potiùs amore. Vide S. Chrys. (vel quisquis est author: ftyli enim elegantia arguit fuisse Latinum non Græcum) hom. de Eliseo & Syrorum insidiis detectis tomo 1. vbi inter cætera ait de Syris: *Mirantur & stupent sibi pro morte victum, pro interitu cibum, conuiuium pro pœna parari.* Et inferiùs: *Fit tunc propheta sanctissimus glorioſus in suis, glorioſior in alienis. Exhibet suis signa virtutum, & alienis causas exhibet gloriarum. Docuit prior inimicos fouere, docuit primus debere hostibus parci, docuit aduersariis pro pœna epulas exhiberi.* Deinde docet Eliseum fuisse typum Christi, vnde subiicit: *O Dominum Christum, & in veteribus nouum, & in nouis exemplis veterem figuratum! Eliseus sanctissimus clausit visum, & referat: cæcos efficit, & illuminat: aspectum adimit, & condonat: persequentibus adimit, & se sequentibus tribuit: cæcos efficit alienos, & videntes efficit in ciuitate inclusos. Qui captiuare prophetam venerant, excæcantur; & qui capti tam fuerant, oculantur. Huius vtriusque veritas completur, vt & figura Christi, & exemplum futuri populi monstraretur; vt iam fierent ex alienis proprij, ex inimicis amici, & ex hostibus sui. Dimittit Eliseus exercitus istos ad suos; dimittit, inquam, tot prædicatores, quot habuit hostes: tot relatores virtutum, quot homines hostium.* Denique

concludit dicens: Quod tunc temporis defuit A postmodùm completum esse per Apostolos in Pentecoste & deinceps, dicēte Script. Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

VERS. 23. ET VLTRA NŌN VENERVNT LATRONES SYRIÆ IN TERRAM ISRAEL] scilicet viuente Eliseo, siue ad longum tempus: nam posteà rursùm venisse liquet ex sequent. Hic fuit fructus beneficentiæ Elisei in prædones Syros, vti iam dixi. ita S. Chrys. hom. 1. de Eliseo.

VERS. 25. DONEC VENVMDARETVR CAPVT ASINI OCTOGINTA ARGENTEIS] hoc est 80. siclis, puta 80. florenis Brabanticis siue 80. Francis. *Argenteus* enim erat siclus, licet nonnulli putent fuisse dimidium sicli dumtaxat; & sic 80. argentei essent 40. Franci. Aliqui per *caput asini* B accipiunt totum asinum, vt sit Synecdoche, qua caput significat totum corpus vel animal, vt cùm dicimus quid tibi vult istud *caput* hominis, vel istud insanum *caput*? id est iste homo. Simpliciùs alij accipiunt solum caput asini; hoc enim arguit ingentem fuisse famem, & asinus magno præ cæteris animalibus est capite, si proportio ad reliquum corpus spectetur. Sic cùm Hannibal Casilinum obsideret mus vnus vendebatur ducentis denariis, teste Valer. Max. lib. 7. c. 6.

ET QVARTA PARS CABI STERCORIS COLVMBINI QVINQVE ARGENTEIS] *Cabus* siue chœnix erat mensura victus diurni, continens quatuor libras & quinque vncias, vt dixi in fine Pentateuchi: quarta pars cabi ergo erat libra cum vncia, putà tredecim vnciæ. Lyran. Hugo & Dion. per *stercus* intelligunt grana frumenti, quæ in columbarum gurgulione vel vētriculo inueniuntur. Verùm alij simpliciter *stercus* vt sonat accipiunt. Vnde Ioseph. & Theodor. censent stercus hoc columbinum fuisse pro sale: habet enim vim acrem & causticam teste Galeno. Planiùs alij stercus columbæ censent fuisse pro edulio, tum quia fit ex granis alisque cibis purioribus, tum quia humidius est, & rebus integrioribus constat, vnde hominī est edule. Addit Plinius lib. 29. c. 6. simum columbarum ex aceto valere ad curandas agilopas, albugines & cicatrices; ac lib. 30. c. 4. ad faucium asperitates & distillationes leniendas. Insuper margaritas, quæ cōtra cardiacos & melancholicos affectus celebrantur, & quarum siccitate innata, corporum redundantiæ consumuntur, puriores reddit. Ita enim scribit l. de gemmis c. 13. Franc. Ruæus: Est apud Vogesum in Lotharingia montem, amnis margaritarum ferax; verùm non vsque adeò splendidæ sunt: minùm tamen, quòd quæ per genesin gratia in eis desideratur, per columbas retarcitur: quæ scilicet deuoratas, puriores tandem eas cum fæcibus reddunt, restituuntque, ait Serarius & ipse Lotharingus.

VERS. 27. QVI AIT: NON TE SALVAT DOMINVS: VNDE TE POSSVM SALVARE? DE AREA VEL TORCVLARI?] hoc est, vt Vatab. vertit: *Quādoquidem Dominus tibi non fert opem, vnde ego tibi ferrem opem? de horreōne an de torculari?* q. d. Cùm Dominus famem hanc toti vrbi immiserit, nisi ipse tibi in ea succurrerit, ego tibi succurrere nequeo; quia non habeo frumentum in horreo, nec vinum in torculari. q. d. mihi ipsi deest panis & vinum ad victum. Vnde Chald. vertit: *Ni saluet te Dominus, vnde saluabo te?* Hinc & Regia in vulgata editione sic legunt: *Non, saluet te Dominus.* q. d. Non ego, sed Dominus te saluet & pascat, quia ego non habeo cibum quem tibi dem.

Aliter Ioseph. Abul. & Sanchez; Rex, inquit, ob famem & ob importunam interpellationem mulieris iratus indignanter respondit: *Non te saluet Deus.* q. d. Deus te affligat. Sic Gentiles irati malà imprecantes dicebant: *Dij te perdant, Dij tibi malè faxint.* Vnde Vatab. sic quoque vertit: *Dispereas, quare quæris à me cibum, cùm me scias omni cibo carere?*

COXIMVS ERGO FILIVM MEVM, & COMEDIMVS] Barbarum fuit hoc epulum, quod matri extrema fames extorsit, vt matrem se oblita, fieret mactatrix & voratrix filij. Simile accidit in obsidione Ierosolymæ sub Tito, teste Iosepho; ac vltimis hisce annis Sueco Germaniam populante multi fame adacti, carnes humanas vorarunt. Permisit Deus Samaritas ad hæc extrema adigi, primò, ad puniendum eorum schisma & idololatriam. Secundò, vt illustrior fieret sua ex iis liberatio, & Elisei illam promittentis propheria. Sic Deus permittit homines subinde ad ipsa mortis limina peruenire, vt eò feruentiùs Deum inuocent, ac Deus eos exaudiens maiorem ab eis gratiarum actionem & laudem referat. Quare in rebus naturaliter desperatis maximè sperandum est in Deo, qui illis solet succurrere iuxta illud: *Deus ex machina.* C Audi S. Aug. serm. 211. de Temp. *Natum conuertit in cibum, quem Deus condidit in solatium. Sed postquàm ad funestas epulas venerunt esset, altera mulier alteram exhortatur: Recipe, inquit, recipe miseranda mater in viscera filium, nuper visceribus procreatum. Esto tui nati sepulchrum, esto eius corporis diuersorium. Esto eius, vt ita dixerim, monumentum: intra te paululùm comestus infans redeat, qui per famem viuere iam iamq; non poterat. Recipiat nunc comestum uterus, quē viuum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuum, vnde nuper exierat viuus.*

VIDITQVE OMNIS POPVLVS CILICIVM QVO VESTITVS ERAT (REX) AD CARNEM INTRINSECVS] Rex hic, licet impius & idololatra, censuit pœnitentia & cilicio placandum esse Deum: pientior ergo fuit nostris hæreticis, qui cutieulam curantes, respuunt cilicia, eaque superstitioni addicunt. Vide hîc quàm antiquus sit vsus cilicij in pœnitentia. Sic rex Ninives cum tōto populo vestiuit se sacco (cilicio) sedítque in cinere. Ionæ 3. 6. itaque excidium sibi à Deo per Ionam comminatum pœnitendo euasit. Sic rex Arrianus cilicium induit, eoque & precibus Deum placauit, teste Saluiano lib. 7. Porrò longè antiquior est vsus cilicij; primus enim eo vsus legitur Iacob Patriarcha, audiens filium suum Ioseph à bestia deuoratum, Genes. 37. 34. vbi multa de vsu cilicij dixi.

ET AIT REX: HÆC MIHI FACIAT DEVS, ET HÆC ADDAT: SI STETERIT CAPVT ELISEI FILII SAPHAT SVPER IPSVM HODIE] q. d. hodie amputabo caput Eliseo, eò quòd ipse suaserit nobis sustinere hanc in Samaria obsidionem, promittendo Dei in ea soluenda auxilium, cùm in ea extremam famem patiamur, simus-

simusque desperati: sine eo enim tempestiuè A que reuocans. ita Ioseph. q. d. ne timeatis resistere nuntio regis, quia rex eundem statim reuocabit; adeò enim festinus eum sequitur, vt videar sonitum pedum eius festinantis audire. Hinc patet Eliseum suasisse regi ne Samariam dederet Syris, sed à Domino speraret auxilium & subsidium. Fuit hic rex Ioram filius Achab, qui ei successit; eius enim acta hîc describuntur vsque ad c. 8. v. 24. vbi mors eius narratur. Igitur Ioră præcipitanter ex cholera miserat nuntium ad occidendum Eliseum; sed mox subsidente cholera ad se reuersus pœnituit: quare metuens ne nuntius Eliseum occideret, vt iusserat, illicò nuntium secutus accurrit, vt cædem inhiberet. Sciebat enim Eliseum esse prophetam, virum sanctum, & beneficum Samariæ, atque aliàs sæpè eius oracula fidelia & verissima esse, expertus erat: vt de hoc quoque, de obsidione inquam soluenda, vix dubitare posset. ita diserte Ioseph. Theodor. & Abul.

VERS. 32. NVMQVID SCITIS, QVOD MISERIT FILIVS HOMICIDÆ (scilicet Ioram rex Israel, qui *filius* est Achabi *homicidæ*; Achab enim occidit Naboth.) HVC VT PRÆCIDATVR CAPVT MEVM] q. d. Ioram patrissat & imitatur patrem suum; sicut enim Achab pater eius occidit Naboth, sic ipse me vult occidere, æquè ac ipse occidit sex fratres suos, vt dicitur 2. Paral. 21. 3. & seq.

VIDETE ERGO CVM VENERIT NVNTIVS, CLAVDITE OSTIVM, ET NON SINATIS EVM INTRARE. ECCE ENIM SONITVS PEDVM DOMINI EIVS POST EVM EST] q. d. Rex ipse nuntium à se missum ad me occidendum illicò subsequitur, mandati sui pœnitens, illud-

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Eliseus Samariam obsidione & fame crastino die liberandam: ita fit. Deus enim terrorem per spectra hostium immittens Syris, eos in fugam agit. Vnde Hebræi eorum castra prædantur, & annonæ fit copia.

1. DIxit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno, in porta Samariæ. 2. Respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 3. Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad inuicem: Quid hîc esse volumus donec moriamur? 4. Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur: siue manserimus hîc, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ. si pepercerint nobis, viuemus: si autem occidere voluerint, nihilominùs moriemur. 5. Surrexerunt ergo vesperi, vt venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. 6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad inuicem: Ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israel reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt super nos. 7. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos & asinos, in castris, fugeruntque, animas tantùm suas saluare cupientes. 8. Igitur cùm venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt: & rursùm reuersi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt. 9. Dixeruntque ad inuicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuntij est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare vsque manè, sceleris arguemur: venite, eamus, & nuntiemus in aula regis. 10. Cumq; venissent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis, dicentes: Iuimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos & asinos alligatos, & fixa tentoria. 11. Ierunt ergo portarij, & nuntiauerunt in palatio regis intrinsecus. 12. Qui surrexit nocte, & ait ad seruos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, & idcircò egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes: Cùm egressi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus. 13. Respondit autem vnus seruorum eius: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in vrbe (quia ipsi tantùm sunt in vniuersa multitudine Israel

rael, alii enim consumpti sunt) & mittentes explorare poterimus. 14. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens: Ite & videte. 15. Qui abierunt post eos vsque ad Iordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus & vasis, quæ proiecerant Syri cùm turbarentur: reuersíque nuntij indicauerunt regi. 16. Et egressus populus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ statere vno, & duo modij hordei statere vno, iuxta verbum Domini. 17. Porrò rex ducem illum, in cuius manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus est, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum. 18. Factumque est secundùm sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo modij hordei statere vno erunt, & modius similæ statere vno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ: 19. quando responderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 20. Euenit ergo ei sicut prædictum fuerat, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus est.

VERS. 1. IN TEMPORE HOC (hac hora) CRAS MODIVS SIMILÆ VNO STATERE ERIT] id est vendetur vno siclo, hoc est vno Franco Gallico, putà quatuor Iuliis, siue Regalibus, q.d. cras summa erit frumenti abundantia, per quã omnis Samariæ inopia & fames tolletur, omniaque vili pretio comparabuntur.

Alleg. *Benadad* est diabolus, qui obsidebat Samariam, id est Ecclesiam veterem, faciebatque vt esset magna fames spiritualis verbi Dei, ac salutis, rerumque cælestium. Venit Eliseus, id est Christus, qui per se & Apostolos vbique prædicando, hanc famem sustulit; fecitque vt vbique sint doctores, qui prædicent verbum Dei, quique doceant viam salutis, virtutis & perfectionis. ita Eucher. & Angelom.

VERS. 2. SI DOMINVS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN CÆLO] vt pereas depluat triticum, sicut deplúerunt aquæ in diluuio Noë, & manna in deserto, Exodi 16. *Nunquid poterit esse quod loqueris*? q.d. impossibile est vt in tanta rerũ inopia, tanta fiat subitò copia, vt tam vili pretio vendatur triticum, vnusque modius comparetur vno statere.

VIDEBIS OCVLIS TVIS, ET INDE NON COMEDES] quia à turba populi opprimeris in porta; idque fiet iusto Dei iudicio ob tuam incredulitatem, qua hoc meo ex Deo oraculo non credis; quia videris putare hoc factum esse impossibile etiam Deo, cui omnia sunt possibilia. Quare negas Deo suam omnipotentiam. ita Abul.

VERS. 6. SIQVIDEM DOMINVS SONITVM AVDIRI FECERAT IN CASTRIS SYRIÆ CVRRVVM ET EQVORVM] hostilium se inuadentium: itaque Syros terrefecit, vt consternati fugerent, & Samariam relinquerent liberam. ita Ioseph. A Vide hîc vt ludat in humanis diuina potentia rebus. Poterat enim in Syros immittere Angelos, qui illicò omnes trucidarent: poterat fulgetris eos sideraret: poterat igne cælesti, milleque aliis modis eos perdere. Sed noluit, voluitque eorum superbiam deprimere per inanem sonitum, per falsam imaginationem, per ridiculum metum, quo percuti timebant, vbi non erat timor, ac proiectis rebus omnibus fugiebant, vt vitam dumtaxat seruarent. Similem timorem panicum hostium plurimorum contra se venientium, immisit Deus in castra Madian, quando Gedeon cum trecentis militibus lagenas flammantes complodentibus, & tubis concrepantibus ea inuasit. Iudic. c. 7. 19.

TOLLAMVS QVINQVE EQVOS, QVI REMANSERVNT IN VRBE, QVIA IPSI TANTVM SVNT IN VNIVERSA MVLTITVDINE ISRAEL] puta in tota Samaria, quæ est caput & metropolis regni Israel, siue decem tribuum. B Legit interpres בכל *bechal*, id est *in vniuersa*: iam pro ב legunt affine כ, בכל *hechal*, id est, *sicut vniuersa*. Vnde Chald. Pagn. Vatab. vertunt: *Ecce illi sunt sicut vniuersa multitudo Israel*, q. d. sicut totus populus in Samaria macer & fame confectus est, sic & hi qui residui sunt in ea quinque equi, macilenti & fame confecti sunt.

VERS. QVEM CONCVLCAVIT TVRBA IN INTROITV PORTÆ] quia porta erat angusta, & turba ingens; quæ fame rabida quasi furebat ad cibum, qui erat in castris Syrorum; vnde ipse dux portæ volens hanc turbam moderari, & in C partes diuidere, ne se mutuò comprimeret, ab eadem violenter irrumpente oppressus & contritus est: ita Elisei oraculum per omnia verum certumque fuit.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ELiseus prædicit famem septennem. & v.7. Benadad regi Syriæ mortem, Hazaeli verò regnum eius: inde v.17. describuntur gesta Ioram filij Iosaphat regis Iuda, ac v. 25. gesta Ochoziæ filij Ioram.

1. ELiseus autem locutus est ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicumque repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. 2. Quæ surrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo sua, peregrinata est in Terra Philistiim diebus multis. 3. Cumque finiti essent anni septem, reuersa est mulier de terra Philistiim: & egressa est vt interpellaret regem pro domo sua, & pro agris suis. 4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. 5. Cumque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad regem pro domo sua, & pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, & hic est filius eius, quem suscitauit Eliseus. 6. Et interrogauit rex mulierem: quæ narrauit ei. Dedítque ei rex eunuchum vnum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, & vniuersos reditus agrorum, à die qua reliquit terram vsque ad præsens. 7. Venit quoque Eliseus Damascum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiauerunt que ei, dicentes: Venit vir Dei huc. 8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum, dicens: Si euadere potero de infirmitate mea hac? 9. Iuit igitur Hazael in occursum eius, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac? 10. Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur. 11. Stetitque cum eo, & conturbatus est vsque ad suffusionem vultus: fleuitque vir Dei. 12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio; & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides. 13. Dixitque Hazael: Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore. 14. Qui cùm recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem. 15. Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius: quo mortuo, regnauit Hazael pro eo. 16. Anno quinto Ioram filij Achab regis Israel, & Iosaphat regis Iuda, regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda. 17. Triginta duorum annorum erat cùm regnare cœpisset, & octo annis regnauit in Ierusalem. 18. Ambulauitque in viis regum Israel, sicut ambulauerat domus Achab: filia enim Achab erat vxor eius: & fecit quod malum est in conspectu Domini. 19. Noluit autem Dominus disperdere Iudam, propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus. 20. In diebus eius recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem. 21. Venitque Ioram Seira, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussítque Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua. 22. Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda, vsque ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in tempore illo. 23. Reliqua autem sermonum Ioram, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 24. Et dormiuit Ioram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ochozias filius eius pro eo. 25. Anno duodecimo Ioram filii Achab regis Israel, regnauit Ochozias filius Ioram regis Iudæ. 26. Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Athalia filia Amri regis Israel. 27. Et ambulauit in viis domus Achab: & fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener

ner enim domus Achab fuit. 28. Abiit quoque cum Ioram filio Achab, ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulnerauerunt Syri Ioram: 29. qui reuersus est vt curaretur, in Iezrahel: quia vulnerauerant eum Syri in Ramoth, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Porrò Ochozias filius Ioram rex Iuda, descendit inuisere Ioram filium Achab in Iezrahel, quia ægrotabat ibi.

VERS. 1. VOCAVIT (voce, id est iussu suo adducet) ENIM DOMINVS FAMEM, ET VENIET SVPER TERRAM SEPTEM ANNIS] Est Hysterologia: hæc enim prophetia Elisei de fame septenni, anteriùs facta est, scilicet ante quinque vel sex annos: hîc autem recensetur, eò quòd mulieri hospitæ suæ, cui hanc famem prædixerat Eliseus, post famis septennium in terram suam reuertenti contigerint ea, quæ hic v. 5. & seq. narrantur. Idem confirmatur ex eo quod Giezi hîc v. 4. colloquatur cum rege. Ergo necdum erat leprosus: leprosi enim arcebantur hominum commercio. Ergo hæc contigerunt ante aduentum & sanationem Naaman: tunc enim Giezi percussus est lepra, vti superiùs dixi. ita Torniellus, Salianus & alii.

VERS. 7. VENIT QVOQVE ELISEVS DAMASCVM (quæ erat metropolis Benadad regis Syriæ) ET BENADAD REX SYRIÆ ÆGROTABAT] in Damasco. Benadad paulò post solutam obsidionem Samariæ, ex terrore & mœrore hunc morbum, in quo mortuus est, incurrit. Audi Iosephum lib. 9. c. 2. *Rex autem Syrorum Damascum reuersus incolumis, vbi cognouit diuinitùs immisso terrore, se vnà cum exercitu in fugam coniectum, & vanum fuisse, quod de aduentu hostium crediderant, ratus omninò aduersum se habere Numen, per amicitiæ egritudinem in morbum etiam corporis incidit.* Nimirùm voluit Deus Benadad, qui tot clades Israeli intulerat, morbo & morte punire, ideoque Eliseum misit Damascum, qui Hazaeli eius mortem prædiceret, eumque regni successorem declararet.

VERS. 9. HABENS SECVM MVNERA ET OMNIA BONA DAMASCI, ONERA QVADRAGINTA CAMELORVM] Obtulit tot tantaque munera Hazael Eliseo pro salute Benadad regis sui; sed certum est Eliseum ea non acceptasse; tum quia ipse Benadad non sanauit, sed eius mortem prædixit: tum quia ipse constanter refutauit cap. 5. muneta Naaman, quem à lepra curarat, ac Giezi ea acceptantem leprâ puniuit. ita Abul. & alii.

VERS. 10. VADE, DIC EI: SANABERIS. PORRO OSTENDIT MIHI DOMINVS, QVIA MORTE MORIETVR] Est hic locus difficilis: nam videtur Eliseus iubere Hazaeli mendacium, vt scilicet dicat Benadad regi eum sanandum, cùm mox esset moriturus. Primò, Rabbini, & ex eis Abul. legunt contrariè, scilicet, *non sanaberis*: nam pro לֹ *lo*, per vau hoc est, *ei* legunt אֹ *lo* per aleph, hoc est, *non*. Verùm Chald. Sept. & Latini omnes Codices legunt affirmatiuè: *sanaberis*. Secundò, alij respondent Eliseum ironicè locutum q. d. scilicet sanaberis, speras te sanandum; sed erras: nam non sanaberis, sed morieris.

Tertiò & genuinè, *sanaberis*, scilicet quantum est ex parte morbi. q. d. morbus tuus non est lethalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verum: nam non morbus, sed vis Hazaelis occidit & suffocauit Benadad. ita Caiet. Serar. Salian. & alij.

QVID ENIM SVM SERVVS TVVS CANIS, VT FACIAM REM ISTAM MAGNAM?] Hazael negat se esse canem, non tantùm quoad vilitatem, sed etiam & potiùs, quoad impudentiam & feritatem caninam. q. d. ego non sum tam impudens, barbarus & ferus, vt instar canis sæuiam in viscera humana, eaque deuorem. Cur ergo tu ô Elisee asseris, mihique dicis: *parvulos eorum elides, & prægnantes diuides?* ita tum quidem sentiebat Hazael, sed factus rex Syriæ sensum mutauit, feciteque quod hîc prædicit Eliseus, quodq; ipse hîc abominatur. Honores enim mutant mores, sed raro in meliores. Causam subdit:

OSTENDIT MIHI DOMINVS TE REGEM SYRIÆ FORE] q. d. tu fies rex Syriæ, ideoque factus rex innatum Syrorum in Israelitas odiũ indues, vt *eorum parvulos elidas & prægnantes diuidas*, vti prædixi. Odium hoc cœpit ab Adad, dum Salomoni rebellauit feciteque se regem Syriæ; illudque ex eo quasi patre suxit filius Benadad, ac ex eo ceteri reges Syriæ. vide dicta 3. Reg. 11. v. 14. Hac regni prædictione audacior factus Hazael regem Benadad suffocauit, eiusque regnum occupauit, vt sequitur: ac immemor & ingratus Eliseo, hostem se fecit Israeli, in eumque sæuiit, impleuitque barbariem ab Eliseo sibi prædictam.

TVLIT STRAGVLVM, ET INFVDIT AQVAM, ET EXPANDIT SVPER FACIEM EIVS] Addunt Hebr. Chald. & Sept. *& mortuus est*. quod Noster expressit subdens: *Quo mortuo regnauit Hazael.* Videtur Benadad æstu febrili æstuans petiisse aquam ad se refrigerandum: porrexit illam ei in stragulo aqua madefacto Hazael, itaque vel per imprudentiam, vel potiùs per dolum distillante continuò ex stragulo aqua in os & fauces Benadad, eum suffocauit, vt ei in regno succederet. Addit Serarius, aquam hanc & stragulum fortasse venenato quopiam humore fuisse infectum; sicut de Herculis Deianiræa veste tradunt veteres, ac de Othonis III. Imp. Ladislai Hungarorum regis, & Solymanni tunica. Iosephus ait simpliciter strangulatum fuisse: ita nimirùm Deus puniuit Benadad ob sæuitiam in Israelitas exercitam. Porrò Benadad videtur regnasse 56. annos; tot enim intercedunt ab anno 17. Asa regis Iuda, quo Benadad regnare cœpit, vt patet 3. Reg. 15. 18. vsque ad primum annum regni Hazaelis. ita Salianus. Nonnulli tamen putant plures reges in Syria intercessisse, omnesque dictos fuisse *Benadad*, id est filios & successores Adad, primi regis Syriæ. Vnde Hebræi tradunt, *Benadad* fuisse nomen commune regum Syriæ. Denique Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 2. asserit tam Benadad quàm Hazael apud Syros in summa esse veneratione, imò *vtrumq; diuinis honoribus coli*, & vtriusque effigiem quotidianis pompis honorari, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè templis extructis Damascum ornatiorem reddiderint.

VERS. 16. ANNO QVINTO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT IORAM FILIVS IOSAPHAT REX IVDA] scilicet solus post mortem patris Iosaphat. Obiicies, id videtur factum anno septimo Ioram, non quinto: nam c. 3. v. 1. dictum est, quòd Ioram rex Israel cœperit regnare anno 18. Iosaphat regis Iuda. Iosaphat autem regnauit annis 25. ab anno autem 18. ad 25. sunt septem anni, post quos moriente Iosaphat successit ei filius Ioram. Respondent Lyran. & Caietan. Ioram filium Achab regnasse post mortem Achab cum Ochozia fratre primogenito per biennium; scilicet ab anno 18. Iosaphat, vsque ad annum eius vigesimum, quo mortuus est Ochozias; tumque solus regnare cœpit Ioram eius frater iunior. Ergo quod hic dicitur: *anno quinto Ioram*: intellige à tempore, quo Ioram solus post fratris mortem regnare cœpit, quod fuit anno Iosaphat vigesimo; verùm obstat quod dicitur 3. Reg. vlt. 32. scilicet Ochoziam in Israel regnare cœpisse anno 17. Iosaphat, ac mortuum anno 18. eiusdem; nam per biennium dumtaxat regnauit: quare cùm Ochozias sit mortuus anno Iosaphat 18. eique statim frater Ioram successerit, hinc sequitur Ioram cœpisse regnare anno 18. Iosaphat, non vigesimo. Melius Abul. respondet non esse numerandum annum 18. Iosaphat, eò quòd illo expleto cœperit regnare Ioram, nec 19. eò quòd sub finem eius cœperit regnare, nec 25. eò quòd is fuerit imperfectus; ablatis autem his tribus annis manent ab anno 18. Iosaphat, ad annum eiusdem 25. dumtaxat anni quinque integri, de quibus hîc dicitur: *Anno quinto Ioram filij Achab*, &c. *regnauit Ioram filius Iosaphat*, scilicet post mortem Iosaphat, qui anno 25. regni sui mortuus est: tunc enim successit ei filius Ioram.

Optimè Richardus de S. Victore in conciliatione lib. Reg. & Paralip. Arias in Daniele, Salian. Torniellus, Sanchez & Serar. hîc respondent Ioram regem Iuda, bis à patre nuncupatum fuisse regem, ob duo eius bella, scilicet primò, anno 17. Iosaphat, quo ipse cum Achab iturus erat ad bellum contra Syros 3. Reg. 22. tumque videtur Ioram à Iosaphat patre dumtaxat regis titulum accepisse, vt si quid mali in bello accidisset, sibi succederet Ioram. Secundò, post sex annos, scilicet anno 23. Iosaphat, quo ipse in bellum contra Moabitas profectus est, vt dictum est hoc lib. cap. 3. tunc enim Iosaphat rursùm Ioram filium declarauit regem, & regni administrationem se absente eidem tradidit, indeque numerandi sunt anni octo, quibus dicitur regnasse Ioram; ita scilicet, vt tribus annis Ioram regnarit cum Iosaphat patre viuente, quatuor verò cæteris post mortem patris; octauus verò & vltimus fuerit imperfectus, ideoque non numeretur. Quare licet nonnulli censeant Ioram post mortem patris Iosaphat regnasse octo annis, tamen verius est quod dixi, nimirùm ipsum quatuor integris annis dumtaxat, & quinto incompleto regnasse post mortem Iosaphat, cum eo verò viuente tribus vltimis eius annis regnasse. id patet ex c. 9. v. 29. vbi Ochozias filius Ioram regis Iuda, *mortuo* Ioram patre, dicitur cœpisse regnare anno vndecimo Ioram regis Israel: iam computa annos ab anno quinto Ioram regis Israel, vsque ad annum eius vndecimum, habebis annos dumtaxat quinque integros, quibus solis alter Ioram post mortem patris Iosaphat regnauit in Iuda.

Vice versa cùm c. 1. v. 17. dicitur Ioram rex Israel regnare cœpisse anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iuda; intellige annum secundum ab eo tempore, quo Ioram primùm à patre Iosaphat ituro contra Syros titulum regis accepit, quod fuit anno Iosaphat 17. Vnde secundus Ioram filij Iosaphat annus incidit in annum 18. Iosaphat, quo cœpit regnare Ioram filius Achab in Israel.

AMBVLAVITQVE (Ioram filius Iosaphat rex Iuda) IN VIIS REGVM ISRAEL (colendo idola eorum) SICVT AMBVLAVERAT DOMVS ACHAB. FILIA ENIM ACHAB ERAT VXOR EIVS] nomine Athalia; hæc enim fuit vxor Ioram, & mater Ochoziæ, vt patet v. 26. VERS. 18.

VT DARET ILLI LVCERNAM] id est stirpem & prosapiam regiam, scilicet nepotum sibi inuicem continuò in regno Iuda succedentium. VERS. 19.

VENITQVE IORAM REX SEIRA] id est in Idumæam. Hæc enim sicut ab Esau fundatore, qui alio nomine vocatus est *Edom*, dicta fuit *Idumæa*; sic ab eodem qui pariter vocatus est *Seir*, id est pilosus, hirsutus, dicta est *Seira*. VERS. 21.

RELIQVA AVTEM SERMONVM, (id est rerum & gestorum) IORAM, ET VNIVERSA QVÆ FECIT, NONNE HÆC SCRIPTA IN LIBRO VERBORVM DIERVM REGVM IVDA?] puta in Diariis & annalibus regum Iuda? Nota, hîc tacentur multa de Ioram, quæ proinde supplentur in lib. 2. Paral. cap. 21. vbi v. 3. Iosaphat rex dicitur filiis suis, qui erant fratres Ioram, dedisse *pensitationes* (malè nonnulli legunt: *pensationes*) id est annuos redditus. Rursùm, quòd Ioram omnes fratres suos numero sex occiderit, vt solus securè regnaret. Insuper, quòd Elias iam raptus (ante nouem annos) ad eum miserit litteras ex paradiso, quibus ei ob hæc fratricidia & ob idololatriam minatus est Dei vindictam, quæ mox ei obuenit: nam Deus percussit eum morbo insanabili, ita vt viscera egereret; filios quoq; eius omnes occidit per Philisthæos & Arabes, vnico excepto Ochozia, qui licet minimus natu, ei successit, idque in pœnam talionis, vt sicut ipse fratres suos occiderat, sic & filij eius occiderentur. Addit Ioseph. vxores eius fuisse occisas. Ita barbari isti iusto Dei iudicio cæde filiorum regis, regiorum fratrum manibus parentarunt: nec tamen dixit rex insipiens in corde suo: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* VERS. 23.

ANNO DVODECIMO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL, REGNAVIT OCHOZIAS FILIVS IORAM REGIS IVDÆ] Dices, cap. seq. v. 29. dicitur Ochozias regnare cœpisse anno VERS. 25.

vndecimo Ioram, non duodecimo. Resp. cœpit A anno vndecimo regnare cum patre Ioram, qui erat in tormentis sui morbi; sequenti autem anno, qui est duodecimus, mortuo patre solus regnauit in Iuda. ita Abul. Sanchez, Salian. & alij.

VERS. 26. VIGINTI DVORVM ANNORVM ERAT OCHOZIAS, CVM REGNARE COEPISSET] Dices, 2. Paral. 22. 3. dicitur fuisse 42. annorum. Resp, hæc antilogia est perdifficilis & quasi irreconciliabilis, quam discutiam suo loco in lib. Paralip. B

NOMEN MATRIS EIVS ATHALIA, FILIA AMRI] id est neptis Amri; erat enim Athalia filia Achab, vt dictum est v. 18. Achab autem erat filius Amri. Sic Matth. 1. 8. Ozias dicitur filius Ioram, cùm eius fuerit nepos, imò trinepos: omittuntur enim ibi tres generationes, & tres filij intermedij, scilicet Ochozias, Ioas & Amasias, eò quòd Ioram miscuisset se stirpi impiæ Achab, & cum sua vxore Athalia filia Iezabelis, idololatriam inuexisset in regnum Iuda.

Aliter respondent Hebræi apud S. Hier. in Tradit. & Caiet. scilicet, Athaliam verè fuisse filiam Amri, dici tamen filiam Achab, vel imitatione, vel nutritione, quòd ab Achab sit educata, ideoque eius idololatriam imitata.

GENER ENIM DOMVS ACHAB FVIT] Vers. Ochozias ergo videtur duxisse filiam Ioram filij Achab, sicut Ioram pater Ochoziæ duxerat Athaliam filiam Achab, aut certè duxisse filiam fratris, aut sororis Ioram: ideò enim dicitur, *gener domus Achab*, quia scilicet socer eius fuit Ioram, vel frater Ioram: nimirùm tota hæc impietatis & idololatriæ propago inuecta fuit in regnum Iuda per impiam Iezabel; huius enim filia fuit Athalia, ac neptis eius fuit vxor Ochoziæ, quarum vtraque à Iezabele, quæ vnius erat mater, alterius auia, educata eius impietatem & mores gentilitios imbibit. Vide hic quàm periculosum & noxium sit ducere vxores infideles vel hæreticas.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ELiseus mittit vnum è suis, qui vngat Iehu in regem Israel, vt familiam Achab deleat; vngit ille Iehu: id ex Iehu intelligentes principes, eum regem creant: Iehu ergo rex factus pergit in Iezrahel, ibiq; occidit Ioram regem Israel, & Ochoziam regem Iuda, ac Iezabelem ex domo præcipitari iubet, quam deinde canes deuorant iuxta oraculum Eliæ.

1. ELiseus autem prophetes vocauit vnum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. 2. Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi: & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum. 3. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes. 4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad, 5. & ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps. 6. Et surrexit & ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput eius, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vnxi te regem super populum Domini Israel, 7. & percuties domum Achab domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini, de manu Iezabel. 8. Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & nouissimum in Israel. 9. Et dabo domum Achab, sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Ahia. 10. Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, & fugit. 11. Iehu autem egressus est ad seruos domini sui: qui dixerunt ei: Recténe sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, & quid locutus sit. 12. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus est mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israel. 13. Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu. 14. Coniurauit ergo Iehu filius Iosaphat filij Namsi contra Ioram: porrò Ioram obsederat Ramoth Galaad, ipse & omnis Israel, contra Hazael regem Syriæ: 15. & reuersus fuerat vt curaretur in Iezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque

que Iehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de ciuitate, ne vadat, & nuntiet in Iezrahel. 16. Et ascendit, & profectus est in Iezrahel: Ioram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Iuda descenderat ad visitandum Ioram. 17. Igitur speculator qui stabat super turrim Iezrahel, vidit globum Iehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixitque Ioram: Tolle currum, & mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Recténe sunt omnia? 18. Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum eius, & ait: Hæc dicit rex: Pacata ne sunt omnia? Dixitque Iehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me. Nuntiauit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, & non reuertitur. 19. Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, & ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Iehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me. 20. Nuntiauit autem speculator, dicens: Venit vsque ad eos, & non reuertitur: est autem incessus quasi incessus Iehu filij Namsi, præceps enim graditur. 21. Et ait Ioram: Iunge currum. Iunxeruntque currum eius. & egressus est Ioram rex Israel, & Ochozias rex Iuda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ. 22. Cumque vidisset Ioram Iehu, dixit: Pax est Iehu? At ille respondit: Quæ pax: adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent. 23. Conuertit autem Ioram manum suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia. 24. Porrò Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor eius, statimque corruit in curru suo. 25. Dixitque Iehu ad Badacer ducem: Tolle, proiice eum in agro Naboth Iezrahelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem huius, quòd Dominus onus hoc leuauerit super eum, dicens: 26. Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & proiice eum in agrum, iuxta verbum Domini. 27. Ochozias autem rex Iuda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo. & percusserunt eum in ascensu Gauer, qui est iuxta Ieblaam: qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi. 28. Et imposuerunt eum serui eius super currum suum, & tulerunt in Ierusalem: sepelieruntque eum in sepulchro cum patribus suis in Ciuitate Dauid. 29. Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnauit Ochozias super Iudam, 30. venitque Iehu in Iezrahel. Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram 31. ingredientem Iehu per portam, & ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? 32. Leuauitque Iehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinauerunt se ad eum duo vel tres eunuchi. 33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum, & præcipitauerunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam. 34. Cumque introgressus esset, vt comederet, biberetque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia regis est. 35. Cumque issent vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus. 36. Reuersique nuntiauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est per seruum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel, 37. & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel; ita vt prætereuntes dicant: Hæccine est illa Iezabel?

VERS. 1. VADE IN RAMOTH GALAAD] Iam enim A vrbs illa post regis Ioram eam obsidentis vulnus capta erat vel tota, vel eius pars, ait Abul. Sanchez & Serar. idque patet ex v. 15.

VERS. 2. SVSCITABIS EVM DE MEDIO FRATRVM SVORVM] id est, vt Vatab. *iube vt surgat è medio fratrum*, id est principum collegarum suorum: qui enim hîc fratres, paulò pòst vocantur principes.

ET INTRODVCES IN INTERIVS CVBICVLVM] vt secretò eum vngas in regem: ne si publicè id facias, seditio concitetur à Iorami regis asseclis & fautoribus, ideoque vbi eum secretò vnxeris, statim *fugies & non ibi subsistes*.

VNXI TE] Hæc videtur fuisse secunda vnctio Iehu; nam prima facta videtur ab Elia; hoc enim ei iusserat Deus 3. Reg. 19. 15. ideoque eum ire iusserat in Damascũ, vt ibi vngeret Hazael in regem Syriæ, ac deinde in Samariam, vt vngeret Iehu in regem Israel: sed prima illa Eliæ vnctio fuit præuia & prognostica regni; hæc verò secunda facta ab Eliseo fuit regni collatio, eiusque in regem creatio. ita Caietan. Histor. Scholast. Sanchez & alij. VERS. 6.

QVID VENIT ISTE INSANVS AD TE?] Vide hîc vt principes idololatræ, hominesque mili- VERS. 11.

militares prophetam rideant, vocentque *insanum* & fanaticum. Vita enim prophetarum aspera, vestitus horridus, sermo propheticus eis videbatur esse insania, ac prophetæ videbantur eis insanire: erant enim quasi emotæ mentis, & altiori numinis spiritu afflati. Vnde Plato in Phædone: *Quidam*, ait, *diuino beneficio sunt insani, vt prophetæ & Sibyllæ.* & Cicero lib.2. de diuinat. *Quid habet authoritatis furor iste, quem diuinum vocatis, vt quæ sapiens non videt, ea videat insanus, & is qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit: & vaticinari, idem sit, quod insanire. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, Corint. 2. & 3. Idem & magis faciebant prophetæ diaboli, qui gestus inconditos edebant, & furere videbantur: vnde de Sibylla ab Æneа consulta, ita canit Virg. lib. 6. Æneid.

Non vultus, non color vnus:
Non compta mansêre comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorq; videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propriore Dei.

NOSTIS HOMINEM, ET QVID LOCVTVS SIT] q.d. nostis eum insanum esse, ac proinde insana locutum, ideoque non credenda, nec à me enarranda. Id dicit Iehu, ne si se reuera ab eo vnctum dicat in regem, sibi creet periculum: ne scilicet aliquis vel pro Ioram pugnãs, vel Iehu regnum inuidens, eum inuadat & occidat. *Percunctantibus autem illis*, inquit Ioseph. *qua de causa venisset iuuenis, & insanum vidêrit dicentibus: Rectè, inquit, coniecturam facitis, nam insani verba locutus est. Illis verò magis etiam sibi exponi quid esset orantibus, regnum populi sibi à Deo delatum, ait illum dixisse.*

VERS.12. AT ILLI DIXERVNT: FALSVM EST, SED MAGIS NARRA NOBIS] q.d. non insana, sed seria & magni momenti locutus est propheta, cupimusque omninò vt ea nobis enarres. Vnde Chald. vertit: *Falsum tu dicis, indica nunc nobis.* Suspicati sunt Dei instinctu, id quod res erat, scilicet Iehu à propheta accepisse regni oraculum, illudque ab eo extorquere satagunt, vnde sequitur.

VERS.13. FESTINAVERVNT ITAQVE, ET VNVSQVISQVE TOLLENS PALLIVM SVVM (vestem extimam) POSVERVNT SVB. PEDIBVS EIVS IN SIMILITVDINEM TRIBVNALIS] Sept. *super ascensum graduum*; Vatab. *in fastigio graduum*, id est in supremo gradu, nimirùm summò & eminentissimo loco, q.d. loco excelso vestibus suis erexerunt ei quasi thronum regium, vt in eo velut rex sederet: hoc enim ritu eum regem crearunt.

Nimirùm ad vocem Prophetæ, quam à Iehu audierant principes, hi & milites diuinitùs excitati regnum ei detulerunt, ideoque gradus aliquos opere tumultuario construxerunt, quos palliis suis quasi aulæis constrauerunt, & in summo eorum Iehu collocarunt, eique acclamarunt: *Regnauit Iehu* q. d. rex noster est Iehu, viuat ergo & regnet prosperè per multos annos. Sic Plutarchus scribit de Catone Vticensi in eius vita, stratas esse à militibus vestes per ea loca, quæ ipse pedibus calcaturus erat: quod honoris genus refert Imperatoribus impendi solere. Et in Deorum suorum quibusdam sacris, dum illos festa pompa traducerent, vestes sterni solitas esse scribit idem Plutarchus in Alcibiade.

Idem de sacris Iunonis tradit Athenæus lib. 12.c.9. Sic & Christo quasi Messiæ regi, solemni pompa ingredienti Ierusalem in die Palmarum, turba viam strauit palmis & vestibus, Matthæi. 21.

QVID TIBI ET PACI?] q.d. non pacem veho, sed bellum: coniurauit enim contra tuum regem Ioram, vt eum occidam regnumque eius occupem. VERS.

ET EGRESSVS EST IORAM REX ISRAEL, ET OCHOZIAS REX IVDA, &c. IN OCCVRSVM IEHV; ET INVENERVNT EVM IN AGRO NABOTH IEZRAHELITÆ] Iustum congruumque fuit hoc Dei iudicium, qui eos congregauit in agrum Naboth, vt in eo cæderentur, in quo Achab pater eorum, Naboth vineam suam spoliarat & occiderat, vti ipse per Eliam eidem prædixerat 3.Reg.21.23. VERS.

ADHVC FORNICATIONES IEZABEL MATRIS TVÆ, ET VENEFICIA EIVS MVLTA VIGENT] putà idololatria & magia Iezabelis. Idololatria enim est fornicatio mystica, qua quis relicto Deo sponso, adhæret idolis, quasi adulteris. Eadem est magia, quia sacerdotes idolorum sunt magi; consulunt enim dæmonem, & ab eo oracula accipiunt. Dicit hoc Iehu q.d. Ego ex parte Dei iudicis venio, vt puniam idololatriam & magiam tuam, tuæque matris Iezabelis. VERS.

QVOD DOMINVS ONVS HOC LEVAVERIT SVPER EVM] *Onus* vocatur prophetia minax & onerosa, qua Deus per Eliam prædixerat posteros Achab ob eius scelera occidendos; 3 Regum 21.23. VERS.

ETIAM HVNC PERCVTITE] ad extermi- VERS.
nium domus Achab à Deo prædictum & decretum. Erat enim Ochozias rex Iuda, ex parte matris Athaliæ, nepos Achab, eiusque scelera & idololatriam imitabatur.

Dices, 2.Paral.22.9. dicitur Ochozias fugisse & latuisse in Samaria. Resp. hac vice fugit & latuit in Samaria, sed vt ibidẽ additur, in Samaria posteà deprehensus, deductus est ad Iehu in Gaber, ibique percussus fugit in Mageddo, ibique mortuus est. ita Lyran.

ANNO VNDECIMO IORAM FILII ACHAB REGIS ISRAEL REGNAVIT OCHOZIAS SVPER IVDAM] *Regnauit*, id est regnare cœpit, & vix vno anno regnauit; nam anno duodecimo Ioram vnà cum eo occisus est à Iehu. VERS.

PORRO IEZABEL INTROITV EIVS (Iehu regicidæ) AVDITO, DEPINXIT OCVLOS SVOS STIBIO] non ad illiciendum Iehu in sui amorem. Erat enim vetula, & sciebat Iehu esse iuratum suum hostem, sed ad animositatem ostentandam, quasi quæ non timeret nec curaret Iehu; vnde eum increpuit vocauitque domini sui (Ioram regis) interfectorem, vt eum percelleret: putabat enim quòd Iehu in se, vtpote feminam & reginam, non auderet manus iniicere, nec eius sanguine se cruentare. Quòd si auderet, volebat animosè & nobiliter mori, quasi mortem contemnens. Hæc est vanitas sæculi & sæcularium, æquè ac mulierum vanitas est stibium VERS.

bium & purpurissa, quam proinde Magdalena dum pœnituit, despexit; nam vt ait S. Hier. Epist. ad Furiam: *non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fulginatos.* Vnde S. Cyprian. tract. de opere & eleemosyna: *Inunge oculos tuos*, inquit, *non stibio diabolico, sed collyrio Christi.*

4.Reg.31. NVMQVID PAX POTEST ESSE ZAMRI QVI INTERFECIT DOMINVM SVVM?] quasi dicat, quæ pax & societas potest esse cum Iehu, qui est quasi alter Zamri tyrannus. Sicut enim Zamri occidit Ela regem suum 3. Reg. 16.10. eiusque regnum inuasit, sic Iehu occidit Ioram regem suum, eiusque regnum inuadit.

4.Reg.37. Iezabelis eruum. ET ERVNT CARNES IEZABEL SICVT STERCVS] Alludit ad Etymon nominis Iezabel. *Iezabel* enim Hebr. idem est, quod אי זבל B *e zebel*, id est *vbi stercus? Zebel* enim Chaldaicè, Syriacè & Arabicè idem est quod, *stercus.* Aut *Iezabel* idem est, quod אי זבל *i zebel.* id est, *insula sterquilinij vel va sterquilinio*, ait Pagn. vnde nonnulli putant à *zebel*, id est *stercus* diabolum per contemptum vocari *zabulum*, id est, *stercorarium*, ac Græcos Beelzebub vocare *Beelzebub*, quasi *Deum stercoris*; stercori enim insidet *zebub*, id est *musca.* Porrò S. Ambros. exhort. ad virgin. *Iezabel*, inquit, *idem est quod vanitatis profluuium, vel vana & vacua redundantia, qualis est in auaritia, ambitione, omniq; concupiscentia, cuius idæa est Iezabel.*

HÆCCINE EST ILLA IEZABEL?] q.d. Itáne fortuna vices commutans Iezabelem ex summo gloriæ in imum ignominiæ prostratuit? Erat illa decor & pulchritudo orbis, iam putet vt sordidum stercus. Erat illa regum vxor & mater, imò domina & rectrix, en tibi iam à canibus laniatur. Erat illa terror Eliæ & prophetarum, imò totius Israelis: Ecce iam illa vngulis equorum calcatur.

Notat S. Chrysost. hom. 25. in Epist. ad Roman. Iezabelem grauiùs punitam esse, quàm Achab, qui in bello sagitta confixus decorè occubuit; eò quòd Iezabel fuerit ei omnis mali occasio, imò suggestrix & incentrix: *Iezabel*, ait, *maiores pœnas dedit, quàm Achab vineæ raptor: ipsa quippe vniuersum istud negotium texuerat, regiq; lapsus occasionem dederat.*

Sic B. Franciscus Borgia nuper Dux Gandiæ, cùm Isabellæ vxoris Caroli V. defunctæ corpus ad regium sepulchrum Granatam deferret, illud adeò deforme, fœdum & horridum conspexit, vt non agnosceret nec auderet iurare, hoc esse corpus Imperatricis. Quare illud contentis oculis intuens & admirans: *Hæccine*, inquit, *est Isabella mundi Imperatrix?* Hæccine sapiens & sancta illa Isabella, gaudium Hispaniæ, decus imperii, spes orbis? vbi nuperus ille vultus decor, vbi oculorum splendor, vbi coronæ regiæ maiestas? Itáne caro eius versa est in putredinem, decor in fœtorem, splendor in horrorem? Quare Deo mentem illuminante, attentè consideraris, quanta esset regum regnorumque & omnium bonorum mundi vanitas, eis valedicere & soli Deo seruire decreuit, ac Societatem IESV ingressus, rarum virtutum omnium tam religiosis, quàm sæcularibus, quin & principibus ac regibus dedit exemplar, vt patet ex eius vita.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu occidit septuaginta filios Achab, & quadraginta duos fratres Ochoziæ, ac per dolum omnes cultores Baal; vnde meruit progeniem in regno vsque in quartam generationem. Idem tamen coluit vitulos aureos Ieroboam, ideoq; domus eius tandem excisa est.

1. ERant autem Achab septuaginta filij in Samaria: scripsit ergo Iehu litteras, & misit in Samariam, ad optimates ciuitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab, dicens: 2. Statim vt acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & ciuitates firmas, & arma, 3. eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri. 4. Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quo modo nos valebimus resistere? 5. Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti ciuitatis, & maiores natu, & nutritij, ad Iehu, dicentes: Serui tui sumus, quæcumque iusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. 6. Rescripsit autem eis litteras secundò, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Iezrahel. Porrò filij regis, septuaginta viri, apud optimates ciuitatis nutriebantur. 7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrahel. 8. Venit autem nuntius, & indicauit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum portæ vsque manè. 9. Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum:

pulum: Iusti estis: si ego coniurauí contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? 10. Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit quod locutus est in manu serui sui Eliæ. 11. Percussit igitur Iehu, omnes qui reliqui erant de domo Achab in Iezrahel, & vniuersos optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. 12. Et surrexit, & venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram pastorum in via, 13. inuenit fratres Ochoziæ regis Iuda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, & descendimus ad salutandos filios regis, & filios reginæ. 14. Qui ait: Comprehendite eos viuos. Quos cùm comprehendissent viuos, iugulauerunt eos in cisterna iuxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam. 15. Cumque abiisset inde, inuenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab. Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum: 16. dixitque ad eum: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo, 17. duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vsque ad vnum, iuxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. 18. Congregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, & vniuersos seruos eius, & cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non viuet. Porrò Iehu faciebat hoc insidiosè, vt disperderet cultores Baal. 20. Et dixit: Sanctificate diem sollemnem Baal. Vocauitque, 21. & misit in vniuersos terminos Israel, & venerunt cuncti serui Baal, & non fuit residuus ne vnus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: & repleta est domus Baal, à summo vsque ad summum. 22. Dixitque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta vniuersis seruis Baal. Et protulerunt eis vestes. 23. Ingressusque Iehu, & Ionadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis forte vobiscum sit de seruis Domini, sed vt sint serui Baal soli. 24. Ingressi sunt igitur vt facerent victimas & holocausta: Iehu autem præparauerat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. 25. Factum est autem, cùm completum esset holocaustum, præcepit Iehu militibus & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus euadat. Percusserunt que eos in ore gladii, & proiecerunt milites & duces: & ierunt in ciuitatem templi Baal, 26. & protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt, 27. & comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas vsque in diem hanc. 28. Deleuit itaque Iehu Baal de Israel, 29. verumtamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. 30. Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. 31. Porrò Iehu non custodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit à peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Israel. 32. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel: percussitque eos Hazael in vniuersis finibus Israel, 33. à Iordane contra Orientalem plagam, omnem Terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroër, quæ est super Torrentem Arnon, & Galaad, & Basan. 34. Reliqua autem verborum Iehu, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 35. Et dormiuit Iehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: & regnauit Ioachaz filius eius pro eo. 36. Dies autem, quos regnauit Iehu super Israel, viginti & octo anni sunt, in Samaria.

VERS. 1. ERANT AVTEM ACHAB SEPTVAGINTA A FILII] non ex sola Iezabele, sed ex aliis multis vxoribus ab eo procreati.

AD NVTRITIOS ACHAB] id est vt Septuag. *ad nutritios filiorum Achab*, scilicet ad primates, qui septuaginta filios Achab enutrierant.

ECCE

VERS. 4. ECCE DVO REGES (Ioram rex Israel, & Ochozias rex Iuda, vtrumque enim occidit Iehu) NON POTVERVNT STARE CORAM EO] id est resistere illi, vnde sequitur:

ET QVOMODO NOS (priuati & plebei) VALEBIMVS RESISTERE?]

VERS. 5. MISERVNT ERGO PRÆPOSITI DOMVS] qui scilicet præerant palatio regio, quod Amri ædificarat in Samaria, in quo habitarat Achab, eiusque filius Ioram, occisus à Iehu.

VERS. 7. OCCIDERVNT SEPTVAGINTA VIROS] Non peccauit Iehu iubendo occidi septuaginta filios Achab, quia id fecit iussu Dei, qui summus vitæ tam nocentum quàm innocentum est Dominus, eò quòd essent filii nocentis Achab, cuius vtpote nequissimi semen omne, omnemque stirpem funditùs delere volebat Dominus: verisimile enim est inter hos septuaginta aliquos fuisse minores & innocentes, nec idololatriæ Achab capaces vel participes. Peccarunt tamen Samaritæ, quòd hoc mandatum Iehu de eis occidendis executi sint, non vt ministri Iudicis, sed timore Iehu, quem nesciebant esse regem à Deo electum, & ab Eliseo vnctum, ideoque nesciebant cum esse Iudicem Israelis, ac habere à Deo potestatem occidendi hos filios Achab. Fortè etiam peccauit Iehu iubendo eis hoc facinus, si priùs non satis eis probauit suam authoritatem, & ius regni sibi à Deo datum, nisi ipsi illud aliunde facilè scire potuerint. ita Abul.

ET POSVERVNT CAPITA EORVM IN COPHINIS] Appositè ad culpam Achab, qui in cophinis collegerat vuas ex vinea Naboth à se occisi: idcirco igitur in pœnam peccati filiorum eius capita in cophinis deferuntur ad Iehu. In eo ergo punitur tum ipse, tum filij, in quo peccarant.

VERS. 8. PONITE EA AD (Chald. in) DVOS ACERVOS IVXTA INTROITVM PORTÆ VSQVE MANE] vt totus populus ingrediens & exiens per portam, videat hoc iustum Dei iudicium contra domum Achab, itaque ab eius idololatria & cultu Baal recedat.

VERS. 9. IVSTI ESTIS] id est, iustam Dei vindictam implestis, licet inscij & non cogitantes. Cogitabant enim implere iussum Iehu de eis occidendis, non autem iussum Dei.

SI EGO CONIVRAVI CONTRA DOMINVM MEVM (Ioram regem Israel) ET INTERFECI EVM, QVIS PERCVSSIT OMNES HOS?] q. d. non ego sed vos, esto meo iussu meique metu. q. d. Ex hac vltione patet manifestè vindicta Dei contra domum impiam Achab; quòd scilicet Deus tam me, quàm vobis vsus sit ad illam peragendam. Nam ego licet occiderim Ioram, non tamen potuissem occidere septuaginta eius fratres, nisi Deus immisisset vobis mei metum, vt me iubente eos occideretis. Alioqui enim potuissetis meo iussui resistere, aut vi, aut honesta excusatione, aut filios hos Achab, quos occidistis, abscondendo, vel aliò amandando. Deus ergo vobis mentem eripuit, ne id faceretis, sed eos occideretis.

VERS. 11. PERCVSSIT IGITVR IEHV OMNES QVI RELIQVI ERANT DE DOMO ACHAB] *Omnes*, id est ferè omnes, quia pauci iique ferè pauperes, abiecti & imbelles fuêre relicti. Remansêre quoque fratres Ochoziæ regis Iuda, prognati ex Athalia filia Achab, quos paulò pòst occidit v. 14. Remansit quoque Ioas, qui Ochoziæ patri in regno Iudæ successit. Simili modo dixit Script. nullum relinquendũ ex domo Ieroboam, Baasa, Ela, &c. quia digniores omnes sublati, & pauci vilesque relicti fuêre.

FRATRES OCHOZIÆ] id est filij fratrum Ochoziæ, vt explicatur 2. Paral. 22. 9. nã fratres Ochoziæ fuêre occisi ab Arabibus 2. Paral. 21. 17. VERS. 13.

DESCENDIMVS AD SALVTANDOS FILIOS REGIS] scilicet Ochoziæ regis Israel, eiusque vxoris & reginæ.

IVGVLAVERVNT EOS] quasi posteros impij Achab, ex impia matre Athalia. Fecit id Iehu instinctu Dei, vnde ait ad Ionadab: *Vide zelum meum pro Domino*. ita Abul. VERS. 14.

IVXTA CAMERAM] *pastorum*, vt dictum est v. 12. Chald. *Ad domum congregationis pastorum*. Hebr. *ad domum ligationis*, in qua scilicet oues ligabantur ad tondendum. q. d. in tonstrina ouium. Ita Pagn. Fortè tondebantur tum ibidem oues, ideoque de more læta instruebantur conuiuia, ad quæ inuitati fuêre hi filij fratrum Ochoziæ, ibique inter epulas occisi, vti in similibus occisus fuit Ammon à fratre suo Absalom. 2. Reg. 13.

INVENIT IONADAB FILIVM RECHAB IN OCCVRSVM SIBI, ET BENEDIXIT EI] scilicet bene precatus est ei, salutauit eum dicendo more Hebræo: *pax tibi*. Hic *Ionadab* est ille qui laudatur Ieremiæ c. 35. 6. vbi Ieremias propinans vinum Rechabitis, posteris & discipulis Ionadab, audit ab eis: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* VERS. 15. *Ionadab pater Rechabitarum.*

Ioannes Ierosolymit. lib. de Institut. monach. c. 25. asserit hunc *Ionadab* fuisse Eliséi discipulum, eiusque vitæ religiosæ vestigia, exceptâ continentiâ, sectatum esse cum suis filiis & nepotibus. Rechabitæ hi fuêre Cinæi, posteri Iethro Madianitæ, soceri Mosis. Vide dicta Ieremiæ 35. 6.

NVMQVID EST COR TVVM RECTVM, SICVT COR MEVM CVM CORDE TVO?] q. d. amásne me sincerè & ex animo, sicut ego amo te. Hinc videtur Iehu ante regnũ fuisse probus, vtpote amicus & familiaris Ionadabo viro probo & religioso. Amicitia enim non coalescit inter probos & improbos, poscit enim sibi similes. VERS. 14.

ET IMPOSITVM IN CVRRV SVO DVXIT IN SAMARIAM] vt authoritatem sibi apud Samaritas nomenque probitatis conciliaret per Ionadabum sibi socium, quem omnes habebant pro viro integro & sancto, vt hac ratione facilius peragaret cædem Baal-tarum, quam moliebatur, nec aliquis ei resistere auderet. VERS. 17.

ACHAB COLVIT BAAL PARVM, EGO AVTEM COLAM EVM AMPLIVS] Mentitur Iehu, sed officiosè, & ad bonum finem, vt omnes cultores Baal in vnum colligat & macta- *Iehu ait se cultorum Baal.* VERS. 18.

cret, quod Deus ei iusserat, quodque alia ratione perficere vix poterat. Vnde ipse putabat hoc mendacium sibi esse licitum, imò necessarium, honestum & pium. ita Theodor. & Procop.

An peccarit? Licet enim hoc eius mendacium ex genere suo esset perniciosum, quia erat simulatio imò professio idololatriæ, ideoque scandalum publicum, vti docet S. Thom. 2.2. q. 111. art. 1. ad 2. Franc. Suarez tract. 1. de fide disp. 14. sect. 4. n. 9. Greg. de Valentia tract. de fide disp. 1. q. 3. puncto 2. imò S. Aug. lib. contra mendaciũ c. 2. hoc Iehu mendacium vocat impiũ, ideoq; eum nõ pro illa simulatione, sed pro obedientia, qua iussu Dei occidit posteros Achab, à Deo fuisse laudatũ & remuneratum asserit, additq; *Visum est quibusdã Catholicis, Priscillianistas se debere simulare, vt eorum latebras penetrarent; quod ego prohibens*, ait Aug. *scripsi librum contra mendacium.*

Multa eum excusant. Primum. Tamen multa sunt quæ Iehu excusant, & hoc eius mendacium potiùs officiosum quàm pernicio-sum fuisse ostendant. Primum est, intentio loquentis, nimirùm quòd illud dixerit non seriò, non enim intendebat colere Baal, sed fictè & simulatè vt omnes cultores Baal in vnum colligeret, & collectos omnes quasi victimas diuinæ iustitiæ mactaret, vti Deus ei iusserat; quod aliàs facere nequiuisset. Vnde S. Hieron. in c. 2. Epist. ad Galat. omninò excusat Iehu, docetque vtilem esse simulationem, & quandoque exhibendam, dummodò caueatur mendacium. *Vtilem*, air Hier. *simulationem assumendam esse in tempore, Iehu regis nos docet exemplum.* Idem censet Abul. Caiet. & alij, imò Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo in resp. ad 5. ait licere celare fidem per professionem falsæ religionis, si iusta subsit causa: quod tamen alij passim improbant & refellunt, ac meritò.

Secundum. Secundum, quòd simulatio & fictio hæc Iehu breuissimo tempore durarit; vnde exiguũ fuit scandalum: nam mox visuri erant vniuersi animum loquentis planè contrarium: moram ergo modici temporis Iehu pro nihilo reputauit.

Tertium. Tertium, quòd non iusserit vel exhortatus sit Baalitas ad sacrificandum Baal, sed tantùm dixerit: *Ego colam eum amplius*: qua voce tantùm intendit occasionem dare Baalitis, vt animum suum aperirent, & malitiam idololatriæ mente concusam proderent, vt illam deinde ipse succideret. Sic medici dant pharmaca, quæ humores prauos commoueant, vt eos deinde emicantes expellant, itaque homini sanitatem restituant. Sic principes mittunt exploratores ad hostes, qui se eorum amicos simulent, vt eorum consilia rescisc ant, & *Principibus* re-
D nuntient; vti fecit Chusai transfugiens ad Absolomem, ibique dissipans consilia Achitophelis 2. Reg. 15. 14. Sic heri explorant fidem seruorum & ancillarum, hinc inde ponendo nummos, vt videant an ipsi eos auferant & furentur, an verò fideliter ad herum referant. Hi ergo dant quidem occasionem furti, non tamen ad illud inducunt vel inuitant.

Dices, Iehu implicitè suo exemplo inuitauit Baalitas ad sacrificandum Baal. Resp. Iehu non inuitauit, sed occasionem tantùm eis dedit sacrificandi (vt iam dixi de heris) quam sciebat illos arrepturos, idque permisit, vt quod ipsi quotidie faciebant priuatim, hoc iam facerent publicè, itaque se detegerent, vt ab eo puniri plectique possent. Satius enim erat vnum actũ sacrificij publicum permittere ad redimenda tot priuata eorum sacrilegia. Satius erat sinere eos publicè semel idola colere, quàm priuatim millies & millies, vt hac promissione idolatriam Baal funditùs excinderet.

Quartum. Quartum, quia magna tunc erat rerum & religionis perturbatio: alij enim colebant Baal, alij vitulos aureos, alij Melchom, alij Chamos, alij Deum verum: quare exiguum fuit hoc Iehu scandalum: quisque enim liberè colebat quod volebat. Addunt nonnulli Iehu ambiguè fuisse locutũ, & per Baal intellexisse Deum verum: hic enim verus est *Baal*, id est omnium Dominus; aut potiùs per Baal intellexisse dæ-
B monem, q. d. Achab coluit Baal, id est dæmonem victimis animalium, ego ampliùs eum colam, sed materialiter tantùm, victimis hominum, quia Baalitas mactabo & offeram illi, non quasi Deo, sed quasi Dei architectrici; qui merè delectatur sanguine & morte hominum impiorum, vt animas eorum abripiat in tartara: magnum enim festum egit dæmon in mactatione idololatrarum, quam fecit Iehu, eosque quasi victimas suas lætissimè acceptauit.

Quintum. Quintum, quia Iehu erat homo militaris. militari ergo sensu & astu hoc militare stratagema adinuenit, ad perdendos simul & semel omnes Baalitas, Dei æquè ac suos hostes: quare non studuerat casibus conscientiæ, sed quod zelus honoris Dei & militaris industria ad detegendos hostes, vt ex inopinato eos opprimeret, illi suggerebat, hoc bona fide peregit, id-
C que præsente, iuuante, & vt videtur probante Ionadab viro probo, prudente & religioso.

Denique Iehu à Domino laudatus & remuneratus fuit v. 30.

Simili modo Constantius Imperator Constantini Magni pater, vt agnosceret quinam in familia sua essent veri & cordati Christiani, qui ficti vel timidi, & inconstantes, edixit vt qui Deos colere vellent, in aula manerent, pristinisque honoribus fruerentur; qui verò id facere nollent, aula excederent. Mox omnes eos qui se Deos colere velle dicebant, aula eiecit; cæteros in ea retinuit, causamque dedit: *Quomodo*, inquit, *mihi fidi erunt, qui Deo perfidi fuerunt?* ita refert Euseb. lib. 1. de vitâ Constantini c. 9. & 10. & Sozom. lib. 1. c. 6.

VERS. 19. SACRIFICIVM ENIM GRANDE EST MIHI BAAL] q. d. Volo grande & solemne sacrificium offerre Baal, ideoque volo Baalitas omnes esse præsentes. Hoc simulabat Iehu, sed verè intendebat ipsosmet Baalitas, quasi victimas mactare Deo, eosque offerre dæmoni, quasi Dei carnifici, qui eorum vtpote sui cultorum erat dominus & possessor, ideoque eos secum abrepturus erat in gehennam.

VERS. 20. SANCTIFICATE DIEM SOLEMNEM BAAL] hoc est indicite diem festum & sanctum, quo solemniter colamus Baal: sed vos ô Baalitæ, coletis eum formaliter victimis boum, ego verò eum colam materialiter dumtaxat mactando & tra-

& tradendo vos ipsos quasi victimas dæmoni, A nim ad sacrificandum idolo, culpa est & scecui vosmetipsos dicastis, & quasi seruos addixistis. Et verè solemne festum egit tum dæmon, cùm tot idololatrarum quasi seruorum suorum à Iehu cæsorum animas & corpora rapuit. Vocati ergo venerunt ad festum solemne non epuli, sed macelli sui. Sic diabolus in morte Lutheri indixit solemne festum dæmonibus sibi subditis, adeoque omnes circumquaque conuocauit ad eius animam cum triumpho deducendam ad tartara. Id fassi sunt dæmones qui energumenos possidebant Geilæ, quæ ciuitas est in Brabantia inter Antuerpiam & Louanium, vbi S. Dympna virgo & martyr à suo patre rege Hyberniæ pro virginitate occisa requiescit, & multis miraculis præsertim in energumenis à dæmone liberandis resplendet, vti oculis meis olim conspexi, cùm sanctæ huius virginis lipsana sacra visitarem. Geilæ, inquam, eo die quo mortuus est Lutherus, omnes energumeni à dæmonibus fuêre liberi; sed postero die rursùs ab iisdem possessi & exagitati. Rogati dæmones causam, dixêre, se pridie conuocatos ad magni amici sui Martini Lutheri funus, illi interfuisse ac festum agitasse: principem enim ipsorum & archidæmonem præcepisse, vt vniuersi spiritus maligni ad sui prophetæ & fidelis cooperarij Lutheri exequias confluerent: congruere enim vt qui quamplurimos ad inferos deduxisset, à quamplurimis ad eosdem solemniter deduceretur. Vti inter alios narrat Tilmannus Bredenbachius lib. 7. Collat. sacr. c. 39. qui & addit innumerabilem coruorum horrendum in modum crocitantiũ copiam (erant illi dæmones) cadauer Lutheri C superuolitasse, illudque Islebio Wittenbergam ad sepulchrum vsque comitatam fuisse. Simile festum egerunt dæmones in morte Vdonis Magdeburgensis præsulis, vti idem Bredenbac. libro 8. c. 14. ex Nauclero, Fulgosio, P. Canisio fusè enarrat.

Festum dæmonum in morte Lutheri.

VERS. 21. ET VENERVNT CVNCTI SERVI BAAL] *Seruos* vocat deuotos Baal, præsertim sacerdotes, vt patet v. 19. vnde & v. seq. iussit eis dari vestes, scilicet sacerdotales & sacras: nec enim videntur omnes omninò qui Baal adorabant venisse, aut templo vno capi potuisse. Sic Actor. 17. 4. *colentes*, vocantur viri pij & religiosi Deum piè colentes. Abul. tamen censet omnes omninò profitentes cultum Baal vocatos venisse ad diem solemnem Baal: licet enim tempore Achab fuerint illi in magno numero, ta- D men paulò pòst agente Iosaphat rege pio, multi ex eis ad cultum vnius veri Dei redierunt.

ET REPLETA EST DOMVS BAAL A SVMMO VSQVE AD SVMMVM] scilicet ab extremo in extremum, Sept. *Et repleta est domus super os.* Chald. *ex angulo in angulum.*

VERS. 22. PROFERTE VESTIMENTA VNIVERSIS SERVIS BAAL] scilicet sacerdotalia vel sacra, qualibus vtebantur Leuitæ & Nathinæi, siue ministri sacerdotum: non ergo dedit eis vestes laicas in præmium. Hæc enim magna multis fuisset idololatriæ & peccati illecebra, vt pro vestibus se cultores Baal esse mentirentur. Addit Abul. Iehu eis victimas ad sacrificium suppeditasse & inuitasse ad sacrificandum, idque sine culpa. Verùm id dici nequit: inuitare e-

VERS. 23. SED VT SINT SERVI BAAL SOLI] *Nolle se dicens*, ait Iosephus, *vt sacris eorum alienus ac prophanus vllus se ingerat.* Prudenter id prouidit Iehu, ne quis innocens Deique cultor, sed soli nocentes Baalitæ mactarentur.

VERS. 24. ANIMA EIVS ERIT PRO ANIMA ILLIVS] *Interminatus*, ait Iosephus, *quicumque aliquem eorum elabi permiserit, vicarium pro illo moriturum.*

VERS. 25. FACTVM EST AVTEM CVM COMPLETVM ESSET HOLOCAVSTVM] Hebr. Chald. & Septuag. Rom. habent in singulari: *cùm consummasset*, scilicet summus sacerdos Baal. Sept. Regia & Complut. habent in plurali: *Et factum est vt compleuerunt facientes holocaustum.* vtrumque verum: plures enim in pluribus altaribus plura offerebant holocausta.

ET PROIECERVNT (cadauera eorum) MILITES ET DVCES] Iehu.

VERS. 26. ET IERVNT IN CIVITATEM TEMPLI BAAL, TE PROTVLERVNT STATVAM DE FANO BAAL, ET COMBVSSERVNT] Videtur ciuitas quædam propriè fuisse dicata Baal, è cuius templo statuam Baal eduxerunt & combusserunt. Vatab. & Salian. per *ciuitatem* intelligunt ciuitates, vt sit Enallage numeri. q. d. Iussu missuque Iehu inierunt in quasliber ciuitates Israel, ex eisque eduxerunt idola Baal & combusserunt. idque eos fecisse valde est probabile. nam vt sequitur: *Deleuit itaque Iehu Baal de Israel*: quod non fecisset si in vna tantùm ciuitate eum deleuisset. Denique posset esse Hypallage: *ierunt in ciuitatem templi*, id est ierunt in templum ciuitatis: templum enim hoc ab Achab in Samaria ædificatum erat vastum & amplum, habens varia domicilia annexa instar paruæ ciuitatis. q. d. postquàm in templo cæsi sunt omnes & soli cultores Baal, Iehu cum suis ingressus est ipsum templum, ac statuam Baal eduxit & combussit. Vnde Septuag. Regia & Complut. non habent *tò ciuitatem*, sed tantùm *ierunt vsque ad templum Baal*, idque valde huic loco est appositum & congruum.

VERS. 29. VERVMTAMEN A PECCATIS (à vitulis aureis adorandis) IEROBOAM, &C. NON RECESSIT] Mira fuit hæc Iehu & cæterorum regum Israel vel cæcitas vel fatuitas, quòd cùm viderent se iussu Dei delere domos Achab, aliorumque regum ob idolorum culturam, ipsi tamen eadem si non numero, certè specie coluerint; ideoque eamdem Dei manum vindicem senserint, ac cum posteris excisi sunt. Causa fuit politica, quòd metuerent, ne si rediret populus ad Deum adorandum in Ierusalem, rediret pariter ad stirpem Dauidis & reges regnantes in Iuda. Sed vanus fuit hic eorum metus: Deum enim vadem habebant; ille enim promiserat, si se solum colerent, regnum eis fore stabile, & propagandum in posteros per multa sæcula.

VERS. 30. QVIA STVDIOSE EGISTI, &C. FILII TVI VSQVE AD QVARTAM GENERATIONEM SEDEBVNT SVPER THRONVM ISRAEL] promisso Dei respondit euentus: nam Iehu regnauit 28. annis, huic successit filius Ioachas per 17. an-

17. annos, huic filius Ioas per sedecim, huic filius Ieroboam per 41. huic filius Zacharias per sex menses.

Porrò Hebræi censent prophetam hæc promittentem Iehu fuisse Ionam prophetam quartum è minotibus. Verùm Ionas non floruit sub Iehu, sed sub Ieroboam abnepote Iehu. Quare melius Nicephor. in Chron. & Salian. censent prophetam hunc fuisse Eliseum, qui primitùs vnxerat Iehu in regem, vt dictum est c.9.v.1.& 2.

Videtur Iehu statim post cæsos Baalitas & euersum Baal, hanc promissionem à Deo in præmium accepisse, licet Abul. censeat id factum postquàm Iehu cœpit colere vitulos, ideoque à Deo limitari hanc promissionem ad quartam generationem. Sed cultum vitulorum puniuit mox Deus per Hazael regem Syriæ inuadentem terram Israel, vti illicò subditur: tunc ergo non præmij, sed punitionis fuit tempus.

A Denique contra idola & vitulos Iehu missit Deus prophetas, qui sua oracula & minas, in eum, & Israelem illi in scelere applaudentem dictarent & scriberent; quorum primus fuit Osee, qui cœpit prophetare sub Iehu, vel paulò post Iehu. Vnde cap.1.4.ait: *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu,* & c.7.1. *Cùm sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim,* puta Iehu & decem tribuum, quarũ caput erat Ephraim. Causam subdit populi in idola pronitatem consuetudine firmatam, quæ Iehu idololatriam fouit & promouit. Vnde ait B v.3. *In malitia sua lætificauerunt regem,* &c. *quieuit paululùm ciuitas à cõmistione fermenti, donec fermentaretur totum,* &c. *Quia applicauerunt quasi clibanus cor suum, cùm insidiaretur eis.* Vide ibi dicta.

PERCVSSITQVE EOS HAZAEL IN VNIVERSIS FINIBVS ISRAEL] vibes cremando, iuuenes occidendo, paruulos elidendo, prægnantes dissecando, vti eis prædixerat Eliseus cap.8.v.12. VERS.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Athalia extincto semine regio regnat: occidit eam Ioiada Pontifex, ac regem constituit Ioas Ochoziæ filium.

1. Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. 2. Tollens autem Iosaba filia regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, & nutricem eius, de triclinio: & absconditeum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. 3. Eratque cum ea sex annis clàm in domo Domini: porrò Athalia regnàuit super terram. 4. Anno autem septimo misit Ioiada, & assumens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: & adiurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis: 5. & præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis: 6. Tertia pars vestrûm introeat sabbato, & obseruet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur: & tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: & custodietis excubias domus Messa. 7. Duæ verò partes è vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem. 8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege intrante & egrediente. 9. Et fecerunt centuriones, iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada sacerdos: & assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Ioiadam sacerdotem. 10. Qui dedit eis hastas, & arma regis Dauid, quæ erant in domo Domini. 11. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, à parte templi dextera, vsque ad partem sinistram altaris & ædis, circum regem. 12. Produxitque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium: feceruntque eum regem, & vnxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Viuat rex. 13. Audiuit autem Athalia vocem populi currentis: & ingressa ad turbas in templum Domini, 14. vidit regem stantem super tribunal iuxta morem, & cantores & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & scidit vestimenta sua, clamauitque: Coniuratio, coniuratio. 15. Præcepit autem Ioiada centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite eam extra septa templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini. 16. Imposueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, iuxta palatium, & interfecta est ibi. 17. Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, vt esset populus Domini, & inter regem & populum. 18. Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt validè: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini. 19. Tulitque centuriones, & Cerethi & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit super thronum regum, 20. Lætatusque est omnis populus terræ, & ciuitas conquieuit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis. 21. Septemque annorum erat Ioas, cùm regnare cœpisset.

VERS. 1. ATHALIA VERO MATER OCHOZIÆ, VIDENS MORTVVM FILIVM SVVM (Ochoziam occisum à Iehu c.9.27.) SVRREXIT (erexit se) ET INTERFECIT OMNE SEMEN REGIVM] scilicet omnes Ochoziæ regis filinque sui filios, ideoque nepotes suos cæteroscque ex regibus prognatos. *Athalia* impia filia fuit impij Achab & Iezabelis, nupta Ioram filio Iosaphat regi Iuda, ex eoque genuit Ochoziam: quare videns Ochoziam filium suum occisum à Iehu, inuasit regnum, & omnes filios regis, quorum ipsa erat auia, interfecit. Mira fuit & barbara hæc eius feritas & impietas, qua quasi altera Medea (cuius tragœdiam vide apud Senecam) suos filios, id est nepotes iugulauit. Fecit hoc partim ex rabie & furia, partim ambitione, vt sola nomine proprio, non quasi auia & tutrix nepotum, liberè regnaret; partim ex inuidia, vt euersa familia Achab & Iezabelis, quorum ipsa erat filia, euerteret paritor domum Dauidis, cui ipsa posteritatem & propagationem regni inuidebat. ita Iosephus. addit Theodor. *Athalia*, inquit, *impia & tyrannica voluit omne genus Dauidu, tanquam pium radicitùs extinguere, vt arrepto imperio populum suum impietatem doceret.* Addunt alij, vt se totis regni viribus armaret contra Iehu, qui domum Achab euerterat, eiusque euersionem, bellum vel necem Iehu inferendo, vlciscereturAthaliæ similis fuit Drahomira impia & idololatra mater S. Wenceslai regis Bohemiæ & martyris, quæ fratrem eius Boleslaum in Wenceslai necem impulit; sed castigauit eam Deus: nam viuam terra absorpsit, vti fusiùs ex Ænea Sylvio & aliis enarraui Genes. c.4. A B C

Sub Athalia floruit Lycurgus, qui paulò pòst ex Minois legibus, quas ille Cretensibus dederat, aliisque, leges dedit Lacedæmoniis: floruit enim Lycurgus ante Solonem & Draconem circa annum à capta Troia 290. ante Romam conditam anno 150. ante Olympiades anno 125. ante Christum anno 900. ait ex Clemente & Eusebio Salianus anno mundi 3153.

VERS. 2. TOLLENS AVTEM IOSABA FILIA REGIS IORAM SOROR OCHOZIÆ IOAS FILIVM OCHOZIÆ, FVRATA EST EVM, &c. ET ABSCONDIT EVM A FACIE ATHALIÆ, VT NON INTERFICERETVR] Ioseph. lib.9. Antiq. c.7. asserit Iosabam fuisse vxorem Ioiadæ Pontificis, ideoque Ioiadam quasi auunculum Ioas, & quasi Pontificem eum in regnum restituisse. Errat ergo Philo, vel potiùs Pseudo-Philo in breuiario temporum, quem secuti sunt Ioannes Annius & Ioannes Lucidus, dicens, in Ochozia defecisse stirpem Salomonis, quotquot enim eum sequuntur, descendere ex Nathan non ex Salomone: nam diserte Ioas hîc vocatur filius Ochoziæ, qui ex Salomone, non ex Nathan descendit. Friuolum ergo est quod iidem addunt, idcircò Ioas, Amasiam & Ochoziam omitti in genealogia Christi, Matth.1. quòd in Ochozia defecerit stirps Salomonis. D

VERS. 5. TERTIA PARS VESTRVM INTROEAT SABBATO (domum Domini siue templum) ET OBSERVET CVSTODIAS DOMVS REGIS] id est custodiat portam templi vergentem ad regiam. ita Abul. Caiet. & alij. Diuisit Ioiada milites in tres partes, vt tria loca necessaria ad noui regis tutelam, & ad Athaliæ comprehensionem custoditent. Porrò militum horum maiorem partem Ioiada assumpsit ex Leuitis, quibus ipse præerat quasi Pontifex, vt coniuratio foret secretior & tutior: si enim sæculares assumpsisset, vtique id statim recessisset Athalia, eòsque oppressisset. Hinc & sabbato detinuit Leuitas, qui vice sua hebdomadaria perfuncti, de more domum suam erant redituri, vt maiorem ex eis militum numerum conflaret. Hinc quoque Centuriones quinque assumpsit ex Leuitis, qui reliquos Leuitas per vibes Iuda sparsos ad se congregarent, nimirum Azariam filium Ieroham, Ismael filium Iohanan, Azariam filium Obed, Maasiam filium Adaiæ, & Elisaphat filium Zechri, vt dicitur 2.Paral.23.1. Porrò Leuitæ hi sine armis veniebant ad templum, quasi in eo ministraturi: sed Ioiada Pont. ibidem dabat eis hastas, lanceas, clypeos & peltas, vt ibidem dicitur v. 9. & hîc 10.

VERS. 6. ET TERTIA PARS SIT AD PORTAM QVÆ EST POST HABITACVLVM SCVTARIORVM] Hæc est porta, qua à domo Domini siue à templo descendebatur in regiam, vt patet v.3. quæ 2.Paral.23.20. vocatur *superior*.

VERS. 7. DVÆ VERO PARTES E VOBIS, OMNES EGREDIENTES SABBATO, CVSTODIANT EXCVBIAS DOMVS DOMINI CIRCA REGEM] Nota, singulis sabbatis ministros, puta sacerdotes & Leuitas, in templo ad ministrandum mutari solitos, vt per hebdomades successiuè singuli suavice ministrarent, iuxta ordinem à Dauide præscriptum 1. Paralip. 24.3. & sequ. vtrosque ergo, hoc est vtriusque septimanæ, scilicet vnius finientis, & alterius inchoantis ministros detinuit Ioiada, & nouos quidem ingredientes ad ministerium templi, in tres partes siue classes diuisit, singulisque portam vnam custodiendam demandauit: veteres verò siue egredientes, in duas partes distribuit, quæ nouum regem Ioas puerum custodirent, vt hoc versu dicitur. ita Abul.

SI QVIS AVTEM INGRESSVS FVERIT SEPTVM TEMPLI, INTERFICIATVR] Arctissimè enim hîc seruanda erat disciplina militaris custodiæ, ne vel ordines turba affluente turbarentur, vel Athalia milites siue ministros suos immitteret, qui puerum regem interciperent, aut occiderent.

VERS.12. PRODVXITQVE FILIVM REGIS, ET POSVIT SVPER EVM DIADEMA (coronauit eum in regem) ET TESTIMONIVM] Pro *diadema* Hebr. est נזר *nezer*, pro quo Sept. vertunt ἁγίασμα, id est *sanctificationem*, per quam Theodor. intelligit *chrisma*. verùm de chrismate & vnctione Ioas paulò pòst sequitur, ac *nezer* significat *diadema*, siue coronam regiam, quam Sept. vocant *sanctificationem*, quia illa in sancto templo asseruabatur, vt regi fideli Israelis, quasi à Deo electo & sanctificato imponeretur. ita Abul. Per *testimonium* Pagn. & Vatab. intelligunt vestem regiam, putà purpuram siue paludamentum purpureum. Melius alij accipiunt Deuteronomium: hoc enim regi nouo dari iusserat Deus Deuter. 17. v. 18. & 19. vt rex ex eo disceret officij sui esse & Deum piè colere, & subditos benevolè instar parentis regere. ita Abul. Caietan. & alii, ac S. Hier. in libr. 2. Paral. Id ita esse patet ex 2. Paral. 23. 11. vbi sic clarè explicatur: *Dederunt*, inquit, *in manu eius tenendam legem*. Hæc enim cæremonia in augurationè regis erat præscripta à Deo Deuter. 17. Lex enim, siue Deuteronomium (id est secunda lex, hoc est legis repetitio facta à Moyse in Deuter.) vocatur *testimonium*, scilicet voluntatis diuinæ, quia in ea edicebat & protestabatur Deus, quid ab Hebræis vellet fieri. Hæc omnia iure egit Ioiada, tum quia auunculus erat pueri Ioas cui regnum debebatur, ideoque quasi eius tutor, curare debebat vt illud ab Athalia, quæ inuaserat, auferretur, & Ioas regi restitueretur, ac vice Ioas sui pupilli illud administrare tenebatur; tum quia erat Pontifex, ad quem deficiente rege vel principe spectabat cura vti Synagogæ, sic & Reipub. Itaque illius erat curare, vt Athalia hostis Israelis, quæ Reinp. simul & religionem euertebat, à regno amoueretur, & alius princeps siue rex, cui illud iure competebat, crearetur, qui vtramque conseruaret & promoueret.

POPVLVM TERRÆ] id est plebem, hæc enim vilis est, & *in terram* quasi abiecta, ac in terrena proiecta. VERS.14.

ET IMPEGERVNT EAM] id est impactis manibus vi extraxerunt eam extra templum, vt foris eam occiderent, ne templum cæde & sanguine tam impiæ mulieris polluerent. VERS.16.

CERETHI ET PHELETHI] quinam hi fuerint dixi lib. 2. c. 8. Hebr. est *duces & cursores*, id est milites expeditos, vti sunt velites. Nostet nominauit: *Cerethi & Phelethi*, quia hi erant prætoriani & fortissimi milites, qui in hoc facinore maximè erant necessarij. VERS.19.

OCCISA EST IN DOMO REGIS] id est iuxta domum, siue palatium regis, vt dictum est v. 16. Congruè ibi cæditur, vbi peccarat: inuaserat enim palatium & regnum. Quare verum non est quod ait Iosephus lib. 9. c. 7. Athaliam protractam fuisse ad torrentem Cedron, ibique occisam; fieri tamen potuit vt cadauer occisæ in torrentem Cedron proiiceretur. VERS.20.

Athaliæ & Iezabeli similis in impietate æquè ac Numinis vindicta tempore S. Gregorij Magni Pont. fuit Brunichildis multorum regum Franciæ mater & auia. Hæc enim vt perpetuò regnaret, ac regina moreretur, Theodoricum regem, cuius ipsa erat auia, concubinarum amoribus implexum detinebat, ideoque S. Columbanum eum redarguentem Gallia expulit, ac Desiderium Viennensem, & Delfinum Lugdunensem Episcopos occidit, atque decem reges sua opera & consilio extinxit; sed tandem à Clothario rege capta, ac camelo primò impositа & circumducta ludibrium fuit toti populo, deinde indomiti equi caudæ per capillos alligata, rapta taque calcibus equi dispersum fuit eius cerebrum, reliqua verò membra per aspera saxa, sentes & rupes protracta, discerpta fuêre, vti ex Aimoino narrat Baronius anno Christi 614. *Brunichildis similis Athaliæ.*

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioas rex restaurat templum, mox v. 17. redimit bellum & excidium Ierosolymæ auro tam sacro quàm profano misso ad Hazael bellum molientem. Denique v. 20. à seruis suis occiditur.

1. ANno septimo Iehu, regnauit Ioas: & quadraginta annis regnauit in Ierusalèm, nomen matris eius Sebia de Bersabee. 2. Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos. 3. Verumtamen excelsa non abstulit; adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelsis incensum. 4. Dixitque Ioas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini: 5. accipiant illam sacerdotes iuxta ordinem suum, & instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione. 6. Igitur vsque ad vigesimumtertium annum regis Ioas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi.

templi. 7. Vocauitque rex Ioas Ioiadam pontificem & sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo ampliùs accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam. 8. Prohibitique sunt sacerdotes vltrà accipere pecuniam à populo, & instaurare sartatecta domus. 9. Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. 10. Cumque viderent ingentem pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, & pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini: 11. & dabant eam iuxta numerum & mensuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini, 12. & sartatecta faciebant: & in iis, qui cædebant saxa, & vt emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita vt impleretur instauratio domus Domini, in vniuersis quæ indigebant expensa ad muniendam domum. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini. 14. iis enim qui faciebant opus, dabatur vt instauraretur templum Domini: 15. & non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam. 16. Pecuniam verò pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. 17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam: & direxit faciem suam vt ascenderet in Ierusalem. 18. Quamobrem tulit Ioas rex Iuda omnia sanctificata, quæ consecrauerant Iosaphat & Ioram & Ochozias, patres eius reges Iuda, & quæ ipse obtulerat: & vniuersum argentum, quod inueniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio regis: misitque Hazaeli regi Syriæ, & recessit ab Ierusalem. 19. Reliqua autem sermonum Ioas, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 20. Surrexerunt autem serui eius, & coniurauerunt inter se, percusseruntque Ioas in domo Mello in descensu Sella. 21. Iosachar namque filius Semaath, & Iozabad filius Somer, serui eius, percusserunt eum, & mortuus est: & sepelierunt eum cum patribus suis in Ciuitate Dauid, regnauitque Amasias filius eius pro eo.

VERVMTAMEN EXCELSA NON ABSTVLIT] timore populi in illa propensi, ne ille seditionem moueret. Vide quæ de excelsis dixi superiùs lib. 3. Reg. c. 3. v. 2. VERS.3.

OMNEM PECVNIAM SANCTORVM] id est sanctificatorum, siue consecratorum; q.d. omnem pecuniam Deo oblatam & consecratam accipiant sacerdotes, &c. VERS.4.

A PRÆTEREVNTIBVS] Hebr. *à transeunte*, scilicet in numerum & censum, id est ab omni qui numeratur soluitque censum. Ad hunc enim tenebantur soli illi qui attigerant vel excesserant annum vigesimum. Exodi 30. 14.

QVÆ OFFERTVR PRO PRETIO ANIMÆ] id est pro censu suo. Iusserat enim Deus, vt quisq; Hebræus in censu pro capite suo solueret dimidium siclum, id est duos Iulios siue duos Regales. Hoc *pretium* vocatur *anima*, id est vitæ siue hominis viuentis, tum quia Hebræi qui tori erant Deo dicati, hoc pretio quasi vitam ab eo redimebant; tum quia soluendo hoc pretium, à Deo tacitè postulabant & impetrabant, vt Deus eis vitam prorogaret, eamque faceret lõgam, sanam & prosperam, vti dixi Exodi 30. 12.

VT INSTAVRENT SARTATECTA DOMVS] Dei, scilicet templi, vt scilicet restaurent quæ longitudine temporis vetustate consumpta, corrosa & ruinosa sunt, quæque Athalia demolita est & abstulit. Nam vt dicitur 2. Paral. 24. 7. *Athalia impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis quæ sanctificata fuerant in templo Dei, ornauerunt fanum Baalim.* VERS.5.

QVARE SARTATECTA NON INSTAVRATIS TEMPLI?] Dupliciter peccabant sacerdotes. Primò, quòd negligentes essent in exigenda pecunia pro censu debita templo ex lege Exodi 30. 12. Secundò, quòd eam non in sartatecta templi, sed in alios ac subinde in priuatos & proprios vsus expenderent. Quare iure cum eis expostulauit rex Ioas, eisque hoc colligendæ & seruandæ pecuniæ pro templi fabrica officium abstulit, eosque pecuniam in gazophylacium inferre præcepit v. 9. VERS.7.

PROHIBITIQVE SVNT SACERDOTES] non inuiti sed volentes & consentientes. Vnde pro *prohibiti sunt* Hebr. est יאותו *iedotu*, id est *consenserunt*, voluerunt, annuerunt. Chald. *contenti fuerunt*; quia vt ait Iosephus, sciebant multos è populo esse difficiles ad soluendum censum, ac neminem libenter argentum erogare. VERS.8.

VERVMTAMEN NON FIEBANT EX EADEM PECVNIA HYDRIÆ TEMPLI DOMINI, ET FVSCINVLÆ, ET THVRIBVLA, &c.] quamdiu scilicet durabat restauratio templi: VERS.13.

hæc enim vtpote magis necessaria præire debebat: quâ peractâ reliquum pecuniæ expensum est in hydrias, aliaque vasa templi, vt patet 2. Paral. 24. ita Abul. Caiet. & alij.

VERS. 15. ET NON FIEBAT RATIO, &c. q. d. non exigebatur ratio & computus à receptoribus pecuniæ, quia sciebant omnes quòd IN FIDE TRACTABANT EAM] quòd scilicet omnia expenderent in fabricam templi, & nihil in proprios vsus decerperent. ita Chald. Vatabl. & alij.

VERS. 16. PECVNIAM VERO PRO DELICTO, ET PECVNIAM PRO PECCATIS, NON INFEREBANT IN TEMPLVM DOMINI, QVIA SACERDOTVM ERAT] Vatab. *pecunia quæ superetat empta victima pro delicto vel peccatis, non inferebatur in ædem Domini, quòd sacerdotum esset.* Qui B enim longè à templo habitabant, non victimam, sed pecuniam mittebant ad vnum è sacerdotibus, qui victimam emebat, & quod reliquum erat pecuniæ emptâ victimâ, id cedebat in vtilitatem sacerdotum. ita Vatab. Abul. verò sic explicat, quasi hîc agatur de delicto & peccato contra sacerdotem admisso, vt si quis abstulisset id quod de victimis ad sacerdotem pertineret; tunc enim præter illatum damnum, & victimam pro illo peccato, quintam etiam partem insuper in pecunia debuit offerre sacerdoti. Audi legem Leuit. 5. v. 15. *Anima si præuaricans cæremonias per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus Sanctuarij: ipsumq; quod intulit damnum restituet, & quintam partem ponet suprà, tradens sacerdoti.* Idem de delicto sancitur Num. 5. v. 6. Quid interfit inter *delictum* & *peccatum* dixi Leuit. 7. 1.

VERS. 17. TVNC ASCENDIT HAZAEL REX SYRIÆ, &c. ET DIREXIT FACIEM SVAM, VT ASCENDERET IN IERVSALEM] Quia Deus per Hazael, castigare volebat Ioas regem, qui post mortem Ioiadæ deprauatus à consiliarijs Athaliæ, deflexit ad idola, ideoque occidit Zachariam filium Ioiadæ, eò quòd eum de idololatria argueret, Atque ob hanc cædem sacrilegam Ioas ipse cæsus est à suis famulis, & regia sepultura caruit; quæ omnia fusè narrantur 2. Paral. 24. Porrò ad hanc idololatrarũ castigationem peragendam, iusserat Deus Eliæ, vt Hazael vngeret in regem Syriæ 3. Reg. 19. 16. VERS.

QVAMOBREM TVLIT IOAS REX IVDA OMNIA SANCTIFICATA QVÆ CONSECRAVERANT IOSAPHAT, &c. ET VNIVERSVM AVRVM, QVOD INVENIRI POTVIT IN THESAVRIS TEMPLI DOMINI, ET IN PALATIO REGIS, MISITQVE HAZAEL REGI SYRIÆ, ET RECESSIT AB IERVSALEM] Ab hoc exemplo colligi ait Caiet. quòd pecunia & thesauri Ecclesiarum licitè impenduntur pro redimenda vexatione populi, qualis erat hîc obsidio Ierusalem; simul tamen cum toto thesauro regio. Iniquum enim esset inchoare lytrum ab expilatione Ecclesiarum: sed vbi publicus regiusque thesaurus non sufficit, Ecclesiarum opes subuenire & supplere debent. Hæc Caiet. Audi S. Ambr. lib. 2. offic. cap. 28. tres casus recensentem, in quibus licet vasa sacra in laicos vsus conuertere. *Sanè si quis in sua deriuat emolumenta, crimen est: sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Nemo enim* C *potest dicere, cur pauper viuit? Nemo potest queri quia captiui redempti sunt: nemo potest accusare quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere; quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam intiata confringere, conflare, vendere licet.* quæ S. Ambros. verba transscripta sunt in ius canonicum, extantque 12. q. 2. c. *Aurum.* §. *nemo potest.*

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REgnant in Israel successiuè Ioachaz, Ioas & Ieroboam. v. 14. moriens Eliseus victoriam triplicem contra Syros regi Ioas promittit, ac v. 21 iam mortuus mortuum contactu ossium suorum suscitat. Denique v. 24. moritur Hazael, cui succedit Benadad filius, quem tertiò pugnando vincit Ioas iuxta oraculum Elisei.

1. ANno vigesimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis Iuda, regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis. 2. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, & non declinauit ab eis. 3. Iratusque est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael, cunctis diebus. 4. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus: vidit enim angustiam Israel, quia attriuerat eos rex Syriæ: 5. & dedit Dominus saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ: habitauerunt que filij Israel in tabernaculis suis sicut heri & nudiustertius. 6. Verumtamen non recesserunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulauerunt: siquidem & lucus permansit in Samaria. 7. Et non sunt derelicti Ioachaz de populo nisi quinquaginta equites, & decem

cem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ. 8. Reliqua autem sermonum Ioachaz, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regũ Israel? 9. Dormiuitque Ioachaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in Samaria: regnauitque Ioas filius eius pro eo. 10. Anno trigesimo septimo Ioas regis Iuda, regnauit Ioas filius Ioachaz super Israel in Samaria sedecim annis, 11. & fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulauit. 12. Reliqua autem sermonum Ioas, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, quomodo pugnauerit contra Amasiam regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regũ Israel? 13. Et dormiuit Ioas cum patribus suis: Ieroboam autem sedit super solium eius. Porrò Ioas sepultus est in Samaria cum regibus Israel. 14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descenditque ad eum Ioas rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius. 15. Et ait illi Eliseus: Affer arcum, & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, & sagittas, 16. dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, 17. & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. 18. Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cùm percussisset tribus vicibus, & stetisset, 19. iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20. Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. 21. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos. 22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz: 23. & misertus est Dominus eorum, & reuersus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, & Isaac, & Iacob: & noluit disperdere eos, neque proiicere penitus, vsque in præsens tempus. 24. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, & regnauit Benadad filius eius pro eo. 25. Porrò Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui iure prælij, tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israel.

VERS. 1. ANNO VIGESIMO TERTIO IOAS FILII A OCHOZIÆ REGIS IVDA, REGNAVIT IOACHAZ FILIVS IEHV SVPER ISRAEL] Tempore Ioas regis Iuda, scilicet anno regni eius decimo conditam esse Carthaginem Romæ æmulam à Didone, quæ ex Tyro, regnante Pygmalione, nauigauit in Africam, eamque condidit, tradit Ioseph. ex Tyriorum annalibus lib. 1. contra Appionem, quem sequuntur Torniellus, Gordonus, Salianus, Scaliger, licet alij alio tempore conditam velint. Sunt enim ea de re variæ variorum sententiæ. Iuxta hanc sententiam Carthago condita est centum & triginta annis ante Romam. Rursus anno 14. Ioas, Lycurgus leges dedit Spartanis, quas Gentiles celebrant, sed Christianis legibus longè sunt inferiores; nam & mulieribus luxuriosè viuere, & adulterari, atque pueris & adolescentibus futari permittunt, vt scilicet fiant callidi, vtque quisque rem suam diligentiùs custodiat. Quare eas improbat, culpatque Arist. lib. 2. de Repub. cap. 9. Eodem anno 14. Ioas, cœperunt certamina Olympica, indeque nominatæ & computatæ Olympiades, institutæ vel potiùs instauratæ ab Iphito rege Elidis, qui Lycurgo fuit coæuus; vti ex Plutarch. in Lycurgo, Aristot. & Pausania docet Salianus. Nomina tamen victorum in Olympicis cœpta fuêre describi post 27. Olympiades, nimirùm Olympiade 28. in qua primus victor describitur Coræbus: quare communiter ab hac 28. Olympiade numerantur Olympiades, ac vigesima vocatur prima, quæ iuxta computum Saliani incidit in annum Ioatham regis Iuda primum, qui fuit annus mundi 3278. ante Christum 775. licet alij aliter hos annos assignent: nusquam enim maior sententiarum diuersitas, quàm in chronologia.

ET DEDIT DOMINVS SALVATOREM ISRAEL] Quis hic Saluator? Aliqui censent fuisse Angelum præsidem & tutelarem Israelis, qui pro eo contra Syros pugnauit & vicerit, vti pugnauit Angelus pro Ezechia contra Sennacherib occidens 185. millia Assyriorum. Alij volunt fuisse hominem & ducem certum à Deo missum, sed in Script. innominatum, ideoque nobis incognitum & incertum. Melius alij censent fuisse Eliseum, ita Caiet. aut certè Ioas regem Israel ab Eliseo confortatum, qui tertiò Syros superauit, vt sequitur. Quare toto VERS. 5.

tempore Ioachaz afflictus fuit Israel à Syris, vt A dicitur v.22. Post Ioachaz verò succedens Ioas Syros depressit, & Israeli libertatem restituit. Vnde Ioachaz orans Deum pro salute Israelis, eam impetrauit pro tempore regni, non sui sed filij sui Ioas. ita Abul.

VERS. 7. ET NON SVNT DERELICTI IOACHAZ DE POPVLO NISI QVINQVAGINTA EQVITES] Hic versus confirmat id quod iam dixi: quare connectendus est cum v.3. & ponendus ante v.4. vbi per Hyperbaton interiicitur deprecatio Ioachaz, eiusque exauditio, ac promissio liberationis faciendæ per Ioas. ita Sanchez.

ET REDEGERAT QVASI PVLVEREM IN TRITVRA AREÆ] id est Hazael comminuit & contriuit Israelitas, sicut comminui & conteri solet gluma & puluis in area. ita Abul.

VERS. 8. ET FORTITVDO EIVS] Ioachaz licet victus ab Hazaele, vtpote potentiore, fortiter tamen in præliis se gessit, & defendit se quoad potuit. B

VERS. 14. ELISEVS AVTEM ÆGROTABAT INFIRMITATE QVA ET MORTVVS EST: DESCENDITQVE AD EVM REX ISRAEL (Ioas) ET FLEBAT CORAM EO, DICEBATQVE: PATER MI, CVRRVS ISRAEL ET AVRIGA EIVS] q.d. Tu ô Elisæe, meus & Israelis es pater, vtpote qui me meumque regnum magis defendebas, quàm magna equitum & curruum multitudo: tu ergo viuens quasi auriga, aurigabas & regebas regnum Ista 1: nunc te moriente, quis me meosque contra Hazael & Syros defendet? Idem succlamabat Elisæus Eliæ dum in cælum raperetur cap. 2. 12. vide ibi dicta.

VERS. 16. DIXIT AD REGEM ISRAEL: PONE MANVM TVAM SVPER ARCVM. ET CVM POSVISSET ILLE MANVM SVAM, SVPERPOSVIT (perperam Regia legunt *suppositit*) ELISEVS MANVS SVAS MANIBVS REGIS] vt significaret suum illi auxilium affuturum, etiamsi absentis, imò vita functi: Deum enim propter merita sua ei daturum victoriam: ac se in limbo pro ea Deum oraturum certoque impetraturum. Post mortem ergo viua erat vis & virtus Elisæi, ac mira quæ solebat dum viueret, etiam mortuus operabatur. ita Abul. Caietan. & alij. Vnde discant hæretici Sanctos, præsertim post Christum in cælo regnantes per Deum esse potentes, vt nobis eos inuocantibus opitulari possint & velint.

Discant hîc principes & cæteri hominum, quantùm sanctorum virorum oratio & merita prosint, ac nisi ipsi manus suas manibus & operibus nostris apponant, frustra nos laborare.

Tropol. Doctor ori prædicationis admouebat manum operationis bonæ, vt quod docet verbo, doceat primus exemplo. Sic efficax erit prædicatio, & auditoribus persuadebit quod prædicat. ita Angelom. & Eucher.

VERS. 17. APERI FENESTRAM ORIENTALEM (vt iacias sagittam victricem contra Syros, qui Israeli sunt ad Orientem) CVMQVE APERVISSET, DIXIT ELISEVS: IACE SAGITTAM: ET IECIT, ET AIT ELISEVS: SAGITTA SALVTIS DOMINI, ET SAGITTA SALVTIS CONTRA SYRIAM] q. d. Oro Deum vt tuas tuorumque militum sagittas (quas hac mea sagitta eiusque iactu repræsento) & arma, pugnas & prælia secundet, dirigat & roboret, vt Syros feriant, mactent & subiiciant: nec tantùm id oro, sed idipsum vt propheta ex ore Dei tibi prænuntio, & de Syris victoriam promitto. vnde subdit:

PERCVTIESQVE SYRIAM IN APHEC] Alludit ad veterum ritum, qui bellum hostibus denuntiabant, & prælium inchoabant iacta in terram hostilem sagitta vel telo, vti fecerunt Romani, teste Seruio in illud Turni apud Virgil. 9. Æneidos:

En, ait, & iaculum intorquens emittit in auras
Principium pugnæ.

Idem fecêre Græci: vnde mox vt Persidem attigit *primus Alexander* (Magnus) *iaculum velut in terram hostilem iecit*, ait Iustin. lib. 2. vide Gellium lib. 16. 14. & Alexand. ab Alex. libr. 4. Genial. cap. 3.

Tropol. Angelom. *Cum exemplis fides*, inquit, *Dominus actiones Doctorum dirigit & confortat, orientalem fenestram aperire mandat, & iacere sagittam, quia lumine scientiæ & veræ doctrinæ, suos hortatur primùm illustrari, & sicut iacula verborum mittere.* Et paulò pòst: *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. Sagit a ergo, aluta Domini, est prædicatio sancta, cibus deuotis exhibetur, & spiritualium hostium certa ſ ma interfectio, si perseuerauerit agitur. N.c fas est vt aliquando dispensator verbi Dei segniter torpeat, cui iussum est, vt gregi Dominico curam habeat, quia multum obest deuotis auditoribus, si inerti a prælatis Doctoribus. Dicit enim Propheta: Clama ne cesses.* Sic & Eucherius.

IN APHEC] Aphec vrbs erat in tribu Issachar hostium clade celebris, nam regē Aphec Iosue occidit. *In hac Philistiæi posuerunt castra pugnaturi contra Israel, postea contra Saul: ibidem etiam Syri pugnauerunt contra Achab regē Israel, quādo dixerant: Dij montium sunt dij eorum, pugnemus contra eos in vallibus & campestribus, & obtinebimus eos: vbi & Benadad rex Syriæ victus est*, ait Adrichomius.

DONEC CONSVMAS EAM] subaudi nisi ti impedias, vti factum est. Nam Ioas ter tantùm percutiens terrā, ter tantùm percussit Syros, qui vtique sæpiùs & ad consumptionem eos deleuisset, si sæpiùs terrā percussisset, vt patet v. 19.

SI PERCVSSISSES QVINQVIES, AVT SEXIES, AVT SEPTIES, PERCVSSISSES SYRIAM VSQVE AD CONSVMPTIONEM] Illa erat voluntas & decretum Dei qui ita liberè disposuerat & decreuerat, vt Ioas toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram; quod decretum Dei sciebat Elisæus, sed iussu Dei noluit indicare regi Ioas, vt illius permitteretur arbitrio toties percutere, quoties vellet terram. Si enim Ioas sciuisset decretum Dei, vtique sæpiùs terram sagitta percussisset. C D

Simili modo victoriam Iosue contra Amalec Deus alligauit extensioni manuum & orationi Moysis. Exodi 17. 11. & eiusdem Iosue victoriam contra Chananæos alligauit eleuationi clypei Iosue 8. 18. Porrò quòd Ioas ter tantùm percusserit terram, ideoque ter tantùm Syros percusserit, eius peccatis & culturæ virtutum attribuit Abul. Mirum enim fuit & indignum, regem toties monitum ab Elisæo, eiusque miracula cernentē, imò victorias contra

tra Syros Dei ope nanciscentem, non reliquisse cultum vitulorum, ac ad veri Dei sibi tam benefici venerationē se totum transtulisse. Verisimile est eum coluisse Deū verum, quem per Elisæū agnouerat, & simul Deos patrios, scilicet vitulos aureos Ieroboam. Vtrosq; enim coluit pater eius Ioachaz, vt patet v. 4. & 6. Hinc in eum eiq; similes reges Israel detonās Deus per Osee c. 10. 2. ait: *Diuisum est cor eorū, nunc interibit.*

VERS. 20. MORTVVS EST ERGO ELISEVS, ET SEPELIERVNT EVM] Morienti affuisse Ioas regem, ac filios Prophetarum discipulos suos iam per totum Israelem propagatos, vltimaque ab eo sanctitatis & religiosæ vitæ monita accepisse, non est dubium. Affuisse quoque Amos prophetam, Amasiæ regis fratrem & Isaiæ patrem, asserunt Hebræi in Seder Olām. Prophetauit Elisæus circiter 66. annos sub sex regibus Israel, scilicet sub Achab, Ochozia, Ioram, Iehu, Ioachaz & Ioas. Vixit centum annis & ampliùs, in religiosa disciplina octoginta, mortuusque est anno mundi 3204. ait Salianus, Amasiæ regis Iuda anno octauo, Ioās regis Israel anno decimo, ante Christum anno 849. Asscriptus est catalogo Sanctorum in Martyrolog. Roman. die 14. Iunij, vbi sic legimus: *Samariæ in Palæstina S. Elisæi prophetæ, cuius sepulchrum damones perhorrescere scribit S. Hier.* Audi S. Hier. scribentem in principium Abdiæ Prophetæ: *Abdiæ sepulchrum cum Mausoleo Elisæi, & Ioannis Baptistæ in Sebaste veneratione habetur, quæ olim Samaria.* Idem in Epitaphio Paulæ addit; illic variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra sanctorum vlulare homines more luporum, fremere more leonum, sibilare instar serpentum, mugire boatu taurorum. Refert Cedrenus in Leone Magno Imper. Elisæi reliquias Alexandriam translatas fuisse.

Hinc Iulianus apostata ossa Elisæi & Baptistæ cum brutorum ossibus commiscens exurere voluit, vt habet S. Artemij vita apud Lipomanum.

Elogia Elisæi vide Eccles. 48. 13. *In Elisæo*, ait, *completus est spiritus eius* (Eliæ) *in diebus suis non pertimuit principem, & in potentia nemo vicit illum.* vide ibi dicta. Denique Elisæo in prophetia mox successit Osee, qui sub Ozia filio Amasiæ regis Iuda prophetauit, Isaias, Amos, Ionas, cæteriq; prophetæ maiores & minores. B

QVOD CVM TETIGISSET OSSA ELISEI, REVIXIT HOMO] Mira Elisæi virtus & sanctitas, quòd mortuus mortuum ad vitam suscitarit. Fuit ipse hac in re typus Christi, cuius in cruce mortui gratia & meritorum contactu omnes resurgemus. ita Angelom. Eucherius & alij. Hinc Elisæo Eccles. hoc dat Elogium c. 48. 14: *Et mortuum prophetauit corpus eius. Prophetauit*, id est miraculum fecit suscitando mortuum. Miracula enim erant opera *Prophetarum*; id est virorum & Doctorum sanctorum Israelis. VERS. 21.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gesta Amasiæ filij Ioas regis Iuda, ac bellum eius cum Ioas rege Israel, in quo Amasias victus captus q. est, ac Ierusalem spoliata: qui tandem à suis occisus filium reliquit successorem Azariam, sicut Ioas regi Israel successit filius Ieroboam, & huic filius Zacharias.

1. IN anno secundo Ioas filij Ioachaz regis Israel, regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda. 2. Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset: viginti autem & nouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Ioiadam de Ierusalem. 3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non vt Dauid pater eius. Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater suus, fecit: 4. nisi hoc tantùm, quòd excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis. 5. Cumque obtinuisset regnum, percussit seruos suos, qui interfecerant regem patrem suum. 6. filios autem eorum qui occiderant, non occidit, iuxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro patribus: sed vnusquisque in peccato suo morietur. 7. Ipse percussit Edom in Valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocauitque nomen eius Iectehel, vsque in præsentem diem. 8. Tunc misit Amasias nuntios ad Ioas filium Ioachaz, filij Iehu regis Israel, dicens: Veni, & videamus nos. 9. Remisitque Ioas rex Israel ad Amasiam regem Iuda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum. 10. Percutiens inualuisti super Edom, & subleuauit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare prouocas malum, vt cadas tu & Iudas tecum? 11. Et non acquieuit Amasias: ascenditque Ioas rex Israel, & viderunt se, ipse & Amasias rex Iuda, in Bethsames oppido Iudæ. 12. Percussusque est Iuda coram Israel, & fugerunt vnusquisque in tabernacula sua. 13. Amasiam verò regem Iuda, filium Ioas filij Ochoziæ, cepit Ioas rex Israel in Bethsames, & adduxit eum in Ierusalem: & interrupit murum Ierusalem, à porta

Ephraim vsque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 14. Tulitque omne aurum & argentum, & vniuersa vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini, & in thesauris regis, & obsides, & reuersus est in Samariam. 15. Reliqua autem verborum Ioas quæ fecit, & fortitudo eius qua pugnauit contra Amasiam regem Iuda, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Dormiuitque Ioas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum regibus Israel: & regnauit Ieroboam filius eius pro eo. 17. Vixit autem Amasias, filius Ioas, rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz regis Israel, quindecim annis. 18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 19. Factaque est contra eum coniuratio in Ierusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. 20. Et asportauerunt in equis, sepultusque est in Ierusalem cum patribus suis in Ciuitate Dauid. 21. Tulit autem vniuersus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum regem pro patre eius Amasia. 22. Ipse ædificauit Ælath, & restituit eam Iudæ, postquam dormiuit rex cum patribus suis. 23. Anno quintodecimo Amasiæ filij Ioas regis Iuda, regnauit Ieroboam filius Ioas regis Israel in Samaria, quadraginta & vno anno: 24. & fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel. 25. Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. 26. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quòd consumpti essent vsque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israeli. 27. Nec locutus est Dominus vt deleret nomen Israel de sub cælo, sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas. 28. Reliqua autem sermonum Ieroboam, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius qua præliatus est, & quomodo restituit Damascum & Emath Iudæ in Israel, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 29. Dormiuitque Ieroboam cum patribus suis regibus Israel, & regnauit Zacharias filius eius pro eo.

VERS. 1. IN ANNO SECVNDO IOAS FILII IOACHAZ REGIS ISRAEL REGNAVIT AMASIAS] Dices, hoc videtur repugnare capiti precedenti v. 10. vbi dicitur Ioas rex Israel regnare cœpisse anno 37. Ioas regis Iuda qui 40. annis regnauit, cui mortuo demum successit filius Amasias: ergo Amasias non secundo, sed quarto anno Ioas regis Israel regnare cœpit. Resp. Ioas rex Israel regnare cœpit anno 37. Ioas regis Iuda sed cum patre suo Ioachaz: ac post biennium mortuo patre solus regnare cœpit anno 39. Ioas regis Iuda, ab eoque anno hîc anni eius numerantur. Quare moriente Ioas rege Iuda anno sequente, puta 40. regni sui, qui erat annus secundus Ioas regis Israel, quo solus post patrem Ioachaz regnauit, Amasias patri Ioas in Iuda succedens, ibidem regnare cœpit solus anno secundo Ioas regis Israel. A B

VERS. 2. NOMEN MATRIS EIVS IOADAN] Multas rationes hîc congerit Abul. cur in lib. Regum Regibus Iuda semper addantur nomina matrum, numquam autem regibus Israel. potissima est, quòd regnum Iuda potius erat, & celebrius templo veroque Dei cultu, & Messia ex eo nascituro. Adde regnum Israel fuisse schismaticum & idololatricum; Iuda verò legitimum & diuinum.

ET FECIT RECTVM CORAM DOMINO] quia scilicet Amasias initio regni solum Deum verum coluit.

VERS. 3. VERVMTAMEN NON VT DAVID PATER EIVS] qui non tantùm idola non coluit, sed nec ea subditos colere permisit, quod tamen fecit Amasias permittens populum immolare in excelsis. quod 2. Paral. 25. 2. dicitur: *Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto.* A

IVXTA OMNIA QVÆ FECIT IOAS PATER SVVS, FECIT] quia sicut Ioas viuente Ioiada Pontifice solum Deum coluit, eo verò mortuo defluxit ad idola; sic fecit & Amasias eius filius, qui sub finem declinauit ad Deos Idumæorum, vt patet 2. Paral. 25. 14.

VERS. 4. NISI TANTVM QVOD EXCELSA NON ABSTVLIT] hæc verba non ad proximè præcedentia: *iuxta omnia quæ fecit Ioas pater eius*, quia Ioas quoque excelsa non abstulit, sed ad superiora: *Et fecit rectum coram Domino*, referenda sunt. q.d. Amasias rectè Deum coluit, sed non rectè permisit populum in excelsis immolare. Quare illa verba (*iuxta omnia quæ fecit Ioas pater suus, fecit*) parenthesin continent vt aduertit Sanchez, & quasi parenthesi inclusa à sequentibus seiungenda sunt. B

VERS. 5. IPSE PERCVSSIT EDOM IN VALLE SALINARVM] Idumæi enim rebellarant Iudæis ante sexaginta annos, scilicet à sexto anno Ioram regis Iuda vsque ad duodecimum Amasiæ (aiunt Hebræi in Seder Olam) qui eos rursùm debellauit & Iudæ seruire coëgit. vide 2. Paral. 21. 8. & cap. 25. 11. Porrò post hanc victoriam Amasias lapsus est in idololatriam, coluitque Deos Idumæorum, ideoque cæsus captusque est

est à Ioas rege Israel, vt dicitur 2. Paralip. 25. v. 20.

ET APPREHENDIT PETRAM IN PRÆLIO] id est cepit rupem hostium celsam & munitam, ex qua præcipitauit alia decem millia Idumæorum, vt dicitur 2. Paral. 25. 12. ita Caiet. sic Gabaitæ cæsi fugerunt ad petram Remmon Iudic. 20. 4.

Alij per *petram* accipiunt, *Petram* Arabiæ vrbem quæ postea à Ptol. Philadelpho restaurata dicta est *Philadelphia*.

VOCAVITQVE NOMEN EIVS IECTEHEL] id est, *obedientia* vel *exspectatio Dei*, vt Noster vertit Genes. 49. 10. vt nollent omnes, quòd Amasias ex Dei mandato æquè ac auxilio vicerat, & punierat rebelles Idumæos. ita Caiet. Aliter Vatabl. Vocauit eam *Iectehel*, inquit, quia sic vocabatur is qui eam expugnauit. Pagnin. *Iectehel*, vertit, *congregatio Dei*. B

VERS. 8. TVNC (cùm gestiens & exultãs, imò se exaltãs de victoria Idumæorũ putaret se pari modo domiturum Israelitas) MISIT AMASIAS NVNTIOS AD IOAS (regem Israel) DICENS: VENI ET VIDEAMVS NOS] in prælio, id est duellemus & præliemur vt videamus vter sit fortior: ita Chald. *Veni*, inquit, *excipiamus ad inuicem facies in bello*, id est Veni & statuto die confligamus. Vatab. *Age spectemus nos mutuò coràm.*

Hebræi teste Vatab. censent causam belli fuisse, quòd vt narratur 2. Paral. 25. Amasias conductos à se milites ex Israel contra Idumæos iussu prophetæ dimiserit: illi dimissi, indignantes spoliarunt regnum Iudæ: spolia ergo hæc à Ioas & Israelitis bello repetere voluisse C Amasiam. Verùm nil tale indicat Script. quin potiùs Ioas Amasiæ obiicit, quòd victoria de Idumæis elatus ex fastu se prouocet ad prælium. Audi Ioseph lib. 9 cap. 10. *Amasias felicitatem suam, cuius tamen authorem Deum non agnoscebat, non capiens, sed fastu inflatus, scripsit Ioa regi Israelitarum, vt ipsius imperata faceret cum populo suo, sicut antehac idem populus maioribus eius Dauidi & Salomoni paruit; quòd si nolit vltrò facere officium, bello esse decernendum de Imperij iuribus.* Sic & Abul. Histor. Scholast. Salianus & alij. Sperabat Amasias se victorem fore, eò quòd prophetæ sibi dixisset 2. Paral. 25. Deum non esse cum Israele: sed idem cogitare debebat de se, vtpote iam apostata & solente Deos Idumæorum, præsertim quia Deus voluerat regnum Israel diuidi à regno Iuda, vt audiuimus lib. 3. cap. 12. D & seq. Quare Amasias volens rursùm illud sibi vnire & subiicere, faciebat contra voluntatem Dei, ideoque in bello succubuit.

VERS. 9. CARDVVS LIBANI MISIT AD CEDRVM QVÆ EST IN LIBANO, DICENS: DA FILIAM TVAM FILIO MEO VXORI M. TRANSIERVNTQVE BESTIÆ SALTVS QVÆ SVNT IN LIBANO, ET CONCVLCAVERVNT CARDVVM] Hoc Apologo Ioas retundit fastum Amasiæ prouocantis se ad bellum. Contemptim enim Amasiam vocat *carduum* humilem, vilem & aculeatum. *Libani* tamen, quia ipse ex Iudæa & semine regio erat oriundus; se verò vocat *cedrum* excelsam, nobilem & pretiosam, quam humilis *carduus*, id est Amasias, vix queat aspicere, multò minùs ei se viribus A æquare, vt dicere audeat: *da filiam tuam filio meo vxorem.* q.d. regnum tuum Israel iunge & subde regno meo Iuda, vti olim sub Dauide ei iunctum & quasi coniugio copulatum fuit.

TRANSIERVNTQVE BESTIÆ SALTVS QVÆ SVNT IN LIBANO. Ita vocat milites suos Israelitas (per *Libanum* enim intelligit totam Palæstinam, scilicet tam Israel quàm Iudam) fortes & feroces quasi leones, ET CONCVLCAVERVNT CARDVVM] scilicet conculcabunt te, ô Amasia, capient & spoliabunt. Ita factum est, vti hîc minatus, & ominatus est Ioas, quia Deus per eum volebat castigare superbiam, æquè ac idololatriam Amasiæ, vt dicitur 2. Paral. 25. 12.

Vnde Apologo huic hoc Epimythium addit Ioseph. lib. 9. cap. 10. *Hoc exemplum*, ait, *te moneat ne maiora quàm par est appetas, néue propter recentem ex Amalecitis* (potiùs Idumæis) *victoriam elatus, & te & regnum tuum incertæ committas aleæ.*

Similis Apologus est Iudic. 9. 10. vbi Ioatham filius Gedeonis Abimelech tyrannum comparat rhamno, bonos verò principes ficui, viti & oleæ. vide ibi dicta.

VERS. 13. AMASIAM VERO REGEM IVDA, &c. CEPIT IOAS REX ISRAEL] Ecce hîc implebatur Apologus Ioas: sic enim merentur puniri, qui alios bello lacessunt. Sic videmus non raro eos, qui alios prouocant ad duellum, in eo succumbere & occidi, Deo eorum audaciam & superbiam castigante.

VERS. 17. VIXIT AVTEM AMASIAS, &c. POSTQVAM MORTVVS EST IOAS VIGINTIQVINQVE ANNIS] Corrige cum Roman. Chald. & Septuag. 15. *annis*, vt habetur 2. Paral. 25. 25.

VERS. 19. ET INTERFECERVNT EVM] Iustum hoc fuit Dei iudicium, vt sicut Ioas pater defle-ctens ad idola occisus fuit à suis, sic & Amasias filius eius ad eadem declinans à suis coniuratis necaretur, vt patet 2. Paral. 25 27. Probabiliter tamen Salian. & alij opinantur eum ante mortem pœnituisse, & piè in vnius veri Dei cultu obiisse.

VERS. 25. IPSE RESTITVIT TERMINOS ISRAEL AB INTROITV EMATH VSQVE AD MARE SOLITVDINIS, IVXTA SERMONEM DOMINI DEI ISRAEL, QVEM LOCVTVS EST PER SERVVM SVVM IONAM FILIVM AMATHI] Hinc patet Ionam prædixisse Ieroboam regi, quòd ipse restituturus esset Israeli vrbes illas, quas Syri ei ademerant ab Emath vsque ad mare mortuum, etsi hoc oraculum in prophetia Ionæ non extet. Est autem *Emath* in tribu Nephtalim, contigua Syriæ, non longè à Damasco, quæ Syriæ erat caput. *Emath* erat ingressus & quasi porta in terram sanctam. Eadem postea ab Antiocho Epiphane in ea regnante dicta est *Epiphania*, vide dicta Amos 6. v. 2. Audi nunc Ioseph. lib. 9. cap. 11. *Ieroboamo propheta Ionas prædixit, quòd deuictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis eius terminis ad Septentrionem vsque Amatham vrbem: ad Meridiem verò vsque ad Asphaltitem lacũ: his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, iuxta Iosue Imperatoris definitionem. Quo oraculo excitatus Ieroboamus totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit, nihil fallente Ionæ vaticinio.*

Hinc patet Ionam propheram propheratsse

sub Ieroboam rege Israel, & Azaria, siue Ozia A rege Iuda, ac proinde coætanum fuisse Isaiæ (quē Hebræi Amasiæ regis frattem, vel fratris filium fuisse tradunt reste S.Hier.) Osee, Ioeli, Amos & Nahum. Quare non rectè Abul. censet Ionam hunc esse diuersum à Iona qui est quartus inter minores Prophetas.

VERS.28. QVOMODO RESTITVIT DAMASCVM ET EMATH IVDÆ IN ISRAEL] Quomodo erant hæ ciuitates Iudæ in Israel? aliud enim erat regnum Iudæ, aliud Israel. Omissis Abulensis & aliorum sententiis, dico breuiter, Dauidem has vrbes cepisse & attribuisse suæ tribui Iudæ, quia ipse ex ea erat oriundus, indeque hæ B vrbes, licet extra sortem Iudæ sitæ, vocabantur tamen Iudæ. Diuiso autem regno Israel à regno Iudæ, vrbes hæ vtpote vicinæ cesserunt Israeli. sensus ergo est q.d. Ieroboam fecit vt Damascus & Emath à Dauide subiugatæ, & tribui Iudæ attributæ, sed deinde à Syris occupatæ, restituerentur Israeli, cuius ipse erat rex, ac aliis ciuitatibus Iudæ, quæ erant in ditione Israelis, rursùm annumerarentur, vti à Dauide annumeratæ fuerant. q.d. Ieroboam fecit vt Damascus & Emath olim subactæ & tributariæ Dauidi, iam sibi & Israeli forent tributariæ. ita Salianus & Sanchez.

DORMIVITQVE (naturali morte defunctus VERS.29. est) IEROBOAM CVM PATRIBVS SVIS] Dices, Amos c.7.11. dicitur: *In gladio morietur Ieroboam.* Resp. hæc verba non esse Amos, sed Amasiæ pseudoprophetæ, qui vt Amos prophetam traduceret apud Ieroboam, mentitur & fingit Amos id dixisse. Non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Ieroboam*, sed, *consurgam super domum Ieroboam in gladio*, scilicet occidendo non ipsum Ieroboam, sed filium eius Zachariam.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REgnat Azarias in Iuda, succedit ei filius Ioathan. In Israel regnant successiuè Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, & vltimus Osee. Nam Phul & Theglathphalasar reges Assyriorum inuadunt Israelem, & partem eius transferunt in Assyriam.

1. ANno vigesimo septimo Ieroboam regis Israel, regnauit Azarias filius Amasiæ regis Iuda. 2. Sedecim annorum erat cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Iechelia de Ierusalem. 3. Fecitque quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Amasias pater eius. 4. Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. 5. Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus vsque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum: Ioathan verò filius regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ. 6. Reliqua autem sermonum Azariæ, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 7. Et dormiuit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum maioribus suis in ciuitate Dauid, & regnauit Ioathan filius eius pro eo. 8. Anno trigesimo octauo Azariæ regis Iuda, regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israel in Samaria sex mensibus: 9. & fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres eius: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel. 10. Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes: percussitque eum palàm, & interfecit, regnauitque pro eo. 11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 12. Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Iehu, dicens: Filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita. 13. Sellum filius Iabes regnauit trigesimo nono anno Azariæ regis Iuda: regnauit autem vno mense in Samaria. 14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum regnauitque pro eo. 15. Reliqua autem verborum Sellum, & coniuratio eius per quam texendit insidias, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16. Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes qui erant in ea, & terminos eius de Thersa, noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes eius, & scidit eas. 17. Anno trigesimo nono Azariæ regis Iuda, regnauit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. 18. Fecitque quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus eius. 19. Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium

lium, & firmaret regnum eius. 20. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus & diuitibus, vt daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos: reuersusque est rex Assyriorum, & non est moratus in terra. 21. Reliqua autem sermonum Manahem, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 22. Et dormiuit Manahem cum patribus suis: regnauitque Phaceia filius eius pro eo. 23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Iuda, regnauit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio: 24. & fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 25. Coniurauit autem aduersus eum Phacee filius Romeliæ, dux eius, & percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, iuxta Argob, & iuxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnauitque pro eo. 26. Reliqua autem sermonum Phaceia, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 27. Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Iuda, regnauit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis. 28. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel. 29. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur, & cepit Aion, & Abel Domum, Maacha & Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam Terram Nephtali: & transtulit eos in Assyrios. 30. Coniurauit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit: regnauitque pro eo vigesimo anno Ioatham filij Oziæ. 31. Reliqua autem sermonum Phacee, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 32. Anno secundo Phacee, filij Romeliæ regis Israel, regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda. 33. Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Ierusa, filia Sadoc. 34. Fecitque quod erat placitum coram Domino: iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. 35. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis: ipse ædificauit portam domus Domini sublimissimam. 36. Reliqua autem sermonum Ioatham, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? 39. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam, Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ. 38. Et dormiuit Ioatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Ciuitate Dauid patris sui, & regnauit Achaz filius eius pro eo.

ANno vigesimo septimo Ieroboam A regis Israel regnavit (regnare cœpit) AZARIAS AMASIÆ FILIVS REGIS IVDA] Azarias hic alio nomine dictus est Ozias. *Azarias* enim Hebr: idem est, quod *auxilium Dei*, Ozias, idem quod *fortitudo Dei*: vbi autem est auxilium Dei, ibi est & fortitudo. Deus enim est fortissimus & potentissimus. Vnde 2.Paral.26.7. de eo dicitur: *& adiuuit eum Deus contra Philisthiim, & contra Arabes, & contra Ammonitas*, &c. Ex hoc loco Franc.Ribera in Amos cap.1.v.1. censet interregnum fuisse tredecim annorum inter Amasiam & Azariam, eò quòd Azarias trimulus esset moriente patre Amasia. Id probat, quòd anno 15. Amasiæ vti dictum est cap. præced. B v 23. cœpit regnare Ieroboam, cuius anno 27. vt hîc dicitur cœpit regnare Azarias. Amasias autem regnauit annis 29. Ergo 29. eius annus fuit decimus quartus Ieroboami. Ergo vacauit regnum Iuda ab anno 14. Ieroboami vsque ad 27. eiusdem, putà per spatiū tredecim annorum. Verùm resp. annum hunc 27. Ieroboam esse annum 27. ab eo tempore quo Ieroboam simul cum patre Ioas regnare cœpit; nam regni, quo ipse post patrem solus regnauit, erat hic annus decimus quartus dumtaxat, quo Amasias moriens anno regni sui 29. successorem reliquit Azariam filium. Id ita esse liquet ex 2. Paral.25.v.25. vbi Amasias post mortem Ioas dicitur vixisse 15.annis. Mortuus est ergo anno 14. finiente, & 15. inchoante Ieroboami, qui Ioas patri immediatè successit. ita Salian. Caier. & alij. Fugienda enim hîc sunt interregna, ne chronologiæ series continua turbetur, & incerta dubiaque reddatur. Vnde Eusebius, Ioseph. & alij passim regno & annis Amasiæ immediatè subiiciunt, & connectunt regnum & annos Azariæ.

ET QVINQVAGINTA DVOBVS ANNIS VERS.2. REGNAVIT] Tempore Azariæ vixit Sardanapalus, quem Gentiles Historici vltimum collocant regem Assyriorum, aiuntque eum vtpote effeminatum ab Arbace Mediæ præfecto obsessum in Niniue, ibi seipsum cum gaza regia concremasse. Quare Arbacem se fecisse regem Mediæ sub annum Azariæ decimum, regnante apud Latinos Proca Syluio, apud Corinthios Agemone, apud Spartanos legislatore Lycurgo. Ita Eusebius, Diodorus, Iustinus, Ptolemæus, Strabo, & ex iis Torniellus, Salianus, Gordonus, Samerius & alij.

Verùm paulò pòst restituta est Niniue, eiusque regnum; nam vt mox audiemus, paulò pòst

pòst sub eodem Azaria regnauit Phul rex Assyriorũ, cui successit Theglatphalasar, huic Salmanasar, huic Sennacherib, huic Asarhaddon, sub quo ob cæsos paulò antè Assyrios, Ezechiam & Ierusalem obsidentes, ab Angelo, Ben Merodach Babylonius caput erexit, seque regem Babylonis *effecit*, qui fuit annus Nabuchodonosoris primi monarchæ Babyloniorum. Omnes enim hi reges iam nominati vocantur reges Assyriorum, non Babyloniorum, nec ante Baladan quispiam in Script. rex Babylonis nuncupatur.

Videtur ergo Phul Assyrius cum Arbace præfecto diuisisse Sardanapali imperium, vt Arbaces Mediæ & Persidi, Phul verò Assyriæ & Babyloniæ dominaretur. ita ex Megasthene Annij Genebrardus, Torniellus, Samerius, Gordonus, Salianus & alij.

Huic chronologiæ consentit tempus prophetiæ Ionæ, qui vt audiuimus c. præced. v. 25. prophetauit sub Ieroboam, cui coæuus fuit Azarias. Ionas ergo missus à Deo Sardanapali & Niniuitarum luxum & luxuriam castigauit. Pœnituit Sardanapalus cum Niniuitis, sed non multò pòst in solita vitia relapsi, ab Arbace Medo obsessi & vastati fuêre, vti dixi in Iona.

VERS. 5. PERCVSSIT AVTEM DOMINVS REGEM (Azariam) ET FVIT LEPROSVS] quia scilicet ipse vsurpabat munus Pontificis, adolendo incensum super altare thymiamatis, quod erat in Sancto, vt dicitur 2. Paral. 26. 16. de quo ibidem plura.

VERS. 8. ANNO TRIGESIMO OCTAVO AZARIÆ REGIS IVDÆ REGNAVIT ZACHARIAS FILIVS IEROBOAM SVPER ISRAEL] Hic fuit abnepos Iehu; vnde Iehu stirps regia finita fuit in Zachariæ quasi in quarta generatione, vti ei promiserat Deus c. 10. v. 30. *Anno trigesimo octauo Azariæ.* scilicet ex eo tempore, quo ipse regnare cœpit cum patre Amasia, nam ex eo tempore quo post patrem solus regnauit Azarias, erat hic annus 26. vel 27. Si ergo annos 38. Azariæ numeres ab anno 18. Amasiæ patris eius, quo ipse eum in regnum socium asciuit, annus hic Azariæ 38. erit 41. Ieroboami regis Israel, quippe qui anno 15. Amasiæ patris Azariæ solus regnare cœperit. Hic enim annus 41. fuit vltimus Ieroboam: vnde eo moriente successit ei filius Zacharias per sex menses. Verùm quia Azarias post patrem Amasiam solus regnauit 52. annis qui hîc sigillatim consignantur: nam v. 37. numeratur annus Azariæ 39. & v. 23. annus 50. & v. 27. annus 52. & vltimus, vt sic consequens certaque chronologia temporum per annos regum Iuda contexatur: hinc melius cum Richardo à S. Victore, Lyrano, Abulense & aliis dicemus, Ieroboam regem Israel mortuum esse anno 27. Azariæ regis Iudæ: inde per vndecim annos, scilicet vsque ad annum 38. Azariæ fuisse interregnum, & regnum Israel caruisse rege, eò quòd Zacharias filius Ieroboam, vel propter ætatem teneriorem, vel propter rebellionem subditorum, vel aliam ob causam præualere & regnum patris obtinere non posset. Ratio est, quòd 41. anni Ieroboami computandi sint ab anno 15. Amasiæ, ita vt cum Amasia qui 29. annis regnauit, Ieroboam regnarit annis 14. quare reliquos 27. annos (regnauit enim Ieroboam 41. annis) regnare debuit cum Azaria filio Amasiæ, ita vt mortuus sit anno 27. Azariæ, tumque successerit ei filius Zacharias. Itaque cùm hîc dicitur de aliquo regum Iuda, quòd tot annis regnarit, intellige solus post patrem, quia per reges Iuda chronologia hic texitur, quæ alioqui foret incerta & ambigua; verùm aliàs cùm dicitur, tali anno regnauit talis rex, præsertim in Israel, accipi potest non de regno, sed de corregno, quo scilicet non solus sed cum patre regnauit.

Nota, sub Azaria cœpere computari Olympiades, sed quoto eius anno id factum, variant chronologi. Eusebius lib. 3. de Præpar. & in chronico initium Olympiadum collocat anno 50. Azariæ, ac consequenter vrbis Romæ initium, cùm eam Romulus condidit anno Achaz quarto vel quinto: nam initium Olympiadum antecedit initium Romæ 23. annis, vti omnes Historici & chronologi consentiunt. Iam adde duos annos Azariæ (regnauit enim 52. annis) & sedecim filij eius Ioatham, ac quinque Achaz; habebis annos 23. quos quærimus. *Olym. initia*

Alij Olympiades cœpisse censent anno quarto vel quinto Azariæ. Serarius anno 47. eiusdem. Pererius lib. 11. in Danielem, quasi anno octauo Achaz. Torniellus, Salianus & alij anno 52. Azariæ, vel potiùs anno primo Ioatham, qui Azariæ patri successit. Exigua enim est hæc paucorum annorum in tanta temporum priscorum intercapedine differentia. Iuxta tabulam chronologicam quam præfixi Pentateucho cœperunt Olympiades anno 40. Azariæ, Roma verò condita est anno decimo vel vndecimo Ioatham de quo vers. 33.

Porrò ante Olympiades nihil apud historicos profanos Græcos & Latinos est certum, sed omnia incerta & confusa; vnde hoc sæculum ipsi vocant *μυθικὸν*, id est fabulosum: post eas verò, æquè ac post conditam Romam, omnia suis annis inde deductis assignari cœperunt, vti testatur Euseb. lib. 10. de Præpar. c. 3. & Censorinus lib. de die natali c. 21. Olympias autem spatium erat quatuor annorum, quod intererat inter duos ludos olympicos, qui Ioui Olympio totius Græciæ concursu, quarto quolibet anno, apud Pisam & Elidem ob memoriam diei intercalaris celebrabantur sub initium æstatis, siue solstitij æstiui, à luna vndecima vsque ad decimam sextam, teste Liuio, Censorino & alijs. Audi Solinum Polyhistor. c. 2. *Certamen Olympicum (quod olim Hercules in honorem ataui sui materni Pelopis ediderat, in omni genere certaminum victor) iam pridem intermissum Iphitus Elidensis instaurauit post excidium Troiæ anno 408. Roma deinde condita incipiente olympiade 7. post excidium Troiæ anno 433.* Idem scribunt Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum, & ex his alij.

ET ASCENDIT MANAHEM DE THERSA] quam nomine regis sui Zachariæ obsidebat, ait Ioseph. & occiso in Samaria Sellum, qui occiderat Zachariam regem, rapuit imperium; cumque Thersam redisset, nec Thersenses eum vt regem admitterent, *in eos sæuiit*, & maximè in Thapsenses discindendo prægnantes in ea, vt dicitur v. 16.

VERS. 16. ET TERMINOS EIVS DE THERSA] nam ager vrbis Thapsæ pertingebat vsque ad Thersam, ait Vatab.

ET SCIDIT EAS] hoc est dissecuit prægnantes, vt fœtum educeret, ait Abul. Magna fuit hæc crudelitas & barbaries.

VERS. 19. VENIEBAT PHVL REX ASSYRIORVM] Hic est *Phul*, qui alio nomine *Belochus* dicitur, qui cum Arbace Medo Sardanapalum in Ninive per biennium obsedit, coëgitque vt exstructâ in regiâ pyrâ altissimâ, in eam se cum vxoribus & filiis ac mille myriadibus auri, & decem mille myriadibus argenti iniiceret & concremaret. Durauit incendium ad quindecim dies. In eo desiit monarchia Assyriorum, quæ à Belo vsque ad Sardanapalum stetit annis mille trecentis. Porrò Phul cum Arbace diuisit Monarchiam, ac sibi seruauit Assyriam & Babyloniam; Arbaci concessit Mediam & Persiam. Porrò *Phul* Hebr. idem est quod *faba*, ait Pagn. sicut Romæ à faba cognominati sunt *Fabij*, inter quos eminuit Fabius Maximus Romæ liberator, & Hannibalis domitor. Notat Scaliger Regum Assyriorum & Babyloniorum nomina alia esse simplicia, vt Phul, Asar, Teglat; alia composita, vt Teglatphalasar componitur ex tribus, scilicet ex Teglat, Phul, & Asar. Salmanasar componitur ex Salman, & Asar. Asarhaddon conflatur ex Asar & Haddon. Nabuchodonosor ex Nabo, qui erat Deus Babyloniorum; Chad, & Netser. Vide dicta Isaiæ 46. 1.

ET DABAT MANAHEM PHVL MILLE TALENTA ARGENTI, VT ESSET EI IN AVXILIVM] contra rebelles Thersæ, Thapsæ &c. vt dictum est v. 14. Hæc fuit occasio cur Teglatphalasar successor Phulis inuaserit Israelem, eumq; abduxerit in Assyriam, vt dicetur v. 29. Phul ergo vocatus in auxilium fuit à Manahem, non à Thersensibus, vt scribit Ioseph.

VERS. 29. IN DIEBVS PHACEE VENIT TEGLATPHALASAR REX ASSVR] Qui fuit filius Phulis de quo v. 19. ideoque dictus est Phul, Assar, vel Teglat-Phul-Assar. Hic ecce vastauit Israelem, ac ex eo quinque tribus in Assyriam abduxit, nimirum incolas *Galaad*, scilicet Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manasse; & *Galilææ*, puta Zabulonitas, & Nephtalitas, de quibus Isaias c. 9. 1. cùm paulò antè vocatus in auxilium ab Achaz rege Iuda, contra Resin regem Syriæ, & Phacee regem Israel, venisset Damascum, & occisis illis regibus, vt dicitur cap. seq. v. 6. & 7. ipsum quoque Achaz, à quo vocatus fuerat, oppressit, eiusque ditionem expilauit. 2. Paral. 28. v. 8. Hocipsum paulò antè Isaias c. 7. v. 17. ipsi Achaz prædixerat. Hæc ergo fuit prima Israelis, id est decem tribuum captiuitas. Hinc appositè *Teglatphalasar* Hebr. (cui affinis est lingua Assyriaca & Chaldaica) idè est quod *captiuitas mirabilis ligationis*, ait Pagn. in nom. Hebr.

VERS. 30. REGNAVITQVE PRO EO (puta Osee pro Phacee) VICESIMO ANNO IOATHAM FILII OZIÆ] Dices, Ioatham tantùm sedecim annis regnauit, vt dicitur v. 33. quis est ergo hic annus eius vicesimus? Resp. fuit vicesimus ab eo tempore quo Ioatham regnare cœpit cum patre Azaria: hic enim à Deo percussus lepra, ideoque à contubernio hominum separatus, regni regimen permisit Ioatham filio suo, vt dictum est v. 5. ita Caiet. & alij. Dices, Osee non potuit regnare cum Ioatham; nam Phacee cui successit Osee, fuit superstes Ioathamo per tres annos, vt patet hîc v. 27. collato cum v. 1. c. seq. Resp. Osee cœpisse regnare & inuadere regnum Phacee, viuente Ioatham; tandemque eo mortuo, post aliquot annos eum omninò superasse, & occidisse anno quarto Achaz regis Iuda, tumque solum plenè regnasse. ita Caiet. Secundò, melius Hebræi in Seder Olam, Abul. Genebrar. Torniellus, Salian. sic exponunt: *vicesimo anno Ioatham*, id est qui vicesimus futurus erat Ioatham solius post patrem regnantis, si ipse adhuc vixisset, qui ante quadriennium erat mortuus. Erat ergo hic annus vigesimus ex quo Ioatham regnare cœpit; sed quia ipse sedecim tantùm annis regnauit, hinc reuera hic erat annus quartus Achaz, qui successit Ioatham; sed maluit Script. nominare Ioatham quàm Achaz, quia necdum Achazi mentionem fecerat. Porrò Script. annos Osee bifariam numerat; primò, ab hoc anno quarto Achaz vti hic fit; secundò, ab anno Achaz duodecimo, vti fit 4. Reg. 17. 1. Ratio est, quòd prioribus octo annis Osee non fuerit rex pacificus, sed cum familia Phacee adhuc luctans, aut Assyriorum potiùs seruus quàm rex, aut aliis de causis à regno impeditus. Itaque ab anno quarto Achaz precario, magis quàm pleno iure regnabat: ita Abul. Serar. Salian. & alij iam citati. Denique hic annus vigesimus tam erat regni Phacee (hic enim 20. annis regnauit) finientis quàm Ioathami inchoantis. Ioatham enim si vixisset illo anno inchoasset annum regni 20. ipse enim cœpit regnare anno 2. Phacee, vt sequitur.

VERS. 32. ANNO SECVNDO PHACEE, &C. REGNAVIT IOATHAM FILIVS OZIÆ REGIS IVDA] Phacee enim cœpit regnare anno 52. & vltimo Oziæ; quare hic primus fuit regni Phacee annus, secundus fuit quo mortuo Ozia successit ei Ioatham, qui 16. annis regnauit: quare 17. anno Phacee, mortuo Ioatham, successit ei filius Achaz, vt dicitur c. seq. vers. 1. quia nimirùm vltimus annus Ioatham non fuit integer, sed dimidiatus, ita vt 17. Phacee fuerit simul vltimus Ioathami morientis, & Achazi ei succedentis. Quocirca vnus annus additus vel demptus in chronologia nullam facit differentiam, quia anni dimidiati nunc numerantur, nunc non numerantur.

Porrò, *Ioatham*, ait author Imperf. hom. 1. in Matth. *interpretatur perfectus, vel dominus immaculatus. Et verè perfectus fuit hic Ioatham, & quantum ad reges se præcedentes dominus immaculatus: quia fecit quod placitum erat Deo, & nulla reprehensio eius legitur in scriptura regnorum.*

VERS. 33. SEDECIM ANNIS REGNAVIT] probè & piè: vnde præ aliis laudatur à Script. & à Iosepho. Tempore Ioatham prophetauit Isaias &

& Michęas, vt patet ex eius titulo. Anno vndecimo Ioatham Romulus agens annum ætatis 18. vrbis Romæ fundamenta iecit 21. die Aprilis (vnde hic dies deinceps quasi Romæ natalis quotannis celebratus est) ipsis scilicet Palilibus, hoc est festo Palis Deæ pastorum, quæ pro felici pecorum partu illâ die ab eis colebatur. Hinc enim vocatum est Palilia vel Parilia. Factum id est Olympiadis sextæ anno tertio, vt vult Varro; vel quarto, vt vult Cáto, & eum secuti Cicero, Plinius, Tacitus, Gellius, Censorinus, Eusebius, S. Augustin. Orosius, & Card. Baronius. Quare Olympiades antecedunt Romam 23. annis, vt dixi; tot enim annos conficiunt sex Olympiades iam dictæ; quælibet enim quatuor continet annos. Hoc cõputu Olympiadũ initiũ assignandũ est anno 40. Azariæ, vti dixi, & iuxta eumdem Roma cõditũ est anno 751. ante natiuitatẽ Christi.

Roma condita anno 11. Ioatham.

Alij, quia paulò tardiùs vel seriùs hoc initium Olympiadum assignant, hinc consequenter tardiùs vel seriùs assignant fabricam Romæ. Vnde Torniellus & Salianus, quia initium Olympiadum combinant cum primo anno Ioatham, hinc Romæ initium combinant cum anno octauo vel nono Achaz. Sed in re tam antiqua post tot sæcula exigua est hæc temporis differentia.

Hinc illud Propertij:

Vrbi festus erat, dixêre Palilia Patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Hinc quoque S. Hier. in c. 1. Isaiæ v. 1. ait Ezechiam regnare cœpisse anno duodecimo Romuli: primus ergo Romuli annus incidit in quartum annum Achaz, cùm scilicet ipse Romæ fundamenta iaciens anno vndecimo Ioatham, eiusdem fabricam per septem vel octo annos sequentes perfecisset, ac solium regale in ea erexisset anno quarto Achaz. Sic & S. Augustin. lib. 18. Ciuit. cap. 22. *Quem* (Ezechiam) inquit, *constat optimum & piissimum regem Romuli regnasse temporibus.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Achaz filius Ioatham: contra eum conspirant reges Syriæ & Israel: ille inuocat Teglatphalasar, ipsiq; ingens pondus auri & argenti mittit: qui inuocatus Syriam & Israelem vastat. Interim Achaz idola colit, & templum profanat.

1. ANno decimo septimo Phacee filij Romeliæ, regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda. 2. Viginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut Dauid pater eius. 3. sed ambulauit in via regum Israel: insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem secundùm idola Gentium: quæ dissipauit Dominus coram filiis Israel. 4. Immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso. 5. Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Ierusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. 6. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailã, & habitauerunt ibi vsque in diẽ hanc. 7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvũ me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexerunt aduersum me. 8. Et cùm collegisset argentum & aurum, quod inueniri potuit in domo Domini, & in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera. 9. Qui & acquieuit voluntati eius: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam: & transtulit habitatores eius Cyrenen, Rasin autem interfecit. 10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum, cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Vriam sacerdotem exemplar eius, & similitudinem iuxta omne opus eius. 11. Extruxitque Vrias sacerdos altare: iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Vrias, donec veniret rex Achaz de Damasco. 12. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud: ascenditque & immolauit holocausta, & sacrificium suum, 13. & libauit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare. 14. Porrò altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini: posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem. 15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocaustum matutinum, & sacrificium vespertinum, & holocaustum regis, & sacrificium eius, & holocaustum vniuersi populi terræ, & sacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem sanguinem holocausti, & vniuersum sanguinem victimæ super illud effundes: altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam. 16. Fecit igitur Vrias sacerdos, iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz. 17. Tulit autẽ rex Achaz cælatas bases, & luterem, qui erat desuper: & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, & posuit super pauimentum stratum lapide. 18. Musach quoque sabbati, quod ædificauerat in templo, & ingressum regis exteriùs, conuertit in templum Domini, propter regem Assyriorum. 19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nõnne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 20. Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ezechias filius eius pro eo.

FILIVM SVVM CONSECRAVIT (idolo Meloch) TRANSFERENS PER IGNEM] Nota dupliciter Ammoniæ & Hebræi filios suos consecrabant idolo Meloch, primò, eos igne comburendo: ritum modumque recensui Leuit. 18. 21. Secundò traducendo eos per ignem, tum vt eos igne expiarent à peccatis & immunditiis, tum vt hoc ritu eos idolo Meloch initiarent & dedicarent. Ritum describit Theodor. *Vidi*, inquit, *in aliquibus ciuitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solùm pueros, sed etiam viros; infantes autem per flammam ferri à matribus. Videbatur autem istud quædam esse expiatio, & purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum.* Quare Theodor. & ex eo Salian. censent Achaz filium non combussisse sed traduxisse tantùm per ignem, itaque eum lustrasse, & dicasse idolo. Vnde 2. Paralip. 28. 3. dicitur: *Et lustrauit filios suos in igne.* Ex quo loco liquet Achaz non vnum sed plures, & fortè omnes filios hoc ritu lustrasse: nec enim verisimile est eum plures vel omnes combussisse; successit enim ei in regno filius Ezechias. Vers. 3.

Iosephi. tamen, & ex eo Abulens. & Adrichom. censent eum filium suum immolasse & cremasse idolo Meloch; Lyran. censet eum vtrumque fecisse, scilicet vnum è filiis cremasse, alios traducendo per ignem lustrasse. Porrò non dubium est plures Iudæos hoc exemplo Achaz regis sui excitatos filios suos consecrasse Meloch.

MISIT AVTEM ACHAZ NVNTIOS AD TEGLATPHALAZAR] Vt se adiuuaret contra Rasin regem Syriæ, & Phacee regem Israel, ideòque misit omne aurum & argentum tam templi, quàm palatij sui. Peccauit hac in re Achaz, eò quòd Deus per Isaiam c. 7. v. 4. ipsi opem promisisset contra Rasin & Phacee; sed ipse diffisus Deo, fisus est regi Teglatphalasar, ideoque ab eodem spoliatus & oppressus est. Audi 2. Paralip. 28. 19. *Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eò quòd nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum. Adduxitq; contra eum Teglatphalasar regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit. Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo regum, ac principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, immolauit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & adorabunt me, & erunt mihi, cùm è contrario ipsi fuerint ruinæ ei, & vniuerso Israel.* Vers. 7.

TRANSTVLIT HABITATORES EIVS (Damasci) CYRENEN] non illam quæ est in Æthiopia, nec illam quæ in Africa, sed in Cyrenen quæ est in Media. Vnde Iosephi. ait Damascenos translatos in Mediam. Vers. 9.

CVMQVE VIDISSET ALTARE DAMASCI] egregia forma, materia & arte elaboratum, placuit ei: vnde iussit Uriæ Pontifici, vt ad eius idæã simile fieri curaret Hierosolymis in templo, loco altaris à Salomone fabricati. An altare hoc idolis (vti Damasceni) erexerit, iisque sacrificarit Achaz, an verò Deo vero, Script. non exprimit: verisimile tamen est, eum idolis illud erexisse; quia illa colebat ipse æquè ac Damasceni, eisque vbique aras erigi iubebat, vt iniret gratiam Teglatphalasar; eumque sibi deuinciret colendo eius deos & idola; sed frustrà: idcircò enim ab eo expilatus & subactus est, vti dixi. ita Abul. & alij. Vers. 10.

EXTRVXITQVE VRIAS SACERDOS ALTARE] Peccauit Uriæ Pontifex, impium hoc altare erigens, malens placere regi Achaz quàm Deo: secùs fecit S. Ambr. nam vt ipse refert lib. 5. Epist. 32. *Cùm esset impositum vt Ecclesiæ vasa iam traderemus Imperatori, hoc responsi reddidi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum; id quod mei iuris esset; libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere: nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum accèperim. Deinde, cónsulere mihi etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis: si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria, & absit à me vt tradam Christi hæreditatem, & hæreditatem Dionysij, qui in exilio, fidei causa, defunctus est, hæreditatem Eusebij confessoris, hæreditatem Miroclis atque omnium retrò fidelium Episcoporum.* Vers. 11.

PORRO ALTARE ÆREVM (à Salomone fabricatum) QVOD ERAT CORAM DOMINO (id est coram Sancto, & Sancto sanctorum, in quo residebat Deus datis ôracula) TRANSTVLIT] per contemptum, vt dicitur 2. Paral. 28. v. 19. & 22. quia Achaz fuit impiissimus, ideoque contemptor Dei, eiusque altaris & templi. Idcircò enim altare Dei suo loco mouit, illique suum Damascenum substituit, ac altare Dei ad latus sui altaris, quasi vicarium & precarium in angulo collocauit. Vers. 14.

Corn. in lib. Regum.

VERS. 15. SVPER ALTARE MAIVS (quod ego amoto Salomonico, instar altaris Damasceni erigi curaui) OFFER HOLOCAVSTVM.]

VERS. 17. ET POSVIT SVPER PAVIMENTVM] Fecit Achaz hæc omnia ad contemptum, vt dixi, altaris (huic enim lucres & mare æneum subseruiebant) vtque illud ad vsus suos; puta ad sacrificia foret inutile, itaque ludæi non in eo, Deo vero, sed in suo idolis sacrificare cogerentur.

VERS. 18. MVSACH QVOQVE SABBATHI QVOD ÆDIFICAVERAT IN TEMPLO] Repete ex v. præc. *tulit*, & *deposuit*, hoc est sustulit & deiecit. Quid fuerit *Musach*, variæ sunt sententiæ, sed duæ probabiliores: prior; *Musach* Hebr. idem est quod, *opertorium* siue *tectum*; significat ergo vel solium opertum, in quo sabbatho aliisque festis diebus sedebant reges, vt sacrificiis interessent, ac legem Dei audirét; vnde cap. 23. v. 3. *gradus* vocatur, vt vult R. Salomon. Hinc Sept. vertunt, *fundamentum cathedræ sabbathorum*, per quod videntur accipere basin cui imponebatur cathedra regis, cùm veniret sabbatho ad templum oraturus & legem auditurus. Ezech. 46. 1. *Musach sabbathi*, ergo Hebr. significat tentorium sabbathinum conopæo splendido coopertũ, quod erat iuxta atrium sacerdotum, sed extra illud, in quo rex sabbatho & festis sedebat spectans sacrificia. Et hoc est tribunal in quo sedit Ioas, cùm creatus est rex à Ioiada Pontifice 4. Reg. 11. v. 14. aut certè, *Musach* significat *pulpitum*, vt vertit Vatab. siue suggestum opertum & tectum, in quo sedebant Leuitæ & sacerdotes dum legem & prophetas populo interpretabantur, vt vult Villalpandus, vti fecit Esdras Nehem. 8. v. 4. Posterior sententia est, quòd *Musach* erat tegmen, puta velum vel tabulatum paratum pro Leuitis, aliisque templi custodibus, qui singulis sabbathis per vices munia sacra obibant in templo, ait Vatabl. Aut *Musach* erat locus contectus in atrio populi, vt sub illo tuti ab æstu, pluuia & ventis degerent homines, qui ad templum oraturi vel legem audituri confluebant. Vnde Marinus in Lexico *Musach* vertit, *porticum*. Omnes hi sensus probabiles sunt. Impius enim Achaz videtur hæc sustulisse. Vnde 2. Paral. 20. 24. dicitur clausisse templum Domini. Verùm quia *Musach sabbathi* pertinere videtur ad ingressum *regis*, qui hoc eodem versu continetur, hinc alius sensus quem mox subiiciam videtur probabilior.

Musach sabbathi quidi

ET INGRESSVM REGIS EXTERIVS CONVERTIT IN TEMPLVM DOMINI PROPTER REGEM ASSYRIORVM] Primò nonnulli sic explicant q. d. Achaz *profanauit templum*, cùm illud fecit esse quasi vestibulum regij sui palatij, vt in illud non pateret aditus nisi per templum; vt scilicet ipse esset tutior à rege Assyriorum, qui templum priùs expugnare debuisset, antequàm pergeret ad expugnationem palatij. Verùm alia ex parte quæ templo non adiacebat, poterat oppugnari palatium, & facilius expugnari quàm templum.

Secundò, Theodor. & Lyran. censent Achaz obstruxisse iter quo è palatio ibatur ad templum, hoc fine vt rex Assyriorum intelligeret ipsum planè deseruisse Deum verum Deique cultum, vt eius deos sequeretur & coleret. Fauet Chald. qui pro *conuertit*, vertit, *auertit* (*conuertere* enim est aliò vel in contrariam partem vertere) Hebr. est הסב *hesseb*; id est *circuire fecit*, vt nimirùm si quis è regia in templum ire vellet, magno circuitu descendere cogeretur ex monte Sion, & traiicere totum Ophel, vt veniret ad radices montis Moria, indeque in templum 900. gradibus ascenderet, vt hæc molestia tam longi circuitus & molesti ascensus, eos qui erant regis familiæ, à templo adeundo auocaret, ait Salian. Verùm *conuertit in templum*, non auertere, sed verrere in templum, significat. Vnde tertiò, planiùs sic nonnulli exponunt, q. d. Achaz vestibulum palatij sui, per quod ibatur in templum, quodque erat extra templum, adiecit templo, fecitque vt quod priùs erat exterius templo, iam esset intra templum, vt sic imitaretur regem Assyriorum, qui palatium habebat ita annexum templo vt pars templi esse videretur; quæ erat quædam templi vilitas & profanatio. Sic enim fiebat, vt in palatium ingredi nemo posset nisi per templum, ita Vatab.

Denique hic videtur maximè obuius & congruus totius huius versiculi esse sensus, vt per *Musach sabbathi*, accipiamus tentorium & conopæum in quo rex sedebat in sabbathis & festis in atrio laicorum, sed primo loco vicinissimus atrio sacerdotum, vt proximè spectaret sacrificia, & audiret hymnos quos canebant sacerdotes & Leuitæ in suo atrio, vt patet Ezech. 46. 1. Nemini enim laico, ne regi quidem, atrium sacerdotum ingredi fas erat, sed solis sacerdotibus & Leuitis. Achaz verò in gratiam regis Assyriorum, qui vile & indecorum sibi esse existimabat foris stare cum vili plebe, *Musach* hoc, siue tentorium *conuertit in templum Domini*, id est diruto muro intermedio iunxit atrio sacerdotum, vt vicinum esset Sancto & Sancto sanctorum, vt iam non inter laicos & plebem, sed inter sacerdotes rex vterque consistere vel considere posset; quasi separatus à vulgo & sacerdotibus annumeratus, vt proximè omnia sacra quæ sacerdotes peragebant tam in atrio, quàm in Sancto, cerneret & audiret. Porrò, quia ad hoc regis *Musach*, siue tentorium & tribunal ingressus patebat ex ipsa domo regia per intermedia atria, hinc Achaz hunc quoque ingressum qui domus suæ regiæ pars erat, qua rex è regia ad *Musach* descendebat, quæ idcircò hîc vocatur *ingressus regis*, quæque quasi domus laica anteà erat extra atrium sacerdotum, iam deiecto septo intermedio intra ipsum atrium sacerdotum concludetur, cum eoque pertingeret vsque ad Sanctum & Sanctum sanctorum. Hunc sensum exigit *ò conuertit in templum Domini*, quod tam ad *ingressum regis*, quàm ad *Musach sabbathi* pertinet.

Ita Gaspar Sanchez ex R. Salomone, Lyran. & alij; nec improbat Abul. qui tamen aliam expositionem adiicit dicens, duas fuisse è regia vias in templum, vnam patentem & publicam, per quam spectante populo rex ibat ad templum; alteram occultam & clausam, per quam rex secretò, cùm videri nollet, adibat templum: publicam viam clausit Achaz, vt regi Assyriorum (cuius gratiam ambiebat) videretur patriæ religionis desertor, & idolorum eius cultor; occultam verò seruauit, vt per eam occultè templum ingredi posset, nec regem Assyriorum, vtpote id ignorantem offenderet, ideoque de eo hîc dici quòd *ingressum regis exterius conuerterit in templum Domini propter regem Assyriorum.* ita Abul. Verùm obstat, quòd ingressus hic ad templum iam antè erat: quare nequit dici, quod Achaz eum conuerterit in templum Domini.

Minùs verè quoque Glossa, quam sequuntur Dionys. & Hugo, censet *Musach sabbathi* fuisse ædificium in templi vestibulo, in quod reges sabbathis ad templum venientes eleemosynas conficerent: *Musach* ergo fuisse gazophylacium regum, sicut *Corbona* erat gazophylacium laicorum.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ose e vltimus regnat in Israel: illo enim negante tributum Salmanasar reliquas quinque tribus Israëlis transfert in Assyriam, ac Assyrios colonos mittit in Samariam, qui in eam Deo Israëlis, quàm sus dijs & idolis seruiunt.

1. ANno duodecimo Achas regis Iuda, regnauit Osee filius Ela in Samariâ super Israel nouem annis. 2. Fecitque malum coram Domino: sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant. 3. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee seruus, reddebatque illi tributa. 4. Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quòd rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, & vinctum misit in carcerem. 5. Peruagatusque est omnem terram: & ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. 6. Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios: posuitque eos in Hala, & in Habor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum. 7. Factum est enim, cùm peccassent filij Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de Terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. 8. Et ambulauerunt iuxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, & regum Israel, quia similiter fecerant. 9. Et offenderunt filij Israel verbis non rectis Dominum Deum suum: & ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis, à Turre custodum vsque ad Ciuitatem munitam. 10. Feceruntque sibi statuas, & lucos, in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum: 11. & adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus à facie eorum: feceruntque verba pessima irritantes Dominum. 12. & coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. 13. Et testificatus est Dominus in Israel & in Iuda, per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: Reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & ceremonias, iuxta omnem legem quam præcepi patribus vestris: & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum Prophetarum. 14. Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. 15. Et abiecerunt legitima eius, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, & vanè egerunt: & secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, vt non facerent sicut & illæ faciebant. 16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cæli: seruieruntque Baal, 17. & consecrauerunt filios suos, & filias suas, per ignem: & diuinationibus inseruiebant & auguriis: & tradiderunt se vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum. 18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodò. 19. Sed nec ipse Iuda custodiuit mandata Domini Dei sui: verùm ambulauit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. 20. Proiecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos à facie sua:

21. ex eo iam tempore, quo ſciſſus eſt Iſrael à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Ieroboam filium Nabat: ſeparauit enim Ieroboam Iſrael à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum. 22. Et ambulauerunt filij Iſrael in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non receſſerunt ab eis. 23. vſque quò Dominus auferret Iſrael à facie ſua, ſicut locutus fuerat in manu omnium ſeruorum ſuorum Prophetarum: tranſlatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios, vſque in diem hanc. 24. Adduxit autem rex Aſſyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim: & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Iſrael: qui poſſederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius. 25. Cumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26. Nuntiatumque eſt regi Aſſyriorum, & dictum: Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ. 27. Præcepit autem rex Aſſyriorum, dicens: Ducite illuc vnum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. 28. Igitur cùm veniſſet vnus de ſacerdotibus his, qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum. 29. Et vnaquæque Gens fabricata eſt deum ſuum: poſueruntque eos in fanis excelſis, quæ fecerant Samaritæ, Gens & Gens in vrbibus ſuis, in quibus habitabant. 30. Viri enim Babylonij fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Aſima. 31. Porrò Heuæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios ſuos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharuaim, 32. & nihilominùs colebant Dominum. Fecerunt autem ſibi de nouiſſimis ſacerdotes excelſorum, & ponebant eos in fanis ſublimibus. 33. Et cùm Dominum colerent, diis quoque ſuis ſeruiebant iuxta conſuetudinem Gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam: 34. vſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum: non timent Dominum, neque cuſtodiunt ceremonias eius, iudicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob, quem cognominauit Iſrael: 35. & percuſſerat cum eis pactum, & mandauerat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis: 36. Sed Dominum Deum veſtrum, qui eduxit vos de Terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipſum timete, & illum adorate, & ipſi immolate. 37. Ceremonias quoque, & iudicia, & legem, & mandatum, quod ſcripſit vobis, cuſtodite vt faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos. 38. Et pactum, quod percuſſit vobiſcum, nolite obliuiſci: nec colatis deos alienos, 39. ſed Dominum Deum veſtrum timete, & ipſe eruet vos de manu omnium inimicorum veſtrorum. 40. Illi verò non audierunt, ſed iuxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant. 41. Fuerunt igitur Gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominùs & idolis ſuis ſeruientes: nam & filij eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſque in præſentem diem.

VERS.1. ANNO DVODECIMO ACHAZ REGIS IVDA REGNAVIT OSEE FILIVS ELA IN SAMARIA] Hic annus 12. Achaz erat octauus poſt mortem Phacee; Phacee enim regnauit 20. annis, & mortuus eſt anno quarto Achaz, vt patet ex dictis c. 16. v. 1. Quare fuit hic interregnum 8. annorum in Iſrael, ſcilicet ab anno quarto Achaz, quo mortuus eſt Phacee, vſque ad annum 12. Achaz, quo Phacee ſucceſſit Oſee. Videtur ergo regnum Oſee in Iſrael interruptum armis vel Syrorum, vel æmulæ familiæ Phacee, ait Abul. q. 17. per octo annos, donec octauo anno Oſee iterum viribus reſumptis cœpit regnare anno 12. Achaz. ita Richardus de S. Victore in concordia annorum regum Iſrael & Iuda, Caiet. & alij. vide dicta cap. 15. 30.

VERS.2. FECITQVE MALVM (Iſraeli ſolitum, ſcilicet colendo vitulos aureos à Ieroboam ibidem erectos, quaſi Deos penates ſiue Iſraeli proprios & patrios) CORAM DOMINO, SED NON SICVT REGES QVI ANTE EVM FVERANT] quia vt tradunt Hebræi in Seder Olam c. 22. Oſee licet ipſe coleret vitulos aureos, permiſit tamen ſuis qui vellent ire in Ieruſalem, ibique adorare Deum Iudæorum in templo, quod cæteri reges Iſrael non permiſerant, imò per diſpoſitos à ſe cuſtodes, cunctes intercipiebant. Hinc Oſee permiſit Iſraëlitas ab Ezechia inuitatos Ieroſolymam ad celebrandum paſcha, eòdem pergere, vt patet 2. Paral. 30. v. 11. & 18.

CONTRA HVNC ASCENDIT SALMANASAR] filius Theglathphalaſar filij Phul. Genebrar. putat Salmanaſar eſſe eum, qui à Ptolemæo Nabonaſſar vocatur. Verùm Salmanaſar fuit Aſſyrius, Nabonaſſar verò Chaldæus, vt nomina ipſa indicant. ita Serarius. Quare Nabonaſſar fuit Baladan, de quo c. 20. v. 12.

ET FACTVS EST EI OSEE SERVVS, REDDEBATQVE ILLI TRIBVTA] per quinque vel ſex annos, quibus exactis negauit tributum, fretus ope regis Ægypti. Quare Salmanaſar inuaſit Iſraelem, ac Oſee vinxit, & Samariam per tres annos obſedit, ac anno tertio cepit; qui fuit annus nonus & vltimus Oſee, quo Salmanaſar reliquas quinque tribus Iſraelis abduxit in Aſſyriam & Mediam, ſicut Teglatphalaſar pater eius ante 14. annos quinque viciniores tribus eôdem abduxerat. Fuit hæc ſecunda plenaque captiuitas Iſraelis, ſiue decem tribuum, ex qua numquam redierunt, facta anno ſexto Ezechiæ regis Iuda, idque vt teſtimonio eſſet Chriſtum, expectatum eſſe Meſſiam ſibi iam olim ex libris veteris teſtamenti, ait Cajet. nullà enim eis ſpes reſtat reſtituendi regni terreni, cùm planè ſint diſſipati & diſperſi, ſed tantùm ſpes regni ſpiritualis, & ſalutis æternæ quam attulit Chriſtus omnibus gentibus quæ in eum credere volunt. Porrò tunc ex Iſrael in Aſſyriam abductus fuit Tobias, erat enim ipſe ex tribu Nephtali: quare eius hiſtoria hîc ſubnectenda eſt: hoc enim tempore ſub Salmanaſar contigit.

VERS.6. POSVITQVE EOS IN HALA ET HABOR IVXTA FLVVIVM GOZAN, IN CIVITATIBVS MEDORVM] Ioſeph. ait abductos in Mediam & Perſidem. Scaliger cenſet tranſlatos ad Colchos & Iberos. Ego verò ait Genebr. puto veterem Tartariam eſſe ad deſertum Belgiam in Orientis Septemtrionalis angulo, è qua illi ſub annum Chriſti 1200. Duce Cignis erumpentes, cùm antea ignoti eſſent, & loco & nomine, Imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, conſtituerunt. Nam in Hebræorum annalibus apud R. Salomonem in 17. Iſaiæ, decem tribus in Oriente fuerunt perditæ, ibique facilè amplexæ ſunt Mahometiſmum: quòd iam ab æuo circumciderētur, & corrupta quadam Moyſaicæ religionis ſpecie tinctæ eſſent. Confirmat id Genebrar. ex eo quòd hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, & Nephthalim & Zabulon retinuiſſe dicuntur, aliaque apud eos extare legis & rerum Hebraicarum monumenta: vt non mirum ſit Ruſſiam, Sarmatiam, Liuoniam & Moſcouiam Iudæis abundare, qui etiam nunc, ſicut & in Europa, patriæ ſuperſtitionis rotinētiſſimi ſunt. Addit Genebrar. pleroſque in Americam penetraſſe; nam ibi ſepulchra ſubterranea, cum litterarum Hebraicarum inſcriptionibus eſſe reperta, & eam profectionem indicari 4. Eſdr. 13. 40. *Hæ ſunt decem tribus*, inquit, *quæ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſee regis, quem captiuum duxit Salmanaſar rex Aſſyriorum, & tranſtulit eos trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam*, &c. Denique cenſet Genebrar. hanc Iſraelitarum per Orientem & Septentrionem diſperſionem & quaſi infuſionem Iudæorum, fabulæ quòd Caſpiis montibus clauſi teneantur, occaſionem dediſſe. Hic ergo finitur regnum Iſrael ſiue decem tribuum, quod à primo eorum rege Ieroboam, qui fecit ſchiſma à Roboam rege Iuda, ſtetit per annos 256. hæc-

que eſt Aſſyriaca captiuitas, quæ Babyloniçam, in qua abducta eſt tribus Iuda, & exciſa Ieruſalem ſub Sedecia rege, præceſſit annis 134.

Porrò multi hanc captiuitatem præuidentes fugerant in alias prouincias, multi etiam veri Dei cultores migrarunt in tribum Iuda, eique ſe iunxerunt, vt patet ex ſeq.

VERS.9. ET IRRITAVERVNT FILII ISRAEL VERBIS NON RECTIS DOMINVM] *verbis*, id eſt rebus & operibus, puta idololatriis & ſuperſtitionibus. *Verbum* enim ſæpè in Script. ſignificat rem verbo ſignificatam per Metonymiā, vti hîc v. 11.

A TVRRE CVSTODVM VSQVE AD CIVITATEM MVNITAM] *Turrem cuſtodum*, vocat turrim ruſticanam, quæ erigitur in agris & vineis, vt in ea degant cuſtodes, qui vuas, fructus & ſegetes cuſtodiant, q. d. Iſraelitæ ſtatuerunt idola in locis & municipiis tam paruis quàm magnis, ſcilicet tam in pagis & villis, quàm in oppidis & vrbibus munitis. ita Vatabl.

VERS.11. FECERVNTQVE VERBA (id eſt opera) PESSIMA] vti iam dixi.

VERS.13. ET TESTIFICATVS (proteſtatus) EST DOMINVS IN ISRAEL ET IN IVDA PER MANVM OMNIVM PROPHETARVM] tunc enim Deus miſit prophetas, ſcilicet Oſee, Iſaiam, Ioelem, Amos, Abdiam & Michæam, vt patet ex eorum procemio. Nam ſub Azaria, ſiue Ozia rege cœpit prophetare Oſee & Iſaias, qui ex parte Dei proteſtati ſunt Iſraeli & Iudæ de iniuria & impietate in Deum commiſſa, quòd ſcilicet relicto Deo colerent idola, ac de eius caſtigatione, quòd ſcilicet Deus eos per Aſſyrios vaſtaret, & captiuos abduceret: hanc enim eis comminati & vaticinati ſunt.

VERS.15. ET SECVTI SVNT GENTES QVÆ ERANT PER CIRCVITVM] Ecce hæc fuit Iſraelitis occaſio & cauſa idololatriæ, quòd ſcilicet per commercium, connubia, & familiaritatem cum gentibus vicinis, earum mores & ſuperſtitiones didicerint & imbiberint. Sic noſtro ſæculo Germania, Gallia, Suetia, Dania, Anglia, Scotia, &c. à vicina Saxonia Saxonis Lutheri hæreſim imbiberunt per mutua commercia, præſertim mercatorum hæreticorum.

VERS.16. ET ADORAVERVNT VNIVERSAM MILITIAM CÆLI] puta ſolem, lunam, lucifer, tum, cæteraque aſtra, quæ ſunt quaſi *militia* & ordinata acies Dei, quæ ſemper circumit, & ſtationes ſuas obit, militatque Deo, ac eius iuſſu in infideles & impios vibrat procellas, tonitrua & fulmina.

VERS.17. PROIECITQVE DOMINVS OMNE SEMEN ISRAEL (ſcilicet tam decem tribuum, quàm tribus Iuda, de qua ſermo præceſſit) DONEC PROICERET EOS A FACIE SVA] id eſt donec plenè & irreuocabiliter eos à ſe abiiceret. Notent hic Iudæi, ſcilicet ſe planè à Deo abiectos & proiectos eſſe, vt ſuæ gentis è captiuitate, quam per 1600. annos patiuntur, liberationem; & Synagogæ reſtitutionem ſperare non debeant, ſed cæteris gentibus immixti & permixti, cum eis in Chriſtum credere debeant, ſi à ſeruitute tam temporali quàm æterna liberari velint.

VERS.24. ADDVXIT AVTEM REX ASSYRIORVM

VIROS DE BABYLONE] Hinc patet Salmanasar dominatum fuisse non tantùm Assyriæ, sed & Babyloni; nam inde colonos transtulit in Samariam.

ET DE CVTHA] hinc coloni hi translati in Samariam, dicti sunt Cuthæi, sicut à Samaria dicti sunt Samaritani. Quare ipsi fuêre Babylonij & Assyrij, non verò Iudæi vel Israelitæ.

VERS. 26. IGNORANT LEGITIMA DEI TERRÆ] id est ignorant ritum & cæremonias, quibus legitimè coli vult Deus Samariæ: idcircò enim ipse iratus immisit in eos leones, vt præcessit.

VERS. 30. VIRI ENIM BABYLONII FECERVNT SOCHOT BENOTH] quasi suum simulacrum & idolum. Notat Vatab. voces has esse Syriacas & Chaldaicas, atque hæc significare: *Succoth Benoth*, idem est quod, *gallina cum pullis suis*. *Nergel* est *gallus gallinaceus*. *Asima*, est *hircus syluest. id. Nebahaz*, est canis, eò quòd latrare soleat, aut iratus exerat dentes. *Tharthac*, est *asinus*. *Adramelech & Anamelech*, est *mulus & asinus*. Vide & mirare hîc stoliditatem Cuthæorum siue Samaritarum, qui stolidissima animalia, vti sunt mulus, equus & asinus, pro Diis coluerunt: permisit hoc Deus, vt ostenderet in quæ absurda numina incidunt illi, qui verum Dei numen deserunt.

VERS. 33. ET CVM DOMINVM COLERENT, DIIS QVOQVE SVIS SERVIEBANT] Noua fuit hæc Cuthæorum stultitia, quòd Deum cum idolis suis colerent, quasi Deus esset Dominus terræ Israel, quam ipsi incolebant; idola verò essent dij patrij suarum terrarum, ex quibus abducti erant in Samariam.

VERS. 41. FVERVNT IGITVR GENTES ISTÆ TIMENTES (adorantes, sacrificantes, colentes) QVIDEM DOMINVM, NIHILOMINVS ET IDOLIS SVIS SERVIENTES. NAM FILII EORVM ET NEPOTES, SICVT FECERVNT PATRES EORVM, ITA FACIVNT VSQVE IN PRÆSENTEM DIEM] Hi ergo sunt Cuthæi siue Samaritæ vel Samaritani, qui simul colebant Deum Israel cum idolis gentium, ideoque Iudæis Deum solum colentibus fuêre exosi quasi anathemata, vt patet ex Samaritana cum Christo colloquente Ioan. 4. Ex tota enim gentium Deorum & religionum colluuie & permistione, religionem quandam ex multis compactam, quasi centonem monstrosum effecêre. Quare errores varios habuêre, quos recenset S. Epiphanius, Philastrius, & alij in eorum hæresi. A Iudæis mutuati sunt circumcisionem, sabbathi cultum, cæremonias à Moyse præscriptas. Solum enim Moysis Pentateuchum admittebât, cæteros verò propheras & Hagiographa spernebant. Ab aliis gentibus mutuati sunt eorum idola, ritus gentilitios, superstitiones, &c. Addit Philastrius, & ex eo Gabriel Prateolus in hæresi Samaritanorum, eos 1. iudicium futurum non expectare. 2. resurrectionem mortuorum negare. 3. animæ immortalitatem inficiari. 4. IESVM esse Christum Dei filium à prophetis promissum non credere. 5. S. Epiphan. hæresi 9. sub medium: *Habent*, inquit, *alias quasdam dementiæ consuetudines antiquas, quòd videlicet vrina se proluunt, vbi ab externis venerint, polluti nimirùm. Et quod in aquâ se vnà cum vestibus immergunt, vbi contigerint aliquem ex alia gente.*

De aliis Samaritanorum erroribus vide Epiphanium hæresi 10. 11. 12. 13. Porrò Samaritæ, cùm Iudæis omnia prosperè succederent, volebant esse Iudæi, cùm sinistrè, eos auersabantur, instar vespertilionis Æsopici, qui cum auibus volebat esse auis propter alas quas habet, cum muribus, mus; corpore enim, est mus, sed alis auis. Vnde Ioseph. lib. 11 Antiq. c. 8. & lib. 12. c. 7. scribit Samaritas, cùm viderent Alexandrũ Magnũm Iudæis amicum, iactasse se esse Iudæos, & eandem cum eis religionem colere: cùm verò Antiochum Epiphanem eis infensum & infestum conspicerent, negasse se esse Iudæos, eósque auersatos esse.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Ezechias, idola subuertit, rebellat regi Sennacherib, qui v. 17. mittit Rabsacen. Hic Deum blasphemat, & Ezechiæ insultat, suadetq; Iudæis vt se dedant Sennacherib.

1. ANno tertio Osee filij Ela regis Israel, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda. 2. Viginti quinque annorum erat, cùm regnare cœpisset: & vigintinouem annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ. 3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. 4. Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succîdit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum: vocauitque nomen eius Nohestan. 5. In Domino Deo Israel sperauit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt: 6. & adhæsit Domino, & non recessit à vestigiis eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi. 7. Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellauit quoque contra regem Assyriorum, & non seruiuit ei. 8. Ipse percussit Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à Turre custodum vsque ad Ciuitatem munitam. 9. Anno quarto

to regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filij Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, 10. & cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria: 11. & transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocauitque eos in Hala & in Habor fluuiis Gozan in ciuitatibus Medorum: 12. quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum eius: omnia, quæ præceperat Moyses seruus Domini, non audierunt, neq; fecerunt. 13. Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorũ ad vniuersas ciuitates Iuda munitas: & cepit eas. 14. Tunc misit Ezechias rex Iuda nuntios ad regem Assyriorũ in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me: & omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. 15. Deditque Ezechias omne argentum quòd repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis. 16. in tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum. 17. Misit autem rex Assyriorum Tharthan, & Rabsaris, & Rabsacen, de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Ierusalem: qui cùm ascendissent, venerunt Ierusalem, & steterunt iuxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis. 18. Vocauerunt que regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis. 19. Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua niteris? 20. Forsitan inisti consilium, vt præpares te ad prælium. In quo confidis, vt audeas rebellare? 21. an speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se. 22. Quòd si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nónne iste est, cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria: & præcepit Iudæ & Ierusalem: Ante altare hoc adorabitis in Ierusalem? 23 Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis ascensores eorum. 24. Et quo modo potestis resistere ante vnum satrapam de seruis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites? 25. Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam. 26. Dixerunt autem, Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Ioahe, Rabsaci: Precamur vt loquaris nobis seruis tuis Syriacè: siquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui est super murum. 27. Respondítque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te misit me dominus meus, vt loquerer sermones hos, & non potiùs ad viros, qui sedent super murum, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam suam vobiscum? 28. Stetit itaque Rabsaces, & exclamauit voce magna Iudaicè, & ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 29. Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea. 30. Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur ciuitas hæc in manu regis Assyriorum. 31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est vtile, & egredimini ad me: & comedet vnusquisque de vinea sua, & de ficu sua, & biberis aquas de cisternis vestris: 32. donec veniam, & transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram oliuarum, & olei ac mellis, & viuetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. 33. Numquid liberauerunt dij Gentium terram suam de manu regis Assyriorum? 34. Vbi est deus Emath, & Arphad? vbi est deus Sepharuaim, Ana, & Aua? numquid liberauerunt Samariam de manu mea? 35. Quinam illi sunt in vniuersis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea? 36. Tacuit itaque populus, & non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, vt non responderent ei. 37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, & nuntiauerunt ei verba Rabsacis.

VERS. 2. VIGINTI QVINQVE ANNORVM ERAT CVM REGNARE COEPISSET] Dices: Ex cap. præcedenti liquet, quòd Achaz vixerit dumtaxat 36. annis. Ergo Achaz genuit Ezechiam anno ætatis vndecimo, nam cùm ipse mortuus est anno ætatis 36. succedens ei Ezechias erat 25. annorum; tolle enim 25. à 36. remanent anni vndecim. Consequentiam admittit Caiet. Sanchez & S. Hier. Epist. 132. ad Vitalem, vbi pluribus exemplis id fieri posse probat. Abul. tamen censet Achaz fuisse 14. annorum cùm genuit Ezechiam, quia, inquit, in Script. tacentur anni eius incompleti. Erat enim Achaz, inquit Abul. cùm cœpit regnare viginti annorum scilicet completorum, & B vnius incompleti, quem Scriptura non numerat. Rursùm sedecim annis regnauit, scilicet completis, insuper decimo septimo incompleto: quare mortuus est anno ætatis 38. Ezechias quoque erat tantùm 24. annorum completorum cùm regnare cœpit, sed inchoarat annum 25.

VERS. 4. CONFREGITQVE SERPENTEM ÆNEVM, QVEM FECERAT MOYSES (ad sanandum eos qui à serpentibus morsi erant. Num. 21. 8.) SIQVIDEM VSQVE AD ILLVD TEMPVS FILII ISRAEL ADOLEBANT EI INCENSVM] tamquam numini benefico, vtpote qui patres eorum curasset à morsu serpentum. Addit Philastrius Episc. Brixiensis coæuus S. Ambrosio lib. de hæresibus cap. 21. Ezechiam iussisse deleri & ferro radi, penitusque excindi impressiones siue insculptiones quasdam, quas Iudæorum populus faciebat in lapide quodam magno, ve- C lut obelisco, qui in templo, loco columnæ erectus erat: ex quo tollentes diuersas formulas velut quarumdam litterarum, & in lamina ponentes, in collo baiulabant, quibus incantationes quasdam & maleficia exercebant, atque percolebant ea velut tutamina quædam, in pectore suo illa portantes, quæ Dominus in lege passim fieri vetuerat, quòd paganæ cæcitatis hæc esset impietas.

VOCAVITQVE NOMEN EIVS NOHESTAN] id est *æneum*, scilicet ex parvo, vili & tinnulo ære conflatum. *Nohestan* enim est nomen diminutiuum, quo vtitur Ezechias ad simulachri contemptum. q.d. quid putatis ô Iudæi parum æris vilis sordidique habere diuinitatem? Erratis, nil in eo est numinis, nil magni, nam non est aliud quàm modica abiecti nigrique æris portio.

Addit Anastasius Nicænus ex Eusebio: *Libros*, inquit, *Salomonis qui scripti erant de Prouerbiis, & odis, in quibus tractabatur de natura plantarum & omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias: propterea quòd morborum medelas inde acciperet populus, & nihili facerent, à Deo petere curationes.*

VERS. 5. ET IN DOMINO DEO ISRAEL SPERAVIT] ideoque dicitur v. 7. *Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Vnde & appositè vocatus est *Ezechiæ*, Hebr. חִזְקִיָּהוּ *Chiskiahu*, id est, *fortitudo mea Dominus*, ait Pagnin. quasi hoc eius fuerit lemma & symbolum.

NON FVIT SIMILIS EI] Ezechiæ, quoad hoc scilicet, quòd abstulerit excelsa & serpentem æneum confregerit, quæ alij reges omnes ante eum permiserant. Nam alioqui Dauid videtur religiosior & sanctior fuisse Ezechia: Dauid enim vir fuit secundùm cor Dei, cui proindè à Deo facta est promissio de Christo ex se nascituro, adeoque Dauid à Deo statutus est in exemplar quod imitarentur, regibus omnibus ex eo nascituris. ità Abul. Vel certè est Hyperbole q.d. adeò pius & zelosus in Dei cultu tuendo fuit Ezechias, vt vix videatur habuisse parem vel similem. idem dicitur de Abraham Eccles. 44. 20. *Non est*, inquit, *inuentus similis illi in gloria, qui conseruauit legem excelsi.* vide ibi dicta.

REBELLAVIT QVOQVE CONTRA REGEM ASSYRIORVM] cui se parere eius Achaz subiecerat pendebatque tributum, quod negauit Ezechias, indignum reputans regem Iuda fidelem seruire regi infideli, confidensque in Deo, quòd ipse se ab hac seruitute liberaret, vti & fecit, per miraculosam victoriam. VERS. 7.

A TVRRE CVSTODVM] rusticana, vt dixi cap. 17. 9. VERS. 8.

COLLOCAVITQVE EOS IN HALA ET IN HABOR FLVVIIS GOZAN, IN CIVITATIBVS MEDORVM] Pro *fluuiis*, Serarius & alij censent legendum *fluuij*. Vnde Vatab. vertit: *iuxta fluuium Gozan*, & sic vertit Noster cap. 17. 6. Hebr. enim est נְהַר *nehar*, id est *fluuij*, in singulari; aut certè fluuij vocantur vrbes adiacentes fluuiis per Metonymiam; nam in vrbibus habitant homines, non in fluuiis, nisi apud Sinas, vbi tanta est hominum copia, vt terra eos non capiat: quare multi in pontibus & nauibus fluminum habitare coguntur, teste nostro Nicolao Trigaultio in historia Chinensi. VERS. 11.

ANNO QVARTODECIMO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT SENNACHERIB] qui iam Salmanasar patri vita functo, in regno Assyriorum successerat. Ascendit autem contra Iudam, eò quòd Ezechias rebellasset & tributum negasset v. 7. id factum est ex Dei prouidentia, qui non obstante pietate Ezechiæ volebat punire tribum Iuda, ob idololatriam & scelera ab ea commissa. VERS. 13.

MISIT AVTEM REX ASSYRIORVM] Nota hìc perfidiam Sennacherib, qui acceptis ab Ezechia trecentis argenti talentis, & triginta auri, nihilominùs mittit contra eum exercitum, qui proinde ab Angelo cæsus est, ac dum aliena inuasit, sua domi amisit. VERS. 14.

QVÆ EST IN VIA AGRI FVLLONIS] ità dictus est ager, quòd in eo fullones aqua piscinæ pannos abluerent. D

DOMINVS DIXIT MIHI: ASCENDE AD TERRAM HANC, ET DEMOLIRE EAM] Mentitur Rabsaces se Dei iussu inuadere Iudæos, vt eos terreat, & ad deditionem compellat. ita Abul. VERS. 25.

Reliqua huius capitis transcripta sunt ex Isaiæ cap. 36. vbi ea explicui: Isaias enim fuit internuntius inter Deum & Ezechiam, eique victoriam contra Sennacherib prædixit & promisit.

PRÆCEPTVM REGIS (Ezechiæ) ACCEPERANT, VT NON RESPONDERENT EI] Cur? Resp. primò S. Cyrill. Alex. in cap. Isai. citatum: *Quia*, inquit, *imperitis sermonibus, & fatui barbarito, linguaq; contra Deum petulanti illachrymari potius, quàm reclamare oportuit.* Respondet secundò Procop. ad locum citatum Reg. *Nihil*, inquit, *ad blasphemiae istas responderi passus est pius rex, ne ad maiores prouocaret.* Respondet tertiò Abul. ibid. q. 44. *Quia ad honorem*, inquit, *regis pertinebat, quòd negotia sua fierent prudenter, ordinatè, & cum maturatione: si autem quilibet de populo posset respondere Rabsaci, sicut vellet; esset quadam deordinatio magna, & posset irridere Rabsaces ordinationem, quam habebat Ezechias in subditis, & negotiis suis.*

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias prædicit Ezechiæ victoriam de Sennacherib: quare Angelus ex eius castris cædit 185. millia.

1. QVæ cùm audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum Domini. 2. Et misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. 3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ, dies iste: venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens. 4. Si fortè audiat Dominus Deus tuus vniuersa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, vt exprobraret Deum viuentem, & argueret verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Venerunt ergo serui regis Ezechiæ ad Isaiam. 6. Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram suam; & deiiciam eum gladio in terra sua. 8. Reuersus est ergo Rabsaces, & inuenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim quòd recessisset de Lachis. 9. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est vt pugnet aduersùm te: & iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Ierusalem in manus regis Assyriorum. 11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum vniuersis terris, quo modo vastauerunt eas: num ergo solus poteris liberari? 12. Numquid liberauerunt dij Gentium singulos, quos vastauerunt patres mei, Gozan videlicet, & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelassar? 13. Vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex ciuitatis Sepharuaim, Ana, & Aua? 14. Itaque cùm accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, 15. & orauit in conspectu eius, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ, tu fecisti cælum & terram. 16. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit vt exprobraret nobis Deum viuentem. 17. Verè Domine dissipauerunt reges Assyriorum Gentes, & terras omnium. 18. Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dij, sed opera manuum hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos. 19. Nunc igitur Domine Deus noster, saluos nos fac de manu eius, vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus. 20. Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audiui. 21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Spreuit te, & subsannauit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput mouit, filia Ierusalem. 22. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. 23. Per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius, & electas abietes illius. Et ingressus sum vsque ad terminos eius, & saltum carmeli eius 24. ego succidi. Et bibi aquas alienas, & siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. 25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmaui illud, & nunc adduxi: eruntque in ruinam collium pugnantium ciuitates munitæ. 26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt & confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam

quam veniret ad maturitatem. 27. Habitaculum tuum, & egressum tuũ, & introitum tuum, & viam tuã ego præsciui, & furorem tuũ contra me. 28. Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas: ponã itaque circulũ in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducã te in viam, per quam venisti. 29. Tibi autẽ Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porrò in tertio anno seminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum. 30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum. 31. De Ierusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod saluetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33. Per viam, qua venit, reuertetur: & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 34. Protegamque vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. 35. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum; & recedens abiit. 36. & reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Niniue. 37. Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Asarhaddon filius eius pro eo.

HOc caput pariter transcriptum est ex A Isaiæ cap. 37. vbi illud explicui.

VERS. 34. PROPTER DAVID] Quæres, cur non dixit: *propter Ezechiam & Isaiam*, quorum sine dubio preces Deo gratissimæ extiterunt? Optimè Glycas 2. parte Annalium citatus in Glossa: *Hæc verba, inquit, ita diuinitùs prolata sunt, ne putaret Ezechias orationem suam, iustitiæ causa, qua præditus erat, exauditam esse.*

VERS. 37. ET REGNAVIT ASAR HADDON FILIVS EIVS PRO EO] Genebrar. in Chronol. Pererius, Arias Montanus, & Serarius in cap. 1. Iudith v. 1. censent *Asarhaddon* esse Sardanapalũ; primò, quia sicut Sardanapalus à gentilibus Historicis ponitur vltimus rex & monarcha Assyriorum, sic & à Script. vltimus Assyriorum rex ponitur *Asarhaddon*: post eum enim nominantur Baladan Merodach, Nabuchodonosor, Euelmerodach & Balsasar, qui omnes fuêre principes & reges Babyloniorum. Secundò, quia Sardanapali nomen videtur conflatum ex Asar & Don vel Haddon addito nomine Phul. Ergo est idem cum Asarhaddon. Tertiò, quia quæ de euersione Niniues futura per eluuionem Tigris fluuij prædicunt Ionas & Nahum, ea sub Sardanapalo contigisse testatur Diodorus. B *Asarhaddon an sit Sardanapalus?*

Verùm Eusebius, Torniellus, Salianus, cæterique Chronologi Sardanapalum anteriùs collocant, scilicet sub Azaria rege Iuda: tunc enim prophetauit Ionas, & Sardanapalo excidium Niniues prædixit, vt dixi cap. 15. 2. & Ionæ cap. 3. v. 6. & seq.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EZechias æger inuocans Deum per Isaiæ ficus sanatur, signumq; accipit, reuersionem vmbræ in horologio: mox v. 12. Merodach rex Babylonis mittit legatos ad Ezechiam, quibus ipse omnes suos thesauros ostendit, ideoq; ab Isaia audit illos omnes à Babyloniis diripiendos.

1. IN diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem: & venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues. 2. Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: 3. Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno. 4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens: 5. Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini. 6. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. 7. Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cùm attulissent, & posuissent

sent super vlcus eius, curatus est. 8. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini? 9. Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quòd facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? 10. Et ait Ezechias: Facile est, vmbram crescere decem lineis: nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. 11. Inuocauit itaque Isaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. 12. In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotasset Ezechias. 13. Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua. 14. Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri isti? aut vnde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 15. At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis. 16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini: 17. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 19. Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: fit pax & veritas in diebus meis. 20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iudæ? 21. Dormiuitque Ezechias cum patribus suis, & regnauit Manasses filius eius pro eo.

HOc caput transcriptum quoque est ex A Isaiæ cap. 38. & 39. vbi illud explicui. Multa de Ezechiæ pietate & zelo religionis adduntur 2. Paralip. cap. 29. & 30. & 31. Vnde meruit ipse à Deo obtinere victoriam contra Sennacherib, & sanitatem miraculosam, in qua Deus ei adiecit 15. annos vitæ.

VERS. 12. *Baladan quis?* IN TEMPORE ILLO MISIT MERODACH BALADAN, FILIVS BALADAN] *Baladan* fuit primus princeps Babyloniorum: eorum enim nomen hucusque non audiuimus, sed Assyriorum dumtaxat. Quare videtur quòd Baladan præfectus Babyloniæ, vel potiùs filius eius Merodach Baladan videns Sennacherib (cui ipse erat subditus & vectigalis) & Assyriorum copias ab Angelo cæsas in Iudæa, eiusque vires attritas iugum excusserit; seque principem absolutum & regem Babyloniorum effecerit, imò Asarhaddonem regno & vita priuarit sub annum Ezechiæ 26. vt vult Salianus; runcque defecit regnum Assyriorum: vnde deinceps in Script. nulli reges Assyriorum nominantur, sed omnes Babyloniorum, quorum primus fuit Baladan. Vnde *Baladan* Hebr. idem est quod *sine Domino*, ait Pagnin. Porrò Baladan patrem non esse Salmanasar regem Assyriorum, vt vult Genebrardus, sed Nabonassar, qui à Ptolemæo in Almagesto ponitur primus princeps Babyloniorum, censent ex Eusebio, Beroso, Iosepho, Scaliger, Serarius, Bellarminus, Torniellus, Salianus in chronol. vnde ab eo constituta fuit æra Nabonassarea, à qua Babylonij cæterique annos suos computant deinceps; sicut Persæ à Cyro, Græci ab Alexandro, Romani ab Augusto. Hinc Chaldaicè dictus est *Baladan* à *Bal* & *Haddon*: *Bal* enim siue *Bel* & *Baal*, erat *Nemrod* siue Iupiter Belus, primus post diluuium turris Babel conditor, vt dixi Genes. 10. qui (vel cuius socius) alio nomine dictus est *Nabo*, id est propheta vel diuinatio, vt dixi Isaiæ 46. 1. ad illa: *confractus est Bel, contritus est Nabo.* Nam vt ait Tertul. Apolog. 20. *Testimoniũ diuinitatis, est veritas diuinationis*: Dei enim proprium est diuinare, præscire, & prædicere futura, iuxta illud Isaiæ 41. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia dij estis vos.* Hinc à Nabo Deo & Assar conflatus est dictusque Nabonassar. Rursùm filius Baladan, siue Nabonassar fuit hic *Merodach*, siue Berodach, qui primus se regem Babylonis nuncupauit misitque legatos ad Ezechiam. Merodacho successit filius Beri Merodach, vti asserunt Eusebius lib. 9. de Præpar. Berosus apud Iosephum, Metnasthenes Annij, Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendat. tempor. Torniellus, Salianus, & alij, qui Baladan tribuunt 27. annos, Merodach 52. Ben Merodach 44. qui in vnum conflati faciunt 123. vnde Chronologi à Nabonassar vsque ad Nabopolassar, quem Berosus vocat Nabolassar, qui Ben Merodacho successit, fuitque Nabuchodonosor senior, vti asserunt Eusebius, Berosus, Scaliger, Bellar. Torniel. Salian. & alij, numerant annos 123. Nabuchodonosori seniori post annos regni 19. defuncto successit Nabuchodonosor iunior, cognomento Magnus, qui Ierusalem cepit, & Iudæos in Babylonem abduxit, ac Monarchiam B *Series regum Babyloniorum.*

chiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, A regnauitque annis 45. cui successit filius Euel Merodach, alio nomine dictus Balasar, per 34. annos, vt dixi Daniel. 5. v. 1. Hæc chronologia virorum eruditorum est probabilis, licet alij aliam assignet in nonnullis à iam dicta differentem. Nil enim certi de temporibus tam antiquis, & historia certa carentibus, asseri potest. Vide dicta Ezechielis 1. sub initium. Denique qui priuatus dictus est Baladan, assumpto imperio vocatus est Nabonassar Baladan, filius verò eius vocatus est Merodach Baladan. Porrò primum annum Nabonassar multi cum Ptolemæo assignant anno primo vel secundo octauæ Olympiadis, siue anno trigesimo ab initio Olympiadum, quem Torniellus contendit esse annum regis Achaz 13. conditæ verò Romæ sextum, Scaliger & Serarius volunt esse annum Achaz nonum, Salianus Achaz decimum quartum; alij malunt esse annum Ioatham nonum. Nil enim certi in re tam incerta statui potest. Rursùm Ptolemæus ab anno primo Nabonassar numerat annos 123. vsque ad annum primum Nabopolassar, quem Eusebius, Berosus, Iosephus, Scaliger, Salianus & alij censent esse Nabuchodonosorem seniorem. Alij verò censent esse iuniorem, qui cognominatus est Magnus, & Iudæos in Babylonem abduxit. Nec enim Monarcham tam potentem videtur omisisse Ptolemæus. Difficile enim est, & subinde impossibile historicos prophanos adaptare, & per omnia adæquare historiæ sacræ Scripturæ, mox tamen eam illi adæquabo. C

Porrò Merodach inchoans regnum Babylonis misit legatos ad Ezechiam, quia audierat eum idem iugum regis Assyriorum excussisse, quod ipse excusserat, vt cum eo fœdus iniret, iunctisque viribus Assyrio resisterent.

Canones chronologiæ. Ad extremum hos chronologiæ limites, & quasi canones ex Ptolemæo & aliis statuunt figuntque Scaliger, Serarius, Salianus & alij.

Primus. 1. Nabonassari annus primus incidit in annũ primum octauæ Olympiadis, siue in annũ 29. ab initio Olympiadum. Id patet ex eo quòd Ptolemæus asserat Alexandrum Magnum mortuum esse anno 424. Nabonassaris. Constat autem Alexandrum mortuum esse anno primo Olympiadis 114. à quo anno ad superiora regrediendo, primus Nabonassaris in primum octauæ Olympiadis necessariò incidit. Nam 113. Olympiades faciunt annos 452. à quibus si demas septem Olympiades iam deuolutas, id est annos 28. reliqui erunt 424. qui à primo Nabonassaris vsque ad mortem Alexandri fluxêre.

2. Hinc sequitur annum primũ Nabonassari esse sextum à Romæ condita: hæc enim condita est in fine Olympiadis sextæ, siue anno 23. ab initio Olympiadum. ab hoc autem initio annus primus Nabonassari est 29. iam 29. annus posterior est 23. sex annis, vt liquet. *Secundus.*

3. Annus 151. ab initio Olympiadum est annus primus Nabopolassar, hoc est Nabuchodonosoris senioris, qui fuit pater Nabuchodonosoris Magni, siue primi Monarchæ Chaldæorum. *Tertius.*

4. Annus Nabonassar 122. est annus primus Nabopolassar, ita Scaliger & Serarius; negat tamen hoc Salianus & Torniellus, qui annum primum Nabonassaris consignant anno 13. vel 14. Achaz, annum verò primum Nabopolassar anno 13 Iosiæ, iam à 14. Achaz ad 15. Iosiæ fluxêre anni centum & vnus dumtaxat, non centum viginti duo. *Quartus.*

Iuxta hos canones ita horum omnium anni annis regum Iuda assignandi & combinandi videntur, vt initium Olympiadum assignemus anno 40. Azariæ; Romæ conditionem, anno 10. vel 11. Ioatham, annum primum Nabonassaris anno 15. Ioatham, annum primum Nabopolassaris siue Nabuchodonosoris senioris, anno 18. Iosiæ. Nam ab anno 40. Oziæ vsque ad decimum Ioatham sunt 23. anni. Inde ad 15. Ioatham sunt anni sex, inde ad 18. Iosiæ fluxêre anni 122. inde ad annum quintum à captiuitate Ioachim, sunt anni trigintà, quando cœpit prophetare Ezechiel, vt ipse ait capit. v. 1. Videtur enim Nabuchodonosor senior cœpisse quidem regnum in Babylone moliri anno 13. Iosiæ, sed anno 18. Iosiæ absolutè regnasse, tumque cum Cyaxare rege Medorum obtedisse Niniuen, ad euertendam Monarchiam Assyriorum, quam paulò pòst reipsa cepit & euertit Nabuchodonosor iunior senioris filius, itaque Monarchiam ab Assyriis ad se & Chaldæos transtulit, vti ostendi Nahum 2. v. 1.

CA-

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses impius regnat, & idola restituit, ac prophetas occidit. Succedit ei vers. 18. impius filius Amon, qui post biennium à suis occiditur, succedente sibi filio pio Iosia.

1. DVodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Haphsiba. 2. Fecitque malum in conspectu Domini, iuxta idola Gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Israel. 3. Conuersusque est, & ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Ezechias pater eius: & erexit aras Baal, & fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam. 4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ierusalem ponam nomen meum. 5. Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. 6. Et traduxit filium suum per ignem: & ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicauit, vt faceret malum coram Domino, & irritaret eum. 7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini, super quod locutus est Dominus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius: In templo hoc, & in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et vltrà non faciam commoueri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opera omnia quæ præcepi eis, & vniuersam legem quam mandauit eis seruus meus Moyses. 9. Illi verò non audierunt: sed seducti sunt à Manasse, vt facerent malum, super gentes quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum, dicens: 11. Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis: 12. propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam; vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius. 13. Et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs stylum super faciem eius. 14. Dimittam verò reliquias hereditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis aduersariis suis: 15. eò quòd fecerint malum coram me, & perseuerauerint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, vsque ad hanc diem. 16. Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam, vt faceret malum coram Domino. 17. Reliqua autem sermonum Manasse, & vniuersa quæ fecit, & peccatum eius quod peccauit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 18. Dormiuitque Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: & regnauit Amon filius eius pro eo. 19. Viginti duorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset: duobus quoque annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Messalemeth filia Harus de Ieteba. 20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius. 21. Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius: seruiuitque immunditiis, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas; 22. & dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulauit in via Domini. 23. Tetenderuntque ei insidias serui sui, & interfecerunt regem in domo sua. 24. Percussit autem populus terræ omnes qui coniuraverant contra regem Amon: & constituerunt sibi regem Iosiam filium eius pro eo. 25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? 26. Sepelieruntque eum in sepulchro suo, in horto Oza: & regnauit Iosias filius eius pro eo.

VERS. 7. POSVITQVE IDOLVM LVCI QVEM FECERAT, idolum in luco antè à se constructo positum, iam luco sculptili circumdatum posuit IN TEMPLO] q.d. Manasses priùs construxerat lucum siue syluam diis sacram, in eoque collocarat idolum, quod deinde ex luco transtulit in templum; sed quia lucum cum idolo transferre non poterat, hinc loco luci, fecit simulachrum siue similitudinem luci ex auro, argento vel ære, in eoque posuit idolum, illudque cum luco transtulit in templum, vt ibidem iam non Deus in templo, sed dæmon in luco coleretur. Vnde vtrumque posteà destruxit Iosias Manassis nepos c. 23. v. 6. & 7.

VERS. 10. LOCVTVSQVE EST DOMINVS IN MANV SERVORVM SVORVM PROPHETARVM] scilicet per Osee, Amos, Ioelem, Nahum, Ionam, Abdiam, ac maximè Isaiam Manassis socerum, qui proinde à Manasse serreâ ligneâ dissectus Christi in ligno crucifixi fuit typus, vt dixi proœmio in Isaiam, ac plures alios prophetas, adeò vt Ioseph. lib. 10. cap. 4. asserat, *ex eorum numero per singulos dies aliquem supplicio à Manasse affectum fuisse.*

VERS. 13. EXTENDAM SVPER IERVSALEM FVNICVLVM SAMARIÆ] *Funiculus* mensorius metaphoricè significat eandem pœnæ mensuram, q. d. quâ mensurâ puniui, vastaui & abduxi è Samaria Israelitas in Assyriam, eâdem puniam, vastabo, & abducam Iudæos è Ierusalem in Babylonem: sicut enim fuerunt pares in culpa & idololatria, sic pares erunt in pœna & captiuitate. Est Metaphora à fabris, qui vtuntur ferro siue funiculo, quem extendunt plumbi massa, vt iuxta illum ad perpendiculum fabricam construant, vel constructam diruant & destruant. q. d. Ego Ierusalem destruam, & quasi funiculo ad solum coæquabo, sicut solet faber domos diruere, & per funiculum mensorium terræ coæquare & complanare; vnde explicans idipsum per aliam similitudinem ceræ declarat, dicens: *Delebo Ierusalem sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam & ducam crebriùs stylum super faciem terræ.* q. d. delebo Ierusalem sicut deleri solent literæ in tabula ex cera exaratæ. Solebant enim olim ante inuentionem chartæ, scribere in tabulis cera obductis, & in ea stylo quasi calamo literas efformare. Quare stylus hic infernè acutus erat, supernè verò obtusus, vt eodem literas in cera scriptas cùm vellent obducerent, & cera complanata alias in illa litteras pingerent; si ergo vna vox vel litera dumtaxat delenda foret, id faciebant vno alteroúe styli per ceram ductu; sin plures, pluribus ductubus, sin omnes, omnibus ductubus, donec erasis literis pura & complanata restitueretur cera. Ita fecit hîc Deus in excidio Iudææ & Ierosolymæ. Nam primò induxit in eam stylum hostilem regis Babylonis, cùm ex ea Manassen, & primores regni in Babylonem captiuos abduxit. 2. Paral. 33. v. 11. Secundò, cùm Pharao Nechao Iosiam, qui tota erat Iudæorũ spes, occidit, eiusque filium Ioachaz in Ægyptum abripuit c. 23. v. 33. Tertiò, cum Nabuchodonosor Ioakim fratrem Ioachaz cepit & vinxit. Quartò, cùm idem Ioachin filium Ioakim cum magno nobilium & populi numero in Babylonem transmisit. Quintò & vltimò, cùm idem Sedeciam vltimum regem cum reliquis abduxit, vrbemque & templum conctemauit.

Sensus ergo est: *Extendam super Ierusalem funiculum.* q. d. non tantùm vrbem demoliar, sed fundamenta refodiam, eaque terræ quasi per funiculum admetiens coæquabo, vt nullum sit reliquum eius vestigium, neque delineatio prima illius; non secùs ac fieri solet, cùm tabellæ ceratæ, lineæ, vel caracteres delentur.

Pro *tabula* Hebr. est מַשְׁלֶחֶת *tsallachat*, quod passim vertunt scutella, frixorium, lebes, caldaria. Vnde Vatab. sic vertit: *Detergam Ierusalem, sicut quis patinam detergit & eam vertit.* sicque explicat q. d. Repurgabo Ierusalem ab hominibus sceleratis, quos vbi fugauero, inuertam illam, vti inuerti solet à rusticis scutella expurgata. Noster verò Hieron. Prado in Ezech. c. 5. v. 11. sic vertit, & exponit: *Abstergæm Ierusalem, vt mundari solet caldarium abstersione, & verti super faciem suam.* id est, vt solet, cùm probè extersum est, conuerti dorsum in faciem, vt nil lustramenti fiat reliquum, sed ad vltimam guttam distillet in terram; sic mũdabo Ierusalem abstergens ex ea omnes incolas & domos, eamq; à fundamẽtis euertens.

INSVPER ET SANGVINEM INNOXIVM FVDIT MANASSES MVLTVM NIMIS] præsertim eorum qui suæ impietati resistebant, illumque de ea arguebant, vti erant Isaias, cetereque prophetæ; ita vt quotidie aliquem è Prophetis occideret, ait Ioseph. Hinc appositè vocatus est *Manasses*, id est *ab insurgente vel ex oblitione*, ait auctor Imperf. Hom. 1. in Matth. *Prouidentia enim Dei sic eum dispensauit vocari, quia obliturus fuerat omnem conuersationem patris sui sanctam, & omnia beneficia Dei pro merito eius collata in ipsum, & stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad euertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam prouocarent.* Addit idem Auctor de Manasse quid noui & miri, aitque: *Denique cùm ægrotasset Ezechias in tempore quodam, & venisset ad eum Esaias propheta visitandum, vocauit Eze. hias filium suum Manassen, & cœpit ei mandare, quòd debeat Deum timere, quomodo regere regnum, & alia multa. Et dixit ad eum Esaias: Verè quia non descendunt verba tua in cor eius, sed & meipsum oportet per manum eius interfici. Quod audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicens: Quia melius est me sine filio mori, quàm talem filium relinquere, qui & Deum exasperet, & sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Esaias propheta, dicens: Irritum faciat Deus consilium tuum hoc, videns Ezechiæ religionem, quia plus amabat Deum, quàm filium suum.* Verùm hæc videtur Rabbinorum fabella. Nam ægrotante Ezechia necdum natus erat Manasses, quia post morbum Ezechias superuixit 15. annos, eique deinde morienti succedens Manasses erat duodecim annorum. Natus est ergo Manasses tertiò à morbo & sanitate recuperata Ezechiæ patris sui anno.

DORMIVITQVE (somno mortis) CVM PATRIBVS SVIS] Nota 2. Paral. 33. 11. narratur pœna à Deo inflicta Manassi, scilicet captiuitas in Babylone, indeque seria eius pœnitentia & conuersio ad Deum.

Porrò Manasses in Babylonem abductus videtur à Merodach Baladan: hic enim tunc in Babylone regnabat; vnde huic Ezechias pater Manassis opes suas ostenderat, ideoque eum illexerat ad eas abripiendas; quod & futurum ei prædixit Deus cap. 20. 17. atque idipsum paulò pòst præstitit, dum effecit vt Manasses ob sua scelera, per eumdem Baladan cum gaza regia in Babylonem vinctus abduceretur. ita Bellarm. Salianus & alij. Dicitur tamen Manasses captus à rege Assyriorum, vel quia Babylonij vocantur Assyrij, vel quia Merodach vectigalis fuit Asarhaddon regi Assyriorum, cuius postea iugum excussit.

ET SEPVLTVS EST IN HORTO DOMVS SVÆ, IN HORTO OZA] vbi scilicet Oza occisus est à Deo, eò quòd temerè tetigisset arcam ritubantem. 2. Reg. 6. 8. Hic hortus erat prope Ierusalem, & regiis hortis copulatus, in quo Manasses Babylone rediens regium sibi Mausolæum construxit, atque in eo ipse & filius eius Amon sepulti sunt.

VERS. 20. FECITQVE MALVM] ita Script. vocat idolatriam, quasi malum malorum summum; nam vt ait Sapiens c. 13. 27. *Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis.* Imitatus est Amon patrem Manassen peccantem sed non pœnitentem. Addit Glycas eum dixisse: *Pater meus à puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit; quare & ego in hac ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam.* Quocirca Deus hanc eius præfidentiam cita morte puniuit: nam post biennium à suis seruis occisus est. Audi S. Clementem lib. 2. Constit. Apost. c. 23. *Talis*, inquit, *extitit Amon filius Manassis de quo ait Scriptura: Decepit se Amon mala cogitatione transgressionis, & dixit: Pater meus multa peccata ab adolescentia commisit, & cùm senex esset, commisisse pœnituit; & nunc ego ambulabo, vt expetit anima mea, & posteà conuertam me ad Dominum: & egit improbè coram Domino super omnes natos ante se, & deleuit eum Deus celeriter ex terra eius bona, & serui impetum in eum fecerunt, & domi eius insecerunt, & regnauit duobus tantùm annis.*

Notent hoc iuuenes qui in iuuentute voluptuantur & luxuriantur, eamque dicant diabolo, promittentes se senectam dicaturos Deo: nam plerique tàlium variis humanæ vitæ casibus intercipiuntur & moriuntur, iustoque Dei iudicio ad senectam indeque ad vitæ emendationem & salutem æternam non pertingunt.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pius Iosias piè regnat, ac repertum Deuteronomium studiosè perlegit, auditq; ab Holda prophetissa supplicia quæ in eo Deus impiis comminatur, non sibi sed filius suis obuentura.

1. OCto annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset, triginta & vno anno regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Idida, filia Hadaia de Besecath. 2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui: non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram. 3. Anno autem octauodecimo regis Iosiæ, misit rex Saphan filium Assia, filij Messulam, scribam templi Domini, dicens ei: 4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, vt confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi à populo, 5. deturque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sarta tecta templi: 6. tignariis videlicet & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt: & vt emantur ligna, & lapides de lapicidinis; ad instaurandum templum Domini. 7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, & in fide. 8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud. 9. Venit quoque Saphan scriba ad regem, & renuntiauit ei quod præceperat, & ait: Conflauerunt serui tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt vt distribueretur fabris à præfectis operum templi Domini. 10. Narrauit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cùm legisset Saphan coram rege, 11. & audisset rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua. 12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asaiæ seruo regis, dicens: 13. Ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Iuda, de verbis voluminis istius, quod inuentum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres

tres noſtri verba libri huius, vt facerent omne quod ſcriptum eſt nobis. 14. Ierunt itaque, Helcias ſacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Aſaia, ad Holdam prophetidem, vxorem Sellum, filij Thecuæ, filij Araas cuſtodis veſtium, quæ habitabat in Ieruſalem in Secunda: locutique ſunt ad eam: 15. Et illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro, qui miſit vos ad me: 16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, omnia verba Legis quæ legit rex Iuda: 17. quia dereliquerunt me, & ſacrificauerunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum ſuarum: & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. 18. Regi autem Iuda, qui miſit vos vt conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quòd audiſti verba voluminis, 19. & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores eius, quòd videlicet fierent in ſtuporem & maledictum: & ſciſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, & ego audiui, ait Dominus: 20. idcircò colligam te ad patres tuos, & colligêris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.

VERS. 1. OCTO ANNORVM ERAT IOSIAS CVM REGNARE COEPISSET] Hoc nomen ei impoſitum fuit à Deo prædictumque ante 327. annos, tot enim fluxêre à Roboam & Ieroboam vſque ad Ioſiam 3. Reg. 13. 2. Ioſias enim Hebr. dicitur quaſi יֹאשִׁיָּהוּ *ia ſcai*, id eſt, *Dei munus* vel oblatio; aut quaſi יאשיהו *ia es*, id eſt *Dei ignis*, ob eius zelum & ignita ſacrificia, & quia idololatras igne combuſſi. Audi Authorem operis imperfecti apud Chryſoſt. hom. 1. in Matth. *Ioſias interpretatur hoſtia Domino, vel, ſalus Domino. Prouidentia autem Dei ſecundùm quod futurus fuerat Ioſias, diſpenſauit ei nomen imponi, vbi eſt hoſtia Domino, aut ſalus Domini: quoniam verè in illo fuit hoſtia Domini. Tale enim ſacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec poſt eum. Et ipſe fuit hoſtia Deo ſecundùm quod mandat Apoſtolus: Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Et ipſe fuit populi ſui in tempore ſuo à Domino ſalus.* Et inferiùs: *Tertius enim Ioſias eſt, cuius nomen prophetatum eſt priùſquàm naſceretur. Hi tres ſunt, Sampſon, Ioſias, Ioannes.*

VERS. 5. AD INSTAVRANDA SARTATECTA TEMPLI] Ioſias in templi inſtauratione imitatus eſt ſuum proauum Ioas regem Iuda, eiuſque methodum in inſtauratione ſecutus eſt.

VERS. 7. NON SVPPVTETVR EIS ARGENTVM] id eſt non exigatur ab eis ratio & computus, ſed fidei eorum omnis pecunia & ſumptus credatur, quod Ioas alia phraſi iuſſerat cap. 12. v. 15. dicens: *non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam vt diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam.*

VERS. 8. LIBRVM LEGIS REPERI IN TEMPLO DOMINI] putà Deuteronomium, vt ait Chryſoſt. hom. 9. in cap. 2. Matth. S. Athanaſ. Epiſt. ad Marcel. & Abul. vel totum Pentateuchum, vt ait Ioſephus, qui adiungit illud repertum in gazophylacio, dum ex eo acciperent aurum pro ſartis templi tectis. Nimirùm tempore impij Manaſſis, qui 55. annis regnauit, per tot annorum ſpatia adeò neglecta fuit lex & profanatus Dei cultus, vt *liber legis*, tamquam res nouiter inuenta ſcribatur, ait Caiet. Addit Lyran. ex R. Salomone impium Achaz, qui Manaſſis erat auus, combuſſiſſe libros legis, ne ab eis violatæ legis & idololatriæ argueretur. Quare ſacerdotes clàm librum legis abſcondiſſe in muro templi à ſe perfoſſo & occluſo: cæmentarios autem, dum iuſſu Ioſiæ ſarta tecta templi inſtaurarent, inueniſſe librum, eumque detuliſſe ad Pontificem, & hunc ad regem Ioſiam.

IERVNT ITAQVE HELCIAS SACERDOS, &c. AD HOLDAM PROPHETIDEM, VXOREM (Septuag. Sixtini habent, *matrem*) SELLVM] Hunc *Sellum* Hebræi tradunt fuiſſe auunculum patris Ieremiæ. Cur non ierunt ad Ieremiam, qui tum prophetabat? Fortè quia ab vrbe abetat. Adde: S. Hier. lib. 2. contra Pelagianos, in eo quòd conſulitur mulier, occultam regis, ſacerdotum & omnium virorum reprehentionem eſſe, quòd nullus virorum ſanctus poterit reperiri, qui poſſet futura prædicere. Denique *Holda* hæc & ſenio & prudentia, & ſanctitate & oraculis apud omnes erat celebris & venerabilis, æquè ac Debbora Iudic. 4. & Anna mater Samuelis 1. Reg. 2.

QVÆ HABITABAT IN IERVSALEM IN SECVNDA] ſcilicet in ea vrbis parte quæ vocabatur *Secunda ciuitas* iuxta ſecundum (erant enim vniuerſim tres muri) vrbis murum, ac iuxta portam ſecundam, ſiue mediam quæ vocabatur *piſcium*, per quam ibatur in templum, vnde per eam Chaldæi inuaſerunt Ieroſolymam & templum. ita S. Hier. loco iam citato, Vilalpandus, Rubera, Salian. Serar. & alij. Vide Adrichom. in deſcript. Ieruſalem. Chaldæus pro *Secunda* vertit: *domum doctrinæ*, id eſt ſcholam; Vatabl. *locum dignitatis ſecundæ à templo*, quo loco dabatur opera eruditioni & doctrinæ. In eo enim habitabant propheræ & doctores, ac inter eos Rechabitæ. Hinc & Thalmud diuiditur in Miſnam & Gemaram. *Miſna* enim *ſecundam* ſignificat, quaſi prima ſit lex Moyſis, ſecunda ſit legis Thalmudica repetitio & explicatio.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioſias ſancit fœdus inter Deum & populum, ideoq; abolet idola, fana, aruſpices, equos Solis, excelſa, vitulos aureos Ieroboam, ac v. 21. ſolenne paſcha celebrat. Denique v. 29. occiditur in prælio à Pharaone Nechao, qui Ioſiæ Ioachaz filium, deinde eo abducto Ioakim eius fratrem regem ſubſtituit.

1. ET renuntiauerunt regi quod dixerat. Qui miſit: & congregati ſunt ad eum omnes ſenes Iuda & Ieruſalem. 2. Aſcenditque rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuerſique qui habitabant in Ieruſalem cum eo ſacerdotes & propheræ, & omnis populus à paruo vſque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini. 3. Stetitque rex ſuper gradum: & fœdus percuſſit coram Domino, vt ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia, & cæremonias, in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitarent verba fœderis huius, quæ ſcripta erant in libro illo: acquieuitque populus pacto. 4. Et præcepit rex Heliæ pontifici, & ſacerdotibus ſecundi ordinis, & ianitoribus, vt proiicerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuerſæ militiæ cæli: & combuſſit ea foris Ieruſalem in Conualle cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel. 5. Et deleuit aruſpices, quos poſuerant reges Iuda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Iuda, & in circuitu Ieruſalem: & eos, qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cæli. 6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem in Conualle cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi. 7. Deſtruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci. 8. Congregauitque omnes ſacerdotes de ciuitatibus Iuda: & contaminauit excelſa, vbi ſacrificabant ſacerdotes, de Gabaa vſque Berſabee: & deſtruxit aras portarum in introitu oſtij Ioſue principis ciuitatis, quod erat ad ſiniſtram portæ ciuitatis. 9. Verumtamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Ieruſalem: ſed tantùm comedebant azyma in medio fratrum ſuorum: 10. Contaminauit quoque Topheth, quod eſt in Conualle filij Ennom: vt nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem, Moloch. 11. Abſtulit quoque equos, quos dederant reges Iuda, Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathamelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combuſſit igni. 12. Altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis templi Domini, deſtruxit rex: & cucurrit inde, & diſperſit cinerem eorum in Torrentem cedron. 13. Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dexteram partem Montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex. 14. Et contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos: repleuitque loca eorum oſſibus mortuorum. 15. Inſuper & altare, quod erat in Bethel, & excelſum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael: & altare illud, & excelſum deſtruxit, atque combuſſit, & comminuit in puluerem, ſuccenditque etiam lucum. 16. Et conuerſus Ioſias, vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte: miſitque & tulit oſſa de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17. Et ait: Quis eſt titulus ille, quem video? Reſponderuntque ei ciues vrbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel. 18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoueat oſſa eius. Et intacta manſerunt oſſa illius, cum oſſibus prophetæ qui venerat de Samaria. 19. Inſuper & omnia fana excelſorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Iſrael ad irritandum Dominum, abſtulit Ioſias: & fecit eis, ſecundùm omnia opera quæ fecerat in Bethel. 20. Et occidit vniuerſos ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria: &

combussit ossa humana super ea: reuersusque est Ierusalem. 21. Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino Deo vestro, secundùm quòd scriptum est in libro fœderis huius. 22. Nec enim factum est Phase tale à diebus iudicum, qui iudicauerunt Israel, & omnium dierum regum Israel, & regum Iuda, 23. sicut in octauo decimo anno regis Iosiæ factum est Phase istud Domino in Ierusalem. 24. Sed & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda & Ierusalem, abstulit Iosias: vt statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem inuenit Helcias sacerdos in templo Domini. 25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi. 26. Verumtamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam: propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses. 27. Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam à facie mea, sicut abstuli Israel: & proiiciam ciuitatem hanc, quam elegi, Ierusalem, & domum; de qua dixi: Erit nomen meum ibi. 28. Reliqua autem sermonum Iosiæ, & vniuersa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iudæ? 29. In diebus eius ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten: & abiit Iosias rex in occursum eius: & occisus est in Mageddo, cùm vidisset eum. 30. Et portauerunt eum serui sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Ierusalem, & sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulitque populus terræ Ioachaz filium Iosiæ: & vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo. 31. Viginti trium annorum erat Ioachaz cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 32. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius. 33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Ierusalem: & imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri. 34. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiæ pro Iosia patre eius: vertitque nomen eius Ioakim. porrò Ioachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus est ibi. 35. Argentum autem & aurum dedit Ioakim Pharaoni, cùm indixisset terræ per singulos, vt conferretur iuxta præceptum Pharaonis: & vnumquemque iuxtà vires suas exegit, tam argentum quàm aurum de populo terræ, vt daret Pharaoni Nechao. 36. Viginti quinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpisset: & vndecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Zebida filia Phadaia de Ruma. 37. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius.

VERS. 3. STETITQVE REX SVPER GRADVS] super A quos erectum erat sedile regium quasi solium; vnde 2.Paralip 34.31. vocatur *tribunal*, in quo & Ioas ante Iosiam simile fœdus inter Deum & populum pepigit 4.Reg.11.v.14. æquè ac Salomon 2.Paral.6.12. Et hoc videtur esse *Musach sabbathi*, vt dixi cap 16. 18. Porrò Iosias adiurauit populum, vt fœdus hoc exactè seruaret, vt dicitur 2.Paral.34.32. Simili modo primum populi cum Deo fœdus sanciuit Moyses Exodi 24. cum variis cæremoniis quæ illud populo magis inculcarent.

ET SVSCITARENT VERBA FOEDERIS] *suscitare* est à morte ad vitam excitare; verba autem legis & fœderis diuini iam per idola Manassis à multis erant oblitioni tradita, & quasi mortua; quare Iosias ea populo prælegens & inculcans, videtur ea quasi à morte ad vitam, vel certè è somno quasi dormientia ad vigiliam suscitasse. B

VERS. 4. ET PRÆCEPIT REX HELCIÆ PONTIFICI ET SACERDOTIBVS SECVNDI ORDINIS] id est minoribus, qui maximo sacerdoti, puta Helciæ Pontifici suberant. ita Abul. Vatabl. Sanchez & alij. Licet alij per secundum ordinem intelligant secundam classem. Erant enim sacerdotes à Dauide iuxta familias in varias classes distributi.

ET TVLIT PVLVEREM EORVM (idolorum & vasorum eis dicatorum, ideoque à se combustorum) IN BETHEL] vt scilicet nec puluis tam impius remaneret in terra Iuda, quæ erat sancta: *Bethel* enim erat locus profanatus ab idololatria Ieroboam, qui fuit primus rex Israel. ita Caiet.

DESTRVXIT QVOQVE ÆDICVLAS EFFEMINATORVM] scilicet scortorum masculorum Veneri & Priapo dicatorum, vti easdem destruxit Aza lib.3.c.15.v.12.& 13. VERS.

PRO QVIBVS MVLIERES TEXEBANT (è liciis, filis vel ramis) QVASI DOMVNCVLAS LVCI] vt iis quasi cortinis & peristromatis suam obscœnitatem velarent & tegerent effeminati, in luco quem erexerant in templo, ad infandas libidines.

ET CONTAMINAVIT EXCELSA] scilicet templa & fana profana in locis excelsis erecta, profanando, destruendo, sordibus & ossibus mortuorum, vt dicitur v.14. implendo: vnde explicans subdit: VERS.

ET DESTRVXIT ARAS] Quæ & qualia fuerint *excelsa*, dixi lib.3.c.3.v.2.

VERVM-

VERS. 9. VERVMTAMEN NON ASCENDEBANT SACERDOTES EXCELSORVM AD ALTARE DOMINI IN IERVSALEM, SED TANTVM COMEDEBANT AZYMA IN MEDIO FRATRVM SVORVM] q.d. Iosias non permisit sacerdotes illos, qui impiè vel illicitè in excelsis sacrificarant, ire in Ierusalem ac ministrare in templo, vtpote impuris idolorum vel superstitionum victimis pollutos: sed tamen permisit eos ali azymis, aliisque cibis quibus cæteri sacerdotes & Leuitæ sibi à populo oblatis vescebantur. ita Abul. & alij.

VERS. 10. CONTAMINAVIT QVOQVE TOPHETH] Locus erat in *Gehennom*, id est in valle filiorum Ennom, iuxta Ierusalem, in quo parentes filios suos cremabant idolo Moloch, ac ne eorum vagitus audirentur, pulsabant תף *toph*, id est *tympanum*, vnde locus dictus est *Topheth*. vide dicta Isaiæ 30.33. & Ieremiæ 7.v.31. Hunc ergo locum cum idolo Moloch, cui sacer erat, Iosias *contaminauit*, id est profanauit, destruxit & ossibus impleuit simoque. B

VERS. 11. ABSTVLIT QVOQVE EQVOS, QVOS DEDERANT REGES IVDA SOLI] Qui & quales erant hi Solis equi? Resp. Persæ aliæque gentes Solem ob eximium fulgorem, pulchritudinem & vilitatem colebant vt Deum, eumque vocabant *Mithram & Apollinem*, eique dicabant *equos*, partim pictos & sculptos, partim veros & viuos; eò quòd equus animalium velocissimus, repræsentet *Solis* motum velocissimum. Testis est Xenophon lib.8. Cyropædiæ, Herodot. lib.1. in fine, Iustin. lib.1. & alij. Vnde Ouidius 1. Fastor. *Sol dei*

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Hinc Poëtæ fabulantur Solem quadriga vehi, quam trahant quatuor equi celerrimi, nimirùm, vt ait Ouidius 2. Metamorph.

Pirois, Eous & Aethon.
Solis equi, quartusq; Phlegon.

Per quos Abul. significari putat quatuor anni & diei partes.

Solis simulachrum & idolum ita pingit Macrobius lib.1. Saturn. cap.30. *Nunc verò*, inquit, *eumdem Iouem Solem q; esse, tum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum specie imberbi instat, dextra elevata cum flagro in auriga modum, laua tenet fulmen & spicas. Quæ cuncta Iouis Solisq; potentiam consociatam demonstrant. Huius templi religio etiam diuinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atq; Sol est. Vehitur enim simulachrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium deorum simulachra, & subeunt plerumq; prouinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri, feruntur q; diuino spiritu, non suo arbitrio, sed quò Deus propellit vehentes.* Subdit Macrobius; hinc Deum à Syris vocari *Adad*, id est *vnum*, quia vnus est Sol, æquè ac Deus in mundo. Idem lib.1. in Som. Scipion. *Cicero*, inquit, *asserit, quòd Sol sit dux & princeps & moderator luminum reliquorum, quem Heraclitus fontem cælestis lucis appellat. Dux ergo est, quia omnes luminis maiestate præcedit. Princeps, quia ita eminet, vt propterea quòd talis solus appareat, sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia ipse cursus eorum recursusq; certa definitione spatij moderatur.* Et mox: *mens mundi* C

appellatur, vt Physici eum cor cæli vocauerint, eò quòd Sol diem & noctem, deinq; veris clementem temperiem, torridum cancri ac leonis æstum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter vtramque temperiem, omnia hæc Solis cursus & ratio dispensat. Iure ergo cor cæli dicitur, per quem fiunt omnia quæ diuina ratione fieri videmus. Quæres secundò, quo ritu colebant Solem per equos? Primò, Histor. Scholast. censet Iudæos hisce equis & curru repræsentasse currum & equos igneos, quibus Elias quasi ἥλιος, id est Sol, raptus est in cælum, vt audiuimus cap.2. Sic & Eucher. & Angelom. qui & addunt: *Audientes Græci ab Israelitis quòd Elias curru igneo, & equis sit igneis ad cælestia translatus, vel certè hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt, vicinia decepti nomine, Solis hîc transitum per cælos esse designatum; & miraculum diuinitùs factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, humana stultitia commentatum. Quos imitati ipsi Iudæi fategerunt, ne in aliquo gentilium stultissimis minùs stulti apparerent.* Secundò, melius Rabbi Salomon: Summo manè, inquit, orienti Soli obuiàm ducebant equos vt eum salutarent, eique reuerentiam exhiberent. Carpit hoc Abul. sed immeritò: nam equos Cyri ante Solis ortum et ad pompam sacrificij obuiàm prodiisse testatur Xenophon, cuius verba mox recitabo. Sic & Romani Solem orientem salutabant, quos redarguit S. Leo serm. de Epiph. & idipsum facere solitum Socratem testatur Plato & Plutarch. qui inde natum prouerbium asserit: *Plures adorant Solem orientem quàm occidentem.* vnde nonnulli putant equos hos Solis fuisse illos, quibus vehebantur ij, qui Solem orientem salutabant & colebant. *Ritus colendi Solem.* *Primò.* *Secundò.*

Tertiò, Abul. vult equos hos pictos vel sculptos cum curru ante Solis statuam suspensos fuisse, vel eam curru impositam ab equis tractam fuisse. *Tertiò.*

Quartò, ipsos equos vivos Soli mactabat & sacrificabat. Causam dat Herodotus lib.1. quòd Deorum perniciosissimo vellent mortalium etiam omnium pernicissimum immolare. Audi Xenophontem lib.8. vbi Cyri è Babylone capta triumphantem eg essum describit: *Cùm palatij portæ apertæ fuissent, primò agebantur ipsi Iouis tauri pulcherrimi quaterni, & alius quibusdam Diis, quos Magi delegissent. Post boves verò equi, vt Soli sacrificium existerent. Post hos autem, currus educebatur candidus, iugum habens aureum, coronatus, Iouis sacer. Post hunc educebatur Solis currus, candidus & coronatus similiter vti superior. Post hunc etiam alius tertius currus educebatur, cuius equi strati erant puniceis amictibus, & post eum viri sequebantur, qui in magno quodam foco, ignem portarent.* Hinc *Cyrus* Persicè idem est quod Sol, ait Plutarch. in Artaxerxe Mnemone. Sic Philostratus in Heroicis scribit, Palamedem Græcis iussisse, vt orienti Soli equum candidum mactarent. *Quartò.*

Hanc ergo Solis quasi Dei cultum à gentibus vicinis hausêre Iudæi. Porrò equos hos vivos fuisse liquet ex eo, quòd Iosias dicitur eos abstulisse non combussisse, currum verò Solis combussisse, non abstulisse: si enim equi ex ligno, ære vel auro picti sculptique fuissent, vtique eos cum curru combussisset. Porrò hi Solis equi erant *iuxta exedram Nathamelech Eunuchi. Natan melech.* Hebr. idem est quod *do-*

num regis. Sic ergo vocabatur hic Eunuchus, vt significaretur quanti ab illis fieret esse Solis cultorem & aurigam. Cùm enim ipse esset horum equorum stabularius dumtaxat & stabuli præfectus, vocabatur tamen augusto nomine *Nathan Melech*, id est *donum regis*. Sept. vertunt: *iuxta gazophylacium Nathan Eunuchi regis.* Alij vertunt: *de exedra Natan melech Eunuchi*, sicque explicant q.d. de exedra siue curru Solis, qui dicitur *Nathan melech*, id est donans rex; Sol enim est rex qui omnia donat; idem est *Eunuchus*, quia imberbis, vtpote iuuenis semper fortis & agilis. Hinc & custodem huius simulachri Solis voluerũt esse *Eunuchum*, id est imberbem, quia talis est Sol. ita Vilalpandus lib. 3. c. 32. in c. 40. Ezech. p. 221. Porrò *exedra* erat locus, vt. cubiculum in quo sunt sedes, vt fiat hominũ consessus: qualia multa erant iuxta templum pro sacerdotibus, Leuitis & aliis.

Tropol. docet nos Iosias, quòd idola & equos Solis, id est effrænes impetus animi domare & destruere debeamus.

Alleg. & Anagog. Iosias repræsentat Christum, qui in die iudicij omnem impietatem destruet; nil enim coinquinatum sinet ingredi in cœlum, ita Angelom.

VERS. 13. AD DEXTERAM PARTEM MONTIS OFFENSIONIS] id est montis Oliueti, qui ab idolis & fanis in eo à Salomone erectis, dictus est *offensionis*. Idola enim & idolorum cultus sunt summa Dei iniuria & offensio. Vnde mox additur:

ET CHAMOS OFFENSIONI (id est idolo Deum offendenti) MOAB] Hinc idolum in Script. vocatur *offensio*. ita Eucher. & Angelom.

VERS 14. REPLEVITQVE LOCA OSSIBVS MORTVORVM] Hisce enim locus idolis sacer profanabatur, contaminabatur, fiebatque vilis, immundus & horridus, præsertim apud Iudæos, qui ex ossium & cadauerum contactu immunditiam legalem contrahebant. Sic & Gentiles ossa & cadauera insepulta horrebant. Audi Virgil. 6. Æneid.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici.
Heu nescis, totamq; incestat funere classem.

VERS. 15. INSVPER ET ALTARE QVOD ERAT IN BETHEL, ET EXCELSVM QVOD FECERAT IEROBOAM (scilicet fanum in quo collocarat idola sua, puta vitulos aureos, vt à toto Israele colerentur) DESTRVXIT] Licet enim Bethel esset in Israel, non in Iuda vbi regnabat Iosias, tamen Israelitis iam à Salmanasar ex Israele in Assyriam abductis, regeque & regno eorum euerso videbatur terra Israel ad pristinum dominum, puta ad Dauidis familiam & Iosiam regem Iuda redire; præsertim quia Deus id Iosiam in Bethel facturum ante trecentos annos prædixerat & promiserat lib. 3. cap. 13. 2. atque hoc ipso ius & potestatem id faciendi Iosiæ dederat, imò ordinauerat & iusserat, vt id faceret.

VERS. 17. QVIS EST TITVLVS ILLE QVEM VIDEO?] *Titulus* erat sepulchrum propheræ contra Ieroboam & vitulos aureos in Bethel collocatos vaticinantis, & eorum hoc excidium per Iosiam futurum prædicentis. Vocatur *titulus*, quia erat aliquo signo insignitũ, vt Iosias sciret ibi sepultum esse prophetam veri Dei cultorem, ideoque illi parceret. Quale hoc signum fuerit, Scriptura non explicat. Fabulatur R. Salomon ex ossibus prophetæ succreuisse herbas visu elegantes, odore fragrantes, vsu salubres, ex quibus Iosias collegerit, illa ossa esse viri sancti & prophetæ. Melius alij suspicantur fuisse signum crucis, aut nomen Iehoua, aut quid simile.

ET OCCIDIT SACERDOTES EXCELSORVM QVI ERANT IBI SVPER ALTARIA] Abeuntibus enim Assyriis, Samariam vastantibus, multi Israelitæ profugi & exules ad suas sedes redierunt, ibique vt antè, sua idola in excelsis coluerunt; ideoque sacerdotes ad iis sacrificandum constituerunt, quos proinde Iosias zelator honoris diuini occidit, & quasi victimas in illis ipsis altaribus iustitiæ diuinæ mactauit & consecrauit.

ET COMBVSSIT OSSA HVMANA SVPER EA] Ossa tum sacerdotum à se occisorum, tum priorum quæ è sepulchris extraxit, & in altari combussit, sicque altare contaminauit & polluit. Hoc enim prædictum erat à propheta illo qui à leone occisus est lib. 3. c. 13. v. 10. *Exclamauit*, inquit, *vir Dei contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, Altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Hinc patet mortuos ob scelera posse plecti cadauerum exustione, publica infamia & ignominia. Vnde cùm in quinta Synodo vniuersali quæsitum esset, an liceret olim defunctos anathemate ferire? Eutychius Episcopi Amaseni à responsis, neque concilio neque deliberatione vlla eam rem egere dixit propterea quòd & Iosias rex non tantùm viuentes dæmonum sacerdotes olim iugulatit, sed & eorum qui longo antè tempore sepulti fuerant, sepulchra effoderit. ita Niceph. lib. 17 hist. 27.

FACITE PHASE] id est immolate agnum paschalem, ceteraque victimas paschales, quæ per septem dies azymorum in lege offerri iubentur Num. 28. v. 16. & seq.

Alleg. Iosias instituens *Phase* solennissimum, typus fuit Iesu Christi qui instituit Eucharistiam, imò seipsum fecit *Phase*, id est agnum paschalem; iuxta illud Pauli 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.*

SIMILIS ILLI NON FVIT ANTE EVM REX] nimirùm quoad omnimodam idolatriæ tam in Israele quàm in Iuda excisionẽ, ac religionis reformationem; qua in re Iosias omnes antecessores suos, etiam Ezechiam superauit; nam alioqui absolutè Iosia melior & sanctior videtur fuisse Dauid, ait Abul.

IN DIEBVS EIVS ASCENDIT PHARAO NECHAO (id est claudus) REX ÆGYPTI CONTRA REGEM ASSYRIORVM] vt vlcisceretur iniurias Ægypto à Sennacherib illatas, & spolia ab eo ablata repeteret, præsertim quia videbat à clade castris Sennacherib ab Angelo in Iudæa illata, res Assyriorum in peius ire, eisque rebellasse Medos & Babylonios. Perrexit ergo Pharao cum castris ad Euphratem & Niniuen, spe illius potiundæ, sed quia transeundum

eundum erat per Iudæam, occurrit illi Iosias, A meruens ne Iudæam inuaderet & spoliaret; ac licet Pharao asserèret, se nil contra Iosiam & Iudæam moliri; tamen Iosias ei non credẽs, instruxit contra eum aciem, in qua dum audaciùs & incautiùs præliatur, à sagittariis confixus occubuit. Porrò Abul. omninò à culpa excusat Iosiam, quòd vereretur Pharaonem, si ingrederetur Iudæam, aliquid contra eam machinaturum, imò eam occupaturum vt expelli non posset. Script. tamen 2. Paral. 35. 22. innuit eum aliqua temeritate peccasse: licet enim non teneretur Pharaoni dicenti verum, scilicet se à Deo alibi mitti, credere; tamen priùs debebat Deum cõsulere; antequàm bellum tam anceps & periculosum aggrederetur. ita Caiet. ideoque permisit Deus eum succumbere & occidi.

ET OCCISVS EST IN MAGEDDO] Licet B enim *Mageddo* esset in sorte Manasse & Israel, non Iuda cui præerat Iosias, tamen Iosias illam quoque terram habuit sibi subiectam, ob causam quam dedi v. 15. Cui aliam adiungit Abul. scilicet quòd Israelitæ reliqui à captiuitate Salmanasar iunxerint se regno Iudæ, ac Iosiam pro rege suo acceperint, vt iuncti Iudæis fortiores essent, ac facilius Syris, Ægyptiis, aliisque hostibus circumcircumcirca resisterent.

CVM VIDISSET EVM] scilicet in prælio, hoc est cùm eum præliando cepisset. Sic videre per Catechesin sumitur pro præliari cap. 14. 8. *Veni & videamus nos*, id est veni & pugnemus.

Porrò mirabile fuit iudicium Dei, quòd per- C misserit regem tam pium in iusta piaque Israelis defensione occidi: nam occiso Iosia interiit tota Israelis spes, ac regnum Dauidis & Iudæ excisum est. Nimirùm *iudicia Dei abyssus multa.* Voluit Deus tollere Iosiam, ne videret mala gentis suæ, scilicet excidium regni & templi ob peccata Iudæorum iam à Deo decretũ. Causam aliam affert S. Iustin. quæst. 79. ad Orthod. nimirum quòd, Iosias *iusso Prophetæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, vt ne progrederetur ad obuiandum regi Aegypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter vt eum purum à peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideò permisit illum inobedientiæ eius, ferro Aegyptio pœnas exsoluere: ad posterorum hominum documentum, vt prophetis immorigeri non essent, tum autem vt illud discerent: Si iustus vix saluatur, impius & peccator vbi comparebit?* Hucusque Iustinus.

Verùm hæc prophetia Ieremiæ nusquam extat, quod sciam. Alleg. Iosias in flore ætatis pro suis pugnans, fuit typus Iesu Christi pro hominum salute à Iudæis occisi anno ætatis suæ 34. Plura de pietate & zelo Iosiæ audiemus 2. Paral. 34. & seq. Elogium Iosiæ habet Eccles. c. 49. v. 1. & seq. Simili modò permisit Deus S. Ludouicum cõnantem terram sanctam Saracenis eripere, ab eis capi; ac secundò redeuntem peste mori; vt discamus regna terræ parui pendere, ac ambire regnum cæleste, gloriosum & æternum, vti aiebat S. Ludouicus, in omni sua infelicitate Deum laudans, eique gratias agens; vnde moriens in cœlum suspiciens canebat illud Psal. 5. *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* ita habet eius vita apud Surium die 25. Augusti.

TVLITQVE POPVLVS TERRÆ IOACHAZ FILIVM IOSIÆ: ET VNXERVNT EVM] *Ioachaz* licet ætate iunior, erat enim 23. annorum, & tribus tantùm mensibus regnauit cùm mox successit ei frater senior Ioakim, qui 25. erat annorum, prælatus tamen in regno est seniori Ioakim, siue quòd animosior & bellicosior foret; vnde Pharao timens eum deposuit & substituit Ioakim: siue quòd Ioakim timens Pharaonem, regnum detrectarit. Pharao enim victo, cæsoque Iosia, arrogabat sibi ius constituendi reges in Iudæa; vt patet ex sequent. VERS. 30.

VINXITQVE EVM PHARAO] Pharao cæso Iosia perrexit contra Assyrios, acre bene gesta victor rediens Iudæam reliquam subiugauit, ideoque amoto Ioachaz quem populus constituerat regem, constituit Ioakim, ac multam centum talentorum argenti Iudææ quasi à se subactæ imposuit; belli enim hoc cruentum fuit, vtpote in quo Ioachaz & Iudæi multos Ægyptios vulnerarint & occiderint vt indicat Ezechiel c. 19. v. 4. vide ibi dicta, æquè ac Ierem. c. 22. v. 10. & seq. ac timebat Pharao Ioachaz, ne rursùm rebellaret. VERS. 33.

VERTITQVE NOMEN EIVS IOACHIM] Moris erat regibus & principibus bello subactis nomen mutare, nouumque indere in signũ subiectionis, vt patet Daniel. 1. Adde *Ioakim* idem esse quod *Eliakim*, vtrumque enim Hebr. significat *Deus firmabit*: Dei enim nomen tam est, *El*, id est fortis, quàm *ia*, quod est abbreuiatum *Iehoua*. VERS. 34.

ET FECIT MALVM CORAM DOMINO] id est coluit idola, insuper auarè expilauit subditos, fuitque superbus & ambitiosus, ideoque occisus à Chaldæis, *sepultura asini sepultus est*, hoc est insepultus in sterquilinium proiectus est instar asini, vti docet Ierem. cap. 22. 13. & seq. vide ibi dicta. VERS. 37.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regnat Ioakim, & post eum filius Ioachin vers. 6 quem Nabuchodonosor abduxit in Babylonem, eiq; substituit Sedeciam patruum vers. 17.

1. IN diebus eius ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & factus est ei Ioakim seruus tribus annis: & rursum rebellauit contra eum. 2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Iudam, vt disperderent eum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per seruos suos prophetas. 3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Iudam, vt auferret eum coram se, propter peccata Manasse vniuersa quæ fecit, 4. & propter sanguinem innoxium, quem effudit, & impleuit Ierusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari. 5. Reliqua autem sermonum Ioakim, & vniuersa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda? Et dormiuit Ioakim cum patribus suis: 6. & regnauit Ioachin filius eius pro eo. 7. Et vltrà non addidit rex Ægypti, vt egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, à riuo Ægypti vsque ad fluuium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti. 8. Decem & octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Nohesta filia Elnathan de Ierusalem. 9. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius. 10. In tempore illo ascenderunt serui Nabuchodonosor regis Babylonis in Ierusalem, & circumdata est vrbs munitionibus. 11. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad ciuitatem cum seruis suis, vt oppugnarent eam. 12. Egressusque est Ioachin rex Iuda ad regem Babylonis, ipse & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius: & suscepit eum rex Babylonis anno octauo regni sui. 13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ: & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini iuxta verbum Domini. 14. Et transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captiuitatem; & omnem artificem & clusorem; nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. 15. Transtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis, & vxores regis, & eunuchos eius: & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem. 16. Et omnes viros robustos, septem millia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitque eos rex Babylonis captiuos in Babylonem. 17. Et constituit Matthaniam patruum eius pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam. 18. Vigesimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius erat Amital, filia Ieremiæ, de Lobna. 19. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim. 20. Irascebatur enim Dominus contra Ierusalem & contra Iudam, donec proiiceret eos à facie sua: recessitque Sedecias à rege Babylonis.

VERS. 1. IN DIEBVS EIVS ASCENDIT NABVCHODONOSOR REX BABYLONIS, ET FACTVS EST EI IOAKIM SERVVS (subiectus & tributarius) TRIBVS ANNIS, ET RVRSVM REBELLAVIT] anno quarto regni sui. Fusiùs hæc narrat Ioseph. lib. 10. c. 7. & seq. vbi recenset quomodo Ægyptij cum Babyloniis, deuictis Assyriis, de imperio decertarint. Primò enim Ægyptij, occiso Iosia, subiugarunt Syriam, deinde reuertentes in Iudæam, amoto Ioachaz, regem constituerunt Ioakim, qui spe Ægyptij auxilij tributum, quod Babyloniis tribus annis dederat, quarto anno dare recusauit. Quare contra eum venit Nabuchodonosor eodem anno, eumque in Babylonem abduxit, vbi eumdem promittentem tributum in Ierusalem remisit. Stetit Ioakim in fide septem annis: sed octauo anno, qui fuit regni sui vndecimus, rursùm rebellauit. Quare à militibus Nabuchodonosoris intercepta Ierusalem, in ea captus & occisus est, suffecto ei filio Ioachin. Verùm cùm Nabuchodonosor metueret ne Ioachin filius patrem Ioakim in rebellione imitaretur, eiusque necem vlciscereturᵃ, eum cepit, duxitque in Babylonē, eique in regnum substituit Sedeciam patruum, qui

qui etiam nutauit in fide & subiectione Nabuchodonosori promissa, fretus inani spe auxilij Ægyptiaci: qua de causa sæpiùs à Ieremia admonitus & increpitus fuit, tandemque rebellans à Nabuchodonosore in Ierusalem obsessus fuit, cumque Ægyptij ei vellent succurre, à Nabuchodonosore prohibiti & fugati sunt. Cepit Nabuchodonosor ergo Ierusalem, & in ipsa Sedeciam, eumque excæcauit & filios eius occidit, ac quinto pòst anno Ægyptum inuasit & subegit, & Pharaonem eius regem trucidauit. Vide etiam Ieremiam c. 22. v. 13. & seq. & Auctorem de mirabil. S. Script. apud S. August. tomo 3. lib. 2. c. 9.

Porrò hic quartus annus Ioakim, fuit primus regni Nabuchodonosoris, quo ipse Ioakim cum Daniele & aliis nobilibus abduxit in Babylonem. Post octo deinde annos, pura anno regni Ioakim vndecimo & vltimo, eo occiso abduxit eius filium Ioachin cum omnibus principibus, militibus & ciuibus Ierosolymæ, vt dicitur c. 24. 14. vnde ab hoc anno vndecimo Ioakim, qui fuit octauus Nabuchodonosoris, numerandi sunt anni 70. captiuitatis Babylonicæ: nam Nabuchodonosor post abductum Ioachin regnauit annis 36. deinde eius filius Euelmerodach, siue Balsasar, annis 34. qui simul iuncti faciunt 70. Balsasari successit Cyrus rex Persidis, qui expletis iam 70. captiuitatis annis, Babylonem capiens & Balsasarem occidens, Iudæos è Babylone liberauit. Vide dicta Ierem. 29. v. 10.

VERS. 2. IMMISITQVE EI DOMINVS LATRVNCVLOS CHALDÆORVM] *Latrunculi* vocantur milites qui grassantur, & prædatum excurrunt quasi latrunculi. Hos misit Nabuchodonosor, vt cum Syris, Moabitis & Ammonitis iuncti in eriperent Ierusalem, ac Ioakim rebellantem caperent & occiderent, quod & fecerunt, vti iam dixi.

ET REGNAVIT IOACHIN FILIVS EIVS PRO EO] Nota, differunt Ioakim pater, & Ioachin filius, siue Ieconias & Iechonias Matth. 1. Pater enim Ioakim scribitur Hebr. per litteram *Caph* & *Mem*, filius verò Ioachin scribitur per *Caph* & *Nun*. *Ioakim* Hebr. idem est quod, *Deus firmabit*, *Ioachin* verò, quod *Deus præparabit* vel *diriget*. Ioachin siue Iechonias à Ieremia c. 22. 24. in Hebræo decurtatur, vocatur *Conias*, id est, *præparatus*, scilicet ad interitum.

VERS. 8. DECEM ET OCTO ANNORVM ERAT IOACHIN, CVM REGNARE COEPISSET] Dices, 2. Paral. vlt. v. 9. dicitur anno octauo regnasse. Resp. anno 18. solus post patrem regnauit, anno verò octauo cœpit cum patre Ioakim regnare. Videtur enim Ioachin anno tertio vel quarto Ioakim patris sui declaratus Rex, cùm scilicet Nabuchodonosor patrem cepit, & abduxit in Babylonem. ita Abul.

ET TRIBVS MENSIBVS REGNAVIT] Quomodo ergo 2. Paral. vlt. v. 10. dicitur post annum abductus à Nabuchodonosor? Resp. Caiet. fluxisse aliquot menses interregni inter Ioakim & Ioachin antequàm Ioachin assumeret regnum. Aliam responsionem affert 2. Paral. vlt. 10.

VERS. 12. EGRESSVSQVE EST IOACHIN] suadente Ieremia, vt se traderet Nabuchodonosori, vt patet Ierem. 38. 2. & seq. ideoque ductus est quidem in Babylonem, sed post Nabuchodonosoris mortem ab eius filio Euelmerodach è carcere liberatus fuit, & summo honore affectus anno post hunc trigesimò septimo, vt habetur cap. sequenti v. 27.

VERS. 14. ET TRANSTVLIT OMNEM IERVSALEM] id est omnes ciues & incolas Ierusalem. Fuit hæc secunda captiuitas. Prima enim facta est antè octo annos, anno quarto Ioakim, cùm ipse rebellans abductus est cum primoribus in Babylonem, vti dixi v. 1. Secunda fuit hæc, quâ Ioachin cum suis principibus & militibus ac cum Ezechiele propheta abductus fuit. Tertia & extrema facta est post vndecim annos, scilicet vltimo anno Sedeciæ, quo Ierusalem cum templo à Nabuchodonosor capta & euersa est, vt dicetur c. sequenti.

ET OMNEM ARTIFICEM ET CLVSOREM] id est, *inclusorem*, vt vertit Noster Ierem. 24. 1. per quem S. Hieron. ibidem accipit eum qui gemmas pretiosis metallis includit, & palis annulorum aureorum illigat. Melius alij intelligunt eos, qui castra metandi sunt periti, norunt que ea vallis quasi claustris suis includere, æquè ac vrbes vallare & munire. ita Vatab. Sanchez & alij. Vnde Chald. vertit: *ianitores*, id est vrbium custodes & clausores portarum. Agitur enim hic de militibus & fortibus, quos Chaldæi abstulerunt Iudæis, ne iterum rebellarent, æquè ac fecêre Philisthæi 1. Reg. 13. 19. ita Angelom. Sic per *artificem* intellige *fabrum*, vti vertit Noster Ierem. 24. 1. eum scilicet qui enses aliaque arma fabricat. Eadem arte vtitur diabolus, dum viros zelosos à Republ. amouere satagit, vt eam præsidio destitutam pessumdet.

VERS. 17. ET CONSTITVIT MATTHANIAM PATRVVM EIVS (scilicet Ioachin, ideoque fratrem Ioakim) IMPOSVITQVE EI NOMEN SEDECIAM] vt scilicet ipse nomine suo semper admoneretur, fidem & subiectionem quam promiserat Nabuchodonosori seruare. *Sedecias* enim Hebr. idem est quod, *iustitia mea Deus*. ita Caiet. Iosias pius rex filiis suis pia nomina imposuit, quæ eos admonerent pietatis in Deum. Vnde vnum appellauit *Ioachas*, id est *Dei apprehensio* vel *possessio*, vt quoties audiret se nominari, cogitaret se à Deo apprehendi & possideri: alterum vocauit *Heliakim*, id est *Dei firmitas*, vt cogitaret se non nisi à Deo firmari: tertium vocauit *Matthaniam*, id est *donum Dei*, vel iuxta Syrum *exspectatio Dei*, vt in omnibus aduersis ad Dominum quasi ad asylum confugeret; sed omnes obliti Dei æquè ac nominis sui, ad idola confugerunt, ideoque Deo vindicante perierunt.

CA-

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor capit Ierusalem: Sedeciam excæcatum cum populo in Babylonem abducit: templum succendit.

1. FActum est autem anno nono regni eius, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus eius, in Ierusalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu eius munitiones. 2. Et clausa est ciuitas atque vallata, vsque ad vndecimum annum regis Sedeciæ, 3. nona die mensis: præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ. 4. Et interrupta est ciuitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porrò Chaldæi obsidebant in circuitu ciuitatem) fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis. 5. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Iericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum. 6. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo iudicium. 7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. 8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis, in Ierusalem. 9. Et succendit domum Domini, & domum regis: & domos Ierusalem, omnemque domum combussit igni. 10. Et muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. 11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in ciuitate, & perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ. 12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas. 13. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem. 14. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt. 15. Necnon & thuribula, & phialas, quæ aurea, aurea; & quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ: 16. id est, columnas duas, mare vnum, & bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum. 17. Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna: & capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columna secunda habebat ornatum. 18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres ianitores. 19. Et de ciuitate eunuchum vnum, qui erat præfectus super bellatores viros: & quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in ciuitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & sexaginta viros è vulgo, qui inuenti fuerant in ciuitate. 20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. 21. Percussitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Iuda de terra sua. 22. Populo autem qui relictus erat in terra Iuda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filij Saphan. 23. Quod cùm audissent omnes duces militum, ipsi & viri qui erant cum eis, videlicet quòd constituisset rex Babylonis Godoliam: venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, & Iohanan filius Caree, & Saraia filius Thanehumeth Netophatites, & Iezonias filius Maachathi, ipsi & socij eorum. 24. Iurauitque Godolias ipsis & sociis eorum, dicens: Nolite timere seruire Chaldæis: manete in terra, & seruite regi Babylonis, & benè erit vobis. 25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Iudæos & Chaldæos, qui

qui erant cum eo in Maspha. 26. Consurgensque omnis populus à paruo vsque ad magnum, & principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos. 27. Factum est verò in anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin regis Iuda, mense duodecimo, vigesimaseptima die mensis: subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere. 28. Et locutus est ei benignè: & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 29. Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ. 30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

HOc caput idem prorsùs est cùm cap. vltimo Ieremiæ, vbi illud explicui: Ieremias enim toti huic cladi interfuit, & eam impedire conatus fuit, vt patet ex eius prophetiis, sed frustrà. Vide Abul. hîc q. vlt. seriem singularum Ieremiæ prophetiarum cum serie gestorum Regum horum combinantem. Vide & chronotaxim, quam Ieremiæ præfixi.

VERS. 4. INTERRVPTA EST CIVITAS] crebris scilicet ictibus arietũ hostilium, vnde ex ea fugerunt ciues per occultam viam & exitum. ita Abul. & Vatab. licet Caiet. velit murum ruptum fuisse ab ipsis ciuibus, vt per rupturam effugerent.

VERS. 6. LOCVTVS EST CVM EO IVDICIVM] id est iudicio cum eo disceptauit, iusteque eum condemnauit dicendo: Tu fidem mihi datam fregisti & rebellasti, iustè ergo mereris à me excæcari. Alia addit R. Salomon, sed more suo fabulatur.

VERS. 8. SEPTIMA DIE MENSIS] Ierem. cap. vlt. habet *decima die*: vtrumque sic concilia, quòd die septima venerit Ierusalem, sed decima combusserit templum, ita Caiet. Aut potiùs die septima discessit ex Reblata, vbi erat Nabuchodonosor, & die decima (tridui enim est iter) peruenit in Ierusalem.

VERS. 11. RELIQVVM VVLGVS TRANSTVLIT NABVZARDAN PRINCEPS MILITIÆ] Sept. vertunt *archimagirus*, id est *princeps coquorum*. Hebr. *princeps mactantium*. Chald. *magister hominidarum*; vnde per eum S. Gregor. mysticè accipit gulam, quæ templum animæ nostræ euertit. Audi eum 3. p. Pastor. Admonit. 20. *Princeps cocorum destruxit muros Ierusalem. Princeps namq; cocorum venter est: cui magna cura obsequium à cocis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ierusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Cocorum igitur princeps muros Ierusalem deiicit; quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Quocircà Abbas Pœmen in vitis Par. *Nisi*, inquit, *Nabuzardan princeps coquorum veniſſet, templum Dei non arſiſſet; hoc eſt, niſi deſiderium gaſtrimargiæ irrepſiſſet, anima libidine non conflagraſſet.* Angelom. verò per *Nabuzardan* intelligit diabolum, qui omnia fidelium bona diripere satagit.

VERS. 14. TRVLLAS] non cæmentarias, sed *trullas*, id est opercula ollarum. Dicta *trulla* ait Abul. à trudendo, quia trudit, id est claudit ollam, vt *trullis* sit quasi *trusilis*: *trullas* enim Noster iungit ollis. Nam in Hebr. Chald. & Sept. nulla vox trullis respondet.

Verùm prisci Auctores per *trullam* accipiunt vas fundens aquam. ita Nonius Marcellus: *Trulleum*, inquit, *quo manus perluuntur*. Titin. Setina: *Sapientia*, inquit, *gubernator torquet nauem, haud valentiâ: Cocus magnum ahenum quando feruit, paulla confutat trua*. Varro lib. 4. *Trulla* ait, *à similitudine trua, quæ quòd magna, & hæc pusilla vt trunula. Hinc Græcè τρυβλιον, nos trullam. Trua, quæ à culina in lauatrinam aquam fundunt. Trua, quòd trauolat ea aqua, ab eodem est appellatum*. Varro ergo trullam dictam putat à trauolando, Nonius Marcellus verò à terendo quasi terulam, Isidorus autem à trudendo. Audi eum lib. 19. Orig. c. 18. *Trulla nomen factum, eò quòd trudit & detrudit, id est includit calce vel luto lapides.*

Allegoria & Tropologia hîc est facilis & apposita. Ierusalem enim est Ecclesia, æquè ac anima fidelis per fidem cõtemplans Deum; idola sunt res creatæ & vanæ, quas contra Dei legem ambit, v. g. idolum auari est aurum, luxuriosi libido, superbi honor. Nabuchodonosor est diabolus, qui capta Ierusalem, id est anima, eius regem Sedeciam, id est mentem (*Sedecias* enim Hebr. idem est quod *iustitia Dei*, quam mens cogitare, timere & imitari debet) excæcat: inde eam gratiis bonisque omnibus dispoliat, templumque, id est omnem Dei timorem, cultumque exurit, ac deinde captiuam libertate sua priuat, vinctamque deducit in Babylonem, id est in extremam rerum omnium confusionem, qualis est in anima cupiditatibus suis subdita, præsertim dum in gehennam conijcitur. Verùm antequàm id fiat, multas ex hac captiuitate liberat Cyrus, id est Christus. ita Angelom. & Eucherius.

VERS. 27. FACTVM EST VERO IN ANNO TRIGESIMOSEPTIMO TRANSMIGRATIONIS IOACHIN] Fuit ergo Ioachin in carcere Babylonio quàm diu superstes fuit Nabuchodonosor per 37. annos: eo verò mortuo, Euilmerodach patri succedens Ioachin liberauit & exaltauit. Causam dedi Ieremiæ 52. sub finem capitis.

Synchroniſmus Regum Iuda, Prophetarum, Regum & Heroum Gentilium.

SAlomoni ſynchronos, ſiue coæuus fuit Nathan propheta, Hiram rex Tyri, Heſiodus. & Homerus Græcorum Salomon.

Roboamo coæuus fuit Ahias propheta, ac Ieroboam primus rex Iſrael & Laoſthenes rex Aſſyriorum.

Aſæ coæuus fuit Iehu propheta, ac Baaſa rex Iſrael, & Ophratæus rex Aſſyriorum.

Tempore Ioſaphat floruit Elias propheta, qui curru igneo raptus eſt in cælum.

Sub Ioram prophetauit Eliſeus per ſexaginta ſex annos, mortuuſque eſt ſub Amaſia rege.

Sub Ioas vixit Ioiada Pontifex, eiuſque filius Zacharias martyr. In Iſrael ſucceſſiuè regnarunt Iehu, qui domum Achab ſuccidit, Ioachaz & Ioas.

Amaſiæ regis frater fuit Amos, pater Iſaiæ prophetæ. Iſaias ergo auum habuit Ioas regem, patruum verò Amaſiam. Hoc tempore Lycurgus leges dedit Spartanis.

Tempore Azariæ ſiue Oziæ cœpit prophetare Iſaias, ac prophetauit per ſexaginta annos ſub Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia & Manaſſe regibus: prophetarunt tunc quoque Oſee, Ioël, Amos, Ionas & Abdias. Sub annum 40. Azariæ cœperunt computari Olympiades, ſiue anni Iphyti regis, qui eas inſtituit. Olympiades antecedunt Romæ conditionem annis 23. Quare ſub annum decimum Ioatham Roma condita eſt à Romulo, qui primus in ea regnauit annis 36. Huic ſucceſſit Numa Pompilius per annos 44. huic Tullus Hoſtilius per annos 32. huic Ancus Martius per annos 24. huic Tarquinius Priſcus per annos 38. huic Seruius Tullius per annos 44. huic Tarquinius ſuperbus per annos 25.

Sub Ioatham prophetarunt Nahum & Michæas. Sub idem tempus Sardanapalus obſeſſus in Niniue ab Arbace Mediæ præfecto, ſeipſum cum regia totaque gaza combuſſit. Quare Arbaces Mediæ ſe regem fecit, Baladan verò qui alio nomine dictus eſt Nabonaſſar Babyloniam occupauit, à quo conſtituta eſt Æra Nabonaſſaræa, quæ incipit ab anno 15. Ioatham.

Sub Achaz capta eſt Damaſcus ab Aſſyriis, ac Teglatphalaſar eorum rex dimidiam partem decem tribuum Iſrael in Aſſyriam abduxit.

Ezechiæ coæuus fuit Merodach filius Baladan, ſiue Nabonaſſaris primus rex Babylonis, & Salmanaſar rex Aſſyriorum, qui Iſraelem, id eſt decem tribuum reliquias, ac inter eas Tobiam in Aſſyriam abduxit. Item eius filius Sennacherib, qui obſidens Ieroſolymam ab Angelo fugatus eſt cæſis 185. millibus.

Tunc quoque floruit Sibylla Erythræa, teſte S. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 23. Manaſſes Iſaiam prophetam ſibi conſanguineum lignea ſerra diſſecuit. Tunc floruit apud Lydos Gyges, qui Candaule occiſo regnum obtinuit: eius pronepos fuit Crœſus, quem Cyrus prælio vicit & ſubiugauit. Tunc quoque in Ægypto regnauit Pſammetichus, cuius filius Nechao Ioſiam ſuperauit & occidit. Tunc quoq; claruit Thales Mileſius vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus, ac ſucceſſiuè ceteri ſex ſapientes. Sub Manaſſe quoque Romæ regnauit Numa Pompilius, floruit Sibylla Samia. Tunc pariter hiſtoriam Iudith contigiſſe multi opinantur.

Sub Ioſia cœpit prophetare Ieremias, ac tempore Ioakim, Ioachin & Sedeciæ prophetauit per 45. annos, tandemque in Ægypto à Iudæis lapidibus obrutus martyr occubuit. Sub eodem prophetauit Baruch, Sophonias & Holda prophetiſſa. Romæ regnarunt Tullus Hoſtilius & Ancus Martius. Floruêre Ariſtomenes, Phalaris tyrannus, Zeleucus legiſlator, Terpander Muſicus, Sappho & Steſichorus poëtæ. Anno quarto Ioakim cœpit regnare Nabuchodonoſor, qui Monarchiam ab Aſſyriis ad Chaldæos tranſtulit, ac Ieruſalem cum templo euertit & Iudæos in Babylonem abduxit, ac Ægyptum ſubiugauit, & Pharaonem Nechao qui Pharaonum fuit vltimus trucidauit, vt dixi Ierem. 44. 30.

Sub Ioachin & Sedecia prophetauit in Babylonia Ezechiel per annos 22. cui ſucceſſit Daniel, qui vſque ad centeſimum annum vixit & prophetauit. Vide dicta in proœmio Ieremiæ, Ezechielis & Danielis.

Hoc tempore in Media regnabat Cyaxares, cui ſucceſſit filius Aſtyages, & huic nepos ex filia Cyrus, qui Babylonem cum Dario Medo auunculo ſuo cepit, & Monarchiam à Chaldæis ad Perſas tranſtulit, ac Iudæos ex Babylone liberos in Iudæam remiſit.

Tunc quoque floruêre Draco Athenienſium legiſlator, æquè ac Solon, Epimenides philoſophus, qui teſte Laërtio Athenis aram erexit *Ignoto Deo*, de qua Paulus Actor. 17. Item Anaximenes, Xenophanes, Anacharſis philoſophus, Arion Muſicus, Æſopus Fabularũ Dictator, Sibylla Cumæa, quæ Tarquinio regi Roman. nouem libros oraculorum obtulit pretio 300. aureorum: cumque is illud abnuerer, Sibylla magnam eorum partem combuſſit ac pro paucis reliquis tantumdem exegit & obtinuit, vti narrat Plinius, Solinus, Gellius, Seruius & alij. Hæc Euſebius, Torniellus, Gordonus, Salianus, ceteriſque chronologi.

Audi S. Auguſtinum libr. 18. de Ciuitate cap. 25. *Regnante apud Hebræos Sedecia, & apud Romanos Tarquinio Priſco, qui ſucceſſerat Anco Martio, ductus eſt captiuus in Babyloniam populus Iudæorum, euerſa Ieruſalem, & templo illo à Salomone cõſtructo. Eo tempore Pittacus Mitylenæus vnus de ſeptem ſapientibus fuiſſe perhibetur; & quinque ceteros, qui vt ſeptem numerantur, Thaleti quem ſuprà commemorauimus, & huic Pittaco adiuntur, eo tempore fuiſſe ſcribit Euſebius, quo captiuus Dei populus in Babylonia tenebatur. Hi ſunt autem Solon Athenienſis, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndus, Bias Prienæus. Eo captiuitatis Iudaicæ tempore & Anaximander, & Anaximenes, & Xenophanes Phyſici claruerunt. Tum & Pythagoras, ex quo cœperunt appellari philoſophi.*

COM-

COMMENTARIVS IN LIBRVM PRIMVM PARALIPOMENON.

SAnctus Hieron. Epiſt. ad Paulinum quæ Bibliis præfigitur: *Paralipomenon liber*, inquit, *id eſt Inſtrumenti veteris παπμή, tantus ac talis eſt, vt abſque illo ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina, tunicturaſque verborum, & prætermiſſæ in Regum libris tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Euangelij quæſtiones.*

Ergo hic liber eſt Epitome ſiue compendium geſtorum Regum Iuda, non verò Regum Iſrael, vtpote ſchiſmaticorum & idololatrarum. Hebr. inſcribitur דברי הימים *dibre Haiamim*, id eſt *verba dierum*, quaſi dicas Diarium, ſiue Chronicon breuiter geſta Dauidis & poſterorum regum Iuda, quaſi per ſingulos dies, id eſt per ſingula tempora & ſæcula enarrans. A Sept. inſcribitur hic liber παραλειπομένων, id eſt *relictorum* ſiue *reſiduorum*, vt ait S. Hier. Epiſt. ad Domnionem, quòd ea quæ in libris Regum omiſſa ſunt, ſuppleat & hiſtoricè recenſeat. Multa tamen repetit, quæ in libris Regum audiuimus. Quare iis omiſſis, paucis quæ huic libro relicta & propria ſunt, explicabo. Nonnulla enim quæ ibi ſtrictim dicta ſunt, hîc fuſiùs pertractantur, quædam etiam ibi obſcuriùs ſcripta, hîc clariùs explicantur.

Author ſiue compendiator, vt cenſent Rabbini, Lyran. Sixtus Senenſis, Driedo & alij, fuit Eſdras, qui ex publicis Annalibus ſiue Diariis eum conſcripſit. Id ita eſſe colligunt ex eo, quòd vltima verba libri Paralipomenon eadem planè ſint cum primis libris Eſdræ. vide dicta in præfatione in libros Regum. Sic & quæ cap. 9. v. 2. & ſeq. dicuntur eadem ſunt cum iis quæ habet Eſdras lib. 2. cap. 11. ſimilia plura in ipſo libri decurſu notabo. Denique Catalogi genealogiarum & perſonarum, qui decem primis capitibus fusè hic texuntur, ſimiles ſunt Catalogis Eſdræ cap. 2. cap. 8. cap. 12. & ſeq.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenſetur genealogia Adæ vſque ad Abraham eiuſque poſteros præſertim Idumæos, quorum reges & duces enarrantur v. 35. & ſeq.

ADAM, Seth, Enos, 2. Cainan, Malaleel, Iared, 3. Henoch, Mathuſalé, Lamech, 4. Noë, Sem, Cham, & Iapheth. 5. Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, Thubal, Moſoch, Thiras. 6. Porrò filij Gomer: Aſcenez, & Riphath, & Thogorma. 7. Filij autem Iauan: Eliſa & Tharſis, Cethim & Dodanim. 8. Filij Cham: Chus, & Meſraim, & Phut, & Chanaan. 9. Filij autem Chus: Saba, & Heuila, Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Porrò filij Regma: Saba, & Dadan. 10. Chus autem genuit Nemrod: iſte cœpit eſſe potens in terra. 11. Meſraim verò genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim. 12. Phetruſim quoque & Caſluim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthum, & Caphtorim. 13. Chanaan verò genuit Sidonem primogenitum ſuum, Hethæum quoque, 14. & Iebuſæum, & Amorrhæum, & Gergeſæum, 15. Heuæumque & Aracæum, & Cinæum; 16. Aradium quoque & Samaræum, & Hamathæum. 17. Filij Sem: Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hül, & Gether, & Moſoch. 18. Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipſe genuit Heber. 19. Porrò Heber nati ſunt duo filij, nomen vni Phaleg, quia in diebus eius diuiſa eſt terra, & nomen fratris eius Iectan. 20. Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, & Iare, 21. Adoram quoque, & Huzal, & Decla, 22. Hebal etiam, & Abimael, & Sabæ, necnon 23. & Ophir, & Heuila, & Iobab. omnes iſti filij Iectan: 24. Sem, Arphaxad, Sale, 25. Heber, Phaleg, Ragau, 26. Serug, Nachor, Thare, 27. Abram, iſte eſt Abraham. 28. Filij autem Abraham, Iſaac & Iſmahel. 29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus Iſmahelis, Nabaioth & Cedar, & Adbeel, & Mabſam, 30. & Maſma, & Duma, Maſſa, Hadad, & Thema, 31. Ietur, Naphis, Cedma. hi ſunt filij Iſmahelis. 32. Filij autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Iecſan, Madan, Madian, Iesboc, & Sue. Porrò filij Iecſan: Saba, & Dadan. Filij autem Dadan: Aſſurim, & Latuſſim, & Laomim. 33. Filij autem Madian: Epha & Epher, & Henoch, & Abida, & Eldaa. omnes hi, filij Ceturæ. 34. Genuit autem Abraham Iſaac: cuius fuerunt filij, Eſau & Iſrael. 35. Filij Eſau: Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom, & Core. 36. Filij Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. 37. Filij Rahuel: Nabath, Zara, Samma, Meza. 38. Filij Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Diſon, Eſer, Diſan. 39. Filij Lotan: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna. 40. Filij Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filij Sebeon: Aia & Ana. Filij Ana: Diſon. 41. Filij Diſon: Hamram, & Eſeban, & Iethran, & Charan. 42. Filij Eſer: Balaan, & Zauan, & Iacan. Filij Diſan: Hus & Aran. 43. Iſti ſunt reges, qui imperauerunt in Terra Edom, antequam eſſet rex ſuper filios Iſrael: Bale filius Beor: & nomen ciuitatis eius, Denaba. 44. Mortuus eſt autem Bale, & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Boſra. 45. Cumque & Iobab fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Huſam de Terra Themanorum. 46. Obiit quoque & Huſam, & regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in Terra Moab: & nomen ciuitatis eius Auith. 47. Cumque & Adad fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Semla de Maſreca. 48. Sed & Semla mortuus eſt, & regnauit pro eo Saul de Rohoboth, quæ iuxta amnem ſita eſt. 49. Mortuo quoque Saul, regnauit pro eo Balanan filius Achobor. 50. Sed & hic mortuus eſt, & regnauit pro eo Adad: cuius vrbis nomen fuit Phau, & appellata eſt vxor eius Meetabel filia Matred filiæ Mezaab. 51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom eſſe cœperunt: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth. 52. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 53. dux Cenez, dux Theman, dux Mabſar, 54. dux Magdiel, dux Hiram. hi duces Edom.

PRIMA

PRIMA decem capita non niſi A genealogias continent, quia in eis exacti erant Hebræi, tum ad 12. tribuum diſtinctionem, tum propter Chriſtum, vt conſtaret eum ex Abraham, Dauide, & tribu Iuda natum. Verùm quia hæc decem capita paruum habent vſum, nec niſi nomina genitorum recenſent, hinc ea paucis expediam. Vbi nota, nomina propria virorum & feminarum in hoc libro ſæpe eſſe alia & diuerſa à nominibus, quæ iiſdem perſonis dantur in Geneſi, cæteriſque libris. Ratio eſt quòd Hebræi erant Polyonomi, B & plura habebant nomina. Exempli inſtar ſit, quòd filij Beniamin Geneſ. cap. 46. v. 21. nominentur, *Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naaman & Echi & Ros & Mophim & Ophim & Ared*: hic verò cap. 8. v. 1. nominantur *Bale Asbel Ahara Nohaa, Raphá* ac cæteri tacentur: quandoque etiam idem nomen aliter & aliter mutatione vnius alteriúſve literæ inſlectitur & pronuntiatur. Rursùm hîc non omnes filij recenſentur, ſed magis celebres & clari. Multi ergo hiſce decem capitibus reticentur. Sic cap. C 7. 6. tres tantùm recenſet filios Beniamin, cùm Geneſ. 46. 21. decem numerentur.

vers. 1. ADAM, SETH, ENOS, CAINAN, &c.] q. d. Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, & ita conſequenter de cæteris quos ſubnectit, ſtudio enim breuitatis omittit *vò genuit*, ne illud in ſingulis repetere cogatur: quare nomina tantùm generantium & genitorum aſſignat.

vers. 3. NOE (ſubaudi genuit) SEM, CHAM ET IAPHET] vt dictum eſt Geneſ. c. 6. & ſeq. vbi hæc omnia explicui.

vers. 32. CETVRÆ CONCVBINÆ ABRAHAM] Concubina hîc vocatur non pellex, ſed ſecundaria vxor, quæ non erat materfamilias; vnde eius filij non ſuccedebant in hæreditatem patris.

THAMNA AMALEC] putant nonnulli *vò Thamna* eſſe genitiui caſus, quia Geneſ. 36. 12. dicitur Eſau ex Thamna concubina genuiſſe Amalec. Verùm alia vel alius eſt hic Thamna, à Thamna Geneſeos; illa enim fuit concubina Eſau, hæc verò eius filia vel filius, vt patet ex Hebr. & Sept. qui habent: *& Thamna & Amalec.* vers. 36.

FILII SEIR] Alius eſt hic Seir ab Eſau, qui pariter cognominatus eſt *Seir*, id eſt *piloſus*; quia erat hirſutus: ille enim fuit filius Abrahæ & Iſaac, eiuſque filij ab hiſce Seir diuerſi, recenſiti ſunt v. 35. Hic verò non fuit ex poſteris Abrahæ & Iſaac, ſed gente fuit Horræus, qui ante Eſau Idumæam occupauit, cuius genealogia textitur Geneſ. 36. v. 20. Hoc loco verò ad hoc tantùm inducitur, vt cognoſcatur proſapia Thamna, ex qua genitus eſt Amalec. vers. 38.

ISTI (qui ſequuntur) SVNT REGES QVI IMPERAVERVNT IN TERRA EDOM] cum ſceptro, diademate & poteſtate regia. Nota, ſicut Hebræi primò habuêre iudices quaſi Duces, à Ioſue vſque ad Saul, deinde reges à Saule vſque ad Sedeciam & captiuitatem Babylonicam, ac poſt eam rursùm duces à Sorobabele vſque ad Machabæos; ſic & Idumæi primò habuêre Duces vſque ad Bale, deinde reges à Bale vſque ad mortem ſecundi Adadæ, mox rursùm duces à Thamna vſque ad Hiram, vt patet v. 51. & 52. vers. 43.

MORTVVS EST AVTEM BALE PRIMVS REX EDOM, ET REGNAVIT PRO EO IOBAB FILIVS ZARE] Tunc ergo regnum non erat hæreditarium, nec in eo patri ſuccedebat filius, ſed is qui erat dignior. Bale enim primo regi Idumææ ſucceſſit Iobab, qui erat filius Zare, non Bale. Hic *Iobab* eſt *Iob* ſpeculum patientiæ, vt dixi Geneſ. 36. 31. Iob ergo fuit ſecundus rex Idumææ, eius abauus Eſau tantùm dux eiuſdem fuerat. Eſau enim genuit Raguel, Raguel genuit Zare, Zare genuit Iobab, ſiue Iob. vers. 44.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Genealogia Iudæ Patriarchæ vſque ad Iſai ſiue Ieſſe, qui fuit pater Dauidis, eiuſq; fratrum & ſororum.

1. FILIJ autem Iſrael: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Iſſachar, & Zabulon, 2. Dan, Ioſeph, Beniamin, Nephthali, Gad, & Aſer. 3. Filij Iuda: Her, Onan, & Sela. hi tres nati ſunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda, malus coram Domino, & occidit eum. 4. Thamar autem nurus eius peperit ei Phares & Zara. omnes ergo filij Iuda, quinque. 5. Filij autem Phares: Heſron & Hamul. 6. Filij quoque Zaræ: Zamri, & Ethan, & Eman, Calchal quoque, & Dara, ſimul quinque. 7. Filij Charmi: Achar, qui turbauit Iſrael, & peccauit in furto anathematis. 8. Filij Ethan: Azarias. 9. Filij autem Heſron qui nati ſunt ei: Ierameel, & Ram, & Calubi. 10. Porrò Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahaſſon, principem filiorum Iuda. 11. Nahaſſon quoque genuit Salma, de quo ortus eſt Booz: 12. Booz verò genuit Obed, qui & ipſe genuit Iſai. 13. Iſai autem genuit primogenitum Eliab, ſecundum Abinadab, tertium Simmaa, 14. quartum Nathanael, quintum Raddai, 15. ſextum Aſom, ſeptimum Dauid, 16. quorum ſorores fuerunt, Saruia, & Abigail. Filij Saruiæ, Abiſai, Ioab, &

Asael, tres. 17. Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismahelites, 18. Caleb verò filius Hesron accepit vxorem nomine Azuba, de qua genuit Ierioth, fueruntque filij eius, Iaser, & Sobab, & Ardon. 19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit vxorem Caleb, Ephrata; quæ peperit ei Hur. 20. Porrò Hur genuit Vri: & Vri genuit Bezeleel. 21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cùm esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub. 22. Sed & Segub genuit Iair, & possedit viginti tres ciuitates in Terra Galaad. 23. Cepitque Gessur, & Aram, oppida Iair; & Canath, & viculos eius sexaginta ciuitatum. omnes isti, filij Machir patris Galaad. 24. Cùm autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Hesron vxorem Abia, quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ. 25. Nati sunt autem filij Ierameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus eius, & Buna, & Aram, & Asom, & Achia. 26. Duxit quoque vxorem alteram Ierameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. 27. Sed & filij Ram primogeniti Ierameel, fuerunt Moos, Iamin, & Achar. 28. Onam autem habuit filios, Semei, & Iada. Filij autem Semei: Nadab, & Abisur. 29. Nomen verò vxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, & Molib. 30. Filij autem Nadab fuerunt, Saled, & Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. 31. Filius verò Apphaim, Iesi: qui Iesi genuit Sesan. Porrò Sesan genuit Oholai. 32. Filij autem Iada fratris Semei: Iether, & Ionathan. Sed & Iether mortuus est absque liberis. 33. Porrò Ionathan genuit Phaleth, & Ziza. Isti fuerunt filij Ierameel. 34. Sesan autem non habuit filios, sed filias; & seruum Ægyptium nomine Ieraa. 35. Deditque ei filiam suam vxorem: quæ peperit ei Ethei. 36. Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad. 37. Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed, 38. Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariam. 39. Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa, 40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, 41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. 42. Filij autem Caleb fratris Ierameel: Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph: & filij Maresa patris Hebron. 43. Porrò filij Hebron, Core, & Taphua, & Recem, & Samma. 44. Samma autem genuit Raham, patrem Iercaam, & Recem genuit Sammai. 45. Filius Sammai, Maon: & Maon pater Bethsur. 46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Gezez. Porrò Haran genuit Gezez. 47. Filij autem Iohaddai Regom, & Ioathan, & Gesan, & Phalet, & Epha, & Saaph. 48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana. 49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia verò Caleb, fuit Achsa. 50. Hi erant filij Caleb, filij Hur, primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim, 51. Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader. 52. Fuerunt autem filij Sobal patris Cariathiarim, Qui videbat dimidium requietionum. 53. Et de cognatione Cariathiarim, Iethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, & Esthaolitæ. 54. Filij Salma, Bethlehem & Netophathi, Coronæ domus Ioab, & Dimidium requietionis Sarai. 55. Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, Canentes, atque Resonantes, & In tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

VERS. 3. FVIT HER PRIMOGENITVS IVDA] quem ob scelus mollitiei & pollutionis occidit Deus, vt dixi Genes. 38. 7.

VERS. 7. ACHAR] Hic est Achan, qui furto suo turbauit castra Hebræorum, ideoque dictus est *Achar*, id est *turbator*. vide dicta Iosue 7.

VERS. 9. RAM] Hic est *Aram* pater Aminadab Matth. 1. qui per Aphæresim vocatur *Ram*.

VERS. 15. SEPTIMVM DAVID] Quomodo 1. Reg. 16. 10. non septem, sed octo numerantur filij Iesse, ibidem explicui.

VERS. 16. FILII SARVIÆ ABISAI, IOAB ET ASAEL] Hinc videtur quòd Abisai fuerit senior Ioab fratre suo duce exercitus Dauidis.

VERS. 31. SESAN AVTEM GENVIT OHOLAI] filiam non filium. vt patet v. 34.

VERS. 52. QVI VIDEBAT DIMIDIVM REQVIETIONVM] Quis hic? Primò S. Hier. lib. 1. contra Pelag. ait fuisse prophetam: prophetæ enim vocabantur *Videntes*, id est præuidentes & prædicentes futura. q.d. Sobal erat *videns*, id est prophetabat, sed ex dimidio dumtaxat, id est non planè & perfectè videbat cælestia, vbi est locus requietionis, hoc est perfectæ quietis. *Videns.* *quietis.* *quies.* *Resp. Primò.*

Secundò, Vatab. q.d. Sobal videbat & contemplabatur, id est curam gerebat vel princeps erat dimidij loci, qui Hebr. vocabatur *Hammenuchoth*, id est *requietionum*, fortèà fertilitate agri & amœnitate loci: *videre* enim est esse principem, principis enim est suos circumspicere, lustrare & contemplari, vt iis de omnibus prospiciat. Princeps ergo est *videns*, vt quasi Argus centoculus omnia inspiciat. *Secundò.*

Tertiò,

Tertiò. Terttiò, alij per *requietionem* accipiunt sepulchrum; in eo enim post mortem requiescit corpus vsque ad resurrectionem communem futuram in die iudicij. Vnde Benedictus in suis Bibliis v. 54. vbi nos habemus: *dimidium requietionis Sarai*, vertit, vel potiùs explicat: *qui possidebat dimidium sepulchri Saræ* (vxoris Abrahæ) & quatuor Patriarcharum, scilicet Adæ, Abrahæ, Isaac, & Iacob; quòd sepulchrum erat in Hebron.

Quartò. Quartò, noster Sanchez per *requietionem* accipit regionem in qua quis habitat, quamque quietè quasi Dominus possidet: vnde de Italia sic ait Æneas apud Virgil. lib. 8. Æneid.

Hic locus vrbi erit, requies & certa laborum.

Nam *videre* siue cernere hæreditatem dicimur, cùm eam adimus, occupamus & possidemus; vt sensus sit q.d. Sobal *videbat*, id est quasi propriam possidebat, & tam *oculis* quàm manibus vsurpabat dimidiam partem regionis, in qua requieuerant, seu quietè habitarant parentes eius: & hanc dimidiam partem hæreditatis *Sobal* transcripsit filiis suis. Eadem phrasis recurrit iterum post duos versus; & eadem phrasi dicitur de *Issachar* Genes. 49. v. 15. *Vidit requiem, quòd esset bona*, id est (vt per epexegesim mox additur) vidit *terram* requietioni seu inhabitationi suæ assignatam, *quòd esset optima*. Psal. quoque 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam*. Et v. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo*.

Quintò geminè. Quintò & genuinè, *τὸ qui videbat dimidium requietionum* est nomen proprium filij Sobal. q. d. filij Sobal quasi patris fuêre hi duo scilicet *Cariethiarim* (itaque fortè vocatus, quòd in syluis; hæ enim Heb. vocantur יְעָרִים *iearim*, quasi in vrbe habitaret venationi deditus,) הָרֹאֶה חֲצִי הַמְּנֻחוֹת *haroe chasi hammenuchot*, id est *videns dimidium requietionum*; ita vocatus, quòd dimidiam Sobal patris *requietionem*, id est habitationem siue regionem & hæreditatem possideret, alteram enim dimidiam possidebat eius frater Cariathiarim. Id ita esse patet primò, quia Sept. nomina Hebraica (licet vitio scriptorum corrupta) retinent quasi propria. Secundò, quia Romani codices *τὸ qui videbat* scribunt per maiusculum Q. quasi nomen proprium. Tertiò, quia simili modo ferè omnia sequentia scilicet *Coronæ domus, Canentes, Resonantes, In tabernaculis commorantes, Qui venerunt de Calore*, sunt nomina propria, vti mox patebit. Quartò, quia eadem prorsùs ratione v. 54. vnus Salmæ filius vocatur, *dimidium requietionis Sarai*, de quo mox.

VERS. 54. FILII SALMA, BETHLEHEM ET NETOPHATHI, CORONÆ DOMVS IOAB, ET DIMIDIVM REQVIETIONIS SARAI] Benedictus vertit, *qui possidebat dimidium sepulchri Saræ* & quatuor Patriarcharum. Verùm *Sarai*, hic non est, *Sara* vxor Abrahæ; nam Sarai hîc in Heb. scribitur per litteras *Tsade & Ain*, Sara verò scribitur per *Schin & He*. Sensus ergo est q. d, Salma quatuor genuit filios, scilicet 1. Bethlehem, 2. Netophati, 3. qui vocabatur Hebr. *Aterot beth Ioab*, id est Coronæ domus Ioab. 4. cui nomen *dimidium requietionis Sarai*. Hæc enim omnia esse nomina propria, patet ex Sept. qui nomina Hebræa vt propria retinent, & quia hîc nomina filiorum Salma recensentur. Cur duo vltimi ita vocati sint, incertum est: fortè quia pater Salma optabat vt tertius fieret *corona*, id est decus & gloria domus Ioab, ac quartus occuparet *dimidium requietionum*, id est regionum & possessionum Sarai.

COGNATIONES QVOQVE SCRIBARVM (Legis peritorum) HABITANTIVM IN IABES, CANENTES ATQVE RESONANTES, ET IN TABERNACVLIS COMMORANTES] Hæc quoque esse nomina propria liquet ex Hebræo & ex Roman. qui omnia hæc maiusculis litteris prænotant, & ex Sept. qui nomina Hebræa vt propria retinent, vertuntque: *& populi Sopherim* (id est scribarum) *habitantium Iabis, Tarathim, Samathin, Suchatim*. Sensus ergo est q.d. *Cognationes*, Heb. מִשְׁפָּחוֹת *mispachoth*, id est familiæ scribarum (puta Cinæorum vt sequitur) ex Salma descendentium erant tres, scilicet *Tarathim*, id est *Canentes*: *Samathim*, id est *Resonantes*: & *Suchatim*, id est *In tabernaculis habitantes*: quia verè Cinæi Dei laudes canebant & resonabant, nec in vrbibus sed in tabernaculis habitabant, vt dixi Ierem. 35. 2.

HI SVNT CINÆI (puta posteri Iethro soceri Moysis, ex quibus prognati sunt Rechabitæ, vt dixi Iudic. 1. 16. Exod. 18. 1. & seq.) QVI VENERVNT DE CALOR EPATRIS DOMVS RECHAB] Hinc patet Rechabitas fuisse Cinæos, eosdē quoque fuisse Scribas, Psaltes & Cantores, qui Psalmos & hymnos Deo canerēt. Sed quid est *τὸ de Calore*? Primò, Dion. Carth. *De Calore*, inquit, hoc est de semine quod est calidum. Verùm dico *τὸ Calore*, esse nomen proprium; quare Roman. id scribunt per maiusculum C. ac Sept. retinent nomen Hebr. *Hemath*. Vnde secundò, Vatab. vertit; *qui venerunt de Hemath patre domus Rechab*, q.d. Cinæi prognati sunt de Hemath, qui fuit paterfamilias Rechabitarum. Verùm quia Noster vertit: *patris* in genitiuo, non *patre* in ablatiuo, hinc tertiò, melius per *Hemath*, accipias vrbem hoc nomine celebrem in Script. scilicet *Epiphaniam*, ita dictā Antiocho Epiphane. Et fauet quòd non dicat: *qui nati sunt*, sed *qui venerunt de Hemath*. q.d. Cinæi venerunt de *Emath*, id est *Epiphania*, quæ vrbs fuit sedes & patria domus, id est familiæ *Rechab* siue Rechabitarum. Dices, cur ergo Noster nomen *Emath* non retinet, sed vertit *Calore*? Resp. id facit more suo, vt significet etymon *Emath* congruere huic loco: *Emath* enim Hebr. significat *calorem*. Significat ergo Cinæos hosce appositè venisse de *Emath*, quæ vrbs nomine suo significat *calorem*, vt innuat Cinæos hosce imitatos fuisse *calorem*, id est zelum & feruorem deuotionis, qui fuerat in patre eorum *Rechab*. ita Lyran. & Hugo. Sic Roma olim dicta fuit Valentia, teste Solino in Polyhist. Græcè enim ῥώμη, idem est quod robur; valor & valentia. Romani enim erant valentes & Valentini, vtpote qui orbem sibi subiugarunt. Similes allusiones sunt Michææ 1. 10. *In domo pulueris* (Hebr. in *Aphra* vrbe Beniamin, *Aphra* enim significat *puluerem*) *puluere vos conspergite*.

De Calore quid? Resp.

gite. Et v. 11. *Et transite vobis Habitatio pulchra.* Hebr. *habitatrix Sappir*, id est pulchræ Samariæ, & v. 12. *Quæ habitat in amaritudinibus.* Heb. *In Maroth* vrbe. vide ibi dicta.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur filij Dauidis, eiusq; nepotes reges Iuda cum suis filiis & filiabus.

1. DAuid verò hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron, primogenitum Amnon ex Achinoam Iezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide, 2. tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, 3. quintum Saphatiam ex Abital, sextum Iethraham de Egla vxore sua. 4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, vbi regnauit septem annis, & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnauit in Ierusalem. 5. Porrò in Ierusalem nati sunt ei filij, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel, 6. Iebaar quoque, & Elisama, 7. & Eliphaleth, & Noge, & Nepheg, & Iaphia, 8. necnon Elisama, & Eliada, & Eliphelet, nouem: 9. omnes hi, filij Dauid, absque filiis concubinarum: habueruntque sororem Thamar. 10. Filius autem Salomonis, Roboam: cuius Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Iosaphat, 11. pater Ioram: qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas; 12. & huius Amasias filius genuit Azariam. Porrò Azariæ filius Ioathan 13. procreauit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. 14. Sed & Manasses genuit Amon patrem Iosiæ. 15. Filij autem Iosiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. 16. De Ioakim natus est Iechonias, & Sedecias. 17. Filij Iechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, 18. Melchiram, Phadaia, Senneser, & Iecemia, Sama, & Nadabia. 19. De Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorum: 20. Hasaban quoque, & Ohol, & Barachian, & Hasadian, Iosabhesed, quinque. 21. Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Iesaiæ, cuius filius Raphaia. huius quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cuius filius fuit Sechenias. 22. Filius Secheniæ, Semeia: cuius filij, Hattus, & Iegaal, & Baria, & Naaria, & Saphat, sex numero. 23. Filius Naariæ, Elioënai, & Ezechias, & Ezricam, tres. 24. Filij Elioënai, Oduia, & Eliasub, & Pheleia, & Accub, & Iohanan, & Dalaia, & Anani, septem,

VERS. 1. DAVID VERO HOS HABVIT FILIOS] Hæc & sequentia explicui 2. Reg. 3. v. 2. & seq.

VERS. 5. QVATVOR DE BETHSABEE] nonnulli censent tres priores, scilicet *Simmaa, Sobab,* & *Nathan*, fuisse Vriæ filios, quos posteà Dauid sibi adoptauit, vt iniuriam adulterij & homicidij Vriæ factâ compensaret; quartum verò, scilicet Salomonem fuisse vnicum Dauidis ex Bethsabee filium, eò quòd Salomon Prou. 4. 3. dicat se fuisse *vnigenitum coram matre sua.* Verùm meliùs alij censent hos omnes fuisse Dauidis filios, Salomonem verò dici *vnigenitum*, id est vnicè dilectum à matre, vt dixi Prou. 4. 3.

FILIA AMMIEL] *Ammiel* alio nomine dictus est *Eliam*, qui fuit filius Achitophel & vnus è triginta fortibus, siue heroibus Dauidis 2. Reg. 23. 34.

VERS. 15. PRIMOGENITVS (Iosiæ) IOHANAN, SECVNDVS IOAKIM, TERTIVS SEDECIAS, QVARTVS SELLVM] *Iohanan* cita morte defunctus est, & fortè cum Iosia patre in prælio occisus; vnde Iosiæ in regno successit Ioachas, deinde Ioakim, tertiò Sedecias. Ioachas hic fuit binominis: alio enim nomine vocatus est *Sellum*, fuitq; tertio loco à Iosia genitus. Cùm enim Ioachas regnare incipiens esset 18. annorum, Ioakim post tres menses ei succedens erat 25. annorum, cui post vndecim regni annos succedens Sedecias erat 21. annorum dumtaxat. Dices, cur ergo vltimus hic ponitur *Sellum*, id est *Ioachas*, cùm reuera iunior omnium fuerit Sedecias? Resp. causa est, quòd Ioachaz tribus tantùm mensibus regnarit, post quos à Pharaone captus, abductus est in Ægyptum; Ioakim verò regnauit vndecim annis, & totidem Sedecias. vide dicta Ierem. 22. 11. Ioachaz ergo quartus fuit non ætate, sed regni dignitate, vel potiùs indignitate & breuitate. Nam ætate primus Iosiæ filius fuit Iohanan, 2. Ioakim, 3. Ioachaz, siue Sellum, 4. Sedecias.

FILII IECHONIÆ FVERVNT ASIR] Octo VERS. 17. hîc filij Iechoniæ recensentur: ipse tamen vocatur sterilis Ierem. 22. 30. quia nullus ei in regno successit, vt ibidem explicat Ieremias.

DE

VERS. 19. DE PHADAIA ORTI SVNT ZOROBABEL ET SEMEI] Alius est hic Zorobabel, à Zorobabele atauo Christi Matth. 1. Eius tamen fuit patruelis: nam iste Matth. 1. fuit filius Salathielis. Nonnulli tamen censent vnum eumdemque esse Zorobabel, qui natura fuerit filius Phadaiæ; adoptione verò Salathielis. Sed hi consequenter dicere debent aliquem filiorum Zorobabel qui hîc recensentur, alio nomine vocatum fuisse Abiud. Nam Matth. 1. Zorobabel dicitur genuisse Abiud. Vnde Mariana opinatur Hananiam qui hîc sequitur, alio nomine vocatum fuisse Abiud.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Iudæ & Simeonis, eorumq; victoriæ & facinora heroica.

1. FIlij Iuda: Phares, Hesron, & Charmi, & Hur, & Sobal. 2. Raia verò filius Sobal genuit Iahath, de quo nati sunt Ahumai, & Laad hæ cognationes Sarathi. 3. Ista quoque stirps Etam: Iezrahel, & Iesema, & Iedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni. 4. Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hosa. isti sunt filij Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem. 5. Assur verò patri Thecuæ erant duæ vxores, Halaa, & Naara. 6. Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher, & Themani, & Ahasthari. isti sunt filij Naara. 7. Porrò filij Halaa, Sereth, Isaar, & Ethnan. 8. Cos autem genuit Anob, & Soboba, & coghationem Aharehel filij Arum. 9. Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus suis; & mater eius vocauit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum in dolore. 10. Inuocauit verò Iabes Deum Israel, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris meà malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est. 11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon. 12. Porrò Esthon genuit Bethrapha, & Phesse, & Tehinnâ patrem vrbis Naas: hi sunt viri Recha. 13. Filij autem Cenez, Othoniel, & Saraia. Porrò filij Othoniel, Hathath, & Maonathi. 14. Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant. 15. Filij verò Caleb filij Iephone, Hir, & Ela, & Naham. Filij quoque Ela: Cenez. 16. Filij quoque Ialeleel: Siph, & Zipha, Thiria, & Asrael. 17. Et filij Ezra, Iether. & Mered, & Epher, & Ialon genuitque Mariam, & Sammai, & Iesba patrem Esthamo. 18. Vxor quoque eius Iudaia, peperit Iared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrem Zanoë. hi autem filij Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered. 19. Et filij vxoris Odaiæ sororis Naham patris Ceila, Garmi, & Esthamo, qui fuit de Machathi. 20. Filij quoq; Simon, Amnon, & Rinna filius Hanan, & Thilon. Et filij Iesi, Zoheth, & Benzoheth. 21. Filij Sela, filij Iuda: Her pater Lecha, & Laada pater Maresa, & cognationes domus operantium byssum in domo iuramenti. 22. Et qui stare fecit Solem, virique Mendacij, & Securus, & Incendens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Lahem. hæc autem verba vetera. 23. Hi sunt figuli habitantes in Plantationibus, & in Sepibus, apud regem in operibus eius, commoratique sunt ibi. 24. Filij Simeon: Namuel & Iamin, Iarib, Zara, Saul. 25. Sellum filius eius, Mapsam filius eius, Masma filius eius. 26. Filij Masma: Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei filius eius. 27. Filij Semei sedecim, & filiæ sex: fratres autem eius non habuerunt filios multos, & vniuersa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Iuda. 28. Habitauerunt autem in Bersabee, & Molada, & Hasarsuhal, 29. & in Bala, & in Asom, & in Tholad, 30. & in Bathuel, & in Horma, & in Siceleg, 31. & in Bethmarchaboth, & in Hasarsusim, & in Bethberai, & in Saarim. hæ ciuitates eorum vsque ad regem Dauid. 32. Villæ quoque eorum: Etam & Aën, Remmon, & Thochen, & Asan, ciuitates quinque. 33. Et vniuersi viculi eorum per circuitum ciuitatum istarum vsque ad Baal. hæc est habitatio eorum, & sedium distributio. 34. Mosobab quoque & Iemlech; & Iosa filius Ama-

Amasiæ, 35. & Ioel, & Iehu filius Iosabiæ filij Saraiæ filij Asiel, 36. & Eliocenai, & Iacoba, & Isuhaia, & Asaia, & Adiel, & Isimiel, & Banaia, 37. Ziza quoque filius Sephei filij Allon filij Idaia filij Semri filij Samaia. 38. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, & in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. 39. Et profecti sunt vt ingrederentur in Gador vsque ad Orientem vallis, & vt quærerent pascua gregibus suis. 40. Inuenerunt que pascuas vberes & valde bonas, & terram latissimam & quietam & fertilem, in qua antè habitauerant de stirpe Cham. 41. Hi ergo venerunt, quos suprà descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Iuda: & percusserunt tabernacula eorum, & habitatores qui inuenti fuerant ibi, & deleuerunt eos vsque in præsentem diem: habitauerunt que pro eis, quoniam vberrimas pascuas ibidem repererunt. 42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phalthiam & Naariam & Raphaiam & Oziel filios Iesi: 43. & percusserunt reliquias, quæ euadere potuerant, Amalecitarum, & habitauerunt ibi pro eis vsque ad diem hanc.

VERS.1. FILII IVDA: PHARES, HESRON ET CHARMI, &c.] *Filij*, id est posteri: nam Iudas genuit Phares, Phares genuit Hesron, Hesron genuit Charmi, &c. *Filij* ergo hîc vocantur nepotes & pronepotes, qui longâ serie à Iuda descendunt. Scopus enim Authoris hoc libro fuit, nominare viros virtute vel familia ampla celebres, qui à Iuda vel alio quopiam Patriarcha prognati sunt.

VERS.4. EPHRATHA PATRIS BETHLEHEM] *Patris*, id est principis, ait Vatab. sic enim serui Naaman eum vocant patrem 4. Reg. 5. Alij tamen censent Bethlehem esse nomen filij *Ephratæ*, non vrbis, ita dictæ. Sic enim c. 2. 54. *Bethlehem* vocatur *filius Salma*.

VERS.5. ASSVR AVERO PATRI, (id est principi) THECVÆ] ait Vatab. Alij tamen censent *Assur* propriè fuisse patrem filij, cui nomen erat *Thecua*.

VERS.9. VOCAVIT NOMEN ILLIVS IABES, DICENS: QVIA PEPERI EVM CVM DOLORE] *Iabes* enim Hebr. dolorem significat. Videtur hic Iabes fuisse filius Aram qui præcessit, frater Aharelis v. 8. & Othonielis v. 13. Est Metathesis siue transpositio literarum; dicitur enim *Iabes* Heb. *Iaabes* pro *Iaaseb*: nam עָצַב *oseb* est dolor, vt sequitur. ita Pagnin. Sic pro *kebes* id est *agnus*, dicitur *keseb*, scilicet pro כֶּבֶשׂ dicitur כֶּשֶׂב.

VERS.14. SARAIA AVTEM GENVIT IOAB PATREM (id est principem) VALLIS ARTIFICVM] Ideò ait S. Hieron. dicitur *pater Vallis artificum*, *quia de filiis eius fuere architecti ad ædificandam domum Domini*.

VERS.21. IN DOMO IVRAMENTI] Hebr. *Esbaa*, est nomen proprium significans, *iuramentum*; vnde Sept. vertunt: *In domo Aseba*. Noster his decem capitibus sæpe nomina Hebræa propria non retinet, sed vertit eorum significata, quia in significatis putat latere aliquod mysterium, vel allusionem rei vel personæ congruam. Adde, sæpe Latinos nomina propria Græcorum vel Hebræorum vertere in Latina idem significantia. Sic pro *Theodosius* vel *Theodorus*, dicunt, *Adeodatus*; pro *Chrysostomus aureum os*; pro *Anna*, *Gratia*; pro *Salomon*, *Pacificus*; pro *Iesus*, *Saluator*; pro *Gregorius*, *Vigilantius*; pro *Macarius*, *Felix*; pro *Nicon*, *Victor*.

VERS.22. ET QVI STARE FECIT SOLEM, VIRIQVE MENDACII, SECVRVS ET INCENDENS] Omnia hæc sunt nomina propria, quorum significata noster vertendo reddidit. Sept. verò, Pagn. Vatab. & alij nomina Hebr. vt propria retinent, vertuntque: *Ioacim quoque & viri Chozeba & Ioas & Saraph, qui dominati sunt in Moab. Ioacim* enim, vel vt Hebr. est *Iokim*, idem est quod, *qui stare fecit*, scilicet solem. *Chozeba*, idem est quod *mendacium*; *Ioas*, est *securus*; *Saraph* est *incendens*, q. d. omneshi iam nominati, sunt filij & nepotes qui descendunt à Iuda per Selam, licet Hebræi velint eos per Pharez descendere.

Audi eos, apud S. Hieron. in Trad. *Qui stare fecit solem: redit ad progeniem Pharez, de quo ortus est Dauid, opportunum iudicans progeniem Iuda, de qua tribus regia orta est, in Dauid terminare. Tradunt enim Hebræi hunc fuisse Elimelech, virum Noemi, patrem Maalon & Chelion, in cuius tempore sol steterit, propter præuaricatores legis, vt tanto miraculo viso conuerterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcirco fames inualuit, & ille qui in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cum vxore & filiis, non solùm patria pelleretur; sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacij, esse Maalon & Chelion, qui hic Securus & Incendens appellantur, & de quibus dicitur, quòd principes fuerint in Moab; eò quòd vxores Moabitidas duxerint; in Hebræo expressius ponuntur, & ab eruditis illius linguæ didicimus, vt non principes, sed mariti dicantur. Quod verò sequitur: Quæ reuersæ sunt in Lehem, Noemi & Ruth demonstrat, quæ in* לֶחֶם *Lehem, id est panem, post inopiam famis audita vbertate panis, in Bethlehem reuersæ sunt. Et quia hæc historia in libro Ruth scribitur, idcirco subsequitur: Hæc autem verba vetera.*

Hebræos sequuntur Lyran. Glossa, Abul. Hugo, Dion. Feuardentius in c. 1. Ruth, Baradius in Matth. 1. qui dicunt *Elimelech* fuisse virum sanctissimum, ideoque dum videret suos ciues ad idola deflectere, rogasse Deum vt sisteret solem, eoque portento terreret idolatras, & ad se compelleret.

Verùm hanc esse Rabbinorum fabulam liquet: primò, quia hîc agitur de posteris Selæ; *Elimelech* autem fuit ex posteris Phares. Secundò, quia Ioacim, vel vt Hebr. est יקים *Iokim*, tantùm significat *sistens*, *stare faciens*, *confirmans*: vnde nonnulli ex Rabbinorum fabula adiecerunt

Quis fuerit ille sol. *Quis.* *Historia Hebr.* *Fabula & probatur argum.* *Primò.* *Secundò.*

runt in margine 71 *solem*, quod posteà in textum irrepsit, ait Serarius in Iosue c. 10. q. 25. Aut potiùs, quia Iosue eò quòd stiterit solem, ab Hebræis cognominatus est *Iokim*, id est, *stare faciens* & sistens, scilicet *solem*: hinc *Iokim* ex vulgi vsu significabat idem quod, *qui stare fecit solem*, vt vertit Noster. Omnia enim exemplaria habent *ò solem*. Hic enim *Iokim* ponitur inter *filios*, id est posteros Selæ; vnde potuit post Iosue vixisse: si autem vixit antè, certè Esdras qui hæc scripsit, vixit post Iosue, à quo *Iokim* significat eum *qui stare fecit solem*. Tertiò, quia Biblia Romæ correcta pro: *qui reuersa sunt*, corrigit, *qui reuersi sunt in Lechem*. Iam autem Chelion & Mahalon, non sunt reuersi in Bethlehem, sed in Moab mortui. Quartò, quia *viri mendacij*, alij sunt à *Securus & Incendens*, vt patet ex copula &, quæ inter vtrumque intercitur, & diuersa iungit. Quintò, quia *Elimelech* non est *Ioacim* vel *Iokim*, nec significat, *qui stare fecit solem*, sed *Deus rex* vel *Dei meirex*: nec *Mahalon* significat *securum*, sed *infirmum* & ægrum, aut *qui chorum agit* fistulamque inflat: *Chelion* verò non significat *incendentem*, sed *consumptum* & perfectum, aut eum *qui totus columbinus est*. Sextò, Mahalon & Chelion non fuerunt principes in Moab, vtpote externi & peregrini, pauperes & famelici. Septimò, rem tantam non tacuisset liber Ruth, qui famem & vitam Elimelech, Mahalon & Chelion enarrat. Denique res tota insulsâ Rabbinorum traditione nititur, quam S. Hieron. (vel quisquis est author) nudè more suo retulit, sed non approbauit. ita Caiet. Serar. Salian. Sanchez & alij passim. Nulla ergo miraculosa solis statio inducenda est, præter illam quæ enarratur facta sub Iosue c. 10. & sub Ezechia Isaiæ 38. Quare hic *Iokim* videtur fuisse vir insignis, qui heroica fortitudinis opera ediderit, vt videretur esse quasi alter Iosue, qui solem stitit, ideoque æquè ac Iosue vocatus est Iokim, id est *stator solis*, etsi reuera ipse solem non stiterit, vti stitit Iosue. Sic hodie vocantur Hercules, Samsones, Iulij, Alexandri, Pompeij, Scipiones, vt priscos illos heroes sic nominatos imitentur, etsi heroica eorum facta non patrarint. Porrò quòd *Iokim* Hebræis ex vsu vulgi significaret *statorem solis*, liquet ex Rabbinis iam citatis apud S. Hieron. qui putantes *Iokim* esse *Elimelech*, inde commenti sunt ipsum stitisse solem.

Simili modo Iupiter à Romanis nuncupatus est *Iokim* siue *stator*, scilicet acici fugientis, eò quòd stare fecisset Romanos in fugam à Samnitibus versos. Audi Cicer. Orat. Antequàm iret in exilium: *Iupiter stator, quem verè huius imperij statorem maiores nostri nominauerunt, cuius in templo hostilem impetum Catilinæ repuli à muris, cuius templum à Romulo victis Sabinis in Palatij radice cum victoria est collocatum.* Et Ouidius lib. 4. Fastorum:

Tempus idem stator is erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Sic *Iokim* vel *Ioakim*, ait Pagnin. componi potest ex Iehouæ abbreuiato, & יָקִים *iakim*, vt significet *Deus statuat*, vel *Deus stator*, scilicet solis ad preces Iosue.

ET QVI REVERSI SVNT IN LAHEM] hoc est in *Bethlehem*, quæ per Aphæresim vocatur *Lahem*, vel *Lehem*, sicut 1. Paral. 20. 5. *Adeodatus* in Hebr. vocatur *Lehemites*, id est *Bethlehemites*, vt vertit Noster sic cap. 2. v. 9. *Aram* vocatur *Ram*, & *Iechonias* vocatur *Chonias* Ierem. cap. 22. vers. 24.

HÆC AVTEM VERBA VETERA] q. d. hæc sunt nomina prisca priscorum Heroum. ita Vatab.

VERS.23. HI SVNT FIGVLI (malè nonnulli legunt *finguli*) HABITANTES IN PLANTATIONIBVS ET IN SEPIBVS APVD REGEM IN OPERIBVS EIVS] Vatab. *Isti sunt figuli illi habitantes in Nathaim & Gedera cum rege in opere eius.* Locorum sunt nomina ab hortis & sepibus q.d. isti sunt *figuli* illi clari qui habitabant in *Nataim* & *Gedera*, scilicet inter *plantas* & *sepes*, nimirùm qui versabantur in hortis apud regem Dauidem, vt opera eius regia adiuuarent, ideoque apud eum magno fuêre in pretio. Hæc Vatab. sic & Pagn.

VERS.40. IN QVA ANTE HABITAVERANT DE STIRPE CHAM] id est Chananæi; hi enim prognati sunt ex Chanaan filio Cham filij Noe. Sensus est q. d. Simeonitæ crescente numero filiorum suæ tribus, cùm arctè habitarent, præsertim in medio tribus Iuda, quæ in schismate facto sub Roboam suas vrbes à Simeonitis recepit; hac de causa Chananæos vicinos, qui post Iosue in terra sancta restiterant, nec ab Hebræis expelli potuerant, inuaserunt, eorumq; vrbes, agros & pascua occupauerunt initio regni Ezechiæ: sed modico tempore iis ganisi sunt, nam anno sexto Ezechiæ cum reliquis nouem tribubus à Salmanasar captiui abducti sunt in Assyriam. 4. Reg. 17. 6. & cap. 18. vers. 10.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filij, id est posteri tribus Ruben, Gad & dimidiæ Manasse recensentur, qui pariter vicinos Chananæos suis regionibus eiecerunt sub Ioatham rege, sed mox sub Ezechia ob idololatriam primi abducti sunt in Assyriam.

1. Filij quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus eius: sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph, filij Israel, & non est ille reputatus in primogenitum. 2. Porrò Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Ioseph.) 3. filij ergo Ruben primogeniti Israel: Enoch, & Phallu, Esron, & Carmi. 4. Filij Ioël: Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, 5. Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, 6. Beera filius eius, quem captiuum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben. 7. Fratres autem eius, & vniuersa cognatio eius, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes, Iehiel & Zachariam. 8. Porro Bala filius Azaz, filij Samma, filij Ioël, ipse habitauit in Aroër vsque ad Nebo & Beelmeon. 9. Contra Orientalem quoque plagam habitauit vsque ad introitum eremi, & flumen Euphraten. Multum quippe iumentorum numerum possidebant in Terra Galaad. 10. In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos, & interfecerunt illos, habitaueruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad. 11. Filij verò Gad è regione eorum habitauerunt in Terra Basan vsque Selcha: 12. Ioël in capite, & Saphan secundus: Ianai autem, & Saphat, in Basan. 13. Fratres verò eorum secundùm domos cognationum suarum, Michael, & Mosollam, & Sebe, & Iorai, & Iachan, & Zie, & Heber, septem. 14. Hi filij Abihail, filij Huri, filij Iara, filij Galaad, filij Michael, filij Iesesi, filij Ieddo, filij Buz. 15. Fratres quoque filij Abdiel, filij Guni, princeps domus in familiis suis. 16. Et habitauerunt in Galaad, & in Basan, & in viculis eius, & in cunctis suburbanis Saron, vsque ad terminos. 17. Omnes hi numerati sunt in diebus Ioathan regis Iuda, & in diebus Ieroboam regis Israel. 18. Filij Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quattuor millia & septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam. 19. Dimicauerunt contra Agareos: Ituræi verò, & Naphis, & Nodab, 20. præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, & vniuersi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cùm præliarentur: & exaudiuit eos, eò quòd credidissent in eum. 21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum centum millia. 22. Vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini. Habitaueruntque pro eis vsque ad transmigrationem. 23. Filij quoque dimidiæ tribus Manasse, possederunt terram à finibus Basan vsque Baal, Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat. 24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, & Iesi, & Eliel, & Ezriel, & Ieremia, & Odoia, & Iediel, viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familiis suis. 25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis. 26. & suscitauit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluuium Gozan, vsque ad diem hanc.

VERS. 1. DATA SVNT PRIMOGENITA EIVS (Ruben) FILIIS IOSEPH] scilicet *Ephraim & Manasse*. Primogenitus enim habebat duplicem portionem hæreditatis paternæ (cùm ceteri fratres singuli haberent singulas) vti sanxerat Deuter. 21. 16. & hanc debebat habere Ruben, vtpote primogenitus Iacob; sed ob eius incestum illa translata est ad Ioseph, qui per duos filios iam dictos duplicem terræ sanctæ portionem obtinuit. Rursùm primogenito competebat ius sacerdotij, & hoc à Ruben translatum est ad Leui: adhæc ius primatus & regni, & hoc delatum est Iudæ. Vide dicta Genes. 49.

VERS. 12. IOEL IN CAPITE] hoc est *Ioel* fuit *caput* & princeps tribus Gad, vt patet ex Hebræo & Græco: secundus post Ioel fuit Saphan, tertius Ianai & Saphat, qui Basanitidem occuparunt. Fuêre hi non filij, sed nepotes Gad, vt patet Genes. 46. v. 16.

VERS. 17. IN DIEBVS IEROBOAM REGIS ISRAEL] Hic *Ieroboam* non fuit primus ille rex Israel, qui schisma fecit à Roboam, sed longè posterior, scilicet abnepos Iehu; hic enim coæuus fuit Ioatham regi Iuda.

DIMICAVERVNT CONTRA AGAREOS] VERS. 19. id est contra Saracenos, qui ab Agar ancilla Abraham dicti sunt *Agarei*. Porrò Agareis præbuêre auxilium Ituræi, Nephissæi, & Nodabæi (vt habent Hebr. & Sept.) contra Rubenitas; sed turpiter ab eis, vtpote Deum inuocantibus cæsi, bonisque & agris spoliati sunt, vt sequitur.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filij, id est posteri Leui, atque ex iis cantores & ministri templi à Dauide constituti. Nominatim verò enumerantur posteri Aaronis sacerdotes, vrbesq; sacerdotales & refugij.

1. Filij Leui: Gerson, Caath, & Merari. 2. Filij Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. 3. Filij Amram: Aaron, Moyses, & Maria: Filij Aaron: Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar. 4. Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue, 5. Abisue verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi. 6. Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth. 7. Porrò Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob. 8. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas. 9. Achimaas genuit Azarias, Azarias genuit Iohanan, 10. Iohanan genuit Azariam. ipse est qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificauit Salomon in Ierusalem. 11. Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob, 12. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum, 13. Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam, 14. Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Iosedec. 15. Porrò Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor. 16. Filij ergo Leui: Gerson, Caath, & Merari. 17. Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, & Semei. 18. Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. 19. Filij Merari: Moholi & Musi. Hæ autem cognationes Leui secundùm familias eorum. 20. Gersom, Lobni filius eius, Iahath filius eius, Zamma filius eius. 21. Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrai filius eius. 22. Filij Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius, 23. Elcana filius eius, Abiasaph filius eius, Asir filius eius. 24. Thahath filius eius, Vriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. 25. Filij Elcana, Amasai & Achimoth 26. & Elcana: Filij Elcana: Sophai filius eius, Nahath filius eius, 27. Eliab filius eius, Ieroham filius eius, Elcana filius eius. 28. Filij Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia. 29. Filij autem Merari, Moholi: Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius, 30. Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius. 31. Isti sunt, quos constituit Dauid super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca: 32. & ministrabant coram tabernaculo testimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Ierusalem: stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. 33. Hi verò sunt qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Iohel, filij Samuel, 34. filij Elcana, filij Ieroham, filij Eliel, filij Thohu, 35. filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amasai, 36. filij Elcana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, 37. filij Thahath, filij Asir, filij Abiasaph, filij Core, 38. filij Isaar, filij Caath, filij Leui, filij Israel. 39. Et frater eius Asaph, qui stabat à dextris eius, Asaph filius Barachiæ, filij Samaa, 40. filij Michael, filij Basaiæ, filij Melchiæ, 41. filij Athanai, filij Zara, filij Adaia, 42. filij Ethan, filij Zamma, filij Semei, 43. filij Ieth, filij Gersom, filij Leui. 44. Filij autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filij Abdi, filij Ma-

Maloch, 45. filij Hasabiæ, filij Amasiæ, filij Helciæ, 46. filij Amasai, filij Boni, filij Somer, 47. filij Moholi, filij Musi, filij Merari, filij Leui. 48. Fratres quoq; eorum Leuitæ, qui ordinati sunt in cunctũ ministerium tabernaculi domus Domini. 49. Aaron verò, & filij eius adolebãt incensum super altare holocausti & super altare thymiamatis; in omne opus Sancti sanctorũ: & vt precarentur pro Israel, iuxta omnia quæ præceperat Moyses seruus Dei. 50. Hi sunt autem filij Aarõ, Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abisue filius eius, 51. Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius, 52. Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob filius eius, 53. Sadoc filius eius, Achimaas filius eius. 54. Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant. 55. Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda, & suburbana eius per circuitum: 56. agros autem ciuitatis, & villas, Caleb filio Iephone. 57. Porrò filiis Aaron dederunt ciuitates ad confugiendum, Hebron, & Lobna & suburbana eius; 58. Iether quoque & Esthemo cum suburbanis suis, sed & Helon & Dabir cum suburbanis suis, 59. Asan quoque & Bethsemes & suburbana earum. 60. De tribu autem Beniamin, Gabee & suburbana eius, & Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis. omnes ciuitates, tredecim, per cognationes suas. 61. Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem vrbes decem. 62. Porrò filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, & de tribu Aser, & de tribu Nephthali, & de tribu Manasse in Basan, vrbes tredecim. 63. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt sorte ciuitates duodecim. 64. Dederunt quoque filij Israel Leuitis ciuitates, & suburbana earum: 65. dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Iuda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Beniamin, vrbes has quas vocauerunt nominibus suis, 66. & his qui erant de cognatione filiorum Caath, fuerunt que ciuitates in terminis eorum de tribu Ephraim. 67. Dederunt ergo eis vrbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer cum suburbanis suis, 68. Iecmaam quoque cum suburbanis suis, & Bethoron similiter, 69. necnon & Helon cum suburbanis suis, & Gethremmon in eumdem modum. 70. Porrò ex dimidia tribu Manasse, Aner & suburbana eius, Baalam & suburbana eius: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. 71. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan & suburbana eius, & Astharoth cum suburbanis suis. 72. De tribu Issachar, Cedes & suburbana eius, & Dabereth cum suburbanis suis. 73. Ramoth quoque & suburbana eius, & Anem cum suburbanis suis. 74. De tribu verò Aser: Masal cum suburbanis suis, & Abdon similiter, 75. Hucac quoque & suburbana eius, & Rohob cum suburbanis suis. 76. Porrò de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa & suburbana eius, Hamon cũ suburbanis suis, & Cariathaim & suburbana eius. 77. Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono & suburbana eius, & Thabor cum suburbanis suis: 78. trans Iordanem quoque ex aduerso Iericho contra Orientem Iordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Iassa cum suburbanis suis, 79. Cademoth quoque & suburbana eius, & Mephaat cum suburbanis suis. 80. Necnon & de tribu Gad, Ramoth in Galaad & suburbana eius, & Manaim cum suburbanis suis, 81. sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Iezer cum suburbanis suis.

VERS. 3. FILII AARON: NADAB ET ABIV] qui A adolentes ignem alienum à Deo occisi sunt Leuit. 10. v. 2. superfuêre ergo soli duo *Eleazar & Ithamar*; Eleazar fuit senior, ideoque Aaroni successit in pontificatu, eiusque posteri vsque ad Ozi, de quo mox.

VERS. 5. BOCCI GENVIT OZI] post hunc *Ozi*, Pontifex factus est Heli, qui erat abnepos Ithamar, non Eleazar: Heli successêre quatuor eius posteri, quorum vltimus fuit Abiathar, qui à Salomone ob coniurationem cum Adonia contra se factam pontificatu priuatus fuit, suffecto in eius locum Sadoc, qui erat ex posteris Eleazar: vnde pontificatus mansit in eius posteris vsque ad captiuitatem Babylonicam. Quare quatuor medij, qui hîc nominantur ab Ozi vsque ad Sadoc, scilicet *Zarahias, Meraioth, Amarias & Achitob*, non fuêre Pontifices; ceteri verò post Sadoc fuêre.

AZARIAS AVTEM GENVIT ZARAIAM] VERS. 11. *Azarias* hic fuit animosus ille Pontifex, qui restitit Oziæ, siue Azariæ regi volenti offerre incensum, eumque è templo eiecit, vti dicitur lib. 2. cap. 26. Filius *Azariæ* fuit *Zaraias*, qui Pontifex fuit post patrem vsque ad excidium Ierosolymæ & templi, ac cum septuaginta primoribus Iudæorum à Nabuchodonosor occisus est, vt dictum est lib. 4. Reg. cap. vlt. v. 18. Filius *Saraiæ* fuit *Iosedec*, qui abductus in Babylonem ex ea Iudæos captiuos abduxit cum Zorobabele Duce, anno primo Cyri. Filius *Iosedec* fuit *Iosue* siue *Iesu* Pontifex, qui cum Zorobabele templum instauratit; vt dicitur 1. Esdræ 5. 2. vti eidem iusserat Deus per Zachariam cap. 3.

VERS. 22. CORE FILIVS EIVS] Hic est *Core*, qui Moysi rebellans viuus à terra dehiscente cum tabernaculo suo absorptus fuit, sed filij eius innocentes, à Deo per miraculum illæsi seruati sunt, qui proinde hîc recensentur Ex quibus fuit *Elcana* pater Samuelis prophetæ, vt patet v. 27. & 34. & 37.

VERS. 28. FILII SAMVEL] qui fuit filius *Elcana* proximè v. 27. nominati. Ideò enim proximè post eum nominatur, vt indicetur eius fuisse filius. ita Vatabl.

PRIMOGENITVS VASSENI ET ABIA] Dices, 1. Reg. 8. 2. dicitur *nomen filij eius* (Samuelis) *primogeniti, Ioel; & nomen secundi, Abia.* Resp. *Ioel* fuisse binomium, & alio nomine vocatum *Vasseni*. Aut certè *Ioel* hîc excidit; & *Vasseni*, Hebr. וַשְׁנִי, id est *& secundus Abia*; vnde Sept. clarè vertunt, *Et filij Samuel primogenitus eius Ioel, & secundus Abia.* Hi sunt qui degeneres à Samuele occasionẽ dederunt populo petendi regem, vnde Samuel regem eis dedit Saulem 1. Reg. 8.

VERS. 54. HÆC HABITACVLA] q. d. hæ sunt sacerdotum vrbes eis à Iosue assignatæ cap. 21. vbi ferè eodem ordine recensentur quo hîc.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Filij, id est posteri Issachar, Beniamin, Nephthali, Manasse, Ephraim & Aser.

1. PORRÒ filij Issachar: Thola, & Phua, Iasub, & Simeron, quatuor. 2. Filij Thola: Ozi & Raphaia, & Ieriel, & Iemai, & Iebsem, & Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Tholá viri fortissimi numerati sunt in diebus Dauid, viginti duo millia sexcenti. 3. Filij Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, & Obadia, & Iohel, & Iesia, quinque omnes principes. 4. Cumque eis per familias & populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt vxores, & filios. 5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt. 6. Filij Beniamin: Bela, & Bechor, & Iadiel, tres. 7. Filij Bela: Esbon, & Ozi, & Oziel, & Ierimoth, & Vrai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia & triginta quatuor. 8. Porrò filij Bechor: Zamira, & Ioas, & Eliezer, & Elioënai, & Amri, & Ierimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filij Bechor. 9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia & ducenti. 10. Porrò filij Iadihel: Balan. Filij autem Balan: Iehus, & Beniamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharsis, & Ahisahar. 11. omnes hi filij Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia & ducenti, ad prælium procedentes. 12. Sepham quoque, & Hapham filij Hir: & Hasim filij Aher. 13. Filij autem Nephthali: Iasiel, & Guni, & Ieser, & Sellum, filij Bala. 14. Porrò filius Manasse, Esriel: concubinaque eius Syra peperit Machir patrem Galaad. 15. Machir autem accepit vxores filiis suis Happhim & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ. 16. & peperit Maacha vxor Machir filium, vocauitque nomen eius Phares: porrò nomen fratris eius, Sares: & filij eius Vlam, & Recen. 17. Filius autem Vlam, Badan: hi sunt filij Galaad, filij Machir, filij Manasse. 18. Soror autem eius Regina peperit Virumdecorum, & Abiezer, & Mohola. 19. Erant autem filij Semida, Ahin, & Sechem, & Leci, & Aniam. 20. Filij autem Ephraim: Suthala, Bared filius eius, Thahath filius eius, Elada filius eius, Thahath filius eius, huius filius Zabad, 21. & huius filius Suthala, & huius filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant vt inuaderent possessionem eorum. 22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius vt consolarentur eum. 23. Ingressusque est ad vxorem suam: quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eò quòd in malis domus eius ortus esset: 24. filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara. 25. Porrò

rò filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, 26. qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama, 27. de quo ortus est Nun, qui habuit filium Iosue. 28. Possessio autem eorum & habitatio, Bethel cum filiabus suis, & contra Orientem Noran, ac Occidentalem plagam Gazer & filiæ eius, Sichem quoque cum filiabus suis, vsque ad Aza cum filiabus eius. 29. Iuxta filios quoque Manasse, Bethsan & filias eius, Thanach & filias eius, Mageddo & filias eius, Dor & filias eius: in his habitauerunt filij Ioseph, filij Israel. 30. Filij Aser: Iemna, & Iesua, & Iessui, & Baria, & Sara soror eorum. 31. Filij autem Baria: Heber, & Melchiel: ipse est pater Barsaith. 32 Heber autem genuit Iephlat, & Somer, & Hotham, & Suaa sororem eorum. 33. Filij Iephlat: Phosech, & Chamaal, & Asoth: hi filij Iephlat. 34. Porrò filij Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram. 35. Filij autem Helem fratris eius: Supha, & Iemna, & Selles, & Amal. 36. Filij Supha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Iamra, 37. Bosor, & Hod, & Samma, & Saluſa, & Iethran, & Bera. 38. Filij Iether: Iephone, & Phaspha, & Ara. 39. Filij autem Olla: Aree, & Haniel, & Resia. 40. Omnes hi filij Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

VERS. 3. FILII OZI] *Filij*, id est *filius*, vnus enim tantùm nominatur, scilicet *Israbia*, eò quòd eius solius, velut eximij, prosapiam deinceps pertexere voluerit Esdras: verisimile enim est Ozi plures habuisse filios, sed minùs claros. Certum enim est hisce decem capitibus multorum posterorum Patriarcharum nomina reticeri: prolixum enim & quasi infinitum fuisset omnes enumerare. Quare aliqui tantùm illustriores hîc recensentur, cæteri reticentur. Sic Genes. 46. 23. dicitur: *Filij Dan, Husim. Filij*, id est *filius*, vnum enim dumtaxat habuit, à quo tota tribus Dan propagata est. Est Enallage numeri. Recenset enim omnes Patriarcharum filios, quorum vnum dumtaxat habuit Dan.

VERS. 6. FILII BENIAMIN: BELA ET BECHOR ET IADIEL, TRES] Tres hi fuêre illustriores: nam vniuersim fuêre decem, qui recensentur Genes. 46. 21.

VERS. 18. SOROR AVTEM EIVS REGINA PEPERIT VIRVMDECORVM] Hebr. *Et soror eius Molech & peperit Isehod.* ita Sept. Pagn. Vatab. & alij; sed Noster nomina propria per significata more suo transtulit: *Molechet* enim significat *reginam*, *Ischod* verò *virum decorum*. vide dicta cap. 4. v. 22. & 23.

OCCIDERVNT AVTEM EOS (filios Ephraim primogeniti Ioseph) VIRI GETH INDIGENÆ, QVIA DESCENDERANT VT INVADERENT POSSESSIONES EORVM] Verisimile est Pharaonem Iosepho, quem ob famem depulsam Ægyto præfecerat, in ea possessiones aliquas donasse, præsertim in eius finibus, & terra Gessen quam fratribus eius ad pecora alenda assignauerat. Ioseph verò moriens has possessiones reliquit filio suo Ephraim: Ephraim autem illas tradidit filiis suis; sed eos occiderunt Ægypto vicini Gethæi, & possessiones eorum occuparunt, & hoc est, quod hîc dicitur. Meminit huius cædis Chaldæus Paraphrastes Cant. 2. v. 7. sed veris multa fabulosa more suo admiscet.

FILIA AVTEM EIVS FVIT SARA, QVÆ ÆDIFICAVIT BETHORON] *Filia*, id est neptis, vel potiùs proneptis; nec enim filia Ephraim habitans cum eo in Ægypto potuit ædificare *Bethoron*, & duas alias vrbes quæ erant in Chanaan.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Beniamin pleniùs recensentur, vt deinde pertexatur genealogia Saulis v. 33.

1. BEniamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, 2. Nohaa quartum, & Rapha quintum. 3. Fueruntq; filij Bale: Addar, & Gera & Abiud, 4. Abisue quoque & Naaman, & Ahoë, 5. sed & Gera, & Sephuphan, & Huram. 6. Hi sunt filij Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui transtati sunt in Manahath. 7. Naman autem, & Achia, & Gera ipse transtulit eos, & genuit Oza, & Ahiud. 8. Porrò Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim & Bara vxores suas. 9. Genuit autem de Hodes vxore sua Iobab, & Sebia, & Mosa, & Molchom, 10. Iehus quoque, & Sechia, & Marma. hi sunt filij eius, principes in familiis suis. 11. Mehusim verò genuit Abitob, & Elphaal. 12. Porrò filij

filij Elphaal: Heber, & Misaam, & Samad: hic ædificauit Ono, & Lod, & filias eius. 13. Baria autem & Sama, principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugauerunt habitatores Geth. 14. Et Ahio, & Sesac, & Ierimoth, 15. & Zabadia, & Arod, & Heder, 16. Michaël quoque, & Iespha, & Ioha, filij Baria. 17. Et Zabadia, & Mosollam, & Hezeci, & Heber, 18. & Iesamari, & Iezlia, & Iobab, filij Elphaal, 19. & Iacim, & Zechri, & Zabdi, 20. & Elioënai, & Selethai, & Eliel, 21. & Adaia, & Baraia, & Samarath, filij Semei. 22. Et Iespham, & Heber, & Eliel, 23. & Abdon, & Zechri, & Hanan, 24. & Hanania, & Ælam, & Anathothia, 25. & Iephdaia, & Phanuel, filij Sesac. 26. & Samsari, & Soboria, & Otholia, 27. & Iersia, & Elia, & Zechri, filij Ieroham. 28. hi patriarchæ, & cognationum principes, qui habitauerunt in Ierusalem. 29. In Gabaon autem habitauerunt Abigabaon, & nomen vxoris eius Maacha: 30. filiusque eius primogenitus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab. 31. Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth: 32. & Macelloth genuit Samaa: habitauerunt quoque ex aduerso fratrũ suorum in Ierusalem cum fratribus suis. 33. Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. Porrò Saul genuit Ionathan, & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal. 34. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. 35. Filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. 36. & Ahaz genuit Ioada: & Ioada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: porrò Zamri genuit Mosa, 37. & Mosa genuit Baana, cuius filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. 38. Porrò Asel sex filij fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, & Hanan. omnes hi filij Asel. 39. Filij autem Esec fratris eius, Vlam primogenitus, & Iehus secundus, & Eliphalet tertius. 40. Fueruntque filij Vlam viri robustissimi, & magno roborè tendentes arcum: & multos habentes filios ac nepotes, vsque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filij Beniamin.

VERS. 7. NAMAN AVTEM ET ACHIA ET GERA, supple, sunt filij Abod, quos v. præcedenti me recensiturum promisi. IPSE, scilicet *Gera*, qui proximè præcessit, TRANSTVLIT EOS] scilicet Ahoditas ex Gabaa in Manahath, vt dictum est v. 6. Idemque Gera *genuit Ozæ & Ahiud*, ac tertium *Saharaim* existens *in regione Moab*, vt sequitur v. 8. ad quam Gera migrauit fortè cum Elimelech famis causa, Ruth. 1.

VERS. 28. QVI HABITAVERVNT IN IERVSALEM] Ierusalem enim spectabat ad tribum Beniamin, quæ eamdem cessit Iudæ, vt ex illa eiiceret Iebusæos, vt dixi Iosue 18. & Iudic. 1.

VERS. 29. IN GABAON AVTEM HABITAVERVNT ABIGABAON, &c.] id est *pater Gabaon*, scilicet princeps Gabaon, cuius nomen proprium erat *Iehiel*, vt dicitur cap. seq. v. 35. qui fuit pater Cis patris Saulis, vt sequitur. Dices, quomodo ergo v. 33. dicitur Ner fuisse pater Cis & auus Saulis? Resp. *Iehiel*, alio nomine dictum fuisse *Ner*, id est *lucerna*, eò quòd ipse vt lucerna toti familiæ præfulgeret. ita Emanuel Sà & Mariana, licet alij putent *Iehiel* fuisse patrem *Ner*, cuius filius fuit *Cis*, nepos *Saul*, idque colligunt ex cap. seq. v. 36. vbi *Iehiel* dicitur genuisse *Ner*, sed ibidem dicitur *Iehiel* genuisse *Cis*: quare *Ner* ibidem non fuit pater, sed frater *Cis*, cui *Ner* pater suum nomen imposuit.

ESBAAL] Hic alio nomine dictus est *Isbo-seth*, qui fuit quartus Saulis filius, & Dauidis antagonista 2. Reg. 2. 8. VERS. 33.

FILIVS AVTEM IONATHAN, MERIBBAAL] *Meribbaal*, est *Miphiboseth*; hic enim vnicus fuit filius Ionathæ, ac pater Michæ, vt sequitur. Porrò *Miphiboseth* vocatur *Meribbaal*, ilt est *litigans cum domino*, vel *Meri baal*, id est *rebellans domino*: qua de causa ita vocatus sit, nescitur. Hebræi apud S. Hier. in Tradit. causam dant, quòd murmurarit contra Dominum, qui Dauidem in regnum reduxerat, eò quòd Dauid sibi bona ademisset, eaque Sibæ seruo suo se calumnianti dedisset 2. Reg. 19. 29. Verùm hoc planè incertum est. Alij ita dictum volunt, quòd idola Baal destruxerit: hac enim de causa Gedeon vocatus est *Ierobaal*, id est, *litigator cum Baal*. Iudic. 6. 32. Verisimilius est eum vocatum *Meribbaal*, eò quòd cum seruo suo Siba, falsò se de affectato regno apud Dauidem accusante, non quasi cum seruo, sed quasi cum hero & domino litigare, imò hæreditatem suam (ita iubente Dauide) diuidere coactus sit. Hæc enim insignis ei fuit iniuria & vilipensio. VERS. 34.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur primores Iudæorum, qui è Babylone redierunt in Ierusalem cum sacerdotibus, Leuitis & Nathinæis: item Beniaminitæ, ac parentes & posteri Saulis.

1. VNiuersus ergo Israel dinumeratus est: & summa eorum scripta est in Libro regum Israel, & Iuda: translatique sunt in Babylonem propter delictum suum. 2. Qui autem habitauerunt primi in possessionibus, & in vrbibus suis: Israel, & Sacerdotes, & Leuitæ, & Nathinæi. 3. Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, & de filiis Beniamin, de filiis quoque Ephraim, & Manasse. 4. Othei filius Ammiud, filij Amri, filij Omrai, filij Bonni, de filiis Phares filij Iuda. 5. Et de Siloni: Asaia primogenitus, & filij eius. 6. De filiis autem Zara: Iehuel, & fratres eorum, sexcenti nonaginta. 7. Porrò de filiis Beniamin: Salo filius Mosollam, filij Oduia, filij Asana: 8. & Iobania filius Ieroham: & Ela filius Ozi, filij Mochori: & Mosollam filius Saphatiæ, filij Rahuel, filij Iebaniæ, 9. & fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum. 10. De sacerdotibus autem: Iedaia, Ioiarib, & Iachin, 11. Azarias quoque filius Helciæ, filij Mosollam, filij Sadoc, filij Maraioth, filij Achitob, pontifex domus Dei. 12. Porrò Adaias filius Ieroham, filij Phassur, filij Melchiæ: & Maasai filius Adiel, filij Iezra, filij Mosollam, filij Mosollamith, filij Emmer, 13. fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerij in domo Dei. 14. De Leuitis autem: Semeia filius Hassub, filij Ezricam, filij Hasebia, de filiis Merari. 15. Bacbacar quoque carpentarius, & Galal, & Mathania filius Micha, filij Zechri, filij Asaph: 16. & Obdia filius Semeiæ, filij Galal, filij Idithun: & Barachia filius Asa, filij Elcana, qui habitauit in atriis Netophati. 17. Ianitores autem: Sellum, & Accub, & Telmon, & Ahimam, & frater eorum Sellum princeps, 18. vsque ad illud tempus, in porta regis ad Orientem, obseruabant per vices suas de filiis Leui. 19. Sellum verò filius Core, filij Abiasaph, filij Core, cum fratribus suis, & domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerij, custodes vestibulorum tabernaculi: & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. 20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino. 21. Porrò Zacharias filius Mosollamia, ianitor portæ tabernaculi testimonij. 22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: & descripti in villis propriis: quos constituerunt Dauid, & Samuel Videns, in fide sua, 23. tam ipsos, quàm filios eorum, in ostiis domus Domini, & in tabernaculo, vicibus suis. 24. Per quatuor ventos erant ostiarij. id est ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum. 25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in sabbatis suis de tempore vsque ad tempus. 26. His quatuor Leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini. 27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis: vt cùm tempus fuisset, ipsi manè aperirent fores. 28. De horum genere erant & super vasa ministerij: ad numerum enim & inferebantur vasa, & efferebantur. 29. De ipsis, & qui credita habebant vtensilia sanctuarij, præerant similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus. 30. Filij autem sacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Et Mathathias Leuites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur. 32. Porrò de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, vt semper nouos per singula sabbata præpararent. 33. Hi sunt principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedris morabantur, vt die ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent. 34. Capita Leuitarum, per familias suas principes, manserunt in Ierusalem. 35. In Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Iehiel, & nomen vxoris eius Maacha. 36. Filius primogenitus eius Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab, 37. Gedor quoque, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth. 38. Porrò Macelloth genuit Samaan: isti habitauerunt è regione fratrum suorum in Ierusalem, cum fratribus suis. 39. Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ionathan, & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal. 40. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. 41. Porrò filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. 42. Ahaz autem genuit Iara, & Iara genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri. Zamri autem genuit Mosa. 43. Mosa verò genuit Banaa: cuius filius Raphaia, genuit Elasa: de quo ortus est Asel. 44. Porrò Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan. hi sunt filij Asel.

VERS. 1. VNIVERSVS ERGO ISRAEL DINVMERATVS EST] à Dauide 2. Reg. 24.

TRANSLATIQVE SVNT IN BABYLONEM] Hucusque ergo Esdras recensuit Hebræos, qui captiuitatem Babylonicam antecesserunt: deinceps verò recensebit eos qui ex ea redierunt, & post eam vixerunt; vbi nota multos ex Israel, id est decem tribubus, post schisma transmigrasse in Ierusalem: tum quia horrebant schisma factum à Ieroboam, volebantque priscam Iudæorum religionem sequi, & colere Deum in templo; tum quia cùm decem tribus à Teglatphalasar & Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, multi ex eis fugerunt in Ierusalem, & Iudæis sese associarunt. Hi cum Iudæis postea abducti sunt in Babylonem, indeque post 70. annos cum eisdem redierunt in Ierusalem; & hoc est, quod hîc dicitur. Vnde subdit:

VERS. 2. QVI AVTEM. HABITAVERVNT PRIMI (priùs) IN POSSESSIONIBVS ET VRBIBVS SVIS: nimirùm ISRAEL (id est Israelitæ) ET SACERDOTES ET LEVITÆ ET NATHINÆI] habitantes scilicet cum Iudæis in Iudæa, indeque cum eis translati in Babylonem; soluta deinde captiuitate cum eis pariter in Ierusalem & Iudæam ad pristinas suas possessiones & vrbes redierunt, in eisque habitarunt, vti antè fecerant. Quocircà

VERS. 3. COMMORATI SVNT IN IERVSALEM DE FILIIS IVDA, ET DE FILIIS BENIAMIN, DE FILIIS QVOQVE EPHRAIM ET MANASSE] Hos deinde enumerat dicens:

VERS. 4. OTHEI FILIVS AMMIVD, &c.] Porrò *Nathinæi*, id est *donati*, & oblati templo, fuêre Gabaonitæ, qui ob fraudem admissam à Iosue deputati sunt templo, damnati scilicet, vt ad illud aquam & ligna comportarent. vide dicta Iosue 9. 23. & 2. Esdræ 11. v. 1. & seq. vbi iidem recensentur. C

VERS. 5. ET DE SILONI] subaudi, filiis. *Siloni* erat vir celebris, oriundus ex tribu Iuda; verùm non ex Phares vel Zare, vt ex hoc loco pater, sed ex Sela descendens. Nam hi tres soli fuêre Iudæ filij superstites, quia Her & Onan à Deo occisi sunt. Genes. 38.

VERS. 16. IN ATRIIS. Hebr. *in villis*, quæ nuncupabantur NETOPHATI]

VSQVE AD ILLVD TEMPVS (scilicet à prima ostiariorum templi institutione, vsque euersionem templi per Chaldæos) OBSERVABANT, Hebr. *excubabant*, hi Leuitæ, PER VICES SVAS; tum in aliis templi portis, tum maximè IN PORTA REGIS AD ORIENTEM] id est in porta orientali templi, quæ vicina erat palatio regis, per quam proinde rex templum introire solebat, quæ exinde dicebatur, *porta regis*. VERS. 18.

OMNES HI ELECTI IN OSTIARIOS, &c. DESCRIPTI IN VILLIS PROPRIIS] Habitabat enim Leuitæ aliqui in Ierusalem, alij verò per alias vrbes, vicos & villas erant distributi: vnde v. 25. dicitur: *in viculis morabantur*; certis tamen temporibus, quibus per vices ministrare debebant in templo, veniebant in Ierusalem. Has autem eorum ministrandi vices & ordines CONSTITVERVNT DAVID, & ante eũ SAMVEL, VIDENS siue propheta, idq; IN FIDE SVA, hoc est in potestate & authoritate sibi à Deo & Rep. ad id faciendum credita & cõmissa. Secundò, *in fide sua*, Vatab. *propter fidem ipsorũ fident*, id est fidelitatẽ; quia scilicet sciebat eos fideles esse & fore, ac fideliter hoc munus obituros. Tertiò, per *fidem*, accipias officium fidele, id est firmum, stabile perpetuum & irreuocabile, q.d. Dauid & Samuel constituêre hosce ostiarios *in fide*, hoc est fideles, id est firmos, stabiles; vt scilicet officium ostiariorum *fideliter*, id est stabiliter, & perpetim exercerent ita Vatab. Hoc enim significat Hebr. באמונתם *beemunatam*, id est *in fide*, siue *in stabilitate ipsorum*. VERS. 22.

QVI IN EXEDRIS, (id est cubiculis & aulis templo annexis) MORABANTVR] vt iugiter canendis Dei laudibus, hymnis & psalmis vacarent, vtque populum in lege Dei erudirent. Vnde & *Synagogæ* sunt appellatæ. VERS. 33.

IN GABAON AVTEM] Transit à Leuitis ad Beniaminitas, vt ad Saulem primum regem Israelis, deinde eo amoto ad Dauidem descendat; Dauidis enim causa hæc omnia scribuntur, quia eius familia regia perduravit vsque ad captiuitatem Babylonicam, imò vsque ad Machabæos; sed tum non regia, sed Ducali authoritate præfuit populo. VERS. 35.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rex Saul ob peccata à Deo reiectus, vnà cum filiis à Philisthæis occiditur. Eius caput in templo Dagon suspenditur, reliquum corpus à Iabesitis sepelitur.

1. PHilisthiim autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæstinos, & ceciderunt vulnerati in monte Gelboë. 2. Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, & filios eius, percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua, filios Saul. 3. Et aggrauatum est prælium contra Saul, inueneruntque eum sagittarij, & vulnerauerunt iaculis. 4. Et dixit Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & interfice me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul ensem, & irruit in eum. 5. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est. 6. Interiit ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius pariter concidit. 7. Quod cùm vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt: & Saul ac filiis eius mortuis, dereliquerunt vrbes suas, & huc illucque dispersi sunt: veneruntque Philisthiim, & habitauerunt in eis. 8. Die igitur altero detrahentes Philisthiim spolia cæsorum, inuenerunt Saul, & filios eius iacentes in monte Gelboë. 9. Cumque spoliassent eum, & amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, vt circumferretur, & ostenderetur idolorum templis, & populis: 10. arma autem eius consecrauerunt in fano dei sui, & caput affixerunt in templo Dagon. 11. Hoc cùm audissent viri Iabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerant super Saul, 12. consurrexerunt singuli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius: attuleruntque ea in Iabes, & sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt septem diebus. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, 14. nec sperauerit in Domino. propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.

GEsta huius capitis audiuimus 1.Reg.vlt. A vbi ea explicui,

VERS.10. ARMA AVTEM EIVS CONSECRAVERVNT IN FANO DEI SVI] Astaroth vt dicitur 1. Reg. vlt.10. *Astaroth* erat Venus, quæ nunc vt Dea, nunc vt Deus colebatur.

VERS.14. CAPVT AFFIXERVNT IN TEMPLO DAGON] quasi sic Dagoni adscribentes victoriam, ideoque caput cæsi Saulis regis, velut nobilissimum spolium eidem offerentes.

NEC SPERAVIT IN DOMINO] Hæc fuit prima peccati Saulis causa, quòd nimirùm, diffisus Deo, vtpote quem per inobedientiam offenderat, filius fuerit diabolo, eumque per Pythonissam aduocarit.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid vngitur in regem Israelis, ac Iebusæos ex arce Sion expellit. Mox vers. 10. ad finem nomina & heroica facta fortium eius recensentur.

1. COngregatus est igitur omnis Israel ad Dauid in Hebron, dicens: Os tuum sumus, & caro tua. 2. Heri quoque, & nudiustertius, cùm adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Israel: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris princeps super eum. 3. Venerunt ergo omnes maiores natu Israel ad regem in Hebron, & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino: vnxeruntque eum regem super Israel, iuxta sermonem

monem Domini, quem locutus est in manu Samuël. 4. Abiit quoque Dauid, & omnis Israel, in Ierusalem. hæc est Iebus, vbi erant Iebusæi habitatores terræ. 5. Dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: Non ingredieris huc. Porrò Dauid cepit arcem Sion, quæ est Ciuitas Dauid, 6. dixitque: Omnis qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiæ, & factus est princeps. 7. Habitauit autem Dauid in arce, & idcircò appellata est Ciuitas Dauid. 8. Ædificauitque vrbem in circuitu à Mello vsque ad gyrum, Ioab autem reliqua vrbis extruxit. 9. Proficiebatque Dauid vadens & crescens, & Dominus exercituum erat cum eo. 10. Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum vt rex fieret super omnem Israel, iuxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel. 11. Et iste numerus robustorum Dauid: Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta: iste leuauit hastam suam super trecentos vulneratos vna vice. 12. Et post eum Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iste fuit cum Dauid in Phesdomim, quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus à facie Philisthinorum. 14. Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo. 15. Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat Dauid, ad speluncam Odollam, quando Philisthiim fuerant castrametati in Valle raphaim. 16. Porrò Dauid erat in præsidio, & statio Philisthinorum in Bethlehem. 17. Desiderauit igitur Dauid, & dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta. 18. Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad Dauid vt biberet: qui noluit, sed magis libauit illam Domino, 19. dicens: Absit vt in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere. hæc fecerunt tres robustissimi. 20. Abisai quoque frater Ioab ipse erat princeps trium, & ipse leuauit hastam suam contra trecentos vulneratos, & ipse erat inter tres nominatissimus, 21. & inter tres secundos inclytus, & princeps eorum: verumtamen vsque ad tres primos non peruenerat. 22. Banaias filius Ioiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos ariel Moab: & ipse descendit, & interfecit leonem in media cisterna tempore niuis. 23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cuius statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium texentium: descendit igitur ad eum cum virga, & rapuit hastam, quam tenebat manu, & interfecit eum hasta sua. 24. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, 25. inter triginta primus, verumtamen ad tres vsque non peruenerat: posuit autem eum Dauid ad auriculam suam. 26. Porrò fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Ioab, & Elchanan filius patrui eius de Bethlehem, 27. Sammoth Arorites, Helles Phalonites, 28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, 29. Sobbochai Husathites, Ilai Ahohites, 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites, 31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, Banaia Pharathonites, 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filij Assem Gezonites, Ionathan filius Sage, Ararites, 34. Ahiam filius Sachar, Ararites, 35. Eliphal filius Vr, 36. Hepher Mechetathites, Ahia Phelonites, 37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai, 38. Ioël frater Nathan, Mibahar filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Ioab filij Saruiæ. 40. Ira Iethræus, Gareb Iethræus, 41. Vrias Hethæus, Zabad filius Ohioli, 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo triginta: 43. Hanan filius Maacha, & Iosaphat Mathanites, 44. Ozia Astarothites, Samma & Iehiel filij Hotham Arorites, 45. Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thosaites, 46. Eliel Mahumites, & Ieribai & Iosaia filij Elnaëm, & Iethma Moabites, Eliel, & Obed, & Iasiel de Masobia.

PRiorem partem audiuimus 2. Reg. 3. v. 9. & toto c. 5. posteriorem eodem lib. c.23. v.8. & seq. vbi ea explicui.

VERS. 2. TV PASCES] id est tu reges. Rex enim est pastor populorum, vti de Agamemnone ait Homerus.

IPSE (Banaias) PERCVSSIT DVOS ARIEL MOAB] id est duos leones Moab, vt dici- VERS.22.

dicitur 2. Reg. 23. 20. Vocantur hi *Ariel*, id est *Leones Dei*, hoc est maximi & robustissimi. Hebræi, Ioseph. Lyran. Glossa, Caiet. censent hos duos fuisse duces Moabitarum fortissimos, & sæuissimos instar leonum. Verùm alij simpliciter *leones*, vt sonant accipiunt. vide dicta 2. Reg. 23. 20.

POSVIT AVTEM EVM DAVID AD AVRICVLAM SVAM] id est fecit eum sibi secretarium, intimumque consiliarium & monitorem, qui eum de agendis commoneret, omniaque quæ ei facienda erant, suggereret, vti faciunt Romæ Cardinalibus *Auditores*, quos vocant. VERS. 1.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ij qui Dauidem, cùm fugeret Saulem, secuti sunt: & ij qui primi venerunt ad eum in Hebron, vt eum vngerent in regem.

1. HIquoque venerunt ad Dauid in Siceleg, cùm adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregij pugnatores, 2. tendentes arcum, & vtraque manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas: de fratribus Saul ex Beniamin. 3. Princeps Ahiezer, & Ioas, filij Samaa, Gabaathites, & Iaziel, & Phallet filij Azmoth, & Baracha, & Iehu Anathothites. 4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta & super triginta. Ieremias, & Iehezieel, & Iohanan, & Iezabad Gaderothites. 5. & Eluzai & Ierimuth, & Baalia, & Samaria, & Saphatia Haruphites. 6. Elcana, & Iesia, & Azareel, & Ioëzer, & Iesbaam de Carehim: 7. Ioëla quoque, & Zabadia, filij Ieroham de Gedor. 8. Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cùm lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus: 9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, 10. Masmana quartus, Ieremias quintus, 11. Ethi sextus, Eliel septimus, 12. Iohanan octauus, Elzebad nonus, 13. Ieremias decimus, Machbanai vndecimus. 14. hi de filiis Gad principes exercitus: nouissimus centum militibus præerat, & maximus, mille. 15. Isti sunt qui transierunt Iordanem mense primo, quando inundare consueuit super ripas suas: & omnes fugauerunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, & Occidentalem. 16. Venerunt autem & de Beniamin, & de Iuda, ad præsidium in quo morabatur Dauid. 17. Egressusque est Dauid obuiàm eis, & ait: Si pacificè venistis ad me vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro aduersariis meis, cùm ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. 18. Spiritus verò induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus, ô Dauid, & tecum fili Isai: pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis. te enim adiuuat Deus tuus. Suscepit ergo eos Dauid, & constituit principes turmæ. 19. Porrò de Manasse transfugerunt ad Dauid, quando veniebat cum Philisthiim aduersus Saul, vt pugnaret: & non dimicauit cum eis; quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri reuerteturad dominum suum Saul. 20. Quando igitur reuersus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, & Iozabad, & Iedihel, & Michaël, & Eddas, & Iozabad, & Eliu, & Salathi, principes millium in Manasse. 21. hi præbuerunt auxilium Dauid aduersus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, & facti sunt principes in exercitu. 22. Sed & per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei. 23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid, cùm esset in Hebron, vt transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini. 24. Filij Iuda portantes clypeum & hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium. 25. De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. 26. De filiis Leui, quatuor millia sexcenti. 27. Ioiada quoque princeps de stirpe Aaron, & cum eo tria millia septingenti. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius, principes viginti duo. 29. De filiis autem Beniamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum

domum Saul. 30. Porrò de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis. 31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem & octo millia, singuli per nomina sua venerunt vt constituerent regem Dauid. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur. 33. Porrò de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici. 34. Et de Nephthali, principes mille: & cum eis instructi clypeo & hasta, triginta & septem millia. 35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. 36. Et de Aser egredientes ad pugnam, & in acie prouocantes, quadraginta millia. 37. Trans Iordanem autem de filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia. 38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, vt constituerent regem Dauid super vniuersum Israel: sed & omnes reliqui ex Israel, vno corde erant, vt rex fieret Dauid. 39. Fuerunt que ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes, præparauerant enim eis fratres sui. 40. Sed & qui iuxta eos erant, vsque ad Issachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in asinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad vescendum: farinam, palathas, vuam passam, vinum, oleum, boues, arietes, ad omnem copiam. gaudium quippe erat in Israel.

VERS. 2. DE FRATRIBVS SAVL EX BENIAMIN] Aman non erat Pontifex, sed *princeps*, id est dux agminis militaris, quod è sacerdotibus & Leuitis ad Dauidem deducebat.

DE FILIIS QVOQVE ISSACHAR VIRI ERVDITI, QVI NOVERANT SINGVLA TEMPORA AD PRÆCIPIENDVM QVID FACERE DEBERET ISRAEL, PRINCIPES DVCENTI] Vatab. *principes gnari occasionum*, id est scientes quo tempore quidve gerendum esset captatis occasionibus, v.g. quòd hoc tempore, quo à Philisthæis cætus erat Saul cum totis castris, Rex creandus esset Dauid, vtpote bello assuetus & victoriosus, ideoque terror Philisthinorum ad compescendam eorum ex recenti victoria superbiam & audaciam, quodque iam tempus aduenisset, quo promissio regni facta à Deo Dauidi implenda foret. Nullus enim erat alius, qui rebus Israelis iam adeò prolapsis & afflictis succurrere, easque restaurare posset, nisi Dauid: quare hi principes suaserunt populo non tantùm suæ tribus, sed & aliarũ, vt Dauidem crearent regem. Erant ego hi eruditi in scientia, siue intelligentia temporum, id est occasionum, vt habent Hebr. quæ est scientia practica ad vitam humanam vtilissima, adeoque in ea consistit vera & perfecta prudentia, tum ethica, tum œconomica, tum politica, vti docet Salomon Eccles. c. 3. 2. *Omnia tempus habent: tempus*, inquit, *nascendi, & tempus moriendi. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi. Tempus belli, & tempus pacis*, &c. Et c. 8. 6. *Omni negotio tempus est, & opportunitas*. Secundò, *scientia temporum* hic accipi potest physica & astrologica. Erant enim Issachariani agricolæ, ideoque obseruabant temporum mutationes, aëris que & ventorum commoditates, vt scirent quando foret tempus seminandi, quando inetendi, quando plantandi, quando nauigandi. Hæc enim scientia agricolis est necessaria teste Virgil. in Georg. Hanc autem scientiam temporum VERS. 32. *Scientia temporum. Primò.* *Secundò.*

VERS. 6. DE CAREHIM] id est vt habent Hebræi & Sept. *de Coritis*, siue de posteris Core.

VERS. 8. DE GADDI] id est de tribu Gad, siue de Gadditis.

VERS. 15. ISTI SVNT QVI TRANSIERVNT IORDANEM MENSE PRIMO (Nisan siue Paschali, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet) QVANDO INVNDARE CONSVEVIT SVPER RIPAS SVAS, ET OMNES FVGAVERVNT] q. d. Isti sunt Gadditæ, qui heroico animo & virtute Iordanem à Iosue diuisum primi ingredi ausi sunt, ac Chananæos ex aduersa ripa consistentes, & transitum Hebræorum prohibere conantes inuaserunt, & in fugam compulerunt. α β

VERS. 22. QVASI EXERCITVS DEI] id est quasi exercitus maximus; Dei enim maximi omnia sunt maxima.

VERS. 28. SADOC ETIAM PVER EGREGIÆ INDOLIS] Hic videtur esse Sadoc Pontifex, quem Saul occiso Abimelech, qui erat ex Heli & Ithamar, Pontificem constituit. Vocatur *puer*, quia illo tempore erat iunior, vnde posteà vixit toto tempore Dauidis, & pontificatu simul cum Abiathar functus est. Deinde à Salomone amoto Abiathar, solus Sadoc Pontifex ab eodem auctoratus mansit. Licet enim Ioiada v. præcedenti vocetur *princeps*, ipse ta- C

rum partim continua obſeruatione & vſu, ſcilicet ex prognoſticis ventorum, ſiderum, &c. continuè obſeruatis didicerant Iſſachariani, ait Abul. & Sanchez; partim ex vicinis Phœnicibus, putà Tyriis & Sidoniis (ad quos illi ſuas ſegetes, vinum & oleum deferebant, vt illi per mare eas ad vicinas inſulas deucherent & diuenderent) hauſerant. Phœnices enim, quia accolæ maris, vacabant nauigationi & mercimoniis, ideoque obſeruabant aſtrorum & temporum viciſſitudines, vt ſcirent quando, quomodo & vbi foret nauigandum. Vnde Plinius lib. 8. c. 56. Phœnicibus quaſi proprium inuentum tribuit ſiderum obſeruationem in nauigando. Et Aratus in Phœnom.

Phœnicas, inquit, *Cynoſura regit ſulcantibus æquor.*

Et ex eo Cicero lib. 1. Academ. *Ego*, inquit, *& magnus quidem ſum opinator, & meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam paruulam Cynoſuram, Qua fidunt duce nocturnâ Phœnices in altum; vt ait Aratus, eoque directiùs gubernant, quòd eam tenent,*

Quæ curſu inferiore breui conuertitur orbe.

Sed ad Helicen & clariſſimos Septentriones, id eſt, rationes has, latiore ſpecie, non ad tenue climatas; eo ſit, vt errem, & vager latiùs. Hinc Tibullus:

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus.

Tertiò, S. Hieron. per *ſcientiam temporum*, accipit ſcientiam cõputus Eccleſiaſtici, v. g. quando celebrandum ſit Paſcha, Pentecoſte, ceteraque feſta, quid quolibet feſto faciendum & offerendum ſit. Erant enim Iſſachariani in quieta ſuæ agriculturæ vita, ſtudio ſapientiæ & religionis dediti. Vnde Moyſes Deuter. 33. 19. hanc eis benedictionem impertit: *Et Iſſachar in tabernaculis ſuis*, ſcilicet quietè agriculturæ & mercaturæ vacabit. *Populos vocabunt ad montem*, puta ad templũ in monte Sion, vt in eo Deum piè colat. *Erant* enim ipſi, ait S. Hieron. *doctores, computatores & magiſtri, ſiue ad feſtiuitates ſiue ad cetera.* Refutat hoc Abul. quòd agricolæ non ſoleant vacare ſtudiis, ſed immeritò: nam contrarium ſæpe fieri videmus, & olim ita fiebat. Certè agricolæ multi filios habent doctos & doctores, ego quoque filius agricolæ ſum.

Tertiũ.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam è Cariathiarim reducens, coram ea pſallit & ſalit. Oza arcam tangens occiditur. Arca diuertens in domum Obededom, eam benedicit.

1. INiit autem conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuerſis principibus, 2. & ait ad omnem cœtum Iſrael: Si placet vobis: & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſrael, & ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, 3. & reducamus arcam Dei noſtri ad nos: non enim requiſiuimus eam in diebus Saul. 4. Et reſpondit vniuerſa multitudo vt ita fieret: placuerat enim ſermo omni populo. 5. Congregauit ergo Dauid cunctum Iſrael, à Sihor Ægypti, vſque dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et aſcendit Dauid, & omnis vir Iſrael, ad collem Cariathiarim, qui eſt in Iuda, vt afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper cherubim, vbi inuocatum eſt nomen eius. 7. Impoſueruntque arcam Dei ſuper plauſtrum nouum, de domo Abinadab: Oza autem, & frater eius, minabant plauſtrum. 8. Porrò Dauid, & vniuerſus Iſrael, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & pſalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis. 9. Cùm autem perueniſſent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam: bos quippe laſciuiens paululùm inclinauerat eam. 10. Iratus eſt itaque Dominus contra Ozam, & percuſſit eum, eò quòd tetigiſſet arcam: & mortuus eſt ibi coram Domino. 11. Contriſtatuſque eſt Dauid, eò quòd diuiſiſſet Dominus Ozam: vocauitque locum illum: Diuiſio Ozæ, vſque in præſentem diem. 12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quo modo poſſum ad me introducere arcam Dei? 13. Et ob hanc cauſam non adduxit eam ad ſe, hoc eſt, in Ciuitatem Dauid, ſed auertit in domum Obededom Gethæi. 14. Manſit ergo arca Dei in domo Obededom tribus menſibus: & benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.

VERS. 5. ASIHOR ÆGYPTI] *Sihor*, Hebr. שיחור *Sichor*, id eſt *niger*, vocatur Nilus, quòd aqua eius, quia limoſa & turbida, videatur eſſe nigra. Vnde à Græcis vocatur μέλας, id eſt *niger*; verùm quia Nilus longè abeſt à Iudæa, meliùs per *Sihor* accipias riuum iuxta *Rhinocoluram*, qui eſt terminus Auſtralis Iudææ, & alibi *torrens Ægypti* vocatur, de quo dixi Num. 34. 5.

OZA AVTEM ET FRATER EIVS] 2. Reg. 6. 3. habetur: *Oza & Ahio*, ſed *Ahio* Heb. idem eſt quod *frater eius*, vereque hic *Ahio* erat frater Ozæ; vterque enim erat filius Abinadab, vt ibi dicitur. VERS. 7.

CHIDON] alio nomine vocabatur *Nachon*, vt patet 2. Reg. 6. 6.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hiram mittit ad Dauidem ligna & artifices, qui ei domum ædificent. Dauid multiplicat vxores & filios, ac verſ. 9. cædit Philiſthæos in valle Raphaim, & iterum verſ. 14. cùm Deus veniret ei in auxilium ex aduerſo pyrorum.

1. MIſit quoque Hiram rex Tyri nũntios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices parietum, lignorumque: vt ædificarent ei domum. 2. Cognouitque Dauid quòd confirmaſſet eum Dominus in regem ſuper Iſrael, & ſubleuatum eſſet regnum ſuum ſuper populum eius Iſrael. 3. Accepit quoque Dauid alias vxores in Ieruſalem: genuitque filios, & filias. 4. Et hæc nomina eorum, qui nati ſunt ei in Ieruſalem: Samua, & Sobad, Nathan, & Salomon, 5. Iebahar, & Eliſua, & Eliphalet, 6. Noga quoque, & Naphegh, & Iaphia, 7. Eliſama, & Baaliada, & Eliphalet. 8. Audientes autem Philiſthiim eò quòd vnctus eſſet Dauid in regem ſuper vniuerſum Iſrael, aſcenderunt omnes vt quærerent eum: quod cùm audiſſet Dauid, egreſſus eſt obuiàm eis. 9. Porrò Philiſthiim venientes, diffuſi ſunt in Valle Raphaim. 10. Conſuluitque Dauid Dominum, dicens: Si aſcendã ad Philiſthæos, & ſi trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Aſcende, & tradam eos in manu tua. 11. Cumque illi aſcendiſſent in Baalpharaſim, percuſſit eos ibi Dauid, & dixit: Diuiſit Deus inimicos meos per manum meam, ſicut diuiduntur aquæ: & idcircò vocatum eſt nomen illius loci Baalpharaſim. 12. Dereliqueruntque ibi deos ſuos, quos Dauid iuſſit exuri. 13. Alia etiam vice Philiſthiim irruerunt, & diffuſi ſunt in valle. 14. Conſuluitque rurſum Dauid Deum, & dixit ei Deus: Non aſcendas poſt eos, recede ab eis, & venies contra illos ex aduerſo pyrorum. 15. Cumque audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellũ. Egreſſus eſt enim Deus ante te, vt percutiat caſtra Philiſthiim. 16. Fecit ergo Dauid ſicut præceperat ei Deus, & percuſſit caſtra Philiſthinorum, de Gabaon vſque Gazera. 17. Diuulgatumque eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus; & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes.

HOc caput explicui 2. Reg. 5.

VERS. 2. COGNOVITQVE DAVID, QVOD CONFIRMASSET EVM DOMINVS IN REGEM ISRAEL] ex eo quòd videret omnes Iſraelitas vltrò & communi conſenſu eum in regem acceptaſſe, ſeque illi ſubieciſſe, ac ſuam opem & operã ei liberaliter obtuliſſe. Hiram quoque & vicinos reges, ſe vt regem Iſrael honorare, amare & timere.

VERS. 14. VENIESQVE CONTRA EOS (non directè ſed caſtra eorum circumeundo, à tergo ſcilicet) EX ADVERSO PYRORVM] Cur hoc? Reſpondent Hebræi apud S. Hieron. Angelom. & Hiſt. Scholaſtica, eò quòd ibi Philiſthæi collocaſſent ſua idola, ideoque putarent eum locum eſſe tutiſſimum & munitiſſimum: Deus ergo vt oſtenderet idola nihil eſſe, & nihil poſſe; iubet Dauidem ex ea parte quaſi infirmiſſimâ, & expugnatu facillimâ, caſtra hoſtium inuadere, promittens ei certam tam de idolis, quàm de idololatris victoriam.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David arcam cum pompa deducit in Sion, ac coram ea saltando exultat. Idcirco despicit eum vxor Michol, sed à Deo sterilitate castigatur.

1. FEcit quoque sibi domos in Ciuitate Dauid: & ædificauit locum arcæ Dei
et tenditque ei tabernaculum. 2. Tunc dixit Dauid: Illicitum est vt
à quocumque portetur arca Dei nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portan-
dum eam, & ad ministrandum sibi vsque in æternum. 3. Congregauitque vni-
uersum Israel in Ierusalem, vt afferretur arca Dei in locum suum, quem præpara-
uerat ei. 4. Necnon & filios Aaron, & Leuitas. 5. de filiis Caath, Vriel
princeps fuit, & fratres eius centum viginti. 6. De filiis Merari, Asaia prin-
ceps; & fratres eius ducenti viginti. 7. De filiis Gersom, Ioël princeps; &
fratres eius centum triginta. 8. De filiis Elisaphan, Semeias princeps; & fra-
tres eius ducenti. 9. De filiis Hebron, Eliel princeps, & fratres eius octogin-
ta. 10. De filiis Oziel, Aminadab princeps; & fratres eius centum duode-
cim. 11. Vocauitque Dauid Sadoc & Abiathar Sacerdotes, & Leuitas, Vriel,
Asaiam, Ioël, Semeiam, Eliel, & Aminadab: 12. & dixit ad eos: Vos qui estis
principes familiarum Leuiticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & affer-
te arcam Domini Dei Israel, ad locum qui ei præparatus est: 13. ne vt à prin-
cipio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic & nunc fiat, illici-
tum quid nobis agentibus. 14. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ,
vt portarent arcam Domini Dei Israel. 15. Et tulerunt filij Leui arcam Dei,
sicut præceperat Moyses iuxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus. 16.
Dixitque Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis can-
tores in organis musicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt resonaret
in excelsis sonitus lætitiæ. 17. Constituerunt que Leuitas: Hemam filium Ioël,
& de fratribus eius, Asaph filium Barachiæ: de filiis verò Merari, fratribus eo-
rum, Ethan filium Casaiæ. 18. Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine,
Zachariam, & Ben, & Iaziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, Eliab, & Bana-
iam, & Maasiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededom, &
Iehiel, ianitores. 19. Porrò cantores, Heman, Asaph, & Ethan, in cymbalis
æneis concrepantes. 20. Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Ia-
hiel, & Ani, & Eliab, & Maasias, & Banaias, in nablis arcana cantabant. 21. Por-
rò Mathathias, & Eliphalu, & Macenias, & Obededom, & Iehiel, & Ozaziu,
in citharis pro octaua canebant epinicion. 22. Chonenias autem princeps Le-
uitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valdè
sapiens. 23. Et Barachias, & Elcana, ianitores arcæ. 24. Porrò Sebe-
nias, & Iosaphat, & Nathanael, & Amasai, & Zacharias, & Banaias, &
Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: & Obededom, & Iehias,
erant ianitores arcæ. 25. Igitur Dauid, & omnes maiores natu Israel, & tribu-
ni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum
lætitia. 26. Cumque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis
Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes. 27. Porrò Dauid erat
indutus stola byssina, & vniuersi Leuitæ qui portabant arcam, cantoresque, &
Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: Dauid autem etiam indutus erat
ephod lineo. 28. Vniuersusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in iu-
bilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes.
Cumque peruenisset arca fœderis Domini vsque ad Ciuitatem Dauid, Michol
filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid saltantem atque luden-
tem, & despexit eum in corde suo.

VERS. 12. QVIA NON ERATIS PRÆSENTES] Hinc A colligunt nonnulli Ozam percussum à Deo, quòd ipse cùm non esset sacerdos, tetigerit arcam. Sacerdotum enim erat eam tangere & humeris portare. vide dicta 2. Reg. 6. Alij ex *rò sanctificamini*, colligunt Ozam percussum eò quòd maculam aliquam contraxisset, nec ab ea se ante arcæ contactum expiasset &

& sanctificasset. Verùm *rò sanctificamini*, ad A sacerdotes pertinet, qui arcam tangere non poterant, nisi priùs ab omni immunditie legali se purgassent & sanctificassent, alioqui perculiendi à Deo perinde ac Oza, & tantùm hoc vult hîc Dauid.

VERS. 20. IN NABLIS ARCANA CANTABANT] putà Psalmos, qui Hebr. inscribuntur *Olamoth*, id est *arcana* & occulta, qualis est Psal. 9. & 45. qui duo Psalmi ita huic loco sunt appositi, vt de hac arcæ translatione videantur esse à Dauide compositi. Porrò *Nablum*, erat instrumentum musicum, quod ventriculo, quasi vtriculo (נֵבֶל *nebel* enim est *vter*) excipiebat aërem, & eumdem per fistulam cum harmonia emittebat, sine inflatu cuiusquam. Vnde eo vtens vocabatur *vtricularius* & *Ascaules*: ἀσκός enim est vter.

VERS. 21. IN CITHARIS PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION] q. d. canebant Psalmos qui inscribuntur Hebr. עַל שְׁמִינִית *al sceminith*, id est *super octaua* vel *pro octaua*, siue quòd octo vocibus, siue quòd octachordo, v. g. cithara octo chordis instructa (aliæ enim erant tetrachordæ, aliæ heptachordæ, aliæ decachordæ) canendi forent; *scemina* enim sunt octo. vide dicta 2. Reg. 6. 13.

Pro *epinicion*, Hebr. est נְצַח *netsach*, quod Vatab. vertit: *ad præualendum*, id est ad eleuandum vocem, ita vt vincantur alij cantores, qualis nunc est in Alto siue Superiore; Canens enim Altum, eleuatione vocis superat Tenorem, Contra-tenorē & Bassum. Melius Noster vertit: *Epinicion*. id est *carmen triumphale*, siue *pro victoria*. vide dicta 2. Reg. 6. 13. C

VERS. 22. CHONENIAS AVTEM PRINCEPS LEVITARVM, PROPHETIÆ PRÆERAT AD PRÆCINENDVM MELODIAM] Pro *prophetia* Heb. est מַשָּׂא *massa*, id est *eleuatio*, *assumptio*, indeque *onus eleuatum*, & in humeros assumptum, indeque *prophetia tristis & onerosa* per metaphoram; vnde primò, aliqui hîc vertunt: *Chonenias præerat oneri & oneratis*, eò quòd ipsi incũberet munus erudiendi arcæ baiulos, qua ratione progredi deberent, interquiescere, vices mutare, &c.

Secundò, alij vertunt: *præerat prophetiæ*, id est præscribebat cantoribus prophetias quas canerent: Cantores enim subinde vocantur *propheta*, & *prophetare* idem est quod canere, & laudare Deum. Sic Saul *prophetabat*, id est canebat Dei laudes 1. Reg. 10. 5.

Tertiò, Hebræi apud S. Hieron. in Tradit. *præerat prophetiæ*, hoc est inquiunt, prophetiæ melodias & verba cantoribus ad memoriam reuocabat.

Quartò optimè Sept. vertunt: *Erat princeps in eleuatione*. Vatab. *in exaltatione vocis*. q. d. Chonenias erat *præcentor*, & altiori voce intonabat, præibatque melodiam Psalmi cantandi, quam deinde ceteri cantores prosequebantur, vti faciunt Cantores & præfecti Musices in choro. Id ita esse patet ex eo, quòd Noster explicans, subdit *ad præcinendam melodiam*, vbi Hebr. est idem nomen מַשָּׂא *massa* quod paulò antè Noster vertit: *prophetia*: hæc ergo non aliud erat quàm melodia.

B ERAT QVIPPE VALDE SAPIENS] Hebr. מֵבִין *mebin*, id est *intelligens*, hoc est Musices, & canendi peritissimus. Tales enim decet esse præcentores.

VERS. 26. CVMQVE ADIVVISSET DEVS LEVITAS] vt nullum in portanda arca sentirent onus, aiunt Rabbini. Verùm hoc est fabula. Audi Lyran. ex Hebræis aptè ad rem præsentem: *Dicunt*, inquit, *Hebræi quòd istud adiutorium intelligitur per hoc, quòd arca portabat seipsam; hoc est, quòd diuina virtute sic portabatur, quòd Leuitæ portatores eius nullum pondus sentiebant: & pro illo miraculo facta fuit immolatio*. Verùm dico, Deus adiuuit eos animando, vires & præsertim amorem suggerendo, vt libenter baiularent arcam, ideoque onus vix sentirent. Quare illud miraculum non tam fuit potestatis, quàm charitatis. Hæc enim efficiebat vt illud onus, alioqui grauissimum, amantibus leuissimum videretur. Addit Iosephus illos, qui cantando & saltando & pulsando musica instrumenta præibant arcam, quamuis totam diem in eo labore extraherent, nullam tamen ex suo labore defatigationem sensisse. Amor enim, quo illi diuino oraculo famulabantur, non sinebat vt minuerentur vires; sed potiùs vt in singulas horas vegetiores redderentur.

VERS. 27. PORRO DAVID ERAT INDVTVS STOLA BYSSINA] scilicet ephod lineo, quod alibi *byssinum* vocatur. byssus enim est linum subtilius & delicatius.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David collocata arca in tabernaculo Sionis victimas offert, inde populo benedixit, deinde epulum largitur. Mox Leuitis sua circa arcam ministeria distribuit, ac vers. 8. Cantico Deum laudat.

1. ATtulerunt igitur arcam Dei, & constituerunt eam in medio taberna-
culi quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocausta, & pacifica
coram Deo. 2. Cumque complesset Dauid offerens holocausta, & pacifica,
benedixit populo in nomine Domini. 3. Et diuisit vniuersis per singulos, à viro
vsque

vsque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis bubalæ, & frixam oleo similam. 4. Constituitque coram arca Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel: 5. Asaph principem; & secundum eius Zachariam: Porrò Iahiel, & Semiramoth, & Iehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banaiam, & Obededom: Iehiel super organa psalterij, & lyras: Asaph autem vt cymbalis personaret: 6. Banaiam verò & Iaziel sacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini. 7. In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino Asaph, & fratres eius.

8. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.

9. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.

10. Laudate nomen sanctum eius: lætetur cor quærentium Dominum.

11. Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius semper.

12. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius.

13. Semen Israel serui eius: filij Iacob electi eius.

14. Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.

15. Recordamini in sempiternum pacti eius: sermonis, quem præcepit in mille generationes.

16. Quem pepigit cum Abraham: & iuramenti illius cum Isaac.

17. Et constituit illud Iacob in præceptum: & Israel in pactum sempiternum.

18. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.

19. Cùm essent pauci numero, parui & coloni eius.

20. Et transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpauit pro eis reges.

22. Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

23. Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare eius.

24. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius:

25. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos.

26. Omnes enim dij populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.

27. Confessio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius.

28. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium.

29. Date Domino gloriam, nomini eius, leuate sacrificium, & venite in conspectu eius: & adorate Dominum in decore sancto.

30. Commoueatur à facie eius omnis terra: ipse enim fundauit orbem immobilem.

31. Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnauit.

32. Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis sunt.

33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit iudicare terram.

34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

35. Et dicite: Salua nos Deus saluator noster; & congrega nos, & erue de gentibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.

36. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno vsque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.

37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph & fratres eius, vt ministrarent in conspectu arcæ iugiter, per singulos dies, & vices suas. 38. Porrò Obededom, & fratres eius sexaginta octo; & Obededom filium Idithun, & Hosa, constituit ianitores. 39. Sadoc autem sacerdotem, & fratres eius sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon, 40. vt offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis iugiter, manè & vespere, iuxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli. 41. Et post

post eum Heman, & Idithun, & reliquos electos, vnumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino: Quoniam in æternum misericordia eius. 42. Heman quoque & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala, & omnia musicorum organa, ad canendum Deo, filios autem Idithun fecit esse portarios. 43. Reuersusque est omnis populus in domum suam; & Dauid, vt benediceret etiam domui suæ.

VERS. 8. CONFITEMINI DOMINO] Dauid iussit Asaph & socios canere hunc hymnum Deo in gratiarum actionem, quòd arcam (& in ea Deum residentem) transtulisset in suam arcem Sion, vt Deum in ea quasi semper præsentem, protegentem, dirigentem & roborantem, penes se haberet. Porrò hic hymnus conflatus est ex Psal. 104. vsque ad v. 23. vbi deinceps conflatur ex Psalm. 95. Porrò paulò aliter hîc recensetur, quàm illis Psalmis continetur, quia Dauid videtur eum primò hîc rudi forma dictasse, deinde eum in Psalterio magis expoliuisse & elimasse. Psalmus est, & ad Psalterium pertinet; quare ibidem, quasi loco sibi proprio eum explicabo. Interim paucis hic annotabo ea, in quibus à Psalmis citatis differt.

VERS. 11. QVÆRITE DOMINVM ET VIRTVTEM EIVS] Legit Interpres עזו *Vzzo*, id est *virtutem* siue *fortitudinem eius*, id est arcam, in qua Deus suam potentiam ostendit, per eam debellando Iericho & Chananæos. Inuitat enim Dauid omnes, vt ad arcam veniant, & coram ea Deum adorent. Sept. verò aliis punctis legentes עזו *Azu* in imperatiuo *Cal*, vertunt Psalm. 104. 5. *confirmámini*, id est *confirmabimini*. Deus enim vos confirmabit & roborabit, vt nullus hostis, nulla aduersitas, nulla tentatio vobis prævalere valeat.

VERS. 21. NON DIMISIT QVEMQVAM CALVMNIARI EOS.] Vatabl. *vim facere eis*. Heb. enim עשק *Azar* & *calumniari*, & *vim facere* significat. Vnde Sept. Psalm. 104. 15. vertunt: *Non reliquit hominem nocere eis*.

VERS. 27. CONFESSIO (Sept. *laus*) ET MAGNIFICENTIA CORAM EO: FORTITVDO ET GAVDIVM IN LOCO EIVS] Vatab. *celebritas & magnificentia est coram ipso, potentia & hilaritas in loco eius*: at Psal. 95. v. 6. Sept. vertunt: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius*. Heb. *in sanctuario eius*, puta in arca, & tabernaculo arcæ à Dauide erecto.

VERS. 28. AFFERTE DOMINO GLORIAM ET IMPERIVM] Hebr. *& fortitudinem*. Sensus horum duorum versuum est, q. d. Exhibete Deo in tabernaculo hoc coram arca *confessionem*, id est laudem, & *magnificentiam*, id est magnificam magnificorum eius operum prædicationem, quæ Deum *magnificat*, id est magnum, imò maximum esse demonstrat; item *fortitudinem & gaudium*, vt scilicet celebretis fortia eius facta, quibus pro Israele pugnauit, itaque nobis gaudendi & triumphandi materiam dedit.

VERS. 29. ADORATE DOMINVM IN DECORE SANCTO] Heb. *in decoro sanctitatis*, id est sanctæ arcæ. Vatab. *in splendido & magnifico sanctuario*. At Psal. 95. 9. *Adorate*, inquit, *Dominum in atrio sancto eius*.

VERS. 32. TONET MARE ET PLENITVDO EIVS] Vatab. *Reboet mare, & quidquid in eo est*; putà omnes pisces, gemmæ, margaritæ, &c. fluctus enim maris in tempestate inter se collisi boatum & quasi tonitruum edunt. At Psal. 95. 12. habetur: *Commoueatur* (contremiscat coram Dei maiestate & omnipotentia) *mare & plenitudo eius*. Rursùm, tonat mare cùm vapores in altum emittit, qui in nubibus conclusi & collisi, dum vi erumpunt, tonitrua & fulmina concitant. Tonet ergo mare, vt Dei creatoris sui potentiam ostendat, impiosque eius metu percellat.

VERS. 39. SADOC AVTEM SACERDOTEM (Pontificem) ET FRATRES EIVS SACERDOTES (minores) CORAM TABERNACVLO DOMINI QVOD ERAT IN GABAON] *Sadoc* functus erat pontificatu coram Saule, postquàm ille occidisset Achimelech Pontificem. Tunc enim filius Achimelech, scilicet Abiathar fugit ad Dauidem. Quare Pontifex apud Saulem erat Sadoc; apud Dauidem verò Abiathar. Mortuo verò Saule, Dauid noluit abrogare pontificatum Sadoc, sed ita inter eos diuisit, vt Abiathar pontificatu fungeretur in Ierusalem, vbi erat arca, Sadoc verò in Gabaon, vbi erat tabernaculum à Moyse fabricatum.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid volens ædificare templum audit à Nathan; fabricam hanc Salomoni eius filio à Deo reseruari, ac sibi idcirco longam in regno posteritatem promitti. Quare amplas Deo agit gratias.

1. CVm autem habitaret Dauid in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Et ait Nathan ad Dauid: Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est. 3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:

4. Vade, & loquere Dauid ſeruo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. 5. Neque enim manſi in domo, ex eo tempore quo eduxi Iſrael, vſque ad diem hanc, ſed fui ſemper mutans loca tabernaculi, & in tentorio 6. manens cum omni Iſrael. Numquid locutus ſum ſaltem vni iudicum Iſrael, quibus præceperam vt paſcerent populum meum, & dixi: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam? 7. Nunc itaque ſic loquêris ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cùm in paſcuis ſequereris gregem, vteſſes dux populi mei Iſrael. 8. Et fui tecum quocumque perrexiſti: & interfeci omnes inimicos tuos coram tê, feciq́ue tibi nomen quaſi vnius magnorum, qui celebrantur in terra. 9. Et dedi locum populo meo Iſrael: plantabitur, & habitabit in eo, & vltrà non commouebitur: nec filij iniquitatis atterent eos, ſicut à principio, 10. ex diebus quibus dedi iudices populo meo Iſrael, & humiliaui vniuerſos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quòd ædificaturus ſit tibi Dominus domum. 11. Cumq́ue impleueris dies tuos vt vadas ad patres tuos, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filiis tuis: & ſtabiliam regnum eius. 12. Ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium eius vſque in æternum. 13. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: & miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo qui ante te fuit. 14. Et ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo, vſque in ſempiternum: & thronus eius erit firmiſſimus in perpetuum. 15. Iuxta omnia verba hæc, & iuxta vniuerſam viſionem iſtam, ſic locutus eſt Nathan ad Dauid. 16. Cumq́ue veniſſet rex Dauid, & ſediſſet coram Domino, dixit: Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, vt præſtares mihi talia? 17. Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo, ideoq́ue locutus es ſuper domum ſerui tui etiam in futurum: & feciſti me ſpectabilem ſuper omnes homines, Domine Deus. 18. Quid vltrà addere poteſt Dauid, cùm ita glorificaueris ſeruum tuum, & cognoueris eum? 19. Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum feciſti omnem magnificentiam hanc, & nota eſſe voluiſti vniuerſa magnalia. 20. Domine, non eſt ſimilis tui: & non eſt alius Deus abſque te, ex omnibus quos audiuimus auribus noſtris. 21. Quis enim eſt alius, vt populus tuus Iſrael, gens vna in terra, ad quam perrexit Deus, vt liberaret, & faceret populum ſibi, & magnitudine ſua atque terroribus eiiceret nationes à facie eius, quem de Ægypto liberarat? 22. Et poſuiſti populum tuum Iſrael tibi in populum vſque in æternum, & tu Domine factus es Deus eius. 23. Nunc igitur Domine, ſermo, quem locutus es famulo tuo, & ſuper domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac ſicut locutus es. 24. Permaneatq́ue & magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternum: & dicatur: Dominus exercituum Deus Iſrael, & domus Dauid ſerui eius permanens coram eo. 25. Tu enim Domine Deus meus reuelaſti auriculam ſerui tui, vt ædificares ei domum: & idcircò inuenit ſeruus tuus fiduciam, vt oret coram te. 26. Nunc ergo Domine, tu es Deus: & locutus es ad ſeruum tuum tanta beneficia. 27. Et cœpiſti benedicere domui ſerui tui, vt ſit ſemper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

HOc caput explicui 2.Reg.7.

VERS. 9. ET DEDI LOCVM POPVLO MEO ISRAEL, in Chananæa, expulſis prioribus eius incolis, ſcilicet impiis Chananæis, in qua, PLANTABITVR] id eſt firmiter habitabit inſtar plantæ & arboris ſolidè in terra ſua radicatæ, vt ab ea non diuellatur, nec in ſeruitutem redigatur à Madianitis, Ammonitis, Moabitis, Syris, Philiſthæis, vti redactus fuit ſæpiùs tempore Iudicum, vt ſequitur: intellige & ſubaudi conditionem ſolitam, ſi videlicet Iſrael me vt Deum ſuum colat, nec ad idola vitiaq́ue deflectat: vnde quia poſt Dauidem ab ea deflexit, hinc meritò à Deo tandem traditus fuit in prædam Gentibus, præſertim Aſſyriis & Babyloniis.

REVELASTI AVRICVLAM SERVI TVI] VERS. 17. id eſt beneuolè & ſecretò mihi, vtpote amico tuo, reuelaſti, & quaſi in aurem dixiſti magnifica bona quæ mihi promiſiſti, quæq́ue hîc ſubtexo.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenſentur Dauidis bella & victoriæ de Philiſthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis & Amalecitis, ac v.15. officiales eiuſdem.

1. FActum eſt autem poſt hæc, vt percuteret Dauid Philiſthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias eius, de manu Philiſthiim, 2. percuſſitq́ue Moab, & fierent Moabitæ ſerui Dauid, offerentes ei munera. 3. Eo tempore percuſſit Dauid etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit vt dilataret imperium ſuum vſque ad flumen Euphraten. 4. Cepit ergo Dauid mille quadrigas eius, & ſeptem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, ſubneruauitq́ue omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reſeruauit ſibi. 5. Superuenit autem & Syrus Damaſcenus, vt auxilium præberet Adarezer regi Soba: ſed & huius percuſſit Dauid viginti duo millia virorum. 6. Et poſuit milites in Damaſco, vt Syria quoque ſeruiret ſibi, & offerret munera. Adiuuitq́ue eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat. 7. Tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant ſerui Adarezer, & attulit eas in Ieruſalem. 8. Necnon de Thebath & Chun, vrbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea. 9. Quod cùm audiſſet Thou Rex Hemath, percuſſiſſe videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer regis Soba, 10. miſit Adoram filium ſuum ad regem Dauid, vt poſtularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quòd percuſſiſſet & expugnaſſet Adarezer: aduerſarius quippe erat Thou Adarezer. 11. Sed & omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea, conſecrauit Dauid rex Domino, cum argento & auro, quod tulerat ex vniuerſis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quàm de Philiſthiim & Amalec. 12. Abiſai verò filius Saruiæ percuſſit Edom in Valle Salinarum, decem & octo millia: 13. & conſtituit in Edom præſidium, vt ſeruiret Idumæa Dauid: ſaluauitq́ue Dominus Dauid in cunctis, ad quæ perrexerat. 14. Regnauit ergo Dauid ſuper vniuerſum Iſrael, & faciebat iudicium atque iuſtitiam cuncto populo ſuo. 15. Porrò Ioab filius Saruiæ erat ſuper exercitum, & Ioſaphat filius Ahilud à commentariis. 16. Sadoc autem filius Achitob, & Ahimelec filius Abiathar, ſacerdotes: & Suſa, ſcriba. 17. Bananias quoque filius Ioiadæ ſuper legiones Cerethi, & Phelethi: porrò filij Dauid, primi ad manum regis.

HOc caput idem eſt cum cap.8.lib.2. Reg. A vbi illud expoſui.

VERS. 12. IN VALLE SALINARVM] vbi erant ſalinæ in quibus conficiebatur ſal. Audi Adrich. in deſcript. tribus Iudæ n.211. *Vallis Salinarum* ſeu *ſalis*, Hebraicè *Gemela*, aliàs *Mela dicta*; *in qua Dauid percuſſit octodecim millia Idumæorum, & rediens erexit ſibi fornicem triumphalem. Ibidem & Ioab duodecim millia deleuit. Et Amaſias decem vel viginti Idumæorum millia, atque alia decem millia præcipitauit de rupe & petra Iecteel.* Fuit ergo hæc vallis Idumæis exitialis, & vt ita dicam fatalis.

2.Reg.8. Pſal.59 1.Paral.18 2.Paral.25 4.Reg.14. Hier. in Geneſ.14. in loc. Heb.in 2. Reg.8.&1 Paral.18.

AHIMELECH FILIVS ABIATHAR] Hebr. VERS. 16. eſt *Abimelech*. Sept. *Achimelech*. Affines enim & vicinæ ſunt Hebraicæ litteræ ח & ך. Porrò *Ahimelech*, hîc eſt genitiui caſus: nam Abiathar filius Ahimelech erat ſacerdos, id eſt Pontifex Dauidis vnà cum Sadoc; niſi malis hunc Ahimelech fuiſſe filium Abiatharis, qui pro parente ſene vel aliis occupato, ſubinde cum Sadoc pontificatu functus ſit, vti fecêre filij Heli & Samuelis. 1.Reg.2.12.& c.8.1. Idq́ue ita factum eſſe ſatis colligitur ex c.24.v.6.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HAnon rex Ammon legatos Dauidis deturpans illudit: quare Dauid bello eum inuadit, ac cum Syrisei auxiliantibus proſternit.

1. ACcidit autem vt moreretur Naas rex filiorum Ammon, & regnaret filius eius pro eo. 2. Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas: præſtitit enim mihi pater eius gratiam. Miſitque Dauid nuntios ad conſolandum eum ſuper morte patris ſui. Qui cùm peruenìſſent in terram filiorum Ammon, vt conſolarentur Hanon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forſitan putas, quòd Dauid honoris cauſa in patrem tuum miſerit qui conſolentur te: nec animaduertis, quòd vt explorent, & inueſtigent, & ſcrutentur terram tuam, venerint ad te ſerui eius. 4. Igitur Hanon pueros Dauid decaluauit, & raſit, & præcìdit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes, & dimiſit eos. 5. Qui cùm abiiſſent, & hoc mandaſſent Dauid, miſit in occurſum eorum (grandem enim contumeliam ſuſtinuerant) & præcepit vt manerent in Iericho: donec creſceret barba eorum, & tunc reuerterentur. 6. Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam feciſſent Dauid, tam Hanon, quàm reliquus populus, miſerunt mille talenta argenti, vt conducerent ſibi de Meſopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba, currus & equites. 7. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, & regem Maacha cum populo eius. Qui cùm veniſſent, caſtrametati ſunt è regione Medaba. Filij quoque Ammon congregati de vrbibus ſuis, venerunt ad bellum. 8. Quod cùm audiſſet Dauid, miſit Ioab, & omnem exercitum virorum fortium: 9. egreſſique filij Ammon, direxerunt aciem iuxta portam ciuitatis: reges autem, qui ad auxilium eius venerant, ſeparatim in agro ſteterunt. 10. Igitur Ioab, intelligens bellum ex aduerſo & poſt tergum contra ſe fieri, elegit viros fortiſſimos de vniuerſo Iſrael, & perrexit contra Syrum. 11. Reliquam autem partem populi dedit ſub manu Abiſai fratris ſui: & perrexerunt contra filios Ammon. 12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: ſi autem ſuperauerint te filij Ammon, ero tibi in præſidium. 13. Confortare: & agamus viriliter pro populo noſtro, & pro vrbibus Dei noſtri: Dominus autem, quod in conſpectu ſuo bonum eſt, faciet. 14. Perrexit ergo Ioab, & populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugauit eos. 15. Porrò filij Ammon videntes quòd fugiſſet Syrus, ipſi quoque fugerunt Abiſai fratrem eius, & ingreſſi ſunt ciuitatem: reuerſuſque eſt etiam Ioab in Ieruſalem. 16. Videns autem Syrus quòd cecidiſſet coram Iſrael, miſit nuntios, & adduxit Syrum, qui erat trans fluuium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum. 17. Quod cùm nuntiatum eſſet Dauid, congregauit vniuerſum Iſrael, & tranſiuit Iordanem, irruitque in eos, & direxit ex aduerſo aciem, illis contrà pugnantibus. 18. Fugit autem Syrus Iſrael: & interfecit Dauid de Syris ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem. 19. Videntes autem ſerui Adarezer ſe ab Iſrael eſſe ſuperatos, transfugerunt ad Dauid, & ſeruierunt ei: noluitque vltrà Syria auxilium præbere filiis Ammon.

VERS. 4. DECALVAVIT] Hebr. וַיְגַלַּח *iegallech*, id eſt *raſit*, ſcilicet dimidiam capitis comam & barbam, vt dicitur 2. Reg. 10. 4.

VERS. 7. CONDVXERVNTQVE TRIGINTA DVO MILLIA CVRRVVM] id eſt equitum ex curribus falcatis depugnantium. Eſt Metonymia, ponitur enim continens pro contento, putà currus pro milite curuli. Atque olim ſæpè ſinguli milites potentiores ſuum habebant currum, ſicut equites ſuum habent equum ex quo depugnant, patet ex v. 18.

INTERFECIT DAVID DE SYRIS SEPTEM MILLIA CVRRVVM] id eſt militum ex curribus depugnantium, vel certè equorum currus trahentium; nam currus ipſi comburi queunt, at non interfici. VERS. 18.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DAuid Ammonitas tribulis & ſerris comminuit; mox v. 4. tribus præliis Philiſthæos ſuperat, & tres gigantes occidit.

1. FActum eſt autem poſt anni circulum, eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere, congregauit Ioab exercitum, & robur militiæ, & vaſtauit terram filiorum Ammon; perrexitque & obſedit Rabba: porrò Dauid manebat in Ieruſalem, quando Ioab percuſſit Rabba, & deſtruxit eam. 2. Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema: manubias quoque vrbis plurimas tulit: 3. populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire, ita vt diſſecarentur, & contererentur: ſic fecit Dauid cunctis vrbibus filiorum Ammon: & reuerſus eſt cum omni populo ſuo in Ieruſalem. 4. Poſt hæc initum eſt bellum in Gazer aduerſum Philiſthæos: in quo percuſſit Sobochai Huſathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliauit eos. 5. Aliud quoque bellum geſtum eſt aduerſus Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cuius haſtæ lignum erat quaſi liciatorium texentium. 6. Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longiſſimus, ſenos habens digitos, id eſt, ſimul viginti quattuor: qui & ipſe de Rapha fuerat ſtirpe generatus. 7. Hic blaſphemauit Iſrael: & percuſſit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi ſunt filij Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu Dauid & ſeruorum eius.

HOc caput idem eſt cum cap. 10. & 11. lib. A 2. Reg. vbi illud explicui.

VERS. 2. TVLIT AVTEM DAVID CORONAM MELCHOM] Hebr. *Malcam* מַלְכָּם, id eſt *regis eorum*, ſcilicet Ammonitarum. ita & Septuag. nam *corona* idolorum, qualis erat Melchom, comburenda erat cum ipſis idolis, vti iubetur Deut. 7. quare ex ea coronam regalem ſibi fabricare nequibat Dauid.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DAuid numerans populum, Deum ad iram prouocat, ac ex tribus pœnis à Deo oblatis peſtem eligit: quæ proinde immiſſa multos è medio tollit, ſed tandem Dauid oratione & ſacrificio Deum placando, eam ſopit.

1. COnſurrexit autem Satan contra Iſrael: & concitauit Dauid, vt numeraret Iſrael. 2. Dixitque Dauid ad Ioab, & ad principes populi: Ite, & numerate Iſrael à Berſabee vſque Dan: & afferte mihi numerum vt ſciam. 3. Reſponditque Ioab: Augeat Dominus populum ſuum centuplum, quàm ſunt: nónne domine mi rex, omnes ſerui tui ſunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Iſraeli? 4. Sed ſermo regis magis præualuit: egreſſuſque eſt Ioab, & circuiuit vniuerſum Iſrael: & reuerſus eſt Ieruſalem. 5. Deditque Dauidi numerum eorum, quos circuierat: & inuentus eſt omnis numerus Iſrael, mille millia & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum. 6. Nam Leui, & Beniamin non numerauit: eò quòd Ioab inuitus exequeretur regis imperium. 7. Diſplicuit autem Deo quod iuſſum erat: & percuſſit Iſrael. 8. Dixitque Dauid ad Deum: Peccaui nimis vt hoc facerem: obſecro aufer iniquitatem ſerui tui, quia inſipienter egi. 9. Et locutus eſt Dominus ad Gad Videntem Dauidis, dicens: 10. Vade, & loquere ad Dauid, & dic ei: Hæc dicit

cit Dominus: Trium tibi optionem do; vnum, quod volueris, elige, & faciam tibi. 11. Cumque veniſſet Gad ad Dauid, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris: 12. aut tribus annis famem: aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere: aut tribus diebus gladium Domini, & peſtilentiam verſari in terra, & angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael: nunc igitur vide quid reſpondeam ei, qui miſit me. 13. Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: ſed melius mihi eſt, vt incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius, quàm in manus hominum. 14. Miſit ergo Dominus peſtilentiam in Iſrael: & ceciderunt de Iſrael ſeptuaginta millia virorum. 15. Miſit quoque angelum in Ieruſalem, vt percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper magnitudine mali: & imperauit angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam ceſſet manus tua. Porrò angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi. 16. Leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit angelum Domini ſtantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt, tam ipſe quàm maiores natu veſtiti ciliciis, proni in terram. 17. Dixitque Dauid ad Deum: Nónne ego ſum, qui iuſſi vt numeraretur populus? Ego, qui peccaui: ego, qui malum feci, iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obſecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. 18. Angelus autem Domini præcepit Gad, vt diceret Dauidi vt aſcenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Iebuſæi. 19. Aſcendit ergo Dauid iuxta ſermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini. 20. Porrò Ornan cùm ſuſpexiſſet, & vidiſſet angelum, quattuorque filij eius cum eo, abſconderunt ſe: nam eo tempore terebat in area triticum. 21. Igitur cùm veniret Dauid ad Ornan, conſpexit eum Ornan, & proceſſit ei obuiam de area, & adorauit eum pronus in terram. 22. Dixitque ei Dauid: Da mihi locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti accipias, & ceſſet plaga à populo. 23. Dixit autem Ornan ad Dauid: Tolle, & faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: ſed & boues do in holocauſtum, & tribulas in ligna, & triticum in ſacrificium: Omnia libens præbebo. 24. Dixitque ei rex Dauid: Nequaquam ita fiet, ſed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & ſic offerre Domino holocauſta gratuita. 25. Dedit ergo Dauid Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos. 26. Et ædificauit ibi altare Domino: obtulitque holocauſta, & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti. 27. Præcepitque Dominus angelo: & conuertit gladium ſuum in vaginam. 28. Protinus ergo Dauid, videns quòd exaudiſſet eum Dominus in area Ornan Iebuſæi, immolauit ibi victimam. 29. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum, ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon. 30. Et non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

VERS. 12. AVT TRIBVS ANNIS FAMEM] 2. Reg. 24. 13. dicitur: *Aut ſeptem annis famem*, nimirùm prima oblatio Dei facta Dauidi fuit ſeptem annorum; ſed Dauide tantam moram deprecante Deus pœnam moderatus eſt & ad tres annos redegit. Sic Geneſ. 18. Deus à quinquaginta iuſtis deſcendit ad decem, quos ſi A inueniſſet in Sodoma, ei pepercifſet; ac Ezechieli cap. 4. deprecanti pro fimo humano, concedit bouinum in cibum.

ORNAN] 2. Reg. 24. 23. paululùm inflexo nomine vocatur, *Areuna*, idemque *rex*, ideſt regulus ſiue princeps inter Iebuſæos. VERS. 15.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid omnem materiam præparat ad fabricam templi, eiuſq; ideam à Deo acceptam tradit Salomoni, acillum hortatur vt Deum ſemper religioſè colat, atque monet principes vt eum in fabrica adiuuent.

1. DIxitque Dauid: Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael. 2. Et præcepit vt congregarentur omnes proſelyti de Terra Iſrael, & conſtituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. 3. Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras atque iuncturas præparauit Dauid: & æris pondus innumerabile. 4. Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerant ad Dauid. 5. Et dixit Dauid: Salomon filius meus puer paruulus eſt & delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis eſſe debet vt in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei neceſſaria. Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas. 6. Vocauitque Salomonem filium ſuum: & præcepit ei vt ædificaret domum Domino Deo Iſrael. 7. Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, 8. ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: 9. filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. 10. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum. 11. Nunc ergo fili mi, ſit Dominus tecum, & proſperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, ſicut locutus eſt de te. 12. Det quoque tibi Dominus prudentiam & ſenſum, vt regere poſſis Iſrael, & cuſtodire legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata & iudicia, quæ præcepit Dominus Moyſi vt doceret Iſrael: confortare & viriliter age, ne timeas, neque paueas. 14. Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia. 15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artifices que lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentiſſimos, 16. in auro & argento & ære & ferro, cuius non eſt numerus. Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum. 17. Præcepit quoque Dauid cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum. 18. Cernitis, inquiens, quòd Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum; & tradiderit omnes inimicos veſtros in manus veſtras, & ſubiecta ſit terra coram Domino, & coram populo eius. 19. Præbete igitur corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite, & ædificate ſanctuarium Domino Deo, vt introducatur arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

VERS. 1. HÆC EST DOMVS DEI] q. d. hoc loco, A puta in *area Ornan*, quæ eſt in monte Moria iubet Deus condi templum.

VERS. 2. SALOMON PVER PARVVLVS EST] q. d. Salomon reſpectu tantæ tamque magnificæ fabricæ templi eſt inſtar pueri paruuli: nam alioqui erat ipſe iam viginti annorum.

VERS. 14. AVRI TALENTA CENTVM MILLIA, hoc eſt duodecim cum dimidio milliones librarum auri, quæ faciunt mille & ducentos milliones aureorum Francicorum: tantumdem reliquit ei in argento, ſcilicet, MILLE MILLIA TALENTA ARGENTI] quæ faciunt totidem, ſcilicet mille & ducentos milliones aureorum Francicorum, olim enim vna libra auri valebat decem libras argenti: vniuerſim ergo reliquit ei bis mille & quadringentos milliones aureorum. Vide dicta de monetis & menſuris in fine Pentateuchi. Immenſa & penè incredibilis videtur hæc auri & argenti ſumma, ſed Deo nihil eſt impoſſibile, nihil difficile; quare ei facile fuit omnem hanc copiam Dauidi

2400. *milliones in templum inſumpti.*

uidi ſuggerere ad fabricam tam magnifici templi: vnde ipſe volens templum hoc à Chaldæis exuſtum reſtaurari per Zorobabel & Iudæos, pauperes eos ad fabricam animat dicens: *Meum eſt argentum & meum eſt aurum.* Aggæi 2. 9. Sic S. Franciſcus Aſſiſias, & alter de Paula, ille Minorum, hic Minimorum fundator, vterque pauper iuſſi à Deo templum ædificare, illud ædificarunt Deo ad illud ſumptus per eleemoſynas piorum ſpondente & præſtante. Multò magis ſi à Deo vocemur, vt templum myſticum perfectionis in anima noſtra vel proximorum fabricemus, alacriter de eius ope confiſi idipſum præſtemus. Deus enim aderit, viresque & animos dabit: *Domini,* enim, *eſt terra & plenitudo eius*; atque vt ait S. Leo: *Iuſtè inſtat præcepto, qui præuenit auxilio.*

Porrò noſter Vilalpandus ſub finem tomi 2. in Ezechielem per plura capita cenſet Dauidem tantas opes collegiſſe partim ex vectigalibus, partim ex Ophir, partim ex hoſtium ſpoliis & tributo, partim ex annuo Iſraelis cenſu, quo quiſque pendebat quotannis templo dimidium ſiclum iuxta legem Exodi 30. 13. Quocirca Iſraelitæ etiam extra Iudæam degentes, per totum orbem diſperſi, hanc capitationem quotannis mittebant Ieroſolymã, cumque eorum ingens eſſet numerus, ingentem conflabant auri ſummam.

Addit Vilalpandus, Dauidem & Salomonem annuo reditu, & opibus ſuperaſſe tributa & opes Romanorum, Chaldæorum, Perſarum, omniumque regum & monarcharum.

Dices, quomodo ergo Dauid hoc v. ait hæc ſe collegiſſe *in paupertate?* Reſp. primò, quia hæc omnia præ Dei dignitate & maieſtate erant parua & pauca. Secundò, *in paupertate*, id eſt in multo labore & afflictione. Tertiò, & maximè, quia, vt ſequitur, hæc omnia erant Dei: quare Dauidis non erant, quia ipſe ex ſe pauper erat, & nihil habebat niſi quod à Deo acceperat.

AD VNIVERSA IMPENDIA] Heb. & Chald. habent: *Et ſuper hæc adde.* Sept. *Et appone in his.* Vatab. *Quibus tu adiicere poteris.* Vnde Salomon & populus his quæ reliquit Dauid, multa donaria addidêre ad fabricam templi tam magnificam magnificentiùs inſtruendam & adornandam.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid ſub mortem Salomonem regem deſignat, ac Leuitas in ſuas claſſes diſtribuit, eiſq; ſua officia partitur: Leuitis quoque filios, id eſt poſteros Moyſis annumerat.

1. IGitur Dauid ſenex & plenus dierum, regem conſtituit Salomonem filium ſuum ſuper Iſrael. 2. Et congregauit omnes principes Iſrael, & Sacerdotes atque Leuitas. 3. Numeratique ſunt Leuitæ à triginta annis, & ſupra: & inuenta ſunt triginta octo millia virorum. 4. Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Domini, viginti quatuor millia: præpoſitorum autem & iudicum ſex millia. 5. Porrò quattuor millia ianitores: & totidem pſaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. 6. Et diſtribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, Gerſon videlicet, & Caath, & Merari. 7. Filij Gerſon: Leedan, & Semei. 8. Filij Leedan: princeps Iahiel, & Zethan, & Ioel, tres. 9. Filij Semei: Salomith, & Hoſiel, & Aran, tres: iſti principes familiarum Leedan. 10. Porrò filij Semei, Leheth, & Ziza, & Iaus, & Baria: iſti filij Semei, quattuor. 11. Erat autem Leheth prior, Ziza ſecundus: porrò Iaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & idcircò in vna familia, vnaque domo, computati ſunt. 12. Filij Caath: Amram, & Iſaar, Hebron, & Oziel, quattuor. 13. Filij Amram: Aaron, & Moyſes. Separatuſque eſt Aaron vt miniſtraret in Sancto ſanctorum, ipſe & filij eius in ſempiternum, & adoleret incenſum Domino ſecundùm ritum ſuum, ac benediceret nomini eius in perpetuum. 14. Moyſi quoque hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Leui. 15. Filij Moyſi: Gerſom, & Eliezer. 16. Filij Gerſom: Subuel primus. 17. Fuerunt autem filij Eliezer: Rohobia primus: & non erant Eliezer filij alij. Porrò filij Rohobia multiplicati ſunt nimis. 18. Filij Iſaar: Salomith primus. 19. Filij Hebron: Ieriau primus, Amarias ſecundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus. 20. Filij Oziel: Micha primus, Ieſia ſecundus. 21. Filij Merari: Moholi, & Muſi. Filij Moholi: Eleazar, & Cis. 22. Mortuus eſt autem Eleazar, & non habuit filios, ſed filias: acceperunt que eas filij Cis fratres earum. 23. Filij Muſi: Moholi, & Eder, & Ierimoth, tres. 24. Hi filij Leui in cognationibus & familiis ſuis, principes per vices, & numerum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterij domus Domini, à viginti annis & ſupra. 25. Dixit enim Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Ieruſalem vſque in æternum.

num. 26. Nec erit officij Leuitarum vt vltrà portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum. 27. Iuxta præcepta quoque Dauid nouiſſima, ſupputabitur numerus filiorum Leui à viginti annis & ſuprà. 28. Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & in vniuerſis operibus miniſterij templi Domini. 29. Sacerdotes autem, ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana azyma, & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram. 30. Leuitæ verò, vt ſtent manè ad confitendum & canendum Domino: ſimiliterque ad veſperam 31. tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in ſabbatis & Calendis & ſollemnitatibus reliquis, iuxta numerum, & ceremonias vniuſcuiuſque rei, iugiter coram Domino. 32. Et cuſtodiant obſeruationes tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarij, & obſeruationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, vt miniſtrent in domo Domini.

NOta, Dauid Leuitas ita diſtribuit. Erat A numerus Leuitarum 38. millium. Ex eis Dauid 24. millia deputauit miniſterio templi, ſex alia millia fecit præpoſitos & iudices v. 4. vnde patet Leuitas hoſce fuiſſe iudices, & quaſi ſenatores ac Patres conſcriptos. Quatuor millia ianitores. Deinde alia quatuor millia conſtituit cantores & Muſicos. conflat hos omnes numeros in vnum & inuenies 38. millia iam dicta.

Nota ſecundò, Dauid inſuper conſtituit 24. ordines ſacerdotum, qui ſibi per vices ſuccederent ad miniſtrandum in templo: quiſque enim ordo per ſeptimanam miniſtrabat. Vnde Lucæ 1. 9. dicitur de Zacharia: *Exiit ſorte vt poneret incenſum*: erat enim Zacharias *de vice Abia*, quæ ordine eſt octaua. Hæ vices & ordines ſacerdotum recenſentur cap. ſequenti. Porrò Dauid cuique ordini ſacerdotum attribuit ordinem vnum Leuitarum qui eis miniſtrarent, & per omnia ſubſeruirent, vnde tot B erant ordines Leuitarum, quot ſacerdotum miniſtrantium templo, ſcilicet 24. Totidem (ſcilicet 24.) ordines conſtituit Leuitarum pſallentium tam voce, quàm inſtrumentis Muſicis, quorum quiſque ſua vice & ſub ſuo ſacerdotum ordine pſallebat, vt patet cap. 25. pſallebant autem non tantùm in ſabbatis, Calendis, omnique alia feſtiuitate, ſed & quotidie in omni ſacrificio holocauſtorum, vt patet v. 31. Hinc ſequitur quemlibet ſacerdotem æquè ac Leuitam, bis tantùm in anno miniſtraſſe in templo: namerant eorum 24. claſſes, quarum quælibet per hebdomadam in tem- C plo ſeruiebat. Quare in 24. hebdomadis quiſque vna tantùm hebdomada miniſtrabat, iis verò duplicatis bis; ergo in 48. hebdomadibus (quot complectitur annus additis quatuor) bis, hoc eſt duabus hebdomadis dumtaxat quiſque miniſtrabat.

Porrò fecit hæc Dauid non tam vt rex (hic enim non habet ius in ſacerdotes & ſacra) quàm vt propheta. Rursùm, non fecit hæc per ſe, ſed per Pontifices Sadoc & Ahimelech, vt audiemus c. ſequenti v. 3. idque iactâ ſorte, vt ibidem dicitur v. 5. & 32.

VERS. 11. IAVS ET BARIA NON HABVERVNT PLVRIMOS FILIOS] q. d. hi duo ſimul non habuerunt plures filios quàm vnus ſolus ex iam recenſitis; quare hi duo vnam tantùm claſ-

ſem conſtituerunt, cùm alij ſinguli ſingulas conſtituerent.

SEPARATVSQVE EST AARON] q. d. VERS. 13. A Deo per Moyſen electus eſt Aaron, vt ipſe eiuſque poſteri primogeniti eſſent ſummi ſacerdotes ſiue Pontifices: ceteri verò non primogeniti eſſent minores ſacerdotes. Vnde Pontifices ſoli ingrediebantur Sanctum ſanctorum, ceteri verò ſacerdotes adolebant thymiama in altari thymiamatis, quod erat in Sancto ante Sanctum ſanctorum.

MOYSI QVOQVE HOMINIS (amici) DEI FILII ANNVMERATI SVNT IN TRIBV LEVI] Mira fuit Moyſis reſignatio & humilitas, qua ſe ſubmiſit ordinationi Dei ſtatuentis, vt principatum populi transferret in Ioſue, filios verò ſuos non ſacerdotibus ſed Leuitis annumeraret. Nam ſacerdotium à Deo addictum erat poſteris Aaronis, qui erat frater ſenior Moyſis. VERS. 14.

FILII LEVI A VIGINTI ANNIS ET SVPRA] Dauid bis numerauit Leuitas, ſcilicet primò v. 3. *à triginta annis & ſuprà*, ſecundò hîc *à viginti annis & ſuprà*. Ratio fuit, quia primitùs à Deo per Moyſen ſtatutum erat, vt Leuitæ à trigeſimo ætatis anno & deinceps ſeruirent tabernaculo, eò quòd eorum officium eſſet portare ſupellectilem Tabernaculi per deſertum, in quo continuè peregrinabantur, ad quod ætas valida & robuſta, qualis eſt triginta annorum, requirebatur. Dauid verò ceſſante hoc onere, ædificato iam templo, & Iſraele quieſcente in terra ſancta, ſtatuit hoc verſu, vt à vigeſimo anno numerentur, & ſeruire incipiant; nimirùm vt prioribus ſenioribus iam recenſitis, & in ſuas miniſtrantium, ianitorum, præpoſitorum, iudicum, cantorum, claſſes diſtributis in rebus minoribus ſubſeruiant. Hanc rationem dat hîc Dauid. v. 26. VERS. 24.

SACERDOTES AVTEM] Hæc verba non ſunt in Heb. nec in Græco; quare officia quæ hic ſubnectuntur, competunt tam Leuitis quàm ſacerdotibus; quia ſcilicet Leuitarum erat illa parare, ſacerdotum verò parata iam Deo offerre in ſacrificium. VERS. 29.

ET SVPER OMNE PONDVS ET MENSVRAM] tum quia ſacerdotum & Leuitarum erat omnia Deo offerenda menſurare, an ſcilicet iuſtum pondus à lege præſcriptum ha-

berent: tum quia eorum erat asseruare iustas A rerum mensuras & pondera in templo, vt si per fraudem aliquorum in populo illa viarentur & minuerentur, vel augerentur, ad mensuras & pondera templi restituerentur & corrigerentur.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Distribuuntur sacerdotes in 24. classes, ac cuiq; sua Leuitarum classis ad subseruiendum in sacrificio assignatur.

1. PORRÒ filiis Aaron hæ partitiones erant: filij Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 2. Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, & Ithamar. 3. Et diuisit eos Dauid, id est, Sadoc de filiis Eleazari, & Ahimelech de filiis Ithamar, secundùm vices suas & ministerium. 4. Inuentique sunt multò plures filij Eleazar in principibus|viris, quàm filij Ithamar. Diuisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim: & filiis Ithamar per familias & domos suas octo. 5. Porrò diuisit vtrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarij, & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar. 6. Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Leuites, coram rege & principibus, & Sadoc sacerdote, & Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium & Leuiticarum: vnam domum, quæ ceteris præerat, Eleazar: & alteram domùm, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar. 7. Exiuit autem sors prima Ioiarib, secunda Iedei, 8. tertia Harim, quarta Seorim, 9. quinta Melchia, sexta Maiman, 10. septima Accos, octaua Abia, 11. nona Iesua, decima Sechenia, 12. vndecima Eliasib, duodecima Iacim, 13. tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab, 14. decimaquinta Belga, decimasexta Emmer, 15. decimaseptima Hezir, decimaoctaua Aphses, 16. decimanona Pheteia, vigesima Hezechiel, 17. vigesimaprima Iachin, vigesimasecunda Gamul, 18. vigesimatertia Dalaiau, vigesimaquarta Maaziau. 19. Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, vt ingrediantur domum Domini, & iuxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israel. 20. Porrò filiorum Leui, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, & de filiis Subael, Iehedeia. 21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Iesias. 22. Isaari verò filius Salemoth, filiusque Salemoth Iahath: 23. filiusque eius Ieriau primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaan quartus. 24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir. 25. Frater Micha, Iesia: filiusque Iesiæ, Zacharias. 26. Filij Merari: Moholi & Musi. Filius Oziau: Benno. 27. Filius quoque Merari: Oziau & Soam & Zachur & Hebri. 28. Porrò Moholi filius Eleazar, qui non habebat liberos. 29. Filius verò Cis, Ierameel. 30. Filij Musi: Moholi, Eder, & Ierimoth. istifilij Leui secundùm domos familiarum suarum. 31. Miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram Dauid rege, & Sadoc, & Ahimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium & Leuiticarum, tam maiores, quàm minores. omnes sors æqualiter diuidebat.

VERS.3. ET DIVISIT EOS DAVID, ID EST SADOC DE FILIIS ELEAZARI, ET AHIMELECH DE FILIIS ITHAMAR, SECVNDVM VICES SVAS] scilicet diuisit omnes sacerdotes posteros Eleazar & Ithamar in 24. classes. Diuisit inquam Dauid non per se, sed per duos Pontifices, scilicet per Sadoc qui erat ex posteris Eleazar, & per Ahimelech qui erat ex posteris Ithamar. Ad Pontificē enim spectabat hæc sacerdotum distributio, non ad regem.

VERS.5. PORRO DIVISIT VTRASQVE INTER SE FAMILIAS SORTIBVS] ne quis queri posset se iniquè postpositum, & alterum ex fauore antè positum, sed omnes pari iure & conditione censerentur: quare sorte res acta est, & sors cuique suum ordinem & vicem assignauit.

ERANT ENIM PRINCIPES SANCTVARII] Erant 24. familiæ sacerdotales, & quæque suum habebat principem, putà primogenitum qui in vice sua omnibus præerat, omniaque in templo dirigebat: quare erat ipse summus classis suæ sacerdos, ideoque vocabatur Pontifex. Erant ergo 24. Pontifices siue principes sacerdotum, de quibus in Euangeliis crebra est mentio, sed his omnibus eminebat & præerat summus Pontifex, scilicet Sadoc.

VERS.6. AHIMELECH FILIO ABIATHAR] Hinc A videtur quòd Abiathar Pontifex ægrotans, aut aliis occupatus vices suas demandarit filio Ahimelech, vt ipse cum Sadoc Pontifice assisteret, & distribueret has 24. sacerdotum classes.

VERS.10. OCTAVA ABIA] Ex hac fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ; quare certum est eum non fuisse summum Pontificem. Pontifex enim non habebat vicē, sed omnibus præerat. An Zacharias fuerit Pontifex, id est princeps & primogenitus suæ familiæ Abia, vt vult. S. Dionys. cęlest. Hier. c. 4. item an fuerit ex posteris Eleazar, an verò ex posteris Ithamar, incertum est.

VERS.26. FILIVS OZIAV: BENNO] & ceteri qui recensentur v. 27. vti iam dicam.

VERS.27. FILIVS MERARI, OZIAHV] Hæc verba parenthesi intercipienda videntur, nam sequentes scilicet, *Soam & Zachur, & Hebri*, sunt filij *Oziahu*. Id patet ex Heb. & Chald. qui sic habent: *Filij Merari de Oziahu, vel per Oziahu, Benno & Soam & Zachur & Hebri.* Quia enim dixerat: *Filius Oziahu Benno*, & non dixerat cuius filius esset *Oziahu*, hinc idipsum explicat subdens: *Filius Merari Oziahu*: deinde reliquos præter Bennonem iam nominatum Oziahu filios prosequitur dicens:

ET SOAM ET ZACHVR ET HEBRI] Nam Merari filios scilicet, *Moholi & Musi* iam recensuit vers. 26. ita Vatab. Pagn. & alij.

VERS.31. MISERVNTQVE ET IPSI SORTES CONTRA FRATRES SVOS] scilicet ex oppositio vel contrapositio *fratrum*, id est cognatorum suorum; & vt vertit Vatab. *è regione fratrum suorum*; Sept. *sicut fratres eorum*, q. d. sicut sacerdotes posteri Aaronis diuisi in 24. classes sortem iecerant, quo quisque ordine in tabernaculo ministraret, sic etiam Leuitæ vices ministrandi iacta sorte acceperunt.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Numerantur 24. classes Leuitarum ad canendum, psallendum & citharizandum deputatorum.

1. IGITVR Dauid & magistratus exercitus, segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum dedicato sibi officio seruientes. 2. De filiis Asaph: Zacchur, & Ioseph, & Nathania, & Asarela, filij Asaph: sub manu Asaph prophetantis iuxta regem. 3. Porrò Idithun: filij Idithun, Godolias, Sori, Iesceias, & Hasabias, & Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum. 4. Heman quoque: filij Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, & Iesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth: 5. omnes isti filij Heman Videntis regis in sermonibus Dei, vt exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quattuordecim, & filias tres. 6. Vniuersi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erāt, in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini iuxta regem: Asaph videlicet, & Idithun, & Heman. 7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octogintaocto. 8. Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam maior quàm minor, doctus pariter, & indoctus. 9. Egressaque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis eius, & fratribus eius duodecim. 10. Tertia Zachur, filiis & fratribus eius duodecim. 11. Quarta Isari, filiis & fratribus eius duodecim. 12. Quinta Nathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 13. Sexta Bocciau, filiis & fratribus eius duodecim. 14. Septima Isreēla, filiis & fratribus eius duodecim. 15. Octaua Iesaiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 16. Nona Mathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 17. Decima Semeiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 18. Vndecima Azareel, filiis & fratribus eius duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 20. Tertiadecima Subael, filiis & fratribus eius duodecim. 21. Quartadecima Mathathiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 22. Quintadecima Ierimoth, filiis & fratribus eius duodecim. 23. Sextadecima Hananiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 24. Septimadecima Iesbacassæ, filiis & fratribus eius duodecim. 25. Octauadecima Hanani, filiis & fratribus eius duodecim. 26. Nona-

decima Mellothi, filiis & fratribus eius duodecim. 27. Vigesima Eliatha, filiis & fratribus eius duodecim. 28. Vigesimaprima Othir, filiis & fratribus eius duodecim. 29. Vigesima secunda Geddelthi, filiis & fratribus eius duodecim. 30. Vigesimatertia Mahazioth, filiis & fratribus eius duodecim. 31. Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis & fratribus eius duodecim.

VERS. 1. MAGISTRATVS EXERCITVS] id est principes tam politici, quàm Ecclesiastici: *exercitus* enim vocatur totus populus tam laicorum, quàm Leuitarum ob multitudinem: erant enim multi & constipati, iique per ordines quasi acies dispositi, vti sunt milites in exercitu. Magistratus Leuitarum c. 24. 6. vocantur, *principes Sanctuarij*.

QVI PROPHETARENT (id est qui canerent laudarentque Deum) IN CITHARIS, SECVNDVM NVMERVM SVVM DEDICATO SIBI OFFICIO SERVIENTES] q. d. quilibet in sua vice tanto numero canebant, quanto ad canendum destinati erant. vna enim familia numerosior vnum cantorum ordinem constituens plures habebat cantores, quàm illa quæ pauciores in se domesticos continebat. B Heb. est. *viri operis in ministerio suo*, id est viri diligentes, & scitè fungentes munere suo, q. d. isti omnes fuêre muici peritissimi, inquit Vatab.

SVB MANV (sub regimine & directione) ASAPH PROPHETANTIS (canentis Dei laudes) IVXTA REGEM] scilicet in arce Sion coram arca, iuxta sedem Dauidis, vbi nimirùm ipse sedere, & Dei laudibus interesse solebat. nam verisimile est alios cantores fuisse deputatos ad canêdum in Tabernaculo Moysis, quod erat in Gabaon; vnde aliqui, vt C vtrosque comprehendant, explicant *iò iuxta regem*, q. d. iuxta regis præscriptum & distributionem, vt hi in Sion, illi in Gabaon canerent.

VERS. 3. FILII IDITHVN GODOLIAS, SORI, IESEIAS ET HASABIAS ET MATHATHIAS, SEX] Recensiti hìc sunt quinque dumtaxat, vt patet eos numeranti. Deest ergo sextus, quem verisimile est esse *Semeiam*, qui nominatur v. 17. in decima sorte: Semeias enim non nominatur inter filios Asaph, nec inter filios Heman. Fuit ergo filius Idithun: horum enim filij hìc describuntur, vt patet vers. 1.

VERS. 5. OMNES ISTI FILII HEMAN VIDENTIS REGIS IN SERMONIBVS DEI] *Heman* vocatur *Videns*, id est propheta, hoc est Cantor diuinarum laudum apud Dauidem. *In sermonibus Dei*, id est cùm *Dei sermones*, id est res & laudes canerentur, q. d. Dauid in aula & mensa habebat suos symphoniacos, qui prophana canebant ad regis honestam recreationem; hic verò Heman curabat dumtaxat sacra cani in Tabernaculo, cùm Dauid diuinis officiis vacaret. *Sermones* ergo *Dei*, erant Psalmi, hymni & cantica diuinarum laudum.

VT EXALTARET CORNV] id est vt canendo exaltaret magnitudinem, magnificentiam, & immensam maiestatem, sapientiam, misericordiam, potentiam, clementiam, & beneficentiam Dei. ita Abul. Secundò, & magis præcisè q. d. Heman curabat cani Psalmos, in quibus Dauid orat & prædicit exaltandum *cornu*, id est regnum, potentiam, & gloriam imperij tam sui, quàm antitypi Christi. Hoc enim audire Dauidi erat grauissimum & desideratissimum. Vnde crebrò in Psalmis de *hac cornu exaltatione* agit. Hinc Vatab. sic vertit: *Qui erat regis videns in verbis diuinis vt erigeretur cornu*; idque sic explicat q. d. Heman prophetauit de Dauide quòd assequeretur magnâ famam & gloriam. *Cornu* enim significat dignitatem & gloriam, item robur & vires, ac si dicatur, ad exaltandam dignitatem & potentiam regiam: Asaph enim & Idithun canebant alios Psalmos, qui ad populum erudiendum & consolandum spectabant, eumque ad pietatem & ad Deum secum laudandum excitabant.

QVI ERVDIEBANT CANTICVM] id est VERS. 7 *doctores*, vt sequitur, qui docebant reliquos scitè canere & psallere tam voce, quàm instrumentis musicis.

DOCTVS PARITER ET INDOCTVS] q. d. VERS. 8 æquè peritus canendi ac imperitus, æquè doctor ac discipulus, q. d. Dauid distribuit cantores in 24. classes, & cuique classi dedit duodecim magistros Musices peritos, qui ceteros docerent canere, eosque in cantu dirigerent & perficerent. Quocirca magistri hi vniuersim fuêre 288. vt dictum est v. 7. Multiplica enim 24. per 12. resultabit numerus 288.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ordines & classes Leuitarum, qui erant ianitores templi. Adhæc custodum thesaurorum tam templi quàm Regis.

1. DIuisiones autem ianitorum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph. 2. Filij Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Iadihel secundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus, 3. Ælam quintus, Iohanan sextus, Elioënai septimus. 4. Filij autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad secundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, 5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octauus; quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio eius nati sunt filij, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi. 7. Filij ergo Semeiæ: Othni, & Raphael, & Obed, Elzabad, fratres eius viri fortissimi: Eliu quoque, & Samachias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, & filij, & fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom. 9. Porrò Meselemiæ filij, & fratres eorum robustissimi, decem & octo. 10. De Hosa autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcircò posuerat eum pater eius in principem) 11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus. omnes hi filij, & fratres Hosa, tredecim. 12. Hi diuisi sunt in ianitores, vt semper principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ministrarent in domo Domini. 13. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, & paruis, & magnis, per familias suas, in vnamquamque portarũ. 14. Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porrò Zachariæ filio eius, viro prudẽtissimo, & erudito, sortitò obtigit plaga Septemtrionalis. 15. Obededom verò & filiis eius ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium. 16. Sephim & Hosa ad Occidentem, iuxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam. 17. Ad Orientem verò Leuitæ sex: & ad Aquilonem quattuor per diem: atque ad Meridiem similiter in die quattuor: & vbi erat concilium, bini & bini. 18. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quattuor in via, binique per cellulas. 19 Hæ sunt diuisiones ianitorum, filiorum Core & Merari. 20. Porrò Achias erat super thesauros domus Dei, & vasa sanctorum. 21. Filij Ledan, filij Gersonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, & Gersonni, Iehieli. 22. Filij Iehieli: Zathan, & Ioel fratres eius, super thesauros domus Domini. 23. Amramitis, & Isaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis. 24. Subaël autem filius Gersom, filij Moysi, præpositus thesauris. 25. Fratres quoque eius Eliezer, cuius filius Rahabia, & huius filius Isaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri, & huius filius Selemith. 26. Ipse Selemith, & fratres eius super thesauros sanctorum, quæ sanctificauit Dauid rex, & principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & duces exercitus, 27. de bellis, & manubiis præliorum, quæ consecrauerant ad instaurationem, & supellectilem templi Domini. 28. Hæc autem vniuersa sanctificauit Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Saruiæ: omnes, qui sanctificauerant ea per manum Selemith, & fratrum eius. 29. Isaaritis verò præerat Chonenias, & filij eius, ad opera foris secus super Israel, ad docendum & iudicandum eos. 30. Porrò de Hebronitis Hasabias, & fratres eius viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Iordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Ieria, secundum familias & cognationes eorum. Quadragesimo anno regni Dauid recensiti sunt, & inuenti sunt viri fortissimi in Iazer Galaad, 32. fratresque eius robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos Dauid rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.

VERS. 5. QVIA BENEDIXIT ILLI (Obededom) A DOMINVS] ob arcam quam domi suæ religiosè habuit, & sedulò custodiuit 2. Reg. 6. Hac de causa ipse ceteros Leuitas filiorum numero, æquè ac robore tum corporis tum animi superauit; vnde v. 8. dicitur: *Omnes hi de filiis Obededom: ipsi & filij & fratres eorum fortissimi ad ministrandum, 62. de Obededom.*

VERS. 10. NON ENIM HABVERAT PRIMOGENITVM] q. d. Hosa tunc temporis non habebat primogenitum, quia is iam erat mortuus; quare eius loco constituit principem familiæ suæ *Semri*, qui erat secundo-genitus.

VERS. 12. HI DIVISI SVNT IN IANITORES, VT SEMPER PRINCIPES CVSTODIARVM, &c. MINISTRARENT IN DOMO DOMINI] Erat ergo magna Ianitorum horum dignitas; primò, quia ipsi erant *principes custodiarum*, q. d. sicut prætoriani milites præsunt custodiæ regis & domus regiæ, sic hi ianitores præerant custodiæ & custodibus omnibus domus Dei, scilicet templi. Secundò, quia iidem præerant custodiæ thesauri tam templi, quàm regis, vt patet v. 20. 26. & 30. Item sartis tectis templi v. 27. Tertiò, quia ex iis creabantur populi doctores, præfecti, & iudices in causis tam sacris, quàm profanis, vt patet vers. 29. 30. & 32.

VERS. 14. SELEMIÆ] Hic est ille qui v. 1. & seq. vocatur *Meselemias*. Ille enim decurtatè ad breuitatem vocatur *Selemias*, sicut *Iehonias* à Ierem. c. 22. vocatur *Choniæ*.

VERS. 15. IN QVA PARTE DOMVS ERAT SENIORVM CONCILIVM] q. d. in parte Australi templi erat locus summi concilij, quod *Sanhedrim* dicebatur, & 72. primoribus, quasi senatoribus constabat. vide dicta Numer. 11.

QVÆ DVCIT AD VIAM ASCENSIONIS] quâ ascendebatur in montem Sion, & in tabernaculum ibidem erectum; ac deinde in templum in eodem à Salomone fabricatum. VERS. 18.

CVSTODIA CONTRA CVSTODIAM] Vatab. *custodia è regione custodiæ*. q. d. vna excubiarum custodia respondebat alteri ex aduerso positæ. Videtur enim hæc porta templi Occidentalis præ ceteris duplicem habuisse custodiam, ob maiorem in ea populi frequentiam, ideoque maius in ea tumultus periculum. Id ita esse liquet ex v. 18.

IN CELLVLIS QVOQVE IANITORVM AD OCCIDENTEM QVATVOR IN VIA, BINIQVE PER CELLVLAS] q. d. Ad portam templi Occidentalem, *in cellulis ianitorum*, excubabant *quatuor* Leuitæ ianitorum principes, *in via* ascensionis, de qua dictum est v. 16. ac insuper *bini* alij principes, *per cellulas* statas excubitorum distributi agebant excubias cum Leuitis minoribus sibi subditis. Hinc vides plures & maiores fuisse excubias ad portam Occidentalem, quàm ad ceteras templi, vt dixi. VERS. 17.

AD OPERA FORINSECVS] putà ad ligna & lapides cædendos & poliendos, ad vineas, prata, & agros templi colendos, &c. VERS. 18.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur 12. Principes, qui viciſim per 12. anni menſes præerant 24. millibus militum. Inſuper Principes ſingularum tribuum, ac Officiales Dauidis, tum qui domi rebus domeſticis, tum qui foris eius vineis, agris, bobus, camelis, ouibus præerant.

1. Filij autem Israel secundùm numerum suum, principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabant regi iuxta turmas suas, ingredientes & egredientes per singulos menses in anno, viginti quattuor millibus singuli præerant. 2. Primæ turmæ in primo mense Iesboam præerat filius Zabdiel, & sub eo vigintiquattuor millia. 3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. 4. Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partē exercitus vigintiquattuor milliū. 5. Dux quoq; turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Ioiadę sacerdos: & in diuisione sua vigintiquattuor millia. 6. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta præerat aute turmæ ipsius Amizabad filius eius. 7. Quartus, mense quarto, Asahel frater Ioab, & Zabadias filius eius post eū: & in turma eius vigintiquattuor millia. 8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Iezerites: & in turma eius vigintiquattuor millia. 9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: & in turma eius vigintiquattuor millia. 10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: & in turma eius vigintiquattuor millia. 11. Octauus, mense octauo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi & in turma eius vigintiquattuor millia. 12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Iemini: & in turma eius vigintiquattuor millia.

13. Decimus, mense decimo, Marai, & ipse Netophathites de stirpe Zarai: & in turma eius vigintiquattuor millia. 14. Vndecimus, mense vndecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: & in turma eius vigintiquattuor millia. 15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: & in turma eius vigintiquattuor millia. 16. Porrò tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha: 17. Leuitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: 18. Iuda, Eliu frater Dauid: Issachar, Amri filius Michaël. 19. Zabulonitis, Ieśmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Ierimoth filius Ozriel: 20. filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Ioël filius Phadaiæ: 21. & dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Iaddo filius Zachariæ: Beniamin autem, Iasiel filius Abner. 22. Dan verò, Ezrihel filius Ieroham: hi principes filiorum Israel. 23. Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferiùs: quia dixerat Dominus vt multiplicaret Israel quasi stellas cæli. 24. Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit: quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcircò numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis Dauid. 25. Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. his autem thesauris, qui erant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, præsidebat Ionathan filius Oziæ. 26. Operi autem rustico, & agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub: 27. vineārumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. 28. Nam super oliueta & ficeta, quæ erant in cāpestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Ioas. 29. Porrò armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Serrai Saronites: & super boues in vallibus, Saphat filius Adli: 30. super camelos verò, Vbil Ismahelites: & super asinos, Iadaias Meronathites. 31. super oues quoque, Iaziz Agareus. omnes hi, principes substantiæ regis Dauid. 32. Ionathan autem patruus Dauid, consiliarius, vir prudens & litteratus: Ipse & Iahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis. 33. Achitophel etiam consiliarius regis, & Chusai Arachites amicus regis. 34. Post Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, & Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Ioab.

NOta, sicut Dauid duobus capitibus præced. sacerdotes æquè ac Leuitas in 24. classes distribuit, quæ vicissim Deo in templo hebdomodatim deseruirent; sic hîc reliquum populum, putà Israelitas ad bellum idoneos, in 12. classes distribuit, & cuique classi suum præficit principem, vt singulæ classes vicissim semel in anno per mensem Regi & Reip. ad bellum deseruiant, vt scilicet vicissim 24. millia armatorum cum suo duce sibi sint præsto ad omnem bellicam expeditionem. Fuit hæc politica & prudens Dauidis sanctio; tum vt hac ratione omnes subditos exerceret in armis, vt discerent belligerare; tum ad sui, regnique tutelam. Cùm enim Israelitæ pauci vndique hostibus cingerentur, scilicet Philisthæis, Idumæis, Ammonitis, Arabibus, Ægyptiis, necessum fuit eis, semper paratos esse ab bellum. Ne ergo subitâ hostium irruptione opprimerentur, statuit Dauid, vt 24. millia semper in armis pro regis regnique custodia excubarent, & hostibus irruentibus illicò occurrerent. Hoc autem subditis non erat graue, quia vno tantùm mense in anno quisque cum armis in aciem prodire debebat, reliquis verò mensibus domi res suas curabat. Rursùm, hac ratione parcebatur exactionibus pecuniarum, quæ ingentes pro exercitu conscribendo & alendo indici solent. Nam quisque suo mense, quo in exercitu armatus comparere debebat, seipsum alebat. Hac ratione effecit, vt semper ad manum haberet numerosum militem, eumque recentem & veteranum, vt quibusuis & quantisuis hostibus resistere posset: quia pro numero hostium poterat tot millia ex singulis classibus euocare quot opus erat. Denique totus Israelis populus distributus in duodecim classes bellatorū, conflabat quasi totidē exercitus validos: quæque enim classis constabat 24. millibus armatorum, suumque habebat ducem siue principem, quorum quilibet hîc ordine suo recensetur. Dux autem quilibet suum habebat vicarium, qui ei ægrotanti vel aliis occupato succederet, & classem eius in aciem duceret regeretque, vt patet v. 4. & 7. Sic Romani olim rerum domini multas semper legiones in armis habebant, easque per prouincias distribuebant, vt eas in officio & obedientia continerent, ac prouinciarum sumptibus alebant. Sic Chinenses semper in armis habent centum millia militum, qui contra Tartaros excubant, ne Chinam inuadant.

ET POST SE ALTER NOMINE MACELLOTH] q. d. *Dudiæ*, qui dux erat secundæ turmæ, absenti vel impedito datus fuit vicarius *Macelloth*, qui eius vice turmam duceret, vt iam dixi. VERS. 4.

ET ZABADIAS FILIVS EIVS POST EVM] q. d. *Asaheli* principi quartæ turmæ, datus fuit vicarius eius filius *Zabadias*. VERS. 7.

PORRO TRIBVBVS PRÆERANT] Hîc recensentur singularum duodecim tribuum principes, qui erant earum primogeniti. At VERS. 16.

verò militiæ principes non erant hi primogeniti, sed viri animo, robore & scientia militari præstantes, ideoque à Dauide selecti.

VERS. 24. QVIA SVPER HOC IRA (Dei) IRRVERAT SVPER ISRAEL] Deus enim ob numeratum à Dauide populum, immisit pestem quæ 70. millia absumpsit. vide dicta. 2. Reg. vlt.

VERS. 24. POST ACHITOPHEL FVIT IOIADA FILIVS BANAIÆ, ET ABIATHAR] q. d. *Achitophel* consiliario Dauidis vitâ per laqueum functo successit *Ioiada & Abiathar* Pontifex, qui Dauidi fuêre ab intimis consiliis.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dauid conuocatos regni Principes aquè ac Salomonem hortatur, vt Dei leges exactè custodiant: inde vers. 11. Salomoni dat ideam templi, omniumq. eius partium & vasorum, quam cælitùs à Deo acceperat.

1. COnuocauit igitur Dauid omnes principes Israel, duces tribuum, & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque & centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, & potentes, & robustissimos quosque in exercitu Ierusalem. 2. Cumque surrexisset rex, & stetisset, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum, omnia præparaui. 3. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis. 4. Sed elegit Dominus Deus Israel me de vniuersa domo patris mei, vt essem rex super Israel in sempiternum: de Iuda enim elegit principes: porrò de domo Iudæ, domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei vt me eligeret regem super cunctum Israel. 5. Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni Domini super Israel, 6. dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. 7. Et firmabo regnum eius vsque in æternum, si perseueraverit facere præcepta mea, & iudicia, sicut & hodie. 8. Nunc ergo coram vniuerso cœtu Israel, audiente Deo nostro, custodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: vt possideatis Terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris post vos vsque in sempiternum. 9. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. 10. Nunc ergo quia elegit te Dominus vt ædificares domum Sanctuarij, confortare, & perfice. 11. Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, 12. nechon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, 13. diuisionumque Sacerdotalium & Leuiticarum, in omnia opera domus Domini, & in vniuersa vasa ministerij templi Domini. 14. Aurum in pondere per singula vasa ministerij. Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diuersitate. 15. Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum, aurum pro mensura vniuscuiusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diuersitate mensuræ, pondus argenti tradidit. 16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diuersitate mensarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas. 17. Ad fuscinulas quoque, & phialas, & thuribula, ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diuersum argenti pondus separatim. 18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini. 19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa

uersa operâ exemplaris. 20. Dixit quoque Dauid Salomoni filio suo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerij domus Domini. 21. Ecce diuisiones Sacerdotum & Leuitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & nouerunt tam principes quàm populus facere omnia præcepta tua.

VERS. 1. CVM EVNVCHIS] Eunuchi olim præerant aulæ regiæ, ac præsertim gynecæo; hinc quilibet præfecti aulæ siue palatini vocantur *Eunuchi*, vt dixi Genes. 37. 36.

VERS. 2. ET SCABELLVM DEI NOSTRI] Ita vocatur arca fœderis, quia super arcam extantes Cherubini iunctis alis sedem quasi Deo exhibebant, ita vt arca subiecta esset quasi scabellum pedum eius, vt dixi Exodi 25.

VERS. 4. DE IVDA ENIM ELEGIT PRINCIPES] Hebr. Chald. & Sept. habent in singulari, *principem*, sed *principem*, hoc est *principes* sibi continua serie succedentes, iuxta illud Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, nimirum Messias, siue Christus de Iuda & Dauide nasciturus.

VERS. 9. TV AVTEM SALOMON FILI MI SCITO DEVM] *Scito*, id est cognosce Deum, vt scilicet firmiter credas, sæpeque cogites & æstimes immensam Dei maiestatem, potentiam, iustitiam, bonitatem; vt hæc cognitio crebraque cogitatio & meditatio te impellat ad iugiter eum colendum, timendum & amandum.

VERS. 11. DOMVS PROPITIATIONIS] id est Sancti sanctorum; in eo enim erat propitiatorium supra arcam, ex quo Deus propitius Pontifici oracula, & populo beneficia præstabat.

VERS. 12. THESAVROS SANCTORVM] intelligit gazophylacia, siue æraria in quibus pecunia Deo oblata & sanctificata, id est consecrata asseruabatur.

VERS. 13. DIVISIONVMQVE SACERDOTALIVM ET LEVITICARVM] Ita vocat 24. classes in quas diuisi erant sacerdotes & Leuitæ, de quibus dixit c. 23. & 24.

VERS. 17. LEVNCVLOS AVREOS, &c. ET IN LEONES ARGENTEOS] Horum leunculorum & leonum nulla facta est mentio in descriptione templi 3. Reg. c. 7. & 8. quare incertum est, quo loco, & ad quem vsum collocati sint. Porrò Sept. Vatab. Pagnin. & Abul. pro כְּפִיר *Kephir* id est *leunculus*, legentes כַּפּוֹר *cappor* vertunt: *crateres* aut *cyathos*.

VERS. 18. ALTARI AVTEM IN QVO ADOLETVR INCENSVM (puta altari thymiamatis, quod erat in Sancto obuersum Sancto sanctorum) AVRVM PVRISSIMVM DEDIT, VT (Heb. Sept. & Latina Regia habent: *& vt*) EX EO FIERET SIMILITVDO QVADRIGÆ CHERVBIM EXTENDENTIVM ALAS, ET VELANTIVM ARCAM FOEDERIS DOMINI] Quæres, Quæ & qualis fuit hæc *quadrigâ Cherubim?* an eadem cum Cherubinis Moysaicis & Salomonicis, qui recensentur 3. Reg. c. 7. & 8. Noster Hieron. Prado in caput 1. Ezech. pag. 35. censet esse eosdem. Ait enim Salomonem ex biga Cherubinorum à Moyse factorum, fecisse quadrigam, quia duobus Cherubinis Moysis addecit duos alios, itaque ex biga fecit quadrigam. Addidit enim plaustrum cum rotis, cui arca imponeretur. ita Prado.

Quadriga Cherubim quæ

Verùm dico aliam prorsùs esse hanc quadrigam, alioſque Cherubinos ab iis duobus, quos Moyses fabricauit, & aliis duobus, quos iisdem adiecit Salomon 3. Reg. cap. 7. & 8. Patet id primò, quia illi erant iuxta arcam in Sancto sanctorum; hi verò facti sunt in Sancto super altare Thymiamatis, vti hîc dicitur.

Secundò, quia hîc Script. ait Salomonem eos feciſſe *in similitudinem*; ergo non erant iidem, sed similes Cherubinis arcæ.

Tertiò, quia Cherubini Salomonis additi Moysaicis non faciebãt quadrigam, nec vnum quid; sed ab eis prorsùs erant disparati. Nam Moysaici supra arcã positi vultus sibi obuertebant, seque mutuò alis quasi manibus expansis complectebantur; Salomonici verò positi erant ad latus arcæ, vt eam cum Cherubinis Moysaicis velarent & tegerẽt: ac vterque eorum erat ex eodem latere, expandendo alas per totam Sancti sanctorum longitudinem, ita vt vnus Cherub ala sua extima tangeret parietem Meridionalem, alter verò ala sua extima tangeret parietem Septemtrionalẽ Sancti sanctorum. Ergo non poterant facere quadrigam, sed tantùm vnum latus quadrigæ, siue currus.

Quartò, de plaustro cum rotis cui insisteret arca, quod astruit Prado, nihil vspiam habet Script.

Dico ergo Cherubinos non tantùm circa arcam, sed etiam in altari Thymiamatis fuisse fabricatos, de iisque hîc agi. Erant illi similes Cherubinis arcæ. Sicut enim isti alis expansis iunctisque velabant arcam, ita hi alis expansis iunctisque velabant altare Thymiamatis, vt sedem siue solium quasi præberent Deo, ac Deus iis insidens videretur excipere fumum Thymiamatis, qui ei adolebatur in altari.

Dicitur *quadriga* Heb. מֶרְכָּבָה *merkaba*, id est *currus*, non quòd essent quatuor Cherubini; erant enim bini dumtaxat, quorum vterque sese inuicem vultu obuerso respicientes, duabus alis expansis, & cum alis alterius ex aduerso positi coniunctis, faciebant quadrum siue quadratum, itaque quasi *quadrigam*, id est currum quadratum. ita Abul.

Sensus ergo est q. d. Dauid dedit *aurum purissimum*, vt ex eo fabricaretur altare Thymiamatis, & in eodem currus Cherubim, similis currui Cherubim velantium arcam fœderis, quem fabricarat Moyses. Hunc sensum exigunt Hebræa, quæ pro *vt*, habent: *& vt*.

Quid

Quid Cherubini ad literam & mysticè significarint, fusè dixi Exodi 25. Ezech. 1. & Apocal. 4.

VERS. 19. OMNIA INQVIT VENERVNT SCRIPTA MANV DOMINI AD ME, VT INTELLIGEREM VNIVERSA OPERA EXEMPLARIS] Deus ergo in tabula descripsit totam idæam templi, illamque per manus Angeli tradidit Dauidi vt is eandem traderet Salomoni, qui iuxta eam templum ædificaret. Similem idæam tabernaculi Deus tradidit Moysi Exodi 25. 40. *Inspice*, inquit, *& fac secundùm exemplar quod tibi in monte* (Sinai) *monstratũ est. Exemplar* enim siue *paradigma*, vt vertunt Sept. vocat idæam, siue delineationem tabernaculi & tẽpli, tum exemplarem, tum literalem & verbalem, vt scilicet litteris & verbis scriptis explicaret ipsam idææ delineationem, quæ alioqui cùm esset obscura & inuoluta, ex solo intuitu vix à Dauide intelligi potuisset. Quare vt ipse & Salomon eam intelligerent Deus verbis eandem explicuit, scribendo litteris expressis: ita facies Sanctum, ita Sanctum sanctorum, ita atrium, ita altare vtrumque, ita candelabrum, ita mensam panũ propositionis, idque ex tali materia, tali forma, tanta altitudine. Et hoc est, quod hîc ait Dauid: *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* ita Abul.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur impensæ à Dauide præparatæ ad fabricam templi: Item ea quæ illis adiecêre principes & populus. Mox vers. 22. Salomon secundo publicè vngitur in regem, ac Dauid plenus dierum & meritorum moritur.

1. LOcutusque est Dauid Rex ad omnẽ ecclesiam: Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Ego autem totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè: 3. & super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam. 4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. 5. Et, vbicumque opus est aurum de auro, & vbicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino. 6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israel, tribuni quoque, & centuriones, & principes possessionum regis. 7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. 8. Et apud quemcumque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Iahiel Gersonitis. 9. Lætatusque est populus, cùm vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino: sed & Dauid rex lætatus est gaudio magno. 10. Et benedixit Domino coram vniuersa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum. 11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus, cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes. 12. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium. 13. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. 14. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere? tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 15. Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. 16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam parauimus vt ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia. 17. Scio Deus meus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc: & populum tuum, qui hîc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18. Domine Deus Abraham, & Isaac, &

& Israel, patrum nostrorum, custodi in æternũ hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, vt custodiat mandata tua, testimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat vniuersa: & ædificet ædem, cuius impensas paraui. 20. Præcepit autem Dauid vniuersæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde regem. 21. Immolauerunt que victimas Domino: & obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, & vniuerso ritu abundantissimè in omnem Israel. 22. Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cùm grandi lætitia. Et vnxerunt secundò Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificem. 23. Sedit que Salomon super solium Domini in regem pro Dauid patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israel. 24. Sed & vniuersi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & subiecti fuerunt Salomoni regi. 25. Magnificauit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel. 26. Igitur Dauid filius Isai regnauit super vniuersum Israel. 27. Et dies, quibus regnauit super Israel, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnauit septem annis, & in Ierusalem annis triginta tribus. 28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitiis, & gloria. & regnauit Salomon filius eius pro eo. 29. Gesta autem Dauid regis priora, & nouissima, scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis: 30. vniuersique regni eius, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, siue in Israel, siue in cunctis regnis terrarum.

VERS. 2. QVASI STIBINOS] id est similes stibio, quo mulieres faciei fucum inducunt, vt videantur esse formosiores quàm sint. Vnde Heb. est *lapides fuci*, qui scilicet intuentibus facerent fucum, vt in iis apparerent miræ & elegantes variarum rerum formæ, quæ tamen reuera in eis non erant, quales sunt quos appellant *Agates*, in quibus arborum, atium, insularum natantium, & quatumlibet rerum effigies quasi expictæ apparent, quæ oculatissimos etiam decipiunt, vt verè putent illas ibidem existere: hi ergo sunt lapides *stibini* siue *fuci*, qui fucum faciunt oculis, eosque suis imaginibus quas repræsentant, deludunt.

ET MARMOR PARIVM] ex Paro insula vna ex Cycladibus, quod est album & præstantissimum. τὸ *Parium* non est in Hebræo, B sed in Sept. & Nostro, quia marmor hoc à Dauide ad Dei templum paratum, fuit selectum & optimum, quale est Parium.

EXCEPTIS HIS QVÆ PRÆPARAVI IN ÆDEM SANCTAM] q. d. præter illa quæ ex spoliis hostium & regnis subactis præparaui & congessi ad fabricam templi, quæ summam faciunt centum millium talentorum auri, & mille millium talentorum argenti, vt dictum est c. 22. 14. insuper in eandem domus Dei mei fabricam ex meo peculio do ea, quæ iam pridem obtuli & promisi, nimirùm tria millia talentorum auri ex Ophir allati, ideoque præstantissimi, &c.

VERS. 5. IMPLEAT MANVM SVAM] auro & donis quæ liberaliter vult offerre Deo pro fabrica templi. C

VERS. 6. PRINCIPES POSSESSIONVM REGIS] scilicet præfecti vineis, agris, armentis, ouibus, ceteriscque opibus Dauidis.

IN SIMPLICITATE CORDIS MEI LÆTVS OBTVLI] Hebr. *in rectitudine cordis.* Sept. *in iustitia.* q. d. obtuli hæc *simplici*, id est syncero, recto & candido corde, & purissima intentione, non aliud spectans vel intendens, quàm Dei honorem & gloriam. Hoc enim omnino dignum & iustum est. VERS. 17.

IMMOLAVERVNTQVE VICTIMAS] tum holocausta, tum pacificas, è quibus comedere & epulari poterant laici; vnde ex his omnes epulari sunt. Subdit enim: VERS. 21.

ABVNDANTISSIME IN OMNEM ISRAEL] q. d. tot victimæ abundè suffecerunt, vt ex eis omnes Israelitæ tunc præsentes lautè epularentur.

ET VNXERVNT SECVNDO SALOMONEM] prius enim priuatim coram paucis vnctus fuerat 3. Reg. 1. v. 39. hîc ergo secundò vngitur publicè, vt omnes sciant eum esse regem Israelis, ac vt talem reuereantur & colant. Hac de causa Dauid conuocauit totum populum; vt Salomon iterum præsente vniuerso Israele & approbante vngeretur.

ET SADOC IN PONTIFICEM] Quia Sadoc fuerat Pontifex à Saule designatus, Abiathar verò succedens Achitob & Heli pontificibus apud Dauidem functus fuerat pontificatu; hinc nonnulli Saulis hostes & Dauidis assecłæ, nolebant Sadoc recipere vt Pontificem; quare Dauid iubet eum vngi in Pontificem, vt omnes eum vt talem acceptent, & honorent. Noluit enim Dauid Sadoc priuare suo gradu, quem apud Saulem per tot annos habuerat, quique ei iure debebatur, eò quòd esset ex posteris Eleazar, qui erat primogenitus Aaronis, ideoque ei in pontificatu successor.

COM-

COMMENTARIVS IN LIBRVM SECVNDVM PARALIPOMENON.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon oblatis victimis in Gabaon, petit à Deo sapientiam, & impetrat cum maximis opibus & gloria pompaq; equitum & curruum.

1. CONFORTATVS est ergo Salomon filius Dauid in regno suo, & Dominus Deus eius erat cum eo, & magnificauit eum in excelsum. 2. Præcepitque Salomon vniuerso Israeli, tribunis, & centurionibus, & ducibus, & iudicibus omnis Israel, & principibus familiarum: 3. & abiit cum vniuersa multitudine in Excelsum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. 4. Arcam autem Dei adduxerat Dauid de Cariathiarim, in locum quem præparauerat ei, & vbi fixerat illi tabernaculum, hoc est, in Ierusalem. 5. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Vri filij Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod & requisiuit Salomon, & omnis ecclesia. 6. Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias. 7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, vt dem tibi. 8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum Dauid patre meo misericordiam magnam: & constituisti me regem pro eo. 9. Nunc ergo Domine Deus impleatur sermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quàm puluis terræ. 10. Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, iudicare? 11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti diuitias, & substantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam & scientiam, vt iudicare possis populum meum, super quem constitui te regem. 12. Sapientia & scientia data sunt tibi: diuitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui. 13. Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Ierusalem coram tabernaculo fœderis, & regnauit super Israel. 14. Congregauitque sibi currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & fecit eos esse in vrbibus quadrigarum, & cum rege in Ierusalem. 15. Præbuitque rex argentum & aurum in Ierusalem quasi lapides, & cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa, à negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio, 17. quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: similiter de vniuersis regnis Hethæorum, & à regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

Hoc

HOc caput vsque ad v. 13. explicui lib. 3. A Reg. c. 3. cetera verò cap. 10. v. 26.

VERS. 5. ALTARE QVOQVE ÆNEVM] id est altare holocaustorum, in quo cremabantur victimæ, quod proinde *erat æneum*; alterum enim altare thymiamatis, in quo Deo adolebatur incensum, erat aureum.

REQVISIVIT] proficiscendo in Gabaon, vbi erat altare æneum, vt in eo offerret mille victimas.

VERS. 10. VT INGREDIAR ET EGREDIAR CORAM POPVLO] vt quasi rex populum ducam & reducam, quocumque opus est, sicut pastor oues ad pascua educit, & vespere ad caulam reducit.

VERS. 13. CORAM TABERNACVLO FOEDERIS] Heb. de *coram tabernaculo*. Sept. *à facie tabernaculi*: hoc enim erat in Gabaon, à quo discedens Salomon redibat in Ierusalem.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon ad templi fabricam destinat 70. millia baiulorum, & 80. millia latomorum: paciscitur cum Hiram de insigni architecto ligniq; transmittendis.

1. DEcreuit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium sibi. 2. Et numerauit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos. 3. Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum Dauid patre meo, & misisti ei ligna cedrina vt ædificaret sibi domum, in qua & habitauit: 4. sic fac mecum, vt ædificem domum nomini Domini Dei mei, vt consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocaustomata manè, & vesperè, sabbatis quoque, & neomeniis, & solleminitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli. 5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes deos. 6. Quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, vt possim ædificare ei domum: sed ad hoc tantùm, vt adoleatur incensum coram illo. 7. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas; cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudæa & Ierusalem, quos præparauit Dauid pater meus. 8. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea, de Libano: scio enim quòd serui tui nouerint cædere ligna de Libano, & erunt serui mei cum seruis tuis, 9. vt parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta. 10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, seruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia. 11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcircò te regnare fecit super eum. 12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum & terram, qui dedit Dauid regi filium sapientè & eruditum & sensatum atque prudentem, vt ædificaret domum Domino, & palatium sibi. 13. Misi ergo tibi virum prudentem & scientissimum Hiram, patrem meum, 14. filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui nouit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & byssо, & coccino: & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere necessarium est; cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei Dauid patris tui. 15. Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es domine mi, mitte seruis tuis. 16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuum autè erit transferre ea in Ierusalem. 17. Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti

uenti sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti. 18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.

HOc caput exposui lib. 3. Reg. c. 5.

VERS. 2. NVMERAVIT SEPTVAGINTA MILLIA VIRORVM] Hi non erant Israelitæ sed proselyti, vt patet v. 17.

PRÆPOSITOS] qui dirigerent, & simul vrgerẽt operarios ad fabricam templi accelerandam, & concinnè adornandam. Hoc enim significat Heb. נצח *natsach*.

VERS. 12. HIRAM PATREM MEVM] quem scilicet ego ob virtutem, sapientiam & industriam, veneror vt patrem. vide dicta 3. Reg. 7. 13. Heb. Sept. & Chald. habent *Hiram patris mei*, subaudi, architectum & famulum.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon magnificum extruit templum, & ante illud duas collocat columnas, Iachin & Booz.

1. ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi. 2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui. 3. Et hæc sunt fundamenta, quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. 4. Porticum verò ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat: & deauravit eam intrinsecus auro mundissimo. 5. Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se inuicem complectentes. 6. Stravit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo. 7. Porrò aurum erat probatissimum: de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia: & cælauit cherubim in parietibus. 8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti: & latitudinem similiter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eã, quasi talentis sexcentis. 9. Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui sicli quinquagenos appenderent: cænacula quoque texit auro. 10. Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario: & texit eos auro. 11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita vt vna ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub. 12. Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala eius altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat. 13. Igitur alæ vtriusque cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. 14. Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso: & intexuit ei cherubim. 15. Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porrò capita earum, quinque cubitorum. 16. Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit. 17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachin; & quæ ad læuam, Booz.

HOc caput explicui lib. 3. Reg. c. 6.

VERS. 1. IN MONTE MORIA] in quo olim Abraham filium suum Isaac Deo obtulerat Genes. 22. 14. vnde in eodem Christus antitypus se in eodem holocaustum Deo obtulit pro mundi salute. Caluariæ enim mons pars est, vel appendix montis Moria.

VERS. 3. LONGITVDINIS CVBITOS IN MENSVRA PRIMA] quia secunda mensura fuit, qua hi 60. cubiti diuisi & dimẽsi sunt in duas sectiones, scilicet vt ex eis Sanctum haberet 40. cubitos, reliquos verò 20. haberet Sanctum sanctorum. vide dicta lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. sub finem.

VERS. 5. DOMVM MAIOREM (ita vocat *Sanctum*, quod erat maius Sancto sanctorum) TEXIT TABVLIS ABIEGNIS] ex abiete; sed immixtis *laquearibus cedrinis*, vt dicitur 3. Reg. 6. 9.

VERS. 7. PORRO AVRVM ERAT PROBATISSIMVM] Heb. *erat aurum Paruaim*, scilicet effossum ex loco dicto *Ophir*, & per Aphæresin *Paruaim*, vel vt Sept. vertunt: *aurum ex Pharuim*. Sic & Pagnin. Vatab. Arias, Marinus, & alij qui putant *Paruaim* esse *Peru*. Videtur enim vtrobique esse eadem vox eædemque litteræ. Dici verò *Paruaim* in Duali, quia regio *Peru* est duplex, maior scilicet & minor. Verùm nomen *Peru* tunc erat incognitum, & etiamnum indigenis *Peru* est ignotum. Inditum est enim isti regioni nuper ab Hispanis, à flumine vicino quodam ita dicto, vti testatur Iosephus Acosta, qui ita *Peru* vixit 15. annis, lib. 1. de nouo orbe c. 14.

Marinus in Lexico scribit nonnullos *Paruaim* deducere à, *Par*, id est, *iuuencus*, eò quòd aurum *Paruaim* rubeat vt sanguis iuuenci.

Melius dicas *Ophir* & *Paruaim* esse in India Orientali, esseque Sumatram, Taprobanam, Pegu, & alias ibidem auriferas regiones, quæ à Salomone & Hebræis nuncupatæ sint, *Ophir* & *Paruaim* a rad. פרה *Para*, id est *fructificauit*, eò quòd summè sint frugiferæ, & auriferacissimæ. Hæ voces quoque alludunt ad אפר *Epher*, id est *cinis*, eò quòd massæ terreæ, è quibus liquatur aurum, habeant colorem cinereum; sicut rubrica, è qua liquatur ferrum, habet colorem tertæ rubræ. Alludit quoque ad פאר *Pear*, id est *decus* splendor, q. d. sub *Epher*, id est *cinere* latet *Pear*, id est *aurum decorum* fulgidum & splendidum. vide dicta 3. Reg. 9. v. vlt.

VERS. 10. IN ORACVLO] id est, sicut in oraculo. Erant enim hæ catenulæ in columnis, similes catenulis oraculi, siue Sancti sanctorum.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat altare holocaustorum, mare fusile, duas conchas aureas, decem candelabra aurea, mensas, phialas, ceteraq; vasa templi.

1. FEcit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. 2. Mare etiam fusile decem cubitis à labio vsque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. 3. Similitudo quoque boum erat subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus aluum maris circuibant. Boues autem erant fusiles: 4. & ipsum mare super duodecim boues impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & alij tres ad Occidentem: porrò tres alij Meridiem, & tres qui reliqui erant Orientem; habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari. 5. Porrò vastitas eius habebat mensuram palmi, & labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilij: capiebatque tria millia metretas. 6. Fecit quoque conchas decem: & posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porrò in mari sacerdotes lauabantur. 7. Fecit autem & candelabra aurea decem, secundùm speciem qua iussa erant fieri: & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris. 8. Necnon & mensas decem: & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris: phialas quoque aureas centum. 9. Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem: & ostia in basilica, quæ texit ære. 10. Porrò mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem. 11. Fecit autem Hiram lebetes, & creagras, & phialas: & compleuit omne opus regis in domo Dei: 12. hoc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia. 13. Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, & capita columnarum. 14. Bases etiam fecit, & conchas, quas superposuit basibus: 15. mare vnum, boues quoque duodecim sub mari. 16. Et lebetes, & creagras, & phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini ex ære mundissimo. 17. In regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot & Saredatha

tha. 18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris. 19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, & altare aureũ, & mensas, & super eas panes propositionis: 20. candelabra quoque cum lucernis suis, vt lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro purissimo: 21. & florentia quædam, & lucernas, & forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt. 22. Thymiateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælauit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: & ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

HOc caput explicui 3. Reg. 7.

VERS. 2. FVNICVLVS TRIGINTA CVBITORVM] Funiculum vocat circulum, siue peripheriam maris ænei quæ erat 30. cubitorum, scilicet triplò maior diametro eiusdem.

VERS. 3. SIMILITVDO QVOQVE BOVM ERAT SVBTER ILLVD, &c.] q. d. præter 12. boues æneos, quibus mare fusile incumbebat, erant in anteriore maris parte per spatium decem cubitorum (quæ erat tertia peripheriæ pars: tota enim erat 30. cubitorũ) alia boum capita eminentia ad elegantiam; fortè etiam vt per illa quasi epistomia aqua educeretur. Porrò hæc capita erant, *duobus versibus*, Heb. *duobus ordinibus* distincta; vnus enim ordo erat infra labium, alter versùs fundum. Erantque *fusilia*, Hebr. *fusa in fusuras eius*, scilicet maris, q. d. hæc capita non erant forinsecùs adiecta & appacta mari, sed cum ipso mari primitus fusorio opere fusa.

VERS. 9. FECIT ATRIVM SACERDOTVM ET BASILICAM GRANDEM] id est, vt habent Heb. & Sept. *atrium magnum*, in quo populus orabat, quæ erat subdialis area vndique porticibus cincta, vt tempore pluuio iis tegeretur populus, eò se recipiens; quæ porticus tribus lateribus columnarum ordine, & triplici contignatione distinguebantur. Porrò hoc atrium populi A cingebat & ambiebat à tribus lateribus atrium sacerdotum, eratque quasi templum populi. Hinc Hebr. dicitur *azara*, id est *adiutorium*, quia Deum ibi orans populus eius auxilium sentiebat. In huius diuini adiutorij exemplum, in eo Deus, quin & gentiles asilum constituerunt; & fortè ex *azar azirum*, & inde *asilum* dictum est. Testis est Strabo lib. 14. & Cicero 5. in Verrem, Ephesi Dianæ templum id iuris habuisse, vt ad illud confugientes mancipia vinculis & seruitute soluerentur. Quin & Æsian. lib. 11. de animal. 6. & Gyrald. syntag. 15. de diis gentium, memorant in Parthenio monte delubrum fuisse Panis, ibique locum nomine Aulam omnibus animalibus fuisse velut asilum, quem leones & lupi dum feras insectabantur adire non auderent, sed repentè subsisterent feris relictis. Sicut ferunt in Dianæ Ætoliæ luco canes, dum feras insequuntur, vbi ad lucum cõfugerint, ab insectatione quiescere. Quæ omnia, ait Vilalpandus in Ezech. tom. 2. p. 202. dæmonis figmenta, ad æmulandam Dei opem in templis sibi dicatis demonstratam excogitata sunt. Sic Barbari quasi à Deo territi, templis abstinuerunt, ait S. Aug. lib. 1. ciuit. Dei c. 2. 3. 4. 6.

ET FLORENTIA QVÆDAM] Hebr. & Vers. *flores*, v. g. rosarum, liliorum, gariophyllorum, &c. erant hi flores ex auro fabrefacti.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon vasa sacra cum donariis in templum, ac arcam fœderis in Sanctum sanctorum inducit: Deus per nebulam in eodem gloriam suam ostendit.

1. INtulit igitur Salomon omnia, quæ vouerat Dauid pater suus, argentum, & aurum, & vniuersa vasa posuit in thesauris domus Dei. 2. Post quæ congregauit maiores natu Israel, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Israel in Ierusalem, vt adducerent arcam fœderis Domini de Ciuitate Dauid, quæ est Sion. 3. Veneruntitaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi. 4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portauerunt Leuitæ arcam, 5. & intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi. Porrò vasa sanctuarij, quæ erant in tabernaculo, portauerunt Sacerdotes cum Leuitis. 6. Rex autem Salomon, & vniuersus cœtus Israel, & omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, & boues absque vllo numero: tanta enim erat multitudo victimarum. 7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta

cta sanctorum subter alas cherubim: 8. ita vt cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. 9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculũ: si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi vsque in præsentem diem. 10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto. 11. Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inueniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos diuisus erat) 12. tam Leuitæ quàm cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filij, & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis. 13. Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus; longè sonitus audiebatur, ita vt cùm Dominum laudare cœpissent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius; impleretur domus Dei nube, 14. nec possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

CAput hoc exposui 3. Reg. 8.

VERS. 9. VECTIVM AVTEM, &c.] Sensus est q. d. Vectes quibus portabatur arca, longiores erant non oraculo, sed ipsa arca; quare apparebant sacerdotibus qui stabant in Sancto, ad fores Oraculi, siue Sancti sanctorum; si quis verò EXTRINSECVS, id est extra fores Oraculi remotiùs constitisset, eos videre non poterat.

FVIT ITAQVE ARCA IBI VSQVE IN PRÆSENTEM DIEM] quò scilicet hæc scripsit ille qui Diaria siue Chronica Regum Iuda conscripsit, ex quibus hos libros Paralipomenon conscripsit & concinnauit Esdras. Nam tempore ipsius Esdræ arca non erat in templo, vtpote iam à Chaldæis exusto, sed ante vrbis A templique excidium Arca à Ieremia translata fuit in locum incognitum, vt dicitur 2. Machab. 2. 4.

VERS. 10. NIHILQVE ERAT IN ARCA, NISI DVÆ TABVLÆ] Quomodo vrna cum manna, & Deuteronomium dicantur fuisse in arca, explicui Heb. 9. 4.

VERS. 11. NEC ADHVC IN ILLO TEMPORE (dedicationis templi) VICES ET ORDO INTER SACERDOTES DIVISVS ERAT] Hebr. *non observabatur*, sicut exactè obseruatus fuit post templi dedicationem. Ad hanc enim ob victimas plurimas in ea sacrificandas non sufficiebant sacerdotes & Leuitæ, quorum vices ministrandi erant ista hebdomade, sed conuocati omnes confluxêre ex toto Israele quotquot venire potuerunt.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon populo benedicit, ac Deo gratias agit, quòd promissa Dauidi de fabrica templi in se complesset, eumq. obsecrat, vt vota orantium in templo exaudiat.

1. TVnc Salomon ait: Dominus pollicitus est vt habitaret in caligine: 2. ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum. 3. Et conuertit rex faciem suam, & benedixit vniuersæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta) & ait: 4. Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est Dauid patri meo, opere compleuit, dicens: 5. A die, qua eduxi populum meum de Terra Ægypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israel, vt ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, vt esset dux in populo meo Israel, 6. sed elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea, & elegi Dauid, vt constituerem eum super populum meum Israel. 7. Cumque fuisset voluntatis Dauid patris mei, vt ædificaret domum nomini Domini Dei Israel, 8. dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, vt ædificares domum nomini meo, benè quidem fecisti huiuscemodi habere voluntatem: 9. sed non tu ædificabis domum, verùm filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 10. Compleuit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: & ego surrexi

pro Dauid patre meo, & sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Israel. 11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel. 12. Stetit ergo coram altari Domini ex aduerso vniuersæ multitudinis Israel, & extendit manus suas. 13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: steritque super eam: & deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israel, & palmis in cælum leuatis, 14. ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo & in terra: qui custodis pactum & misericordiam cum seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo: 15. Qui præstitisti seruo tuo Dauid patri meo quæcumque locutus fueras ei: & quæ ore promiseras, opere complesti, sicut & præsens tempus probat. 16. Nunc ergo Domine Deus Israel, imple seruo tuo patri meo Dauid quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint in lege mea, sicut & tu ambulasti coram me. 17. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es seruo tuo Dauid. 18. Ergóne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista, quam ædificaui? 19. Sed ad hoc tantùm facta est, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationem eius, Domine Deus meus: & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te: 20. vt aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es vt inuocaretur nomen tuum, 21. & exaudires orationem, quam seruus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Israel. Quicumque orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, & propitiare. 22. Si peccauerit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: 23. tu audies de cælo, & facies iudicium seruorum tuorum, ita vt reddas iniquo viam suam in caput proprium, & vlciscaris iustum, retribuens ei secundùm iustitiam suam. 24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conuersi egerint pœnitentiam, & obsecrauerint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco isto, 25. tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israel, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & patribus eorum. 26. Si clauso cælo, pluuia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conuersi à peccatis suis, cùm eos afflixeris, 27. exaudi de cælo Domine, & dimitte peccata seruis tuis & populi tui Israel, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. 28. Fames si orta fuerit in terra, & pestilentia, ærugo, & aurugo, & locusta, & bruchus, & hostes, vastatis regionibus, portas obsederint ciuitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit: 29. si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac, 30. tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiare, & redde vnicuique secundùm vias suas, quas nosti cum habere in corde suo: (tu enim solus nosti corda filiorum hominum:) 31. vt timeant te, & ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adorauerit in loco isto, 33. tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus inuocauerit te ille peregrinus: vt sciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te sicut populus tuus Israel. & cognoscant, quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc, quam ædificaui. 34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra aduersarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua ciuitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo: 35. tu exaudies de cælo preces eorum, & obsecrationem, & vlciscaris. 36. Si autem peccauerint tibi (neque enim est homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captiuos duxerint eos in terram longinquam, vel certè quæ iuxtà est, 37. & conuersi in corde suo, in terra, ad quam captiui ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint

rint in terra captiuitatis suæ, dicentes: Peccauimus, iniquè fecimus, iniustè egimus: 38. & reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captiuitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & vrbis, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo: 39. tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum, & facias iudicium, & dimittas populo tuo, quamuis peccatori: 40. tu es enim Deus meus: aperiãtur, quæso, oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. 41. Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, & sancti tui lætentur in bonis. 42. Domine Deus ne auerteris faciem christi tui: memento misericordiarum Dauid serui tui.

HOc caput explicui 3. Reg. 8. 12.

A

Vers. 13. FECERAT SALOMON BASIM ÆNEAM] per modum suggestus altioris, in quo sedens docensque vel genuflectens & orans audiretur à toto populo circumstante. Vnde addit:

IN MEDIO BASILICÆ] id est in medio atrij populi, vt dixi cap. 4. 9.

Vers. 28. ÆRVGO ET AVRVGO] vitia sunt segetum cùm illæ instar æris & auri rubiginem & quasi icterum, ictericumque colorem contrahunt, vt contabescant & exinaniantur.

B

Vers. 41. CONSVRGE DOMINE IN REQVIEM TVAM] vt in templo hoc, quod à me fieri iussisti, nobiscum & inter nos quiescas habitesque iugiter. *Requies* ergo Dei est templum, ibi enim colitur ipse precibus, votis, sacrificiis, &c.

TV ET ARCA FORTITVDINIS TVÆ] In arca enim Deus ostendere solebat suam potentiam & fortitudinem, cùm ad eius præsentiam Iordanem diuisit, Iericuntis muros prostrauit, Chananæos, Philisthæos, alios que hostes Israelis debellauit.

SACERDOTES TVI DOMINE DEVS INDVANTVR SALVTEM] vt planè pleneque sint sani & salui, vt & laicos saluare queant. *Salutem* intelligit tum corporalem, tum potiùs spiritualem, nimirum iustitiam & sanctitatem. Alludit enim ad Psalm. 131. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, id est iustitia & vitæ sanctitate ita abundent, vt ea quasi veste vndique ambiri cingique videantur.

NE AVERTAS FACIEM CHRISTI TVI] id est mei ipsius, qui à te factus sum *christus*, id est vnctus in regem, q. d. ne me à te creatum regem, & facie supplici in cælum ad te intentâ orantem repellas; ne me meamque faciem & orationem spernas, & pudore suffundas. Vers. 42.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEus igne è cælo misso victimas Salomonis inflammat, eiq; reuelat se eius preces exaudisse, vt orantes in templo pro qualibet necessitate exaudiat.

1. CVmque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta & victimas: & maiestas Domini impleuit domum. 2. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò quòd implesset maiestas Domini templum Domini. 3. Sed & omnes filij Israel videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide, adorauerunt, & laudauerunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. 4. Rex autem, & omnis populus, immolabant victimas coram Domino. 5. Mactauit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: & dedicauit domum Dei rex, & vniuersus populus. 6. Sacerdotes autem stabant in officiis suis: & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus suas: porrò Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. 7. Sanctificauit quoque Salomon medium atrij ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta & adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta, & sacrificia, & adipes. 8. Fecit ergo Salomon sollemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, ecclesia magna valdè, ab introitu Emath vsque ad Torrentem Ægypti. 9. Fecitque die octauo collectam, eò quòd dedicasset altare septem diebus, & sollemnitatem celebrasset diebus septem. 10. Igitur in die vigesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Dauidi, & Salomoni, & Israeli populo

pulo suo. 11. Compleuitque Salomon domum Domini, & domum regis, & omnia quæ disposuerat in corde suo, vt faceret in domo Domini, & in domo sua, & prosperatus est. 12. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. 13. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: 14. conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. 16. Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum, ibi cunctis diebus. 17. Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Dauid pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaque seruaueris: 18. suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. 19. Si autem auersi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, & abeuntes seruieritis diis alienis, & adoraueritis eos, 20. euellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificaui nomini meo, proiiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis. 21. Et domus ista erit in prouerbium vniuersis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de Terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt: idcirco venerunt super eos vniuersa hæc mala.

HOc caput explicui 3. Reg. 8. & 9.

VERS. 2. MAIESTAS] Heb. כָּבוֹד *cabod*, id est *gloria*, puta caligo siue nubes splendida & gloriosa, Dei inuisibilis maiestatem & gloriam repræsentans.

VERS. 6. SACERDOTES AVTEM STABANT IN OFFICIIS SVIS. Hebr. per *custodias suas*, scilicet diuisi in suas turmas, per officia singulis à Dauide imposita. Sic & stabant Leuitæ IN ORGANIS CARMINVM, hoc est cum instrumentis musicis, &c. hymnos CANENTES PER MANVS SVAS] manibus scilicet pulsando instrumenta musica, quibus psallebant hymnos & carmina, puta psalmos à Dauide ad Deum laudandum compositos.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon suum palatium multasq; vrbes ædificat: reliquias Chananæorum subiugat sancit victimas statas impensis regis sacrificandas: sacerdotum & Leuitarum officia iuxta Dauidis descriptionem distribuit: missa classe in Ophir, inde recipit 450. auri talenta.

1. EXpletis autem viginti annis, postquam ædificauit Salomon domum Domini & domum suam: 2. ciuitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificauit, & habitare ibi fecit filios Israel. 3. Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam. 4. Et ædificauit Palmiram in deserto, & alias ciuitates munitissimas ædificauit in Emath. 5. Extruxitque Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, ciuitates muratas habentes portas & vectes & seras: 6. Balaath etiam & omnes vrbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque vrbes quadrigarum, & vrbes equitum, omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificauit in Ierusalem & in Libano, & in vniuersa terra potestatis suæ. 7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel, 8. de filiis eorum, & de posteris, quos non interfecerant filij Israel, subiugauit Salomon in tributarios, vsque in diem hanc. 9. Porrò de filiis Israel non posuit vt seruirent operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, & duces primi, & principes quadrigarum & equitum eius. 10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. 11. Filiam verò Pharaonis transtulit de Ciuitate Dauid, in domum quam ædificauerat ei. Dixit enim rex: Non habitabit vxor mea in domo Dauid regis Israel, eò quòd sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini. 12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum, 13. vt per singulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysi in sabbatis & in calendis, & in festis diebus, ter per annum, id est, in sollemnitate azymorum, & in sollemnitate hebdomadarum, & in sollemnitate tabernaculorum. 14. Et constituit iuxta dispositionem Dauid patris sui, officia Sacerdotum in ministeriis suis: & Leuitas in ordine suo, vt laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum vnius cuiusque diei: & ianitores in diuisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat Dauid homo Dei. 15. Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam Sacerdotes quàm Leuitæ, ex omnibus quæ præceperat, & in custodiis thesaurorum. 16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundauit domum Domini vsque in diem quo perfecit eam. 17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, & in Ailath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom. 18. Misit autem ei Hiram per manus seruorum suorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum seruis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.

HOc caput explicui 3. Reg. 9. v. 10. & seq.

VERS. 2. CIVITATES QVAS DEDERAT (id est reddiderat) HIRAM SALOMONI.

VERS. 17. ABIIT SALOMON (vel in persona, vel per suos ministros & officiales) IN ASIONGABER] Hic portus est maris rubri, ex quo in Indiam Orientalem facilis & vicinus est traiectus; vnde colligas *Ophir* fuisse in India Orientali, non Occidentali, scilicet in Pegu, non in Peru. Nec enim in Peru, sed in Pegu inueniuntur simiæ, pauones, ebur, gemmæ, aromata, ligna thyina, quæ classis hæc Ophirina detulit ad Salomonem. Portus hic à Iosepho lib. 8. Antiq. cap. 6. appellatur *Beremice*, à S. Hier. *Essia*, hodie *Suez* vocatur.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Regina Saba venit ad Salomonem. Redditus annui Salomonis, hastæ, scuta, cæteraq; supellex aurea, solium ex ebore intertextum auro, mors & sepultura.

1. REgina quoque Saba, cùm audisset famam Salomonis, venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Ierusalem, cum magnis opibus, & camelis qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. 2. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. 3. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, & domum quam ædificauerat, 4. nec non & cibaria mensæ eius, & habitacula seruorum, & officia ministrorum eius, & vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præstupore vltrà in ea spiritus. 5. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus & sapientia tua. 6. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, & vidissent oculi mei, & probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis. 7. Beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. 8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, & vult seruare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, vt facias iudicia atque iustitiam. 9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia vt hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 10. Sed & serui Hiram cum seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretiosissimas: 11. de quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia, citharas quoque & psalteria cantoribus: numquam visa sunt in Terra Iuda ligna talia. 12. Rex autem

autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ postulauit, & multò plura quàm attulerat ad eum: quæ reuersa, abiit in terram suam cum seruis suis. 13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri: 14. excepta ea summa, quam legati diuersarum gentium, & negotiatores afferre consueuerant, omnesque reges Arabiæ, & satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni. 15. Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: 16. trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur. singula scuta: posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore. 17. Fecit quoque rex solium eburneum grande, & vestiuit illud auro mundissimo. 18. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus, & duos leones stantes iuxta brachiola, 19. sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex vtraque parte: non fuit tale solium in vniuersis regnis. 20. Omnia quoque vasa conuiuij regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. 21. Siquidem naues regis ibant in Tharsis cum seruis Hiram, semel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pauos. 22. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ diuitiis & gloria. 23. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius: 24. & deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos, & mulos, per singulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitumque duodecim millia, constituitque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat rex in Ierusalem. 26. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, à flumine Euphrate vsque ad terram Philisthinorum, & vsque ad terminos Ægypti. 27. Tantamque copiam præbuit argenti in Ierusalem quasi lapidum; & cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus. 28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus. 29. Reliqua autem operum Salomonis priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. 30. Regnauit autem Salomon in Ierusalem super omnem Israel quadraginta annis. 31. Dormiuitque cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: regnauitque Roboam filius eius pro eo.

HOc caput explicui 3. Reg. 10.

VERS. 5. DE VIRTVTIBVS TVIS] Heb. Septuag. & Chald. *de verbis tuis*, id est de tuis rebus à te patratis, vel ad te spectantibus.

VERS. 16. IN ARMAMENTARIO QVOD ERAT CONSITVM (circumdatum) NEMORE] id est *in domo saltus Libani*, vt vertunt Sept. Porrò trecenti & sexcenti aurei scutorum & hastarum fuêre sicli, quorum quisque pendebat & valebat quatuor drachmas, id est quatuor coronatos, vti ostendi 3. Reg. 10. v. 16.

IN THARSIS] Hebræi mare indeque transmarinas regiones vocabant *Tharsis*, præsertim longinquas, sibique ignotas, vti erat Ophir & India. vide dicta 3. Reg. 9. 28. & Ionæ 1. 3. VERS. 21.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam sua duritie populum à se auertit, vnde sola tribus Iuda ei adhæsit, cætera verò decem tribus regem sibi crearunt Ieroboam.

1. PRofectus est autem Roboam in Sichem: illuc enim cunctus Israel conuenerat, vt constituerent eum regem. 2. Quod cùm audisset Ieroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem) statim reuersus est. 3. Vocauerunt que eum, & venit cum vniuerso Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimo iugo nos pressit, tu leuiora impera patre tuo, qui nobis imposuit grauem seruitutem, & paululum de onere subleua, vt seruiamus tibi. 5. Qui ait: Post tres dies reuertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre eius Salomone dum adhuc viueret, dicens: Quid datis consilij vt respondeam populo? 7. Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, & leniueris eos verbis clementibus, seruient tibi omni tempore. 8. At ille reliquit consilium senum, & cum iuuenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius. 9. Dixitque ad eos: Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleua iugum quod imposuit nobis pater tuus? 10. At illi responderunt vt iuuenes, & nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loquêris populo, qui dixit tibi: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu subleua: & sic respondebis ei: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. 11. Pater meus imposuit vobis graue iugum, & ego maius pondus apponam: pater meus cecîdit vos flagellis: ego verò cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam, & vniuersus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis. 13. Respondit que rex dura, derelicto consilio seniorum: 14. locutusque est iuxta iuuenum voluntatem: Pater meus graue vobis imposuit iugum, quod ego grauius faciam: pater meus cecîdit vos flagellis; ego verò cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquieuit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, vt compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboam filium Nabat. 16. Populus autem vniuersus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum: Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai. Reuertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam Dauid. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, qui habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. 18. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidauerunt eum filij Israel, & mortuus est: porrò rex Roboam currum festinauit ascendere, & fugit in Ierusalem. 19. Recessitque Israel à domo Dauid, vsque ad diem hanc.

HOc caput audiuimus 3. Reg. 11. vide ibi dicta.

VERS. 15. ERAT ENIM VOLVNTATIS DEI] Hebr. *erat causatum à Deo*. Volebat Deus diuidere Israelem, decemque tribus adimere Salomoni, ad castigandam illius idololatriam, easque dare Ieroboam, ideoque permisit Roboam tam durè & stultè populo respondere, vnde sciebat futurum vt populus se à Roboam subduceret, & ad Ieroboam confugeret, quod ipse intendebat.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam volens armis subiugare decem tribus, prohibetur à Semeia propheta. Multi sacerdotes Leuitæ & fideles relicto Ieroboam idololatra in Ierusalem transmigrant. Roboam ex multis vxoribus multas procreat proles.

1. VEnit autem Roboam in Ierusalem, & conuocauit vniuersam domum Iuda & Beniamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, vt dimicaret contra Israel, & conuerteret ad se regnum suum. 2. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens: 3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad vniuersum Israel, qui est in Iuda & Beniamin: 4. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: reuertatur vnusquisque in domum suam; quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cùm audissent sermonem Domini, reuersi sunt, nec perrexerunt contra Ieroboam. 5. Habitauit autem Roboam in Ierusalem, & ædificauit ciuitates muratas in Iuda. 6. Extruxitque Bethlehem, & Etam, & Thecue, 7. Bethsur quoque, & Socho, & Odollam, 8. necnon & Geth, & Maresa, & Ziph, 9. sed & Aduram, & Lachis, & Azeca, 10. Saraa quoque, & Aialon, & Hebron, quæ erant in Iuda & Beniamin, ciuitates munitissimas. 11. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est, olei, & vini. 12. Sed & in singulis vrbibus fecit armamentarium scutorum & hastarum, firmauitque eas summa diligentia, & imperauit super Iudam & Beniamin. 13. Sacerdotes autem & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israel, venerunt ad eum de cunctis

cunctis sedibus suis, 14. relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam & Ierusalem: eò quòd abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur. 15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat. 16. Sed & de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. 17. Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in viis Dauid & Salomonis, annis tantùm tribus. 18. Duxit autem Roboam vxorem Mahalath, filiam Ierimoth, filij Dauid: Abihail quoque filiam Eliab filij Isai, 19. quæ peperit ei filios, Iehus, & Somoriam, & Zoom. 20. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith. 21. Amauit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes vxores suas, & concubinas: nam vxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta: & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias. 22. Constituit verò in capite, Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, 23. quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius, & in cunctis finibus Iuda & Beniamin, & in vniuersis ciuitatibus muratis: præbuitque eis escas plurimas, & multas petiuit vxores.

VERS. 1. ELECTORVM ATQVE BELLANTIVM] id est *electorum bellatorum*. Est Hendiadys. Hebr. בחורים *bachurim*, & electos, & iuuenes significat. Iuuenum enim sunt bella, senum consilia, vt aitille.

VERS. 2. POSVIT IN EIS PRINCIPES] id est belli duces, cum commeatu sufficienti, vt vicini hostis, scilicet Ieroboami antagonistæ sui insultus sustinere possent. Erant enim ciuitates limitaneæ, in confinio Iudæ & Israelis.

VERS. 14. EO QVOD ABIECISSET EOS IEROBOAM] id est priuasset eos officio sacerdotali & Leuitico, eò quòd nollent suis vitulis quasi idolis, sed Deo vero deseruire.

VERS. 17. AMBVLAVERVNT ENIM IN VIIS DAVID ET SALOMONIS] intellige antequàm Salomon in senio à Deo ad idola apostataret.

VERS. 22. CONSTITVIT ABIAM IN CAPITE] id est caput & principem ceterorum fratrum, qui erant 28. eò quòd ipse licet ætate esset iunior, prudentia tamen, vigore, & industria omnes superaret.

VERS. 23. ET POTENTIOR SVPER OMNES FILIOS EIVS, ET IN CVNCTIS FINIBVS IVDA ET BENIAMIN, ET IN VNIVERSIS CIVITATIBVS MVRATIS] repete, *potentior*, fuit Abia, q.d. Abia occupauit cunctos limites regni, omnesque ciuitates muratas & munitas, itaque se omnium dominum effecit ac potentem; vtpote cui omnes limites regni omnesque vrbes munitæ parerent.

PRÆBVITQVE EIS (ciuitatibus muratis & regni finibus) ESCAS PLVRIMAS (ne hostes eas obsidere, & fame ad deditionem cogere possent) ET MVLTAS PETIVIT VXORES] scilicet Abia sibi ipsi, vt ex eis multos gigneret filios, quibus suum regnum stabiliret & roboraret, ne à fratribus suis inuadi posset. Hunc sensum exigit nostra versio, æquè ac Sept. qui pro, *potentior super omnes filios*, vertunt: *profecit super omnes filios eius, & in cunctis finibus Iuda*, &c.

Porrò, ex Hebræo aliter verti potest cum Pagnino, Vatablo, Marino, & aliis, nimirum sic: *Dispersit* (Roboam) *omnes filios suos super omnes fines Iuda & Beniamin, & per omnes ciuitates munitas*; vt scilicet ipsi separati forent ab inuicem, nec capita conferre possent; vt simul contra Abiam iuniorem, quem omnibus prætulerat, conspirare possent, iuxta illud politicum & tyrannicum Machiauelli præceptum: *si vis regnare, diuide*. Atque vt sorte suâ contenti viuerent, nec de regno cogitarent, *præbuit eis escas plurimas, & dedit eis multitudinem vxorum*, vt ventri & veneri vacantes, in delicioso otio torperent & consenescerent. Idem facit Turcarum Imperator fratribus suis donec prolem habeat, qua habita, fratres occidit, ne imperium inuadant.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Roboam & Iudæi post tres annos à Deo ad idola desciscunt. Quare à Sesac rege Aegypti spoliantur & subiugantur. Morienti Roboam succedit Abia.

1. CVMque roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. 2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem (quia peccauerant Domino) 3. cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes. 4. Cepitque ciuitates munitissimas in Iuda, & venit vsque in Ierusalem. 5. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. 6. Consternatique principes Israel & rex dixerunt: Iustus est Dominus. 7. Cumque vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. 8. Verumtamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. 9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Ierusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, 10. pro quibus fecit rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij. 11. Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarij, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum. 12. Verumtamen quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem & in Iuda inuenta sunt opera bona. 13. Confortatus est ergo rex Roboam in Ierusalem, atque regnauit: quadraginta autem & vnius anni erat cùm regnare cœpisset, & decem & septem annis regnauit in Ierusalem, vrbe, quam elegit Dominus, vt confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel: nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 14. Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum. 15. Opera verò Roboam prima & nouissima, scripta sunt in Libris Semeiæ prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter exposita: pugnauerunt que aduersum se Roboam & Ieroboam cunctis diebus. 16. Et dormiuit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in Ciuitate Dauid. Et regnauit Abia filius eius pro eo.

VERS. 1. SESAC REX ÆGYPTI] qui *Sesostris* ab Herodoto lib. 2. & Diodoro lib. 2. (quos citat Iosephus lib. 8. cap. 4.) nuncupatur, quique vt iidem referunt, quando imbelles & mulierosos vicerat, trophæum mulieroso sum erigebat, ac reges à se victos solebat currui suo triumphali iungere, vt se super reges esse, imò super omnes homines ostenderet. Causam belli hanc fuisse suspicantur noster Samerius & Salianus, quòd Ieroboam, qui Salomonis iram fugiens in Ægypto duxerat cognatam vel filiam Sesac, post mortem Salomonis rediens, rexque Israelis creatus, sollicitarit cognatum vel socerum suum Sesac, vt imbellem, mulierosum, & pauidum Roboam inuaderet, ne ipse Ieroboam à Roboam inuaderetur, & regno nouo spoliaretur, sed potiùs eius regnum suo adiiceret, & Sesaci soceri sui dono possideret. Certiorem causam dat Script. scilicet Apostasiam & idololatriam Roboami & Iudæorum: hanc enim Deus per Sesac punire destinabat. Addunt Herodotus & Diodorus Sesac è Ierusalem victâ perrexisse ad reliquam Asiam, eamque sibi subiugasse, ac terra marique tam multa occupasse, vt Alexandrum Magnum superarit.

TROGLODYTÆ] populi sunt Æthiopiæ, quæ adiacet Ægypto, cuius rex erat Sesac, *nullarum opum domini*, ait Mela lib. 1. *stridenti magis quàm loquantur, specus subeunt, alunturq; serpentibus*. Hebr. vocantur סוכיים *Suckym*, id est *latibula, & antra habitantes*. Græcè τρωγλοδύται, id est cauernas subeuntes & incolentes: τρώγλη enim est foramen, nidus, cauerna. Audi Aristot. lib. 8. de historia anim. cap. 12. *Grues ex Scythicis campis ad paludes Aegypto superiores, vnde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur: non enim id fabula est, sed certè, genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum, vt dicitur, est, degunt q; in cauernis, vnde nomen Troglodytæ à subeun-*

die cauernis accepere. Verùm hæc de Pygmæis cum A gruibus pugnantibus communis olim fuit opinio per traditionem accepta, sed fabulosa, vti ostendi Ezech. 27. v. 11. Quare minùs rectè nonnulli Troglodytas putant esse Arabes in tabernaculis habitantes, ideóque vagabundos qui Nomades vocantur. Constat enim eos fuisse Æthiopes.

VERS. 7. NON STILLABIT FVROR MEVS SVPER IERVSALEM] scilicet vlteriùs per continuas cædes, rapinas & strages, quas parat Sesac. Vide hîc quàm citò placatur Deus ad pœnitentiam qualem qualem Roboami & Iudæorum. Nam vel non veram & seriam, vel non firmam & stabilem fuisse pœnitentiam, patet ex eo quòd instinctu matris suæ Naamæ Ammonitis, ideóque idololatræ, reuersus sit ad idola, vt dicitur v. 13. & 14.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ABia rex Iuda pius de impio Ieroboam triumphat, cæsis quingentis millibus Israelitarum, ac ex 14. vxoribus 38. filios generat.

1. ANno octauodecimo regis Ieroboam, regnauit Abia super Iudam. 2. Tribus annis regnauit in Ierusalem, nomenque matris eius Michaia, filia Vriel de Gabaa; & erat bellum inter Abiam & Ieroboam. 3. Cumque iniisset Abia certamen, & haberet bellicosissimos viros, & electorum quadringenta millia: Ieroboam instruxit econtrà aciem octingenta millia virorum, qui & ipsi electi erant, & ad bella fortissimi. 4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, & ait: Audi Ieroboam, & omnis Israel. 5. Num ignoratis quòd Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis? 6. Et surrexit Ieroboam filius Nabat, seruus Salomonis filij Dauid: & rebellauit contra dominum suum. 7. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, & filij Belial: & præualuerunt contra Roboam filium Salomonis: porrò Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit resistere eis. 8. Nunc ergo vos dicitis quòd resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios Dauid, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos. 9. Et eiecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Leuitas: & fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiauerit manum suam in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dij. 10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo: 11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies manè & vesperè, & thymiama iuxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. 12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & resonant contra vos: filij Israel nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. 13. Hæc illo loquente Ieroboam retrò moliebatur insidias. Cumque ex aduerso hostium staret, ignorantem Iudam suo ambiebat exercitu. 14. Respicienque Iudas vidit instare bellum ex aduerso & post tergum, & clamauit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt. 15. Omnesque viri Iuda vociferati sunt: & ecce illis clamantibus, perterruit Deus Ieroboam, & omnem Israel qui stabat ex aduerso Abia & Iuda. 16. Fugeruntque filij Israel Iudam: & tradidit eos Deus in manu eorum. 17. Percussit ergo eos Abia & populus eius, plaga magna: & corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium. 18. Humiliatique sunt filij Israel in tempore illo, & vehementissimè confortati filij Iuda, eò quòd sperassent in Domino Deo patrum suorum. 19. Persecutus est autem Abia fugientem Ieroboam, & cepit ciuitates eius, Bethel & filias eius, & Iesana cum filiabus suis, Ephron quoque & filias eius: 20. nec valuit vltrà resistere Ieroboam in diebus Abia: quem percussit Dominus, & mortuus est. 21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit vxores quatuordecim: procreauitque viginti duos filios, & sedecim filias. 22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque & operum eius, scripta sunt diligentissimè in Libro Addo Prophetæ.

MICHAIA

VERS. 2. MICHAIA FILIA VRIEL] Vide dicta A 3. Reg. 15. 2.

VERS. 4. STETIT ABIA SVPER MONTEM] vt eius oratio ab omnibus Israelitis circumcirca castra metantibus audiri posset. Est autem hæc eius oratio pia & efficax, qua multis rationibus eis persuadere conatur, vt relicta nouitia religione & rege, ad auitum Deum regnumque Dauid in Ierusalem redeant; ac præsertim quòd ipse habeat Deum pugnantem pro se, quem ipsi, vtpote idololatræ, habeant aduersum, q. d. Insanè agitis, si contra Deum pugnare vultis. Lege eam & expende.

VERS. 5. IN PACTVM SALIS] id est in pactum firmum, stabile & æternum. Sal enim res à putredine integras saluasque conseruat: hinc sal est symbolum æternitatis, vt dixi Leuit. 2. v. 13. Addit noster Sanchez, aitque: Constat hoc pactum de regno in Dauidis familia perpetuo esse conditionatum, nempe si Dauidis progenies pactum seruet. Psal. 88. v. 30. Dedit itaque Deus regnum Dauidis domui cum grano salis, nempe si à fide, quam integram seruare debuit, non deficiat, aut si ipsa Dauidis progenies salem adhibeat, neque percussum fœdus corrumpi atque tabescere permittat. C

VERS. 9. QVICVMQVE INITIAVERIT (Hebr. & Septuag. *impleuerit*) MANVM SVAM IN TAVRO DE BOBVS (Heb. *in iuuenco filio bouis*) ET IN ARIETIBVS SEPTEM, FIT SACERDOS EORVM QVI NON SVNT DII] q. d. Sicut falsos habetis Deos, sic & falsos sacerdotes. non enim Deus elegit eos, vti elegit Aaronem & posteros eius; sed quicumque, licet vilis & ceteratus, manibus suis offerendo taurum & septem arietes cõsecrarit suas manus, hoc ipso fit sacerdos idolorum, puta vitulorum aureorum. Nota, *implere manum*, Hebr. idem est quod, consecrare sacerdotem. Nam manus implendo victimis, eaque manibus suis offerendo consecrabat se sacerdotem. Hoc enim ritu fiebat sacerdotis consecratio, vt patet Leuit. 8.

VERS. 11. PROPONVNTVR PANES IN MENSA MVNDISSIMA, &c.] Ex hoc loco & seq. vbi non nisi vnius mensæ & vnius candelabri fit mentio, colligit Torniellus, Sesacum regem Ægypti, cùm expilaret thesauros templi, ex *denis mensis & denis candelabris*, quæ rex Salomon collocarat in templo, non reliquisse nisi vnam mensam vnumq; candelabrum, eoque Iudæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequàm templum à Salomone excitaretur.

VERS. 20. QVEM PERCVSSIT DOMINVS, ET MORTVVS EST] Quem, scilicet Ieroboam, de eo enim sermo proximè præcessit; Ieroboam enim post duos rétue annos miserè interiit. Hebræi verò in Seder Olam non Ieroboam, sed ipsum Abiam intelligunt, quem aiunt ingratum fuisse Deo, nec dignas egisse gratias pro tanta victoria, ideoque paulò post obiisse, nec nisi triennium regnasse, ac biennio ante Ieroboam esse vita functum. Verùm hoc non satis consentit cùm eo quod proximè subditur: *Igitur Abia confortato imperio suo accepit vxores 14. &c.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ABia succedit filius Asa, qui excisa idololatria confortatus à Deo Zaram regem Aethiopum cum mille militum millibus profligat.

1. DORmiuit autem Abia cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: regnauitque Asa filius eius pro eo, in cuius diebus quieuit terra annis decem. 2. Fecit autem Asa quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, 3. & confregit statuas, lucosque succidit: 4. & præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem, & vniuersa mandata; 5. & abstulit de cunctis vrbibus Iuda aras, & fana, & regnauit in pace. 6. Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant, pacem Domino largiente. 7. Dixit autem Iudæ: Ædificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris, donec à bellis quieta sunt omnia, eò quòd quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædificauerunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit. 8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta & hastas de Iuda trecenta millia, de Beniamin verò scutariorum & sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi. 9. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, & curribus trecentis: & venit vsque Maresa. 10. Porrò Asa perrexit obuiàm ei, & instruxit aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ est iuxta Maresa: 11. & inuocauit Dominum Deum, & ait: Domine non est apud te vlla distantia, vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim, & in

tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es, non præualeat contra te homo. 12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Aſa & Iuda: fugeruntque Æthiopes. 13. Et perſecutus eſt eos Aſa, & populus qui cum eo erat, vſque Gerara: & ruerunt Æthiopes vſque ad internecionem, quia Domino cædente contriti ſunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo ſpolia multa, 14. & percuſſerunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror inuaſerat: & diripuerunt vrbes, & multam prædam aſportauerunt. 15. Sed & caulas ouium deſtruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum: reuerſique ſunt in Ieruſalem.

VERS.2. REX ASA SVBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CVLTVS (quo gentiles colebant ſuos deos & idola) ET EXCELSA] Dices, 3.Reg.15.14. de Aſa dicitur: *non abſtulit excelſa.* Reſp. excelſa alia erant idolis, alia Deo vero dicata: illa ſuſtulit Aſa, hæc non. Rurſùm, *excelſa*, ſcilicet altaria, ſimulachra & lucos idolorum ſuſtulit Aſa, non verò templa omnia eiſdem à Salomone dicata; hæc enim poſteà ſuſtulit Ioſias 4.Reg.23.13.

VERS.3. ET ABSTVLIT, &c. FANA] ſcilicet Baal, Aſtaroth, cæterorumque Deorum. Hebr. eſt חַמָּנִים *chammonim* vel *Hammonim*, quod propriè ſignificat *ſolaria*, id eſt delubra, vel altaria Solis, ſiue Ammonis. Inde enim Punicè dictus eſt Ammon, ſiue Iupiter Ammonius, id eſt Sol, ab Hebr. חַמָּה *chăma* vel *hăma*, id eſt, Sol, ita dictus à calore: חַמָּם *chamam* enim ſignificat calefacere. Vide dicta Ezech. 6. v. 6.

VERS.9. EGRESSVS EST AVTEM (ſub annum decimumquintum regni Aſa, vt colligitur ex cap. ſeq.v 10. ita Salianus) CONTRA EOS ZARA ÆTHIOPS CVM EXERCITV SVO (continente) DECIES CENTENA MILLIA] *Aethiops:* Torniellus & alij apud Genebr. per Æthiopiam, hic accipiunt Madianitidem, ex qua oriunda vxor Moyſis vocatur *Aethiopiſſa* Num. 12. Ratio eorum eſt, quòd Æthiopes propriè dicti longè abſint à Iudæa. Verùm meliùs Serarius, Sanchez, Salianus & alij, veram Æthiopiam, quæ ſub Ægypto eſt, accipiunt. Hæc enim adiacet Ægypto, ideoque Iudææ vicina eſt, & fortè Zara tam fuit rex Ægypti, quàm Æthiopiæ, idque probatur primò, quia cap. 16.8. hi ipſi vocantur *Aethiopes & Libyes*; erant ergo verè Æthiopes, qui ſunt in Africa & Libya, non verò Madianitæ, qui ſunt in Aſia. Secundò, quia Aſa hoc prælio ab hoſtibus recuperauit omnia ſpolia, quæ Seſac rex Ægypti ante 26. annos ſub Roboam ex Iudæa abſtulerat. Ergo hoſtes hi fuêre Ægyptij, eiſque vicini Æthiopes. Vnde Sept. ſub finem cap.14. eos vocant *Alimazones*, vel vt alij volunt, *Amazones*, quos ex Libya eſſe docet hîc Theodor. & Diodor.lib.3.

VERS.10. ET RVERVNT ÆTHIOPES VSQVE AD INTERNECIONEM, QVIA DOMINO CÆDENTE CONTRITI SVNT, ET EXERCITV ILLIVS (Aſæ regis, vel Dei puta Angelorum, exercitu) PRÆLIANTE] pro Aſa & Iuda Deum & ſanctos Angelos inuocante.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Azarias propheta vaticinatur Iſraelem multo tempore priuandum veri Dei cultu, lege & ſacerdotio. Cuius oraculo commotus Aſa rex idola funditùs extirpat, & matrem ſuam ſacerdotio Priapi abdicat.

1. AZarias autem filius Oded, facto in ſe ſpiritu Dei, 2. egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei: Audite me Aſa & omnis Iuda & Beniamin: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo. Si quæſieritis eum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 3. Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote doctore, & abſque lege. 4. Cumque reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael, & quæſierint eum, reperient eum. 5. In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, ſed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum. 6. pugnabit enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni anguſtia. 7. Vos ergo confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro. 8. Quod cùm audiſſet Aſa, verba ſcilicet & prophetiam Azariæ filij Oded prophetæ, confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra Iuda, & de Beniamin, & ex vrbibus, quas ceperat, montis Ephraim, & dedicauit altare Domini quod erat ante porticum Domini. 9. Congregauitque vniuerſum

ſum Iudam & Beniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & de Manaſſe, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Iſrael, videntes quòd Dominus Deus illius eſſet cum eo. 10. Cumque veniſſent in Ieruſalem menſe tertio, anno decimoquinto regni Aſa, 11. immolauerunt Domino in die illa, de manubiis & præda quam adduxerant, boues ſeptingentos, & arietes ſeptem millia. 12. Et intrauit ex more ad corroborandum fœdus, vt quærerent Dominum Deum patrum ſuorum in toto corde, & in tota anima ſua. 13. Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur, à minimo vſque ad maximum, à viro vſque ad mulierem. 14. Iuraueruntque Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ, & in ſonitu buccinarum, 15. omnes qui erant in Iuda cum execratione: in omni enim corde ſuo iurauerunt, & in tota voluntate quæſierunt eum, & inuenerunt: præſtititque eis Dominus requiem per circuitum. 16. Sed & Maacham matrem Aſa regis ex auguſto depoſuit imperio, eò quòd feciſſet in luco ſimulacrum Priapi: quod omne contriuit, & in fruſta comminuens combuſſit in Torrente cedron. 17. Excelſa autem derelicta ſunt in Iſrael: attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus eius. 18. Eaque quæ vouerat pater ſuus, & ipſe, intulit in domum Domini, argentum, & aurum, vaſorumque diuerſam ſupellectilem. 19. Bellum verò non fuit vſque ad trigeſimum quintum annum regni Aſa.

VERS.3. TRANSIBVNT MVLTI DIES IN ISRAEL ABSQVE DEO, DOCTORE ET LEGE] id eſt abſque cura & cultu veri Dei, doctoris & legis diuinæ. Tangit præſens tempus, quo Ieroboam cultum vitulorum aureorum in Iſraelem induxit, nam eum in hoc vitulorum cultu ſecuti ſunt omnes poſteri eius, omneſque ad vnum reges Iſrael, quos ex regibus Iuda imitati ſunt Ioram, Ochozias, Athalia, Achaz, Manaſſe, Ioakim & Sedecias, idola pro Deo auito & vero colentes.

VERS.4. CVMQVE REVERSI FVERINT IN ANGVSTIA SVA AD DOMINVM ISRAEL, &c. INVENIENT EVM] Sic Deum inuenit pœnitens Achab, & Ioas, cui Eliſeus trinam de Syris victoriam prædixit; ac pœnitens Manaſſe, item pius Ezechias, Ioſias & ſimiles.

VERS.10. MENSE TERTIO] Siuan, quo celebrabant Pentecoſten, vt indicet hoc feſto ipſos Deum inuocantes, eius ope tantam victoriam adeptos eſſe, ideoque ei in gratiarum actionem manubias hoſtium obtuliſſe. Sic vice verſa Conſtantinopolis à Turca expugnata eſt in Pentecoſte, eò quòd Græci impiè ſentirent de Spiritu ſancto, cuius hoc eſt feſtum, docerentque eum non procedere à Patre & Filio.

VERS.17. COR AVTEM ASÆ ERAT PERFECTVM CVM DOMINO CVNCTIS DIEBVS EIVS] quoad verum Dei cultum, q. d. Aſa per omnem vitam coluit Deum verum, numquam verò ad idola deflexit, vti deflexerunt alij. Nam alioqui Aſa in aliis peccauit, & Deum grauiter offendit, vt patebit c.ſeq, v.7.10.& 12.

VERS.19. VSQVE AD TRIGESIMVMQVINTVM (ita legendum eſt cum Hebr. Septuag. Romanis, non, *vſque ad trigeſimum*, vti legunt aliqui) ANNVM REGNI ASA] hoc eſt regni Iuda, quod in morte Salomonis à regno Iſraelis per ſchiſma Ieroboam diremptum, tunc propriè cœpit, vt ſcilicet primus annus Roboam fuerit primus annus regni Iuda, prout regnum Iuda propriũ fuit & diſtinctum à regno Iſraelis, quod tum pariter cœpit ſub primo rege Ieroboam. ita Hebr. Sanchez, Salian. Torniellus & alij. id magis patebit cap.ſeq.v.1.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Rex Aſa perculſus exercitu Baaſæ regis Iſrael, opem poſcit à Benadad rege Syriæ. Quo decauſa increpitus ab Hanani propheta, eum incarcerat: mox podagra moritur anno regni 41.

1. ANno autem trigeſimo ſexto regni eius aſcendit Baaſa rex Iſrael in Iudam, & muro circumdabat Rama, vt nullus tutè poſſet egredi & ingredi de regno Aſa. 2. Protulit ergo Aſa argentum & aurum de theſauris domus Domini, & de theſauris regis, miſitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: 3. Fœdus inter me & te eſt, pater quoque meus & pater tuus habuêre concordiam: quam ob rem miſi tibi argentum & aurũ, vt rupto fœdere, quod habes cum Baaſa rege Iſrael, facias eum à me recedere. 4. Quo comperto, Benadad miſit principes exercituum ſuorum ad vrbes Iſrael: qui percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abelmain, & vniuerſas vrbes Nephthali muratas. 5. Quod

cùm audisset Baasa, desiit ædificare Rama, & intermisit opus suum. 6. Porrò Asa rex assumpsit vniuersum Iudam, & tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparauerat Baasa, ædificauitque ex eis Gabaa, & Maspha. 7. In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Iuda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcircò euasit Syriæ regis exercitus de manu tua. 8. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua? 9. Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbet fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersùm te bella consurgent. 10. Iratusque Asa aduersùs Videntem, iussit eum mitti in neruum: valdè quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos. 11. Opera autem Asa prima & nouissima, scripta sunt in Libro regum Iuda & Israel. 12. Ægrotauit etiam Asa anno trigesimonono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. 13. Dormiuitque cum patribus suis: & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. 14. Et sepelierunt eum in sepulchro suo quod foderat sibi in Ciuitate Dauid: posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.

VERS. 1. *Antilogia annorum.*

ANNO AVTEM TRIGESIMOSEXTO EIVS (Asæ) ASCENDIT BAASA] Dices, Baasa iam erat mortuus à decennio, scilicet anno 25. regni Asæ, vt patet 3.Reg.16.8. nam anno 36. Asæ regnabat in Israel Amri 3.Reg.16.22. Respondet primò Caietan. Ioannes Lucidus, Adrichom. in Chronol. Ioannes Annius cum suo pseudophilone, & Melchior Canus lib.11. de locis cap.5.ad 12.arg. hîc mendum irrepsisse, & pro 36. legendum 26. vel potiùs 16. Nec hoc mirum, quia hæc res non spectat ad fidem, nec ad bonos mores. Verùm omnes Codices Hebræi, Chaldæi Græci, Latini constanter habent 36. non 26. Atqui in omnibus Codicibus esse mendum, est dicere in S. Script. esse mendum, quod absit. Secundò, Lyran. Vatab. & Genebr. respondent, annos Asæ dupliciter numerari, primò, ab inito regno; secundò, ab illo memorabili bello & victoria Æthiopica. Hinc ergo 36. anni regni Asæ esse 26. eiusdem à bello Æthiopico, quo Baasæ morienti dicitur successisse filius Ela 3. Reg. 16.8. Verùm hoc est turbare totam S Script. chronologiam: sic enim pariter anni sequentium regum, scilicet Zambri, Amri, Achab, qui regnarunt cum Asa, &c. numerandi forent à bello Æthiopico, quod nemo dixerit. Tertiò, alij dicunt hos annos 36. esse annos vitæ Asæ, non regni. Verùm obstat, quòd expressè dicatur: *Anno autem 36. regni*, non vitæ: vnde Abul. respondet aliam hic quærendam esse solutionem, quam ipse se nescire profitetur. Quartò & verius dicas hos 36. annos esse regni Iudæ; quare computandos esse à primo anno Roboam, qui primus fuit rex Iuda, cùm Israel, id est decem tribus, regem sibi creauêre Ieroboam. Tunc enim facta est noua Aera, ac multi annos computare cœperunt ab hoc insigni schismate. Tunc enim institutum est regnum Iuda, æquè ac regnum Israel; vnde hîc passim anni regum Israel numerantur iuxta annos regum Iuda sibi conregnantium. Igitur Roboam primus rex Iuda regnauit 17. annis, mox Abia tribus annis, denique Asa A sedecim, adde hos omnes, habebis 36. quos quærimus. Quare hic annus 36. regni Iuda, præcisè fuit decimussextus regni Asæ. Instabis, hi 36 anni hic vocantur non regni Iuda, sed regni Asæ. Resp. idem est regnum Asæ quod regnum Iuda, nam Asa aliud non habuit regnum quàm Iuda. Quare dum computas annos regni Iuda, computas annos Asæ, qui illi præerat, & cuius erat hoc regnum. ita Seder Olam siue chron. Hebræorum, Torniellus, Salian. & Azor. tom.1. Instit. mor. lib. 6. cap.55. q.3. Sic Absalom dicitur anno 40. petiisse à Dauid veniam eundi in Hebron 2.Reg.15.7. non vtique anno 40. Dauidis (nam trigesimus eius tantùm agebatur) sed 40. ab institutione regni in Israel, puta ab anno primo Saulis regis, cùm publicè vnctus est à Samuele, qui regnum Dauidis decem annis antecesserat. Initium enim alicuius regni nota est insignis, vt inde chronologia ducatur.

Conciliatur. Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò geminè.*

CIRCVMDABAT PLAMA, quæ erat in faucibus confinium regni Iuda, VT proinde, NVLLVS TVTE POSSET EGREDI ET INGREDI DE REGNO ASA]

IDCIRCO EVASIT SYRIÆ REGIS EXERCITVS] q. d. si confisus in Deo eius opem inuocasses, non autem Benadad regis Syriæ, eum, vtpote perpetuum Iudæ hostem, æquè ac Baasa regem Israel vicisses, sicut vicisti Zaram regem Æthiopiæ, qui multò numerosiore milite Iudæam inuadebat.

VERS. 7.

INTERFECIT DE POPVLO PLVRIMOS] qui Hanani prophetæ innocentiam iniustè ab Asa in carcere affligi dolebant, ideoque eius tyrannidem liberiùs incusabant.

VERS. 10.

DOLORE PEDVM VEHEMENTISSIMO] Hebr. & Græcè additur *vsque ad supra:* cùm enim podagræ humor dolorque caput inuadit, est vehementissimus, & celerem mortem affert. Vnde Pagnin. vertit: *vsque ad verticem fuit ægrotatio eius.*

VERS. 12.

SED MAGIS IN MEDICORVM ARTE CONFISVS EST] Notant Procopius & Theodoretus quæst.45. *Medicos* vel accipi hîc pro incantatoribus, & magicis impostoribus, vel pro veris medicis. Si priore modo; patet cur peccarit. Quemadmodum lib.30. c.1. docet Plinius Magiam & Medicinam vnà ferè copulari: & lib.29. c.1. *Quid*, air, *venenorum fertilius, aut vnde testamentorum plures insidiæ? iam verò & adulteria, &c. quàm è medicina?* sicque apud Latinos *medicamenta* pro *venenis* interdum sumuntur, vt apud Græcos pharmaca, Nonio teste; videatur & idem Plinius lib.26. cap.4. Si posteriore modo; dupliciter peccare potuit. Primò, nimiam spem in iis ponendo, prætermissa Domini Dei ope. Nam & ideo Salomonis de remediis librum, reuulsum ab Ezechia referunt Cedrenus & Suidas, quòd populus Deo non inuocato & neglecto, malorum inde sanationem peteret. Secundò, præposterè ipsorum opem quærendo, ante scilicet placationem, & auxilium quæsitum à Deo, prout explicat Ecclesiasticus cap.38. v.9. & seqq. ac iubet Innocentius III. de pœnitentiis & remissionibus c. *Cùm infirmitas* ita Serarius.

VERS. 14. PLENVM AROMATIBVS ET VNGVENTIS MERETRICIIS] Græcè *myrepsicis*, id est *aromatariis*. Vnde Serarius pro *meretriciis*, suspicatur legendum *myrepsicis*. Verum *meretriciis* habent omnia Hebr. & Latina: *meretriciis* ergo idem est, quod suauissimis, & vt Vatab. vertit *delicatissimis*; qualibus vtuntur meretrices, vt fœtorem corporis, ac præsertim halitus, quem lupris confectæ, quasi putida cadauera exhalanti iis obducant & contegant, iuxta illud:

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Vox *meretriciis* notat nimias odorum & aromatum hîc fuisse delicias, nimiumque luxum & pompa; vnde subdit dicens: *ambitione nimia.*

A ET COMBVSSERVNT SVPER EVM] vt cadaueri regio honorem & cultum ciuilem exhiberent, & ab eo fœtorem putredinemque depellerent. Non enim cadauer ipsum cum aromatibus, vt vult Vatab. sed aromata iuxta cadauer combusserunt, vti multis ostendit Sanchez.

Norant Hebræi apud S. Hier. in Tradit. hæc aromata super, vel ad tumulum ipsius combusta fuisse; imò & vestes, idque reuerentiæ & honoris causâ: quemadmodum apud Virgilium 6. Æneid. *Congesta cremantur Thurea dona.* & apud Plinium lib. 13. cap. 1. Homerum & alios. Sic in morte Aristobuli à se submersi adhibet etiam vnguenta & aromata plura Herodes apud Iosephum, & in Herodis ipsius funere Archelaus apud eumdem. Ipsum adhuc viuentem Asam impleuisse sepulchrum suum vnguentis, Azarias lib. 3. cap. vlt. fol. 183. ac Rabbini quidam alij scribunt. Quin & vnguenta à fidelibus offerri solita ad sepulchra martyrum, docet S. Paulinus Natali 6. S. Felicis dum ita canit:

Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas;
Martyris hi tumulum studeant profundere nardo,
Et medicata pio referant vnguenta sepulchro.

Idem testatur Prudentius Peristeph. hymno 11. in Hippolito dicens:

Oscula perspicuo figunt impressa metallo:
Balsama diffundunt, flentibus ora rigant.

Et S. Gregorius lib. 7. Indict. 2. Epist. 53. scribens ad Secundinum: *Aloem verò*, inquit, *thymiama, styracem & balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente, transmisimus.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Asa succedit pius Iosaphat; ideoq. diues & armis potens: hic v. 7. mittit doctores per totum regnum, qui populum legem Dei doceant. v. 11. vectigales ei fiunt Philisthæi & Arabes. v. 14. milites & duces eiusdem recensentur.

1. REgnauit autem Iosaphat filius eius pro eo, & inualuit contra Israel. 2. Constituitque militum numeros in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Iuda, & in ciuitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater eius. 3. Et fuit Dominus cum Iosaphat; quia ambulauit in viis Dauid patris sui primis: & non speranit in Baalim, 4. sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius; & non iuxta peccata Israel. 5. Confirmauitque Dominus regnum in manu eius, & dedit omnis Iuda munera Iosaphat: factæque sunt ei infinitæ diuitiæ, & multa gloria. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini; etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit. 7. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda: 8. & cum eis Leuitas, Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Asel quoque, & Semiramoth, & Ionathan, Adoniamque & Thobiam, & Thobadoniam, Leuitas, & cum eis Elisama & Ioram Sacerdotes, 9. docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum. 10. Itaque factus est pauor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Iosaphat. 11. Sed & Philisthæi Iosaphat munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quo-

que adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem. 12. Creuit ergo Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime: atque ædificauit in Iuda domos ad instar turrium, vrbesque muratas. 13. Et multa opera parauit in vrbibus Iuda: viri quoque bellatores, & robusti erant in Ierusalem, 14. quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Iuda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia. 15. Post hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia. 16. Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia. 18. Post istum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in vrbibus muratis, in vniuerso Iuda.

VERS. 6. CVMQVE SVMPSISSET COR EIVS AVDACIAM PROPTER VIAS DOMINI] q. d. Iosaphat audacem faciebat pietas, religio & custodia legis diuinæ, vt neminem subditorum vel hostium timeret, sed fisus Deo audacter excelsa & lucos succideret, quæ alij pij reges timentes populi offensam vel rebellionem, tolerarant & permiserant. Hebr. & Sept. habent: *Et exaltatum est cor eius in viis Domini*, q. d. nihil habuit potius, quàm vt obstruaret mandata Domini, ait Vatab. vel potiùs q. d. Iosaphat magnos & excelsos ex Deo Deique cultu concepit animos, adeò vt neminem veritus, & imperterritus excelsa aboleret, alia- A que heroica opera pro promouendo Dei honore & gloria animo destinaret. Vide hîc quid faciat pietas piaque intentio, quæ nil timet, & omnia audet Deo secundante. Talis fuit hoc æuo Pius V. Pontifex, qui Deo nixus reges non timuit, sed regum, imò & Turcarum fuit terror & flagellum. Sanctitas enim omnibus est terrori, æquè ac veneration[i].

VERS. 7. MISIT DE PRINCIPIBVS SVIS] scilicet principes aulæ suæ, qui suo iussu abolitis ido- C lis, verum vnius Dei cultum & custodiam legis Moysaicæ restituerent. Quocirca misit cum eis Leuitas ac Sacerdotes, vt docerent populum leges Domini. Insignis hic fuit zelus regis Iosaphat, quem olim imitati sunt S. Stephanus Hungarorum primus rex, S. Ludouicus Francorum, S. Wenceslaus Dux Bohemorum, & nostro æuo Reges Hispaniæ & Lusitaniæ, qui magnis impensis Indias vtrasque subiugarunt, vt earum incolas ad veri Dei cognitionem & cultum per viros religiosos traduc[e]rent.

ÆDIFICAVIT (per vrbes & castella) IN IVDÆA DOMOS AD INSTAR TVRRIVM] Hebr. *palatia* tam excelsa & munita vt turres viderentur. Fecit hoc ad Iudææ tum ornatum, tum munimen. Sicut Burgundiones contra incursum Wandalorum, Alanorum, Gothorum, &c. ædificarunt πυργες, id est *burgos* & turres, indeque *Burgundiones* sunt appellati. VERS. 11.

AMASIAS CONSECRATVS DOMINO] Hebr. מתנדב *hammitnaddab*, id est, vt Vatabl. qui sponte se obtulit Domino, hoc est militiæ sacræ se deuouit, vt pugnaret pro Deo Deique cultu contra idola & idololatras, ac pro fideli & pio rege suo Iosaphat. Similes olim fuêre Milites Templi siue Templarij, qui militiæ sacræ se deuouerunt pro tutela terræ sanctæ & templi Ierosolymitani. Vide S. Bern. in serm. ad Milites Templi. VERS. 16.

ET CVM EO CENTVM OCTOGINTA MILLIA] Vniuersim Iosaphat sub signis habuit vndecies centena & sexaginta bellatorum millia, Deo eum prosperante: quia præter tribus Iudæ & Beniamin potentes & numerosas sibi subditas, multi ex decem tribubus auitæ religionis studiosi & prosperitate Iosaphat illecti, ad Ierusalem transfugerunt, vt dictum est c. 15. 9. VERS. 17.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosaphat filio suo Ioram vxorem dat filiam impij regis Achab, cum eoq; pergit ad prælium, in eoq; iuxta oraculum Michææ Achab occiditur.

1. FVit ergo Iosaphat dives & inclytus multùm, & affinitate coniunctus est Achab. 2. Descenditque post annos ad eum in Samariam: ad cuius aduentum mactauit Achab arietes & boues plurimos, ipsi, & populo qui venerat cum eo: persuasitque illi vt ascenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixitque Achab rex Israel ad Iosaphat regem Iuda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Vt ego, & tu: sicut populus tuus, sic & populus meus: tecumque erimus in bello. 4. Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini. 5. Congregauit igitur rex Israel prophetarum

tarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis. 6. Dixitque Iosaphat: Numquid non est hîc prophetes Domini, vt ab illo etiam requiramus? 7. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Est vir vnus, à quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: est autem Michæas filius Iemla. Dixitque Iosaphat: Ne loquaris rex hoc modo. 8. Vocauit ergo rex Israel vnum de eunuchis, & dixit ei: Voca citò Michæam filium Iemla. 9. Porrò rex Israel, & Iosaphat rex Iuda, vterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area iuxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis. 10. Sedecias verò filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam. 11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, & prosperaberis, & tradet eos Dominus in manu regis. 12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium prophetarum vno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te vt sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. 13. Cui respondit Michæas: Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite: cuncta enim prospera euenient, & tradentur hostes in manus vestras. 15. Dixitque rex: Iterùm atque iterùm te adiuro, vt mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini. 16. At ille ait: Vidi vniuersum Israel dispersum in montibus, sicut oues absque pastore: & dixit Dominus: Non habent isti dominos: reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. 17. Et ait rex Israel ad Iosaphat: Nónne dixi tibi, quòd non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt? 18. At ille, Idcircò, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris. 19. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat & corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret vnus hoc modo, & alter alio: 20. processit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies? 21. At ille respondit: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Dominus: Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita. 22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala. 23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam transiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tibi? 24. Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo vt abscondaris. 25. Præcepit autem rex Israel, dicens: Tollite Michæam, & ducite eum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium Amelech. 26. Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, & date ei panem modicum, & aquæ pauxillum, donec reuertar in pace. 27. Dixitque Michæas: Si reuersus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite omnes populi. 28. Igitur ascenderunt rex Israel & Iosaphat rex Iuda in Ramoth Galaad. 29. Dixitque rex Israel ad Iosaphat: Mutabo habitum, & sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum. 30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel. 31. Itaque cùm vidissent principes equitatus Iosaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamauit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque auertit eos ab illo. 32. Cùm enim vidissent duces equitatus, quòd non esset rex Israel, reliquerunt eum. 33. Accidit autem vt vnus è populo sagittam in incertum iaceret, & percuteret regem Israel inter ceruicem & scapulas. at ille aurigæ suo ait: Conuerte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus sum. 34. Et finita est pugna in die illo, porrò rex Israel stabat in curru suo contra Syros vsque ad vesperam, & mortuus est occidente sole.

VERS. 1. HOc caput explicui lib. 3. Reg. c. vltimo. AFFINITATE CONIVNCTVS EST ACHAB] A eius filiam Athaliam dando vxorem filio suo Ioram, vt patet c. 21. 6. Hoc vnicum fuit peccatum Iosaphat, quòd societatem & connubium

bium miſcuerit cum impio Achab. Athalia enim filia Achab idololatriam in Iudæam inuexit, adeoque occiſis omnibus regis filiis, ſeipſam reginam effecit.

VERS.20. PROCESSIT SPIRITVS] nequam, ſcilicet diabolus. Fabulantur Rabbini hunc ſpiritum fuiſſe animam Naboth iniuſtè à Iezabele lapidati, quaſi illa hîc ſe vindicarit, curaritque Achab à pſeudoprophetis ſeduci, vt iret ad prælium in quo erat occidendus.

VERS.25. ET AD IOAS FILIVM AMELECH] ſic & Pagnin. Heb. eſt יוֹאָשׁ בֶּן חַמֶּלֶךְ *ben hammelech*, quod Sept. propriè vertunt: *filium regis*. vnde videtur hic Ioas fuiſſe filius Achab, qui proficiſcens in bellum contra Syros, huic filio ſuo cuſtodiam Samariæ commiſerit.

VERS.27. AVDITE OMNES POPVLI] ac notate ſingula oraculi mei verba, vt cùm paulò pòſt videritis ſingula impleri, ſciatis me à Deo miſſum hæc prædixiſſe, ideoque Achabo necem non caſu, ſed Deo vindice obtigiſſe; vt ab eius idolis & ſceleribus caueatis, & ad Deum Iuda redeatis.

VERS.34. REX ISRAEL STABAT IN CVRRV SVO CONTRA SYROS VSQVE AD VESPERAM] licet enim Achab eſſet vulneratus, perſtitit tamen in curru, vt ſuis in pugna contra Syros animos adderet, donec veſpere eum cum ſanguine ſpiritus & vita defecit.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iehu propheta arguit Ioſaphat, quòd cum impio Achab fœdus inierit: vnde Ioſaphat zelum cultus diuini adauget, ac iudices de ſeruanda iuſtitia, Sacerdotes & Leuitas de populo piè erudiendo admonet.

1. REuerſus eſt autem Ioſaphat rex Iuda in domum ſuam pacificè in Ieruſalem. 2. Cui occurrit Iehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris: 3. ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum vt requireres Dominum Deum patrum tuorum. 4. Habitauit ergo Ioſaphat in Ieruſalem: rurſumque egreſſus eſt ad populum de Berſabee vſque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. 5. Conſtituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca, 6. & præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. 7. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 8. In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. 9. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. 10. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus: oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros: ſic ergo agentes non peccabitis. 11. Amarias autem ſacerdos & pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisque magiſtros Leuitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum in bonis.

VERS.2. IMPIO PRÆBES AVXILIVM, ET HIS QVI ODERVNT DOMINVM AMICITIA IVNGERIS] & affinitate, dando filiam impij Achab ſcilicet Athaliam, vxorem filio tuo Ioram. Hoc enim indignum eſt, vt ſcilicet eos faciamus nobis amicos, qui Dei ſunt hoſtes, & quorum Deus eſt hoſtis, niſi neceſſitas aut magna vtilitas cogat, æquè ac periculoſum, vt patuit ex euentu. Athalia enim peruertit Ioram & Iudæos. Vnde Dauid Pſalm. 138. 21. profitetur ſe hoſtem hoſtium Dei: *Nonne, inquit, qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Quocirca ſubiungit Deus per Iehu prophetam:

ET IDCIRCO IRAM (caſtigationem & vindictam acrem) QVIDEM DOMINI MEREBARIS, SED BONA OPERA INVENTA SVNT IN TE] ſcilicet pietatis, & zeli in euertenda idololatria, & tuendo promouendoque Dei cultu, ob quæ Deus tibi omnem culpam æquè ac pœnam condonat.

VERS.6. NON ENIM HOMINIS EXERCETIS IVDICIVM SED DOMINI] q.d. non tam mei, quàm Dei eſtis vicarij, à Deo ſcilicet per me conſtituti eſtis iudices populi ſui, vt eum iuſtè ſanctèque iudicetis; quare ipſe à vobis rationem iuſtitiæ vel præſtitæ, vel neglectæ ſeueram exiget, ac pro meritis præmiabit, vel puniet. Cogitent hoc ſæpeque ruminent principes & iudices; ſcilicet ſe Dei iudicium exercere, ac proinde coram Deo ita verè & ſyncerè iudicent, ſicut Deus ipſe iudicaret, & ſicut iudicandum eſſe ipſe eis oſtendet in die iudicij. Qui hoc cogitat, nec fauore, nec amicitia, nec donis, nec minis à recto iuſtitiæ tramite inflecti ſe ſinit. Nam vt ſubdit:

NON EST ENIM APVD DOMINVM DEVM NOSTRVM INIQVITAS] id eſt, vt Sept. *iniuſtitia*. Hebr. עַוְלָה *aula*, id eſt, *peruerſitas*, ſiue peruerſio & euerſio iuſtitiæ, vt vel perſonas, vel munera accipiat, vt ſequitur. ita Vatab. VERS.7.

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioſaphat Moabitas, Ammonitas & Syros non tam armis, quàm oratione & ieiunio ſuperat & ſpoliat. Denique v. 35. Eleazar propheta arguit Ioſaphat ob fœdus cum Ochozia impio rege Iſrael initum, ideoque naues vtriuſque ituras in Tharſis confractas eſſe aſſerit.

1. POſt hæc congregati ſunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis, ad Ioſaphat, vt pugnarent contra eum. 2. Venerunt que nuntij, & indicauerunt Ioſaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare ſunt, & de Syria, & ecce conſiſtunt in Aſaſonthamar, quæ eſt Engaddi. 3. Ioſaphat autem timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda. 4. Congregatusque eſt Iudas ad deprecandum Dominum: ſed & omnes de vrbibus ſuis venerunt ad obſecrandum eum. 5. Cumque ſteriſſet Ioſaphat in medio cœtu Iuda, & Ieruſalem, in domo Domini ante atrium nouum, 6. ait: Domine Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua eſt fortitudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. 7. Nónne tu Deus noſter interfeciſti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Iſrael, & dediſti eam ſemini Abraham amici tui in ſempiternum? 8. Habitauerunt que in ea, & extruxerunt in illa ſanctuarium nomini tuo, dicentes: 9. Si irruerint ſuper nos mala, gladius iudicij, peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac in conſpectu tuo, in qua inuocatum eſt nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies ſaluoſque facies. 10. Nunc igitur ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir, per quos non conceſſiſti Iſrael vt tranſirent quando egrediebantur de Ægypto, ſed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos: 11. econtrario agunt, & nituntur eiicere nos de poſſeſſione, quam tradidiſti nobis. 12. Deus noſter, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem nõ eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. 13. Omnis verò Iuda ſtabat coram Domino, cum paruulis, & vxoribus, & liberis ſuis. 14. Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de filiis Aſaph, ſuper quem factus eſt Spiritus Domini in medio turbæ, 15. & ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ieruſalem, & tu rex Ioſaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. 16. Cras deſcendetis contra eos: aſcenſuri enim ſunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Ieruel. 17. Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodò confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda & Ieruſalem: nolite timere, nec paueatis: cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiſcum. 18. Ioſaphat ergo, & Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorauerunt eum. 19. Porrò Leuitæ de filiis Caath, & de filiis Core, laudabant Dominum Deum Iſrael voce magna, in excelſum. 20. Cumque manè ſurrexiſſent, egreſſi ſunt per deſertum Thecue: profectiſque eis, ſtans Ioſaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem: credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient proſpera. 21. Deditque conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent:

Confi-

Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. 22. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt. 23. Namque filij Ammon, & Moab, consurrexerunt aduersum habitatores montis Seir, vt interficerent & delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidêre vulneribus. 24. Porrò Iuda cùm venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem latè regionem plenam cadaueribus, nec superesse quempiam, qui necem potuisset euadere. 25. Venit ergo Iosaphat, & omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inueneruntque inter cadauera variam supellectilem, vestes quoque, & vasa pretiosissima, & diripuerunt, ita vt omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. 26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum Vallis benedictionis vsque in præsentem diem. 27. Reuersusque est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem, & Iosaphat ante eos, in Ierusalem cum lætitia magna, eò quòd dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. 28. Ingressique sunt in Ierusalem cum psalteriis, & citharis, & tubis, in domum Domini. 29. Irruit autem pauor Domini super vniuersa regna terrarum, cùm audissent quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israel. 30. Quieuitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum. 31. Regnauit igitur Iosaphat super Iudam, & erat triginta quinque annorum cùm regnare cœpisset: viginti autem & quinque annis regnauit in Ierusalem, & nomen matris eius Azuba filia Selahi. 32. Et ambulauit in via patris sui Asa, nec declinauit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. 33. Verumtamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. 34. Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani, quæ digessit in Libros regum Israel. 35. Post hæc iniit amicitias Iosaphat rex Iuda cum Ochozia rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima. 36. Et particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber. 37. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.

VERS. 1. FILII AMMON ET CVM EIS DE AMMONITIS] hoc est de Idumæis: hi enim ne viderentur contra Iudæos fratres suos pugnare, vocabant se Ammonitas. ita Auctor Tradit. apud S. Hier. hic: *Ammonitas*, ait, *Idumæos vult intelligi, qui ob reuerentiam patrui nominis* (Esau, qui erat frater Iacob patris Iudæorum) *nolebant in pristino habitu arma mouere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum.*

VERS. 2. DE HIS LOCIS QVÆ SVNT TRANS MARE, scilicet mortuum, siue lacum Asphaltidem, illoque traiecto castra metantur in ENGADDI] puta in limitibus regni Iuda; Syria enim separabatur à Iudæa mari mortuo, ait Vatab.

VERS. 5. ATRIVM NOVVM] scilicet innouatum, vel de nouo templo adiectum, cùm enim Salomon amplissima fecisset templi atria, vt totum populum 12. tribuum caperet; deinde verò decem tribus fecissent schisma à Roboam & templo, hinc multæ atrij partes, vtpote vacuæ fuêre occlusæ, vel ad alios vsus deputatæ. At verò sub Iosaphat crescente multitudine fidelium, & populi tam Iuda, quàm eorum qui è decem tribubus transfugerant ad Iuda, necessum fuit earum aliquas rursùm aperiri & innouari, vt tantum populum caperent: & hoc est: *atrium nouum*; id est innouatum, & de nouo vsibus templi & populi accommodatum.

SED CVM IGNOREMVS QVID AGERE DEBEAMVS, HOC SOLVM HABEMVS RESIDVI, VT OCVLOS NOSTROS DIRIGAMVS AD TE] Nota hoc Iosaphat consilium piissimum & vtilissimum. *Cùm ergo omni humano auxilio destituerit, vicinum est diuinum*, vt aiebat Philo legat. ad Caium, si illud inuoces; Dei enim proprium est in arctis succurrere, ac desperata restituere: ibi enim maximè suam clementiam & potentiam ostendit. Hoc ergo opus vti diuinitati est congruum, sic & Deo proprium.

B OMNIS IVDA STABAT CORAM DOMINO CVM PARVVLIS, ET VXORIBVS, ET LIBERIS SVIS] Ecce hîc patet antiquitas Litaniæ siue orationis publicæ & communis, qua in publica calamitate publicè omnes cuiusuis sexus & ætatis conueniunt, vt vnanimi voce, & quasi vna omnium comploratione Dei misericordiam & opem implorent, Deoque quasi vim faciant. *Hac*, enim, *vis grata est Deo*, ait Tertull. in Apol. Idem fecêre Niniuitæ Ionæ 3. 5. & Machabæi 2. Machab. 3. v. 18. & seq. ac Iudæi tempore Iudith cap. 4. v. 9. Et hoc est, quod faciendum monet Ioel c. 2. 16. *Coadunate fines, congregate paruulos & sugentes vbera.* Idem

Idem fecit S. Greg. in peste quæ Romam & Italiam populabatur. Indixit enim publicas omnium ordinum litanias, easque in varias classes distribuit, ac omnibus Dei opem inclamantibus Deus pestem stitit, vt habet eius vita.

VERS. 33. VERVMTAMEN EXCELSA NON ABSTVLIT] *Excelsa* Deo vero dicata intellige; nam excelsa idolorum abstulit, vt dictum est. Causam subdit:

ET ADHVC POPVLVS NON DIREXERAT COR SVVM AD DOMINVM] scilicet perfectè & totaliter, nam adhuc immolabat Deo in excelsis, cùm Deus iussisset vt in solo templo Ierosolymæ sibi sacrificaretur.

VERS. 34. SCRIPTA SVNT IN VERBIS IEHV FILII HANANI, QVÆ DIGESSIT IN LIBROS REGVM ISRAEL] puta in libros chronicorum siue Diariorum, quibus conscripsit gesta regum Israel. Hinc patet Iehu esse authorem, saltem ex parte, libri toties citati, scilicet chronicorum regum Israel, eumque diuersum esse ab hoc libro Paralipomenon, cùm in eo hîc citetur.

NAVES QVÆ IRENT IN THARSIS] Vide dicta c. 9. 21. Nota ex hoc loco, Deum sæpe piorum principum conatus frustrari, eò quòd impiorum regum vel militum ope vtantur. Ideò enim contriuit naues pij Iosaphat, quòd iunctæ essent nauibus Ochoziæ impij regis Israel. Simili modo Deus per prophetam iussit Amasiæ, impios Israelitas, licet centum talentis argenti iam conductos, ab exercitu domum remittere cap. 25. v. 6. VERS. 36.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pro Iosaphat succedit impius filius Ioram, qui fratres suos & nonnullos principum occidit. Quare Elias ad eum litteras è paradiso mittit, quibus ei grauem morbum, mortemq; ac toti regno cladem denuntiat, quæ omnia ei ipsa euenerunt.

1. DOrmiuit autem Iosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Ciuitate Dauid: regnauitque Ioram filius eius pro eo. 2. Qui habuit fratres, filios Iosaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michaël, & Saphatiam. omnes hi, filij Iosaphat regis Iuda. 3. Dedítque eis pater suus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eò quòd esset primogenitus. 4. Surrexit ergo Ioram super regnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de principibus Israel. 5. Triginta duorum annorum erat Ioram cùm regnare cœpisset: & octo annis regnauit in Ierusalem. 6. Ambulauitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat vxor eius, & fecit malum in conspectu Domini. 7. Noluit autem Dominus disperdere domum Dauid, propter pactum quod inierat cum eo: & quia promiserat vt daret ei lucernam, & filiis eius omni tempore. 8. In diebus illis rebellauit Edom, ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi regem. 9. Cumque transisset Ioram cum principibus suis, & cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, & percussit Edom qui se circumdederat, & omnes duces equitatus eius. 10. Attamen rebellauit Edom, ne esset sub ditione Iuda, vsque ad hanc diem: eo tempore & Lobna recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum: 11. insuper & excelsa fabricatus est in vrbibus Iuda, & fornicari fecit habitatores Ierusalem, & præuaricari Iudam. 12. Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa regis Iuda, 13. sed incessisti pericer regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti: 14. ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua. 15. tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. 16. Suscitauit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus, 17. & ascenderunt in Terram Iuda, & vastauerunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, & vxores: nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat. 18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. 19. Cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum ex-

pletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundùm morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius. 20. Triginta duorum annorum fuit, cùm regnare cœpisset, & octo annis regnauit in Ierusalem. Ambulauitque non rectè, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: verumtamen non in sepulchro regum.

VERS. 4. OCCIDIT OMNES FRATRES SVOS GLADIO, ET QVOSDAM DE PRINCIPIBVS] fortè eò quòd ipsi se eius nouæ religioni & idololatriæ opponerent. Quòd si ita est, ipsi reuera occubuerunt vt martyres.

VERS. 7. LVCERNAM] id est successionem stirpis regiæ & splendidæ. vide Psal. 131. v. 17.

VERS. 10. ATTAMEN REBELLAVIT EDOM] Idumæa scilicet excussit iugum impij Ioram regis Iudæ; tuncque impleta est prophetia Iacob Genes. 27. 40. prædicentis, quòd Esau excuteret iugum Iacob, puta quòd Idumæi excuterent iugum Iudæorum.

EO TEMPORE ET LOBNA RECESSIT] Vrbs erat prisca in tribu Iuda, q.d. non tantùm exteri Idumæi, sed & subditi Lobnenses impio Ioram, licet regi suo, rebellarunt. Audi Adrichom. in descrip. tribus Iuda n. 176. *Lebna* quæ & *Lobna* & *Labana*, vrbs Leuitarum fortis & munita, non longè à Lachis dissita. Habuerat priscis temporibus regem, quo interfecto, Iosue etiam ipsam expugnauit. Postquàm ad Monarchiam deuenisset status Iudæorum, propter impietatem Regis Ioram filij Iosaphat, defecit ab eo Lebna, tandem obsessa fuit à Sennacherib rege Assyriorum. Nunc villa est in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur *Lobna*, de qua scribit Isaias, vt author Hieronymus. Quidam hanc ponunt in tribu Dan.

VERS. 12. ALLATÆ AVTEM SVNT EI LITTERÆ AB ELIA PROPHETA] Quæres, quænam, quales, quando & quomodo ab Elia scriptæ & missæ sunt hæ litteræ? Nota, Eliam iam pridem è terra raptum fuisse curru igneo in cælum. Nam tempore Iosaphat, qui fuit pater huius Ioram, florebat & propherabat Eliseus, qui Eliæ iam rapto successit, vt patet 4. Reg. 3. v. 11. Quod enim Caiet. censet alium hunc esse Eliam, & diuersum à Thesbite, non habet speciem verisimilitudinis, & nouè sine fundamento dicitur. Tale quoque est, quod ait Vatab. per Eliam hic intelligi Eliseum, eò quòd ipse spiritus Eliæ insedisset. Alij, vt Emmanuel Sa, opinantur Eliam ante raptum has litteras scripsisse, & dedisse Eliseo vel alicui simili, vt eas post raptum suum traderet regi Ioram. Verùm alij passim censent Eliam ex paradiso, vel loco in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has litteras misisse, siue per Angelum forma humana indutum, siue per Eliseum aliumue prophetam, vel virum fidelem, ad regem Ioram. Iraq; sicut in Transfiguratione Christi apparuit Petro, Iacobo & Ioanni Elias cum Moyse, sic & idem apparuit hîc alicui viro, eique litteras à se scriptas ad Ioram perferendas dedit. ita Hebræi in Seder Olam c. 17. Lyran. Serar. Sanchez, Bellarm. & Salian. qui censet has litteras datas ab Elia nono anno post raptum; raptum enim fuisse anno 19. Iosaphat qui deinde adhuc sex annos regnauit, scilicet vsque ad annum 25. litteras verò has fuisse datas anno tertio vel quarto Ioram, quo scilicet ipse solus post patrem Iosaphat vita functum regnabat. Scripsit autem ex paradiso, vt magis percelleret impium Ioram & conuerteret, vtque ostenderet quantam ipse & Sancti, etiam post hanc vitam, hominum fidelium præsertim, habeant curam. Idem censent Genebr. lib. 1. chronol. Iosephus Acosta lib. 3. de Nouiss. Temp. c. 7. Aben Ezra & Petrus Figuerius in c. 4. Malachiæ, Thomas Maluenda lib. 9. de Antichristo c. 2. Porrò hisce litteris Elias grauiter increpat Ioram, quòd à Deo æquè ac religione patris sui Iosaphat descierit, quodque fratres suos quasi parricida occiderit, ac etiam minatur triplicem plagam: scilicet primò, publicam bonorum tam ipsius regis quàm regni populique expilationem, æquè ac vxorum & filiorum eius rapinam, quam mox intulerunt Philisthæi, Arabes & Æthiopes, vt dicitur v. 16. Secundò, grauem morbum & longam duorum annorum tabem, ità vt viscera egerat, itaque in doloribus & fœtoribus infelicem animam exhalet v. 18. Tertiò, quòd carebit honore regiæ sepulturæ. Hanc tertiam pœnam non exprimit Elias, sed hæc è duabus prioribus, atque ex infami eius vita & morte consecuta est, vt patet v. 19.

Elias scribit ex paradiso ad Ioram.

NISI IOACHAZ] Hic est, qui inuerso nomine dictus est *Ochozias*. Hic enim solus superstes Ioram patri in regno successit, vt patet c. seq. v. 1. ita Beda. VERS. 17.

ET NON FECIT EI POPVLVS SECVNDVM MOREM COMBVSTIONIS EXEQVIAS, SICVT FECERAT MAIORIBVS EIVS] comburendo, non cadauer regis (illud enim sepeliebatur in sepulchro Dauid & Salomonis, vel proprio ad hoc magnificè quasi mausolæo erecto) sed iuxta cadauer, aromata & vnguenta pretiosa, idque *ambitione* & pompa *magna*, vti factum est Asæ auo Ioram c. 16. v. 14. Vide dicta Ierem. 34. v. 5. VERS. 19.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Ioram succedit filius impius Ochozias, quem cum Ioram rege Israel occidit Iehu. Athalia vxor Ioram omnes filios Ochoziæ occidit, vnico Ioas paruulo excepto, quem Iosabeth amita furtim neci subtraxit. Sola ergo regnat Athalia.

1. CONstituerunt autem habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius minimum, regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra: regnauitque Ochozias filius Ioram regis Iuda. 2. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem, & nomen matris eius Athalia filia Amri. 3. Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim eius impulit eum vt impiè ageret. 4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius. 5. Ambulauitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab rege Israel, in bellum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraueruntque Syri Ioram. 6. Qui reuersus est vt curaretur in Iezrahel: multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Ioram rex Iuda, descendit vt inuiseret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotantem. 7. Voluntatis quippe fuit Dei aduersus Ochoziam, vt veniret ad Ioram: & cùm venisset, & egrederetur cum eo aduersum Iehu filium Namsi, quem vnxit Dominus vt deleret domum Achab. 8. Cùm ergo euerteret Iehu domum Achab, inuenit principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, & interfecit illos. 9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se, occidit, & sepelierunt eum: eò quòd esset filius Iosaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo, nec erat vltrà spes aliqua, vt de stirpe quis regnaret Ochoziæ. 10. siquidem Athalia mater eius, videns quòd mortuus esset filius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. 11. Porrò Iosabeth filia regis tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum regis, cùm interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum: Iosabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ pontificis, soror Ochoziæ, & idcirco Athalia non interfecit eum. 12. Fuit ergo cùm eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnauit Athalia super terram.

VERS. 1. OCHOZIAM] Hic est qui inuersè vocatus est *Ioachaz* c. præcedenti v. 17.

VERS. 2. QVADRAGINTA DVORVM ANNORVM ERAT OCHOZIAS, CVM REGNARE COEPISSET] Grauis est hic quæstio & antilogia: nam 4. Reg. 8. 26. dicitur, *Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset*; quia vt præcessit, Ioram cœpit regnare cùm 32. esset annorum, regnauitque 8. annis, mortuusque est anno ætatis 40. ait Iosephus; mox successit ei filius Ochozias; ergo is non potuit esse 42. annorum, alioqui enim biennio fuisset senior patre suo Ioram; qui mortuus est anno ætatis quadragesimo 5 fuit igitur tùm Ochozias 22. annorum.

Antilogia 42. annorii.

Concilianur. Primò.

Primò, Hebræi in Seder Olam c. 17. quos sequitur Genebr. & Serar. respondent, hos 42. annos computandos esse ab anno sexto Amri, qui fuit auus maternus Ochoziæ, cuius mores & idola ipse secutus est; Amri enim in Samaria à se condita, & in metropolim regni Israel erecta, solus regnare cœpit anno sexto regni sui, regnauitque in ea octo annis;

succesit ei Achab filius, qui cum Ochozia filio regnauit 22. annis; huic successit Ioram pariter filius per 12. annos; anno autem eius duodecimo & vltimo cœpit regnare in Iuda hic Ochozias filius Ioram, eodemque anno cum Ioram rege Israel occisus est à Iehu: iam adde annos 8. Amri 22. Achab. 12. Ioram habebis 42. quos quærimus. Videntur enim Israelitæ Æram constituisse ab initio regni Samariæ, ab eoque annos numerasse, vti numerant Historici à Roma condita. Sic Absalom dicitur post 40. annos, scilicet à prima vnctione Dauidis in regem computandos, rebellasse Dauidi 2. Reg. 15. 7. Verùm obstat, quòd hi 42. anni dicantur esse Ochoziæ, non regni Samariæ. Vnde Hebr. clarè habent: *Filius 42. annorum erat Ochozias, cùm regnare cœpisset.* Adde, Ochozias erat rex Iuda, cur ergo annos eius computaret Script. à regno Samariæ diuerso, imò ei aduerso?

Secundò.

Secundò, S. Hieron. in Tradit. Glossa, Lyran. Hugo, Dion. Gordonus, Mendoza, Vatab. & Franc. Suarez 3. p. to. 1. disp. 6. sect. 1. respon-

respondent Ioram cœpisse regnare anno ætatis 32. cum Iosaphat patre, ac cum eo regnasse viginti annis, deinde eo mortuo solum regnasse octo annis, qui octo solùm numerantur, quia pertinent ad chronologiæ computationem; quare mortuum esse anno ætatis non 40. vt ait Iosephus, sed 60. ita vt Ochozias filius ei succedens fuerit 42. annorum, qui tamen 3. Reg. 8. 26. dicitur fuisse 22 annorum, quia scilicet ipse cum patre Ioram 20. annis regnauit, quare quando cum eo regnare cœpit, erat 22. patre verò post 20. annos mortuo, cùm Ochozias solus regnauit, fuit 42. annorum.

Verùm sic Iosaphat debuisset generare Ioram anno ætatis suæ octauo; Iosaphat enim cœpit regnare anno ætatis 35. ac regnauit 25. annis, mortuusque est sexagenarius; adde quinque, vel vt alij octo annos, quibus post eius mortem regnauit Ioram, fient anni Iosaphati 68. ex quibus 42. tribuendi sunt Ochoziæ, ac octodecim circiter Ioram patri eius, cùm eum genuit, qui iuncti faciunt 60. quare octo tantùm anni supererunt Iosaphato, quos ipse habuerit cùm genuit Ioram, quod est impossibile. Omitto, quòd isti authores dicunt simul tres reges regnasse, scilicet anum Iosaphat, filium Ioram, & nepotem Ochoziam per 20. annos; quod nouum est & insolitum.

Tertiò. Tertiò, Sanchez & alij, vt hoc argumentum euitent, dicunt Ioram cum patre Iosaphat regnasse octo annis, post eius mortem verò regnasse 20. annis; sed infeliciter, vtpote morbo insanabili à Deo percussum, ideoq; Ochoziam filium regnum pro patre ægro & tabido administrasse, ideoque hos viginti annos includi hîc in 42. annis Ochoziæ. Itaq; Ochoziam, quando cum patre Ioram regnare cœpit, fuisse 22. annorum; quando verò eo post 20. annos mortuo, solus regnauit, fuisse 42. annorum.

Verùm obstat primò, quòd Ioram pater biennio tantùm hoc morbo laborarit, vt dicitur 2. Paral. 21. 19. Secundò, quòd sic viginti anni iam dicti debuissent dici regni Ochoziæ, non vitæ, vt chronologia annorum regni, quibus quisque rex in Iuda regnauit, continua serie pertexeretur: alioqui enim hi viginti anni chronologiæ regni Iuda deerunt: quocirca nemo Chronologorum eos numerat, quod signum est eos non extitisse. Tertiò & maximè, quòd anni Ioram regis Iuda eiusque filij Ochoziæ, includantur in annis Ioram regis Israel, vti patet 4. Reg. 8. 16. & 25. & cap. 9. v. 27. & 29. Ioram autem rex Israel cœpit regnare anno 18. Iosaphat, regnauitque duodecim annis, vt dicitur 4. Reg. 3. 1. regnauit ergo septem annos post mortem Iosaphat: hic enim regnauit 25. annis. Mortuus est igitur tam Ioram rex Israel, quàm Ioram rex Iuda, eiusque filius Ochozias anno septimo post mortem Iosaphat. Ergo nullus eorum potuit regnare viginti annis post mortem Iosaphat: quare Ochozias non potuit tunc esse quadraginta duorum annorum. ita Caiet. Salian. & alij.

Quartò germanè. Quartò ergo Caiet. Bellarm. in Manuscripta Concordia annorum regum Israel & Iuda, quam penes me habeo, Torniellus, Salian. Mariana, Scaliger & alij censent hic esse mendum, & pro 42. substituendos 22. annos. Sic enim clarè dicitur 4. Reg. 8. 26. *annorum erat Ochozias, cùm regnare cœpisset*, & sic habent hoc loco Sept. Romæ correcti. *Viginti*, inquiunt, *annorum erat Ochozias*, & in Notis additur alios codices habere: *viginti duorum annorum*. Ac facilè in Hebr. pro עשרים *Esrim*, id est *viginti*, irrepsisse potuit *arbaim*, id est 40; facilius in ciphris irrepsit error, vt pro כב id est 22. positum sit מב id est 42. ait Mariana; nam כ & מ caractere sunt affines. Atque hæc videtur origo fuisse mendi. Fateor omnes Codices Hebræos & Latinos hoc loco habere 42. non 22. sed argumenta cogunt vt pro 42. reponatur 22. Nulla enim alia solutio solida hîc afferri potest; neque interpretes, sed ipsa S. Script. corrigit seipsam à descriptoribus vitiatam, scilicet liber Regum corrigit librum Paralipomenon in annis iam dictis, Scriptorum vitio corruptis. Plura in editione vulgata à Romanis correcta sunt, & plura corrigi possent, vti ipsi Correctores in præfatione fatentur, atq; error in numeris facilè contingit, nec spectat ad fidē vel bonos mores. Sic multi demunt Cainan à serie generationum in genealogia Christi, cùm tamen eum constanter habeant omnia exemplaria Græca, Latina, Syra, Arabica, &c. Lucæ 3. 36. Denique hoc loco pro 42. *annorum*, Syrus habet 22. *annorum erat Ochozias*. Sic quoque habet Arabicus vterque, scilicet Antiochenus, siue montis Sinai, & Alexandrinus siue Cophticus, vti mihi Romæ asseuerauit Illustrissimus Dominus Sergius Risius Maronita Archiepiscopus Damascenus.

ATHALIA FILIA AMRI] *Filia* id est neptis. Erat enim filia Achab qui erat filius Amri, vt patet c. præced. vers. 6. & 4. Reg. 8. 18.

INTERFECIT OMNEM STIRPEM REGIAM] Vers. 10 scilicet omnes filios filij sui Ochoziæ regis, quos ipse multos ex multis vxoribus (vti tum regibus mos erat) susceperat. Occidit ergo omnes suos ex filio Ochozia nepotes, vt iis quasi hæredibus regni sublatis, ipsa sola quasi auia liberè & impunè regnaret. vide ad quanta parricidia feminam adegerit regnandi cupido & libido.

PORRO IOSABETH FILIA REGIS IORAM (non ex Athalia, sed ex aliâ vxore) FVRATA EST EVM (Ioas) DE MEDIO FILIORVM REGIS CVM INTERFICERENTVR] Vers. 11 *quem inter cæsorum fratrum cadauera*, ait Iosephus, *opinione Athaliæ mortuum nutricis opera ablatum furtim domi suæ abdidit, & solo marito* (Ioiada Pontifice) *conscio sex annis abscondit in templo, in cubiculo lectulorum*, id est in vna exedra, siue cubiculo, vbi erat triclinium in quo vescebantur sacerdotes & Leuitæ, qui vice sua illa hebdomade deseruiebant templo. Tales enim exedræ plurimæ erant circa templum, ideoque & ipsæ *templum*, id est templi appendices vocantur.

Reliqua huius capitis expositi 4. Reg. 9.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioiada Pontifex Ioas septennem in regem vngit, Athaliam eius auiam regnantem occidit, Dei cultum restituit, aras & delubra Baal euertit.

1. ANno autem septimo confortatus Ioiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Ieroham, & Ismahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, & Maasiam filium Adaiæ, & Elisaphat filium Zechri: & iniit cum eis fœdus. 2. Qui circumeuntes Iudam, congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & principes familiarum Israel, veneruntque in Ierusalem. 3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Ioiada: Ecce filius regis regnabit, *sicut locutus est* Dominus super filios Dauid. 4. Iste est ergo sermo quem facietis: 5. Tertia pars vestrûm qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, & Leuitarum, & ianitorum, erit in portis: tertia verò pars ad domum regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne verò reliquum vulgus sit in atriis domus Domini. 6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Leuitis: ipsi tantummodò ingrediantur, quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus obseruet custodias Domini. 7. Leuitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua: (& si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege & intrante & egrediente. 8. Fecerunt ergo Leuitæ, & vniuersus Iuda, iuxta omnia quæ præceperat Ioiada pontifex: & assumpserunt singuli viros qui sub se erant, & venichant per ordinem sabbati, cum his qui impleuerant sabbatum, & egressuri erant. siquidem Ioiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueuerant. 9. Deditque Ioiada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque & peltas regis Dauid, quas consecrauerat in domo Domini. 10. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, à parte templi dextra, vsque ad partem templi sinistram, coram altari, & templo, per circuitum regis. 11. Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum regem: vnxit quoque illum Ioiada pontifex, & filij eius: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Viuat rex. 12. Quod cùm audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini. 13. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, & principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, & diuersi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, & ait: Insidiæ, insidiæ. 14. Egressus autem Ioiada pontifex ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini. 15. Et imposuerunt ceruicibus eius manus: cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi. 16. Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, vniuersumque populum, & regem, vt esset populus Domini. 17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam: & altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. 18. Constituit autem Ioiada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum & Leuitarum, quos distribuit Dauid in domo Domini: vt offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio & canticis, iuxta dispositionem Dauid. 19. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re. 20. Assumpsitque centuriones, & fortissimos viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt descendere regem de domo Domini & introire per medium portæ superioris in domum regis, & collocauerunt eum in solio regali. 21. Lætatusque est omnis populus terræ, & vrbs quieuit: porrò Athalia interfecta est gladio.

HOc caput explicui 4. Reg. 11.

VERS. 1. ANNO AVTEM SEPTIMO CONFORTATVS (à Deo) IOIADA] Fuit hic Pontifex magni animi & virtutis, qui regiam stirpem in regnum restituit, vixitque 130. annos 2. Paral. 24. 15. Nonnulli cum nostro Henrico Samerio in chronolog. putant eum non fuisse summum Pontificem, sed principem sacerdotum in tribu Iuda, scilicet eorum qui dispersi erant per tribum Iuda, eiusque curam gerebant. Ratio eorum est, quòd in Catalogo summorum Pontificum, qui extat 1. Paral. 6. & 1. Esdræ 7. 1. & apud Ioseph. 10. Antiq. c. 11. non nominetur Ioiada. Verùm chronicon Hebr. Ioiada collocat in numero summorum Pontificum. Rursùm Ioseph. eum vocat ἀρχιερέα, & Script. eum vocat Pontificem & *principem sacerdotum*, ac in Hebr. *Primum Sacerdotem*, & *caput sacerdotum*, id est summum Pontificem. Accedit ratio quòd ipse regem Ioas in regnum restituerit & regem vnxerit: hoc autem erat munus summi Pontificis. Rursùm, mandata & imperia, quæ ipse hîc dat omnibus sacerdotibus, Leuitis, totique populo in custodiendo rege & templo, arguunt eum fuisse summum omnium Pontificem. Porrò nec Ioseph. nec Script. 1. Paralip. 6. & 1. Esdræ 7. 1. omnes recensent pontifices, sed aliquos omittit; nam à rege Iosaphat vsque ad Iosiam, quod fuit spatium 238. annorum, numerant tantùm quattuor Pontifices, scilicet Achitob, Merajoth, Sadoc & Sellum; quorum quisque debuisset 59. annos fungi Pontificatu, quod est incredibile. Ioiada ergo & alij nonnulli omissi sunt, eò quòd non esset ex Eleazaro primo Aaronis filio, cui iure primogenituræ debebatur Pontificatus progeniti. Fortè etiam Ioiada, vti & multi alij, aliud habuit nomen. Vnde nonnulli putant eum qui à Iosepho inter Pontifices ponitur, vocaturque *Sedeas*, esse Ioiadam, & sequentem *Iulum* esse Zachariam filium Ioiadæ. Zachariam enim patri Ioiadæ in pontificatu successisse, censent Abul. Toraniellus & alij, licet chronicon Hebr. quod sequitur Genebr. & Salian. asserat Ioiadæ successisse Pedaiam. Ioiada ergo restituit religionem æquè ac regnum Iudæ, ideoque à Ioas rege post mortē sepultus est in sepulchro regum. Vnde chronicon Hebr. hoc Ioiadæ dat Epitaphium & elogium: *Senuit Ioiada plenus dierum, & mortuus est cùm esset 130. annorum. Nempe oriente in diebus Salomonis labe* (idololatria) *& ruina, natus est simul Ioiada qui eam corrigeret.* Natus est enim Ioiada sub annum regni Salomonis 35. mortuus verò anno 28. Ioas regis Iuda. ita Salian.

QVI VENIVNT AD SABBATHVM] vt sabbatho vicem hebdomadæ suæ ad seruiendum in templo inchoent: Iudæi enim à sabbatho hebdomadam inchoabant, sicut nos à Dominica, & eodem recurrente illam finiebant. VERS. 4

RELIQVVM VVLGVS (tum Leuitarū, tum populi fidelis) OBSERVET CVSTODIAS DOMINI] id est fungatur officio suo in atrio domus Domini, siue templi; scilicet vt si quis tumultus oriatur ex militibus, quos Athalia submiserit ad occidendum Ioas, ipsi eos sistant, impediant & repellant. Idcircò enim iusserat v. 5. dicens: *reliquum vulgus sit in atriis domus Domini*; puta in atrio, quod erat quasi templum laicorum, ac in varia minora atria erat diuisum. Voluit enim Ioiada nouellum regem puerum, non tantùm Leuitarum, sed & populi fidelis præsidio communiri, ne quæ ei vis aut fraus fieret ab Athalia auia impia. VERS. 6

PORTÆ SVPERIORIS] Hæc erat porta templi, quæ ducebat ad regis palatium. Dicitur *superior*, quia altior erat regia, ex qua in inferiori loco constituta per hanc portam in templum ascendebatur, patet 4. Reg. 11. v. 6. & 19. Eadem porta v. 5. vocatur, *fundamenti*; quia in ipsis fundamentis templi, id est in Mello erecta. ita Vilalp. p. 219. hæc præ ceteris iussa fuit custodiri, quia per hanc Athalia ex regia ventura erat in templum cum suo milite & satellite. VERS. 10

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IOas Rex sub Ioiada pontifice ritè Deum colit, at eo mortuo deflectens ad idola, ideòq. reprehensus à Zacharia filio Ioiadæ, eum in atrio templi lapidat & necat. Quare anno sequenti Deus Iudæam Syris spoliandam tradit, & Ioas regem per eius famulos occidit.

1. SEptem annorum erat Ioas cùm regnare cœpisset: & quadraginta annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Sebia de Bersabee. 2. Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis. 3. Accepit autem ei Ioiada vxores duas, è quibus genuit filios & filias. 4. Post quæ placuit Ioas vt instauraret domum Domini. 5. Congregauitque Sacerdotes, & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerso Israel pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite. porrò Leuitæ egêre negligentiùs. 6. Vocauitque rex Ioiadam

dam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, vt cogeres Leuitas inferre de Iuda & de Ierusalem pecuniam, quæ constituta est à Moyse seruo Domini, vt inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonij? 7. Athalia enim impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei; & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini ornauerunt fanum Baalim. 8. Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam: posuerunt que eam iuxta portam domus Domini forinsecus. 9. Et prædicatum est in Iuda & Ierusalem, vt deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses seruus Dei super omnem Israel in deserto. 10. Lætatique sunt cuncti principes, & omnis populus: & ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita vt impleretur. 11. Cumque tempus esset vt deferrent arcam coram rege per manus Leuitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur scriba regis, & quem primus sacerdos constituerat: effundebantque pecuniam quæ erat in arca: porrò arcam reportabant ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia. 12. Quam dederunt rex & Ioiada his, qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, & artifices operum singulorum, vt instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris, vt quod cadere cœperat, fulciretur. 13. Egeruntque hi qui operabantur industriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitauerunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt. 14. Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege & Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, & ad holocausta, phialæ quoque, & cetera vasa aurea & argentea: & offerebantur holocausta in domo Domini iugiter cunctis diebus Ioiadæ. 15. Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cùm esset centum triginta annorum. 16. Sepelieruntque eum in Ciuitate Dauid cum regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israel, & cum domo eius. 17. Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem; qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis. 18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem propter hoc peccatum. 19. Mittebatque eis prophetas vt reuerterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum vt derelinqueret vos? 21. Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini. 22. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cùm moreretur, ait, Videat Dominus, & requirat. 23. Cumque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt regi in Damascum. 24. Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia. 25. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est: sepelieruntque eum in Ciuitate Dauid, sed non in sepulchris regum. 26. Insidiati verò sunt ei, Zabad filius Semmaath Ammanitidis, & Iozabad filius Semarith Moabitidis. 27. Porrò filij eius, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei, scripta sunt diligentiùs in Libro regum: regnauit autem Amasias filius eius pro eo.

HOc caput explicui 4. Reg. 12.

VERS. 22. QVI (Zacharias) CVM MORERETVR, AIT: VIDEAT DOMINVS ET REQVIRAT] *Videat*, scilicet meam innocentiam & probitatem, qua ex officio meo (erat enim pontifex) regem idola colentem reprehendo. *Videat* pariter regis impietatem & ingratitudinem, qua me filium Ioiadæ Pontificis & auunculi sui, cui vitam & regnum debet, ingratè, iniustè & impiè interficit. *Et requirat*, vt meam necem tantaque scelera iusto iudicio puniat & vlciscatur. Dixit hoc Zacharias ex zelo iustitiæ, qui fuit spiritus Eliæ & veteris testamenti. At in nouo Christus & Apostoli à Iudæis occisi non vindictam;

dictam, sed veniam à Deo occisoribus precabantur. Vnde Christus in cruce: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Matth. 27. & S. Stephanus cùm lapidaretur, vt hîc Zacharias: *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum*, Actor. 7.

Exaudiuit Deus orationem Zachariæ; vnde Ioas & Iudæos multipliciter puniuit: nam primò, vt sequitur, anno proximè sequenti Hazael rex Syriæ cum paucis copijs immensam Iudæorum multitudinem cecidit, ac thesauros templi æquè ac palatij regij in Syriam abripuit.

Secundò, in Ioas regem ignominiosa exercuit iudicia, vt dicitur v. 24. exprobrans illi suam ingratitudinem & perfidiam, ac probris variisque ignominiis, atque vt videtur, plagis eum afficiens, qualibus Sedeciam perfidum affecit Nabuchodonosor 4. Reg. 25.

Tertiò, ex hisce probris & plagis, ac ex noua Dei castigatione Ioas incidit in morbum grauem, qui ei dolores & languores magnos creauit v. 25.

Quartò, serui eius contra eum coniurarunt, eumque decumbentem in lecto mactarunt *in domo Mello*, quæ vicina erat palatio. Addit Ioseph. hos coniuratos fuisse amicos Zachariæ; vnde v. 25. hîc dicuntur eum occidisse, *in vltionem sanguinis Zachariæ, filij Ioiadæ*. Denique S. Hieron. S. Thom. Abul. Iansen. Maldon. Baradius & alij censent, hunc esse Zachariam, cuius necem Iudæis exprobrat Christus, eisq; excidium minatur dicens: *Vt veniat super vos omnis sanguis &c. à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare*. Matth. 23. vide ibi dicta. Denique ob templum cæde & sanguine huius Zachariæ pollutum, deinceps defecisse in templo oracula & responsa diuina, tradit S. Epiphan. in vita Zachariæ, & ex eo Genebr. in Chronol.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Amasias rex vlciscitur necem patris sui Ioas, ac Idumæos prælio superat; sed in idololatriam prolapsus à Ioas rege Israel profligatur, capitur & spoliatur, atque à suis in Lachis trucidatur.

1. VIgintiquinque annorum erat Amasias cùm regnare cœpisset, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Ioadan de Ierusalem. 2. Fecitque bonum in conspectu Domini: verumtamen non in corde perfecto. 3. Cumque roboratum sibi videret imperium, iugulauit seruos, qui occiderant regem patrem suum, 4. sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, vbi præcepit Dominus, dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filij pro patribus suis, sed vnusquisque in suo peccato morietur. 5. Congregauit igitur Amasias Iudam, & constituit eos per familias, tribunosque & centuriones in vniuerso Iuda & Beniamin: & recensuit à viginti annis suprà, inuenitque trecenta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent hastam & clypeum. 6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti. 7. Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim: 8. quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere. 9. Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus vnde tibi dare possit multo his plura. 10. Separauit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum suum: at illi contra Iudam vehementer irati, reuersi sunt in regionem suam. 11. Porrò Amasias confidenter duxit populum suum, & abiit in Vallem salinarum, percussitque filios Seir decem millia. 12. Et alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitaueruntque eos de summo in præceps, qui vniuersi crepuerunt. 13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in ciuitatibus Iuda, à Samaria vsque ad Bethoron, & interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. 14. Amasias verò post cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum. 15. Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? 16. Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce ne

sce ne interficiam te. Discedensque propheta, Scio, inquit, quòd cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo. 17. Igitur Amasias rex Iuda, inito pessimo consilio, misit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu, regem Israel, dicens: Veni, videamus nos mutuò. 18. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem: & ecce bestiæ, quæ erant in silua Libani, transierunt, & conculcauerunt carduum. 19. Dixisti: Percussi Edom, & idcircò erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur malum aduersum te prouocas, vt cadas & tu, & Iuda tecum? 20. Noluit audire Amasias, eò quòd Domini esset voluntas vt traderetur in manus hostium propter deos Edom. 21. Ascendit igitur Ioas rex Israel, & mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem rex Iuda erat in Bethsames Iuda: 22. corruitque Iuda coram Israel, & fugit in tabernacula sua. 23. Porrò Amasiam regem Iuda, filium Ioas filij Ioachaz, cepit Ioas rex Israel in Bethsames, & adduxit in Ierusalem: destruxitque murum eius à porta Ephraim vsque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 24. Omne quoque aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, necnon & filios obsidum, reduxit in Samariam. 25. Vixit autem Amasias filius Ioas rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz rex Israel, quindecim annis. 26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum & nouissimorum, scripta sunt in Libro regum Iuda & Israel. 27. Qui postquam recessit à Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi. 28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in Ciuitate Dauid.

HOc caput explicui 4. Reg. 14.

VERS. 6. MERCEDE QVOQVE CONDVXIT DE ISRAEL CENTVM MILLIA ROBVSTORVM, CENTVM TALENTIS ARGENTI] Talentum argenti continebat tria millia siclorum argenteorum, id est tria millia florenorum Brabanticorum, quorum quisque continet quattuor Iulios Romanos, siue quattuor Regales Hispanicos. Quare centum talenta argenti faciunt trecenta millia florenorum Brabant. quæ si in centum millia Israelitarum hoc pretio conductorum æqualiter distribuas, cuique militi obuenient tres floreni Brabantici, siue duodecim Iulij, quod illo æuo, cùm rara esset pecunia, & annona vili pretio, ingens erat & magnæ æstimationis. Quare immeritò nonnulli censent hæc talenta fuisse auri, cùm Script. expressè dicat ea fuisse argenti.

VERS. 7. VENIT AVTEM HOMO DEI] propheta à Deo missus. Hebr. in Seder Olam tradunt prophetam hunc fuisse Amos, qui erat frater Amasiæ regis, & pater Isaiæ prophetæ, idque probant ex Isaiæ 37. 2. vbi S. Hieron. legit: *ad Isaiam filium Amos prophetæ*, sicque olim legebatur; licet iam Hebr. Sept. & Rom. constanter legant: *ad Isaiam filium Amos prophetam.*

O REX NE EGREDIATVR TECVM EXERCITVS ISRAEL: NON ENIM EST DOMINVS CVM ISRAEL] vtpote hostibus suis, & idola, putà vitulos aureos colentibus. Discant hîc Reges & principes Christiani non quærere auxilia principum vel militum hæreticorum, Turcarum, aliorumq; infidelium; quia si id faciant, Deum habebunt hostem, eumq; vindicem sentient, vti sensit Iosaphat, cuius naues confregit Deus, eò quòd iunctæ essent nauibus impij Ochoziæ regis Israel c. 20. 37.

Causam dat noster Salian. anno mundi 3208. n. 6. Nolebat, inquit, Dominus impios, & infideles coniungi cum fidelibus. Itaque licet vtrisque seorsim, pro mirabili sua prouidentia, faueret, daretque victoriam; coniunctos tamen non raro perculit, victosque reddidit. Erat Iosaphat cum Achabo 3. Reg. 22. cùm hic occisus est, & ille ingens adiit vitæ discrimen. Erat item cum Ioramo, cùm exercitus siti penè enecti, tantùm non Moabitarum præda facti sunt. 4. Reg. 3. Ochozias aderat Ioramo in Ramoth Galaad, cùm Ioramus multis vulneribus à Syris affectus est, moxque rex vterque à Iehu interfectus est 4. Reg 8. 28. Ergo ne nunc quidem coniunctis se affuturum ait, imò cladem & interitum vtrisque minatur; separatis autem victoriam dedit. Nam mox Amasias victor extitit contra Idumæos, & Ioas contra Amasiam, & Ieroboam contra Syros. Denique maluit Deus, & ex Deo Amasias rex perdere centum talenta argenti, imò ab Israelitis dimissis spoliari Iudæam, vt patet v. 13. quàm eos in societatem belli admittere.

VERS. 15. CVR ADORASTI DEOS] Audi Iosephum plenius rem gestam enarrantem: *Quamobrem à propheta conuentus est mirari se dicente, si hos Deos crederet qui cultoribus suis nihil opis afferre valuerint; neque eos ab Hebræorum vi tutos præstiterint, sed tamquam ad se non pertinentes cæsi, & captiuos trahi passi sint. Quin & ipsos belli iure abductos inter reliquam captiuorum turbam, Hierosolymam peruenisse. Rex his verbis ad iram percitus, insit illum hac de re esse quietum, minatus supplicium, si negotiis alienis miscere se pergeret. Tum ille, se quidem quieturum dixit; Deum tamen vltorem huiusmodi nouitatibus non defore.*

VERS. 16. NON ACQVIEVISTI CONSILIO MEO]

Con-

Consilio autem eius acquiesceret, ait S. Hieron. in Tradit. *si eo signe combureret, vestimenta dissumperet, cinerem super caput spargeret, & totum se pœnitentia daret. Hoc enim consilium illi prophetes dederat*: sed quia non acquieuit, hinc propheta liberè & audacter illi denuntiat:

SCIO QVOD COGITAVERIT DEVS OCCIDERE TE] ac reuera occidit, vt patet v. 27. Auctor enim libror. Paralip. hoc fine eos conscripsit, vt ex felici piorum regum, & infelici impiorum exitu, ostendat felicitatem regum & regnorum consistere in vera religione, veroque Dei cultu, infelicitatem verò in eius neglectu.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ozias siue Azarias Deum colens superat Philisthæos, Arabes & Ammonitas: vnde superbiens volensq; thymiama adolere in templo, à Deo lepra percutitur, ideoq; regnum administrat filius eius Ioatham.

1. OMnis autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. 2. Ipse ædificauit Ailath, & restituit eam ditioni Iuda, postquam dormiuit rex cum patribus suis. 3. Sedecim annorum erat Ozias cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Iechelia de Ierusalem. 4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, iuxta omnia, quæ fecerat Amasias pater eius. 5. Et exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. 6. Denique egressus est, & pugnauit contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murumque Azoti: ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philisthiim. 7. Et adiuuit eum Deus contra Philisthiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas. 8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ: & diuulgatum est nomen eius vsque ad introitum Ægypti propter crebras victorias. 9. Ædificauitque Ozias turres in Ierusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas. 10. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora, tam in campestribus, quàm in eremi vastitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. 11. Fuit autem exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia, sub manu Iehiel scribæ, Maasiæque doctoris, & sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. 12. Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum. 13. Et sub eis vniuersus exercitus, trecentorum & septem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, & pro rege contra aduersarios dimicabant. 14. Præparauit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcusque & fundas ad iaciendos lapides. 15. Et fecit in Ierusalem diuersi generis machinas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas, & saxa grandia: egressumque est nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. 16. Sed cùm roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. 17. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, 18. restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. 19. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. 20. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. 21. Fuit igitur Ozias rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porrò Ioatham filius eius rexit domum regis, & iudicabat populum terræ. 22. Reliqua

liqua autem sermonum Oziæ priorum & nouissimorum, scripsit Isaias filius Amos, propheta. 23. Dormiuitque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eò quòd esset leprosus: regnauitque Ioatham filius eius pro eo.

VERS. 5. ZACHARIÆ VIDENTIS ET INTELLIGENTIS] Hic Zacharias propheta fuit quasi pædagogus Oziæ regis, eumque religiosè Deum colere docuit. At quis fuit hic Zacharias? Audi S. Hieron. hic in Tradit. *Zacharias filius Zachariæ, filij Ioiadæ, qui post mortem patris natus posthumus, patris nomen sortitus est, intelligens, & videns dicebatur: intelligens propter sacerdotium, videns propter prophetiam.* Sic ipse. Hebræi tamen & Græci legunt: *intelligentia in visionibus Dei.* Si igitur post mortem patris natus est Zacharias, potuit hoc tempore annum agere supra trigesimum, natus scilicet 36. regni Ioas. Habuisse videtur hic Zacharias filiam nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, qui ex ea genuit Ezechiam regem, quod etiam in eum locum affirmat Hieronymus, nec repugnat æras. Nullum porrò propheticum eius scriptum extat: nam qui legitur penultimus in minoribus prophetis, facilè trecentis ab hinc annis distat. ita Salianus anno mundi 3227. num. 3. Caiet. Dion. & alij.

A TE EIVS] lepra enim erat supplicium sacrilegorum, & eorum qui Pontifici & sacerdotibus resistebant & rebellabant, vti fecit hîc Azarias.

Addit Ioseph. lib. 9. c. 11. duas alias prodigiosas Dei plagas Oziæ & Iudææ inflictas: *Et ecce tibi*, inquit, *ibi terra vehementer concutitur, fissaq; supernè templo, radius solis os regis ferit, quod è vestigio lepra contactum est: accessit huic & aliud prodigium, quòd eodem terræ motu, ante vrbem in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, per quattuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regijs.*

Tertiam plagam addunt S. Hieron. Cyril. Orig. & Chrys. in Isaiæ c. 6. 1. ad illa verba: *in anno quo mortuus est Ozias vidi Dominum*; scilicet Deum ob peccatum Oziæ, cui nonnulli B primores consenserant, priùsse Iudæos suis oraculis, prophetiis & spiritu, vsque ad mortem Oziæ. vide ibi dicta.

VERS. 10. TVRRES IN SOLITVDINE] ita vocantur villæ & domus rusticanæ, turribus ad custodiam frugum fructuumque & agrorum instructæ: in quibus reponuntur agrorum fructus, & pecora stabulantur, quæ alibi *castella* dicuntur. Sic Christus discurrebat per vicos, & *castella*, id est per rusticorum villas & pagos, prædicans regnum Dei.

Denique Hebræi in Seder Olam putant Oziam lepra percussum anno 27. regni sui, quo & contigit terræ motus, de quo Amos c. 1. 1. Verùm id dici nequit; nam tunc nec-dum natus erat Ioatham, qui patre Ozia lepra percusso gubernauit regnum. Nam Ioatham natus est anno 28. Oziæ; id patet ex eo, quòd patre moriente anno regni 52. Ioatham erat 25. annorum, vt dicitur 4. Reg. 15. 33. Igitur probabiliter Salian. putat Oziam lepra percussum anno regni sui 49. quo natus est Ioathamo filius Achaz, & eodem Manahen rex Israel mortuus est. Fauer Abul. qui Oziam quatuor vel quinque annos leprosum vixisse censet. Porrò S. Hieron. in 2. Paral. 26. asserit Oziam lepra percussum eo anno quo mortuus est, qui fuit regni eius 52. Peccauit Ozias dupliciter; primò, quòd ausus sit ingredi Sanctum, quod solis sacerdotibus ingredi licebat. Secundò, quòd adoleuerit thymiama quasi sacerdos, cùm esset laicus; ac Pontifici obsistenti comminatus sit mortem, vt ait Ioseph. quia ergo inuasit sacerdotium, idcircò amisit regnum per lepram: prima tamè sententia (quòd scilicet lepra percussus sit anno 27. regni sui) probabilis est, vti ostendi Amos 1. 1. potuit enim regnum administrati per optimates, donec Ioatham nascereturque adolesceret. *Oziæ lepra percussus anno 49. regni sui.*

Discant hîc reges non inuadere iura Pontificum & sacerdotum, ne à Deo percutiantur, vti percussus est Ozias: qua de re passim exempla funesta suggerit Baron. in suis Annalibus.

VERS. 16. CVM ROBORATVS ESSET, ELEVATVM EST COR EIVS IN INTERITVM SVVM, ET NEGLEXIT DOMINVM DEVM SVVM] Hæc verba D. Chrysostom. homilia 3. de verbis Isaiæ, expendens, notat, in iis non solùm Oziæ superbiam, sed etiam superbiæ causam C indicari. *Cùm*, inquit *roboratus esset*, seu vt legit ipse: *Cùm potens esset, eleuatum est cor eius*: vt nimia potentia, nimiam genuisse superbiam ostenderetur. *Non ferebat*, inquit (nempe rex Ozias) *principatus magnitudinem, sed quemadmodum ex edacitate nascitur inflatio; ex inflatione gignitur febris*; *deinde ex febri plerumque mors*; *itidem & hic ex actionum eminentia nata est superbia, mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.* Sicut ergo Amasias pater ex deuicta Idumæa animos sumpsit insolentes & fatuos, prouocando ad bellum regem Israelis, ideoque victus, captus & spoliatus est; sic & Azarias filius eius ex victoriis tot hostium intumescens, sacerdotale munus sibi arrogare præsumpsit, voluitque Deo adolere thymiama; sed illicò à Deo humiliatus, regno & regia pulsus, ob lepram infeli- D cem vsque ad mortem traxit spiritum.

VERS. 18. NON EST TVI OFFICII OZIA] Audi S. Chrys. homil. 4. de verbis Isaiæ: *Vide*, inquit, *libertatem: vide mentem seruire nesciam: vide linguam cælos attingentem: vide libertatem incoercibilem: vide hominis corpus & Angeli mentem: vide humi ingredientem, & in cælo versantem*, &c.

VERS. 19. STATIMQVE ORTA EST LEPRA IN FRONTE EIVS] lepra enim erat supplicium sacrilegorum, & eorum qui Pontifici & sacerdotibus resistebant & rebellabant, vti fecit hîc Azarias.

VERS. 22. RELIQVA AVTEM SERMONVM OZIÆ, &c. SCRIPSIT ISAIAS] Historia hæc Isaiæ temporum iniuria interiit. Nam in prophetia bis tantùm Oziæ meminit, scilicet c. 6. 1. iam citato, & c. 14. 28. Vbi Philisthæos ob mortem Oziæ domitoris sui exultantes compescens: *Ne*, inquit, *lateris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui* (Oziæ) *de radice enim colubri egredietur regulus*; scilicet Ezechias Oziæ

Oziæ pronepos, qui tanto acriùs vos cruciabit, quantò acriùs cruciat morsus reguli, quàm colubri.

VERS. 23. SEPELIERVNT EVM IN AGRO REGALIVM SEPVLCHRORVM, EO QVOD ESSET LEPROSVS] Leprosi enim, vti in vita, sic & in morte à consortio ceterorum separantur: lepra enim etiam cadauera inficit & consumit. Hæc est quinta Oziæ sacerdotium inuadentis pœna, quòd extra sepulchra regum, iuxta tamen illa, sepultus sit, siue extra vrbem, siue in vrbe, puta in Sion ciuitate Dauid.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioatham pius de Ammonitis triumphat, eisq; annuum vectigal indicit: succedit ei impius filius Achaz.

1. VIginti quinque annorum erat Ioatham cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Ieruſa filia Sadoc. 2. Fecitque quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quòd non est ingressus templum Domini, & adhuc populus delinquebat. 3. Ipse ædificauit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit. 4. Vrbes quoque ædificauit in montibus Iuda, & in saltibus castella & turres. 5. Ipse pugnauit contra regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederuntque ei filij Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filij Ammon, in anno secundo & tertio. 6. Corroboratusque est Ioatham, eò quòd direxisset vias suas coram Domino Deo suo. 7. Reliqua autem sermonum Ioatham, & omnes pugnæ eius, & opera, scripta sunt in Libro regum Israel & Iuda. 8. Vigintiquinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem. 9. Dormiuitque Ioatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: & regnauit Achaz filius eius pro eo.

VERS. 2. EXCEPTO QVOD NON EST INGRESSVS TEMPLVM DOMINI] ad adolendum thymiama vti fecerat pater eius Ozias, q. d. Ioatham imitatus est patris pietatem, at non temeritatem, qua adoleuit incensum, quod erat munus sacerdotum.

ET ADHVC POPVLVS DELINQVEBAT] more solito sacrificando in excelsis. Inueteratum fuit hoc malum & commune populi: quare Ioatham veritus eius offensam & rebellionem, illud auferre ausus non fuit. Ioseph. lib. 9. c. 11. hoc Ioathamo dat elogium: *Nulla ei virtus defuit, erga Deum pio, iusto erga homines, & Reip. studioso.*

VERS. 3. IPSE ÆDIFICAVIT (instaurauit, auxit, ornauit) PORTAM DOMVS DOMINI EXCELSAM] scilicet Orientalem per quam à templo erat introitus in templum, quæ erat primaria & celsissima.

ET IN MVRO OPHEL] erat hæc turris in Ierusalem adeò excelsa, vt in culmine eius aspiciendo caligarent oculi. *Ophel* enim Hebr. significat caliginem. Vide dicta Isaiæ 32. 14. Audi Adrichom. in descrip. Ierusalem num. 55. Ophel quam Iosephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inferens, atque arx munita, firmo muro cincta, templo propinqua, extra murum tamen, qui habitationem sacerdotum claudebat. In huius muro Ioatham rex multa construxit. Atque Manasses eousque vrbis muros reparauit. In hac habitabant Nathinæi. In hanc fugiens Manahemus tyrannus captus est & occisus. Hanc eandem Titi milites combusserunt.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob idola & scelera Achaz Deus Iudæam diripiendam tradit 1. Syris. 2. Israelitis, qui ex Iuda ceciderunt 120. millia bellatorum, sed prædam monente prophetâ remiserunt. 3. Idumæis. 4. Philisthæis: Impio Achaz succedit pius filius Ezechias.

1. VIginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpisset: & sedecim annis regnauit in Ierusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut Dauid pater eius: 2. sed ambulauit in viis regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim. 3. Ipse est, qui adoleuit incensum in Vallebenennom, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. 4. Sacrificabat quoque, & thymiama succendebat in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso. 5. Tradiditque eum Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio, & adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israel traditus est, & percussus plaga grandi. 6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores: eò quòd reliquissent Dominum Deum patrum suorum. 7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, & Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoque secundum à rege. 8. Ceperuntque filij Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam. 9. Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cælum pertingeret vestra crudelitas. 10. Insuper filios Iuda & Ierusalem vultis vobis subiicere in seruos & ancillas, quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. 11. Sed audite consilium meum, & reducite captiuos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, 13. & dixerunt eis: Non introducetis huc captiuos: ne peccemus Domino. Quare vultis adiicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. 14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, & vniuersa quæ ceperant, coram principibus, & omni multitudine. 15. Steteruntque viri, quos suprà memorauimus, & apprehendentes captiuos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cumq; vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, vnxissentq; propter laborem, & adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho Ciuitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reuersi sunt in Samariam. 16. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum postulans auxilium. 17. Veneruntque Idumæi, & percusserunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam. 18. Philisthiim quoque diffusi sunt per vrbes campestres, & ad Meridiem Iuda: ceperuntque Bethsames, & Aialon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnan, & Gamzo, cum viculis suis, & habitauerunt in eis. 19. Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eò quòd nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum. 20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit. 21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, & domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 22. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, 23. immolauit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij regum Syriæ

riæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cùm econtrario ipsi fuerint ruinæ ei, & vniuerso Israel. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem. 25. In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandam thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum eius, & omnium operum suorum priorum & nouissimorum, scripta sunt in Libro regum Iuda & Israel. 27. Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Ierusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra regum Israel. Regnauitque Ezechias filius eius pro eo.

HOccaput explicui 4. Reg. 16.

VERS. 5. REGIS SYRIÆ] Fuit hic Rasin, qui à Deo creatus est rex, vt esset flagellum regni Iuda, eiusque idola & scelera castigaret.

VERS. 15. CVMQVE VESTISSENT EOS ET CALCEASSENT ET REFECISSENT CIBO] Vide hîc insignem Israelitarum in Iudæorum, licet hostium suorum, captiuos humanitatem & misericordiam, omnibus Christianorum principibus & ducibus propositam, vt eam imitentur. Sic enim vicissim Dei misericordiam in se prouocabunt, si in hostes à se captos sint clementes; nimirum, *clementia plus potest, quàm violentia*, vt aiebat Antigonus rex Macedo apud Plutar. in Apophteg. adeò vt Darius optarit Alexandri Magni clementiam, vtque is, licet hostis, sibi in regno succederet. Sic in hostes clementes fuêre Iulius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Titus, Aurelianus.

A IMMOLAVIT DIIS DAMASCI VICTIMAS PERCVSSORIBVS SVIS, ET DIXIT: DII REGVM SYRIÆ AVXILIANTVR EIS, QVOS EGO PLACABO HOSTIIS, ET ADERVNT MIHI, CVM E CONTRARIO IPSI FVERINT RVINÆ EI, ET VNIVERSO ISRAEL] Dij enim hi erât dæmones, qui non nisi nocere studêt Israeli, id est populo fideli. Similis fuit stultitia Romanorum Gentilium, qui hostium suorum Deos inuocabant, vt euocati à terra hostili Romam commigrarent, ac Romanis victoriam de hostibus darent, vti refert S. Aug. lib. 4. de ciuit. Vers. 23

B CLAVSIT IANVAS TEMPLI] vt nemo in eo Deum adorare, eique sacrificare posset; sed omnes cogerentur ire ad fana idolorum & Deorum suorum, ad eos inuocandum. Fuit hæc malitia & nequitia Achaz insignis, quam nemo alius patrasse legitur. Vers. 24

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EZechias Dei cultum à patre Achaz sublatum restituit, vnà cum Sacerdotibus, Leuitis & cantoribus, ac plurimis victimis Deum honorat.

1. IGitur Ezechias regnare cœpit, cùm viginti quinque esset annorum, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. 3. Ipse anno & mense primo regni sui, aperuit valuas domus Domini, & instaurauit eas. 4. adduxitque Sacerdotes atque Leuitas, & congregauit eos in plateam Orientalem. 5. Dixitque ad eos: Audite me Leuitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccauerunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: auerterunt facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum. 7. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleuerunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. 8. Concitatus est itaque furor Domini super Iudam & Ierusalem, tradiditq; eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En, corruerunt patres nostri gladiis; filij nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt, propter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi vt ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, & auertet à nobis furorem iræ suæ. 11. Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus vt stetis coram eo, & ministretis illi, colatisque eum, & cremetis ei incensum. 12. Surrexerunt ergo Leuitæ: Mahath filius Amasai, & Ioel filius Azariæ, de filiis Caath: Porrò de filiis Merari, Cis filius Abdi,

Abdi, & Azarias filius Ialaleel. De filiis autem Gersom, Ioah filius Zemma, & Eden filius Ioah. 13. At verò de filiis Elisaphan, Samri, & Iahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias, & Mathanias: 14. Necnon de filiis Heman, Iahiel, & Semei: Sed & de filiis Idithun, Semeias, & Oziel. 15. Congregaueruntque fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt iuxta mandatum regis & imperium Domini, vt expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini vt sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intrò repererant in vestibulo domus Domini; quam tuleruntque Leuitæ, & asportauerunt ad Torrentem cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, & in die octauo eiusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaueruntque templum diebus octo, & in die sextadecima mensis eiusdem, quod cœperant impleuerunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificauimus omnem domum Domini, & altare holocausti, vasaque eius, necnon & mensam propositionis cum omnibus vasis suis; 19. cunctamq; templi supellectilem, quã pollucrat rex Achaz in regno suo, postquam præuaricatus est: & ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. 20. Consurgensque diluculò Ezechias rex, adunauit omnes principes ciuitatis, & ascendit in domum Domini: 21. obtuleruntque simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Iuda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron vt offerrent super altare Domini. 22. Mactauerunt igitur tauros, & susceperunt sanguinem sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactauerunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaueruntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege & vniuersa multitudine, imposueruntque manus suas super eos: 24. & immolauerunt illos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo vniuersi Israelis: pro omni quippe Israel præceperat rex vt holocaustum fieret, & pro peccato. 25. Constituit quoque Leuitas in domo Domini, cum cymbalis, & psalteriis, & citharis, secundùm dispositionem Dauid regis, & Gad Videntis, & Nathan prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum eius. 26. Steteruntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & Sacerdotes tubas. 27. Et iussit Ezechias vt offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuersis organis, quæ Dauid rex Israel præparauerat, concrepare. 28. Omni autem turba adorante, cantores, & ij qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cumque finita esset oblatio, incuruatus est rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt. 30. Præcepitque Ezechias & principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph Videntis: qui laudauerunt eum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis manus vestras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo vniuersa multitudo hostias, & laudes, & holocausta, mente deuota. 32. Porrò numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sanctificaueruntque Domino boues sexcentos, & oues tria millia. 34. Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant sufficere vt pelles holocaustorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur antistites: Leuitæ quippe facilioti ritu sanctificantur, quàm Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocaustorum: & completus est cultus domus Domini. 36. Lætatusque est Ezechias, & omnis populus, eò quòd ministerium Domini esset expletum. De repentè quippe hoc fieri placuerat.

VERS. 1. NOMEN MATRIS EIVS (Ezechiæ) ABIA FILIA ZACHARIÆ] qui fuit filius Zachariæ senioris Pontificis & martyris, quem occidit Ioas rex Iuda c. 24. 21. Abia ergo filia huius iunioris Zachariæ, qui Oziam regem in veri Dei cultu continuit, de quo c. 26. 5. fuit vxor Achaz & mater Ezechiæ, quæ eum in omni pietate & Dei timore eruditit, ideoque hîc nominatur, vt indicetur Ezechiam suam virtutem & zelum cum lacte suxisse à matre: ita S. Hieron. in Tradit. Salian. & alij.

VERS. 4. PLATEA ORIENTALIS] ita dicta, quòd obuersa esset portæ Orientali templi.

VERS. 15. VT EXPIARENT DOMVM DOMINI] puta atrium sacerdotum, quod eorum erat templi; nam in Sanctum nemini ingredi fas erat nisi sacerdoti, sicut in Sanctum sanctorum soli Pontifici. vnde & hîc soli sacerdotes asseruntur

tur *ingressi templum & sanctificasse*, id est expur- A gasse illud ab idolis, eorumque superstitione; sordes hasce exportantes *in vestibulo*. Sept. *in vestibulum*, ex quo deindè Leuitæ illas efferebant, & proiiciebant in torrentem Cedron.

VERS.17. COEPERVNT AVTEM PRIMA DIE MENSIS PRIMI (Nisan, id est in Martio) MVNDARE] q. d. primis octo diebus mensis Nisan expurgarunt atria & cubicula sacerdotum & Leuitarum, quæ eis erant annexa, deinde posterioribus octo diebus expurgarunt ipsum templum, siue Sanctum.

VERS.24. ET PRO PECCATO] vt scilicet offerretur hostia pro peccato, iuxta ritum præscriptum Leuit. 4.

VERS.30. SERMONIBVS DAVID ET ASAPH VIDENTIS] id est prophetæ. *sermones* vocat Psalmos, quos hinc liquet partim à Dauide, partim ab Asaph esse compositos, vti sunt duodecim illi qui Asaph inscribuntur.

IMPLESTIS (id est consecraſtis) MANVS VESTRAS DOMINO] id est consecraſtis vos sacerdotes, implendo manum oleo & victimis. VERS.12

SANCTIFICAVERVNTQVE DOMINO BOVES SEXCENTOS] q. d. dicarunt, obtulerunt & donarunt Deo & templo boues sexcentos, & oues ter mille, vt ex illis aliæ offerrentur in holocaustum, aliæ pro peccato, aliæ in victimas pacificas. VERS.13

ANTISTITES] id est sacerdotes: hi enim Leuitis imperabant quasi Antistites. De ritu consecrandi sacerdotes, vide Leuit. 8. Ex hoc versu colligitur sacerdotum fuisse victimam B iugulare, excoriare, diuidere, altari imponere, cremare. In necessitate verò excoriationem & cetera sequentia communicata fuisse & permissa Leuitis ita Cajet. ac prior pars satis liquet ex Leuit. 1. 5. VERS.16

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

EZechias per totam Iudæam, ac per decem tribus mittit nuntios, qui omnes inuitent ad solenne phasc celebrandum, idq; factum summa celebritate per 14. dies.

1. MIsit quoque Ezechias ad omnem Israel & Iudam: scripsitque epistolas ad Ephraim & Manassen, vt venirent ad domum Domini in Ierusalem, & facerent Phasc Domino Deo Israel. 2. Inito ergo consilio regis & principum, & vniuersi cœtus Ierusalem, decreuerunt vt facerent Phasc mense secundo. 3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. 4. Placuitque sermo regi, & omni multitudini. 5. Et decreuerunt vt mitterent nuntios in vniuersum Israel, de Bersabee vsque Dan, vt venirent, & facerent Phasc Domino Deo Israel in Ierusalem; multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. 6. Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, & principũ eius, in vniuersum Israel & Iudam, iuxta id, quod rex iusserat, prædicantes: Filij Israel reuertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israel: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum. 7. Nolite fieri sicut patres vestri & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, vt ipsi cernitis. 8. Nolite indurare ceruices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum: seruite Domino Deo patrum vestrorum, & auertetur à vobis ira furoris eius. 9. Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum: fratres vestri, & filij habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum. 10. Igitur cursores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem, per terram Ephraim & Manasse vsque ad Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos. 11. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem. 12. In Iuda verò facta est manus Domini vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis & principum, verbum Domini. 13. Congregatique sunt in Ierusalem populi multi, vt facerent sollemnitatem azymorum, in mense secundo: 14. & surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Ierusalem, atque vniuersa, in quibus idolis adolebatur incensum, subuertentes, proiecerunt in Torrentem cedron. 15. Immolauerunt autem Phasc quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini: 16. Steteruntque

que in ordine suo, iuxta dispositionem & legem Moysi hominis Dei: Sacerdotes verò suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Leuitarum, 17. eò quòd multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Leuitæ Phasc his, qui non occurrerant sanctificari Domino. 18. Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phasc, non iuxta quod scriptum est: & orauit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur 19. cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis quòd minùs sanctificati sunt. 20. Quem exaudiuit Dominus, & placatus est populo. 21. Fecerunt que filij Israel, qui inuenti sunt in Ierusalem, sollemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Leuitæ quoque & Sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant. 22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Leuitarũ, qui habebant intelligentiam bonam super Domino: & comederunt septem diebus sollemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum suorum. 23. Placuitque vniuersæ multitudini vt celebrarent etiam alios dies septem: quod & fecerunt cùm ingenti gaudio. 24. Ezechias enim rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & septẽ millia ouium: principes verò dederant populo tauros mille, & oues decem millia: sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo. 25. Et hilaritate perfusa omnis turba Iuda, tam Sacerdotum & Leuitarum, quàm vniuersæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel, proselytorum quoque de Terra Israel, & habitantium in Iuda. 26. Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Israel in ea vrbe non fuerat. 27. Surrexerunt autem Sacerdotes atque Leuitæ benedicentes populo: & exaudita est vox eorum: peruenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.

VERS.2. MENSE SECVNDO] Hoc enim iubetur Numer. 9. 10. vt scilicet qui mense primo ob immunditiem aliudue impedimentum non potuerunt celebrare phasc, illud celebrent mense secundo. A

VERS.3. SACERDOTES QVI POSSENT SVFFICERE, SANTIFICATI (id est consecrati) NON FVERANT] vt enim essent sacerdotes, possentque sacrificare, debebant priùs consecrari sacerdotes eo ritu, qui præscribitur Leuit. 8.

VERS.15. TANDEM SANCTIFICATI] Hebr. *pudore suffusi sunt*; quòd in tãta populi alacritate tardi fuissent in sua sanctificatione & purificatione; vnde illicò se sanctificarunt & mundarunt.

VERS.16. SACERDOTES VERO SVSCIPIEBANT EFFVNDENDVM SANGVINEM DE MANIBVS LEVITARVM] omnis enim sanguis victimæ à B sacerdote in terram effundi debebat Deo, vt significaretur ipsum esse Dominum necis & vitæ omnium. *De manibus Leuitarum*, qui tum ex dispensatione sacrificabant, eò quòd sacerdotes consecrati, qui forent mundi, pauciores essent, quàm vt possent tot victimas sacrificare: iuuabant ergo eos Leuitæ, ac victimas mactabant, & sanguinem effluentem dabant sacerdotibus, vt ij iuxta altare eum effunderent.

VERS.17. EO QVOD MVLTA TVRBA (sacerdotum) SANCTIFICATA (ab irregularitate & immunditia legali per lustrationem lege præscriptam Numer. 19. expurgata) NON ESSET: ET IDCIRCO IMMOLARENT LEVITÆ PHASE HIS, QVI NON OCCVRRERANT SANCTIFICARI DOMINO] Sept. *qui non poterant purificari Domino*: qui scilicet aliis occupati tardè veniebant vt *sanctificarentur*, hoc est ab immun- C

ditia legali expiarentur. Nota, *phasc* significat 1. agnum paschalem, quin paschate Deo sacrificabatur. 2. victimas paschales, quæ per septem dies paschatis Deo immolabantur, quæ immolatio competebat solis sacerdotibus. Agni verò paschalis immolatio competebat cuique patrifamilias, qui quoad hoc retinebat primæuum ius sacerdotale, primitùs annexum primogenitutæ & cuilibet patrifamilias in sua familia, si tamen is mundus esset; quod si is immundus & pollutus foret, tunc Leuitæ eius loco agnum immolabant, vti hic dicitur, æquè ac 1. Esdræ c. 6. v. 10. Immundi quoque non poterant comedere de agno paschali aliisque victimis, sed quia hîc erat publica solemnitas, & religionis lapsæ restauratio, ac magnus immundorum numerus, hinc cũ eis pariter dispensatũ fuit, vt ex eis comederent; Ezechia pro eis Deum deprecante, vt sequitur. vide dicta Exodi 12. v. 6. Ob necessitatem ergo quam pariebat paucitas sacerdotum qui mundi erant, & ob multitudinem & deuotionem populi ex toto Israele concurrentis, ac ob copiam victimarum immolandarum, dispensatum videtur cum Leuitis, vt non tantùm Agnum paschalem, sed & alias victimas sacrificarent: hoc est enim quod differtè dicitur v. 15. *Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini.* Crediderim tamen sacerdotes solos mactasse victimas, hoc est cas in Dei honorem iugulasse, occidisse, & sanguinẽ effudisse, in quo propriè consistebat ratio sacrificij, quodque facile erat, & paruæ operæ. Deinde à se occisas victimas tradidisse Leuitis, vt ipsi eis pellem detraherent, abluerent, in frusta conciderent, & concisas in altari ritè dis-

ponerent, ac subiecto igne concremarent. Ad A omnia enim hæc non sufficiebat sacerdos immolans. Quare Leuitarum ope & opera vti cogebatur, vt dixi Leuit. 1. v. 3. Vnde pro, *obtulerunt holocausta* Hebr. est וַיַּגִּישׁוּ *iabiu*, id est, *intulerunt*, vt vertunt Sept. Vatab. Pagn. *holocausta in domum Domini*, & sic factum est in solenni phase, quod post aliquot annos celebrauit Iosias c. 35. v. 11. vbi dicitur: *Et immolatum est phase, asperseruntq; sacerdotes manu sua sanguinem* (in altari vt moris erat) *& Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum.*

Denique patresfamilias qui erant immundi, cedebant Leuitis immolationem agni paschalis, ipsi tamen ex eodem quoque comedebant ob festi lætissimam solennitatem. Maior enim requirebatur munditia in immolatione agni, quàm in eius comestione; sicut nunc maior requiritur puritas in sacerdote celebrante, quàm in laico communicante; præsertim quia hi immundi tam citò non poterant purificari, atque accedebant ad sacrum agni epulum magna deuotione interna, quam Deus magis requirit & respicit, quàm externam lustrationē.

MAGNA PARS POPVLI QVÆ SANCTIFICATA (id est ab immunditia legali expiata & mundata) NON FVERAT, COMEDIT PHASE] Hebræi apud S. Hieron. tradunt multos ex eis qui immundi comederant phase, à Deo plaga cælitùs immissa fuisse occisos, sed orante Ezechia, & populi ignorantiam ac piam intentionem allegante, Deum reliquis peperciſſe, & idcircò v. 20. asseri Deum eum exaudiuisse, & populo placatum esse.

QVEM EXAVDIVIT DOMINVS] per signum aliquod sensibile v. g. mittens ignem è cælo, qui victimas Ezechiæ combureret, vti fecit Abelo Genes. 4. Aaroni Leuit. 8. & 9. ac Salomoni 3. Reg. 8. nisi enim fuisset nec sensibile signum, immundi nec securè nec tanta lætitia ex phase comedissent. ita Caiet.

ET LOCVTVS EST EZECHIAS AD COR OMNIVM LEVITARVM; eis blandiendo eosque laudando, eò quòd haberent INTELLIGENTIAM BONAM SVPER DOMINO] id est, eò quòd periti essent sui officij, putà in canendis Deo psalmis intelligentes & accurati. Aliter Caiet. Locutus est eis, inquit, verba penetrantia ad cor, vt curam populi instruendi susciperent & continuarent. VERS. 22.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Idæi in tota Iudæa & in reliquis quinque Israelis tribubus idola, aras & lucos euertunt. Ezechias templi officia & ordines restituit.

1. CVmque hæc fuissent ritè celebrata, egressus est omnis Israel, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt simulacra, succiderunt que lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt, non solùm de vniuerso Iuda & Beniamin, sed & de Ephraim quoque & Manasse, donec penitus euerterent: reuersúque sunt omnes filij Israel in possessiones & ciuitates suas. 2. Ezechias autem constituit turmas Sacerdotales & Leuiticas per diuisiones suas, vnumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quàm Leuitarum, ad holocausta & pacifica, vt ministrarent & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini. 3. Pars autem regis erat, vt de propria eius substantia offerretur holocaustum, manè semper & vesperè. Sabbatis quoque, & Calendis, & sollemnitatibus ceteris, sicut scriptum est in lege Moysi. 4. Præcepit etiam populo habitantium Ierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. 5. Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulêre primitias filij Israel frumenti, vini, & olei, mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 6. Sed & filij Israel & Iuda, qui habitabant in vrbibus Iuda, obtulerunt decimas boum & ouium, decimasq; sanctorum, quæ vouerant Domino Deo suo: atque vniuersa portantes, fecerunt aceruos plurimos. 7. Mense tertio cœperunt aceruorum iacere fundamenta, & mense septimo compleuerunt eos. 8. Cumque ingressi fuissent Ezechias & principes eius, viderunt aceruos, & benedixerunt Domino ac populo Israel. 9. Interrogauitque Ezechias Sacerdotes & Leuitas, cur ita iacerent acerui. 10. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista, quam cernis. 11. Præcepit igitur Ezechias vt præpararent horrea in domo Domini. Quod cùm fecissent, 12. intulerunt, tam primitias quàm decimas, & quæcumque vouerant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Leuita, & Semei frater eius, secundus, 13. post quem Iahiel, & Azarias, & Nahath, & Asael, & Ierimòth, Iozabad quoque, & Eliel, & Ismachias, & Mahath, & Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, &

& Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ regis & Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. 14. Core verò filius Iemna Leuites & ianitor Orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque & consecratis in Sancta sanctorum. 15. Et sub cura eius Eden, & Beniamin, Iesue, & Semeias, Amarias quoque & Sechenias, in ciuitatibus Sacerdotum, vt fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque maioribus: 16. exceptis maribus ab annis tribus & suprà, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque obseruationibus iuxta diuisiones suas, 17. Sacerdotibus per familias, & Leuitis à vigesimo anno & suprà, per ordines & turmas suas, 18. vniuersæque multitudini, tam vxoribus, quàm liberis eorum vtriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur. 19. Sed & filiorum Aaron per agros, & suburbana vrbium singularum, dispositi erant viri, qui partes distribuerent vniuerso sexui masculino de Sacerdotibus & Leuitis. 20. Fecit ergo Ezechias vniuersa quæ diximus in omni Iuda: operatusque est bonum & rectum & verum, coram Domino Deo suo, 21. in vniuersa cultura ministerij domus Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperatus est.

VERS. 2. IN PORTIS CASTRORVM DOMINI] id est A in portis templi; in templo enim erant turmæ sacerdotum & Leuitarum in suos ordines, quasi acies militares distributi, vt ibi viderentur esse castra, acies & exercitus Dei, vt patet Numer. 4. & seq. vbi Leuitæ dicuntur egredi & ingredi ad militiam templi. Vnde Ecclesia vocatur *castrorum acies ordinata* Cant. 6. 9.

VERS. 3. PARS AVTEM REGIS ERAT] q. d. Ezechias rex has partes, hæc munia circa templi ministeria sibi assumpsit; vt ipse suppeditaret sumptus pro iugi sacrificio, aliisque victimis, populus verò aleret sacerdotes & Leuitas (eorum enim reditus ab Achaz & aliis impiis regibus erant dispersi & dissipati) *vt possent vacare legi Domini*, vt scilicet expediti à cura procurandi alimenta, totì vacarent suo officio & templi ministerio.

VERS. 6. DECIMAS SANCTORVM QVÆ VOVERANT DOMINO] Hebr. *Decimas sanctitatum* (id est rerum sanctarum) *quæ erant sanctificatæ Deo*, q. d. obtulerunt omnium suarum rerum decimas, quæ ex lege iubentur *Deo sanctificari*, id est consecrari & offerri Numer. 18. v. 8. & seq. insuper decimas alias lege non præceptas, sed quas ipsi vltro *Deo sanctificarant*, id est *vouerant*, dicarant & destinarant, vt vertit Noster, q. d. præter decimas lege præscriptas, ipsi insuper ex deuotione & liberalitate alias addiderunt, quas Deo dicarant C & vouerant. Numer. 18. 14.

VERS. 7. COEPERVNT ACERVORVM IACERE FVNDAMENTA] id est cœperunt colligere primos aceruos; quæ enim prima sunt, quasi sequentium sunt fundamenta. ita Vatab.

VT PRÆPARARENT HORREA] Sept. *pastophoria*, id est exedras siue cubicula, in quibus quasi horreis seruarentur primitiæ, decimæ, aliæque res templo oblatæ. VERS. 11.

CONSECRATIS IN SANCTA SANCTORVM] vt scilicet sint sanctissima, quia eas templo & Deo sanctissimo dedicastis; primitiæ enim non offerebantur in Sancto sanctorum, sed ante atrium sacerdotum. Simili phrasi v. 6. vocauit *decimas sanctorum*, id est decimas Deo sanctificatas, hoc est consecratas & oblatas. VERS. 14.

EXCEPTIS MARIBVS AB ANNIS TRIBVS ET SVPRA] hoc est, præter pueros trium annorum, quibus quoque sicut & aliis omnibus, vsque ad annum vigesimum præbebantur alimenta, q. d. non tantùm maioribus, qui templo deseruiebant, sed & pueris trietinibus, imò anniculis & in cunis iacentibus; quin & feminis & puellis paruulis necessaria vitæ liberaliter à Præfectis subministrabantur; vt sacerdotes & Leuitæ eos alendi cura non distraherentur, sed toti vacarent Deo & templo. Tanta erat rerum oblatarum abundantia, tanta populi offerentis liberalitas, tanta Ezechiæ regis prouidentia, pietas & deuotio. VERS. 16.

PER AGROS] q. d. Ezechias sicut prouidit Leuitis in Ierusalem agentibus, sic & prouidit de annona iis qui extra Ierusalem per agros & alias vrbes dispersi erant. VERS. 19.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sennacherib inuadit Iudæam: Ezechias cum Isaia Deum inuocat; ille mittit Angelum, qui cædit 180. millia Assyriorum. Quare fugit Sennacherib, & à filiis occiditur. Inde intumescens Ezechias vers. 24. morbo percutitur, sed ab Isaia curatur, ac post multa præclarè gesta moritur, & successorem relinquit filium impium Manassen.

1. POst quæ & huiusce modi veritatem, venit Sennacherib rex Assyriorum, & ingressus Iudam, obsedit ciuitates munitas, volens eas capere. 2. Quod

cùm vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ierusalem, 3. inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente sententia, 4. congregauit plúrimam multitudinẽ, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. 5. Ædificauit quoque, agens industriè, omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum: instaurauitque Mello in Ciuitate Dauid, & fecit vniuersi generis armaturam & clypeos: 6. constituitque principes bellatorum in exercitu: & conuocauit vniuersos in platea portæ ciuitatis, ac locutus est ad cor eorũ dicens: 7. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. 8. Cum illo enim est brachium carneum: nobiscũ Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus huiusce modi verbis Ezechiæ regis Iuda. 9. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum seruos suos in Ierusalem (ipse enim cum vniuerso exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda, & ad omnem populum qui erat in vrbe, dicens: 10. Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Ierusalem? 11. Num Ezechias decipit vos, vt tradat morti in fame & siti, affirmans quòd Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? 12. Numquid non est iste Ezechias, qui destruxit excelsa illius, & altaria, & præcepit Iuda & Ierusalem, dicens: Coram altari vno adorabitis, & in ipso comburetis incensum? 13. An ignoratis quæ ego fecerim, & patres mei, cunctis terrarum populis? numquid præualuerunt dij gentium, omniumque terrarum, liberare regionẽ suam de manu mea? 14. Quis est de vniuersis diis gentium quas vastauerunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, vt possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? 15. Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, & de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea. 16. Sed & alia multa locuti sunt serui eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam seruum eius. 17. epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, & locutus est aduersus eum: Sicut dij gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu sua, sic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista. 18. Insuper & clamore magno, lingua Iudaica, contra populum qui sedebat in muris Ierusalem, personabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatẽ. 19. Locutusque est contra Ierusalem, sicut aduersum deos populorum terræ, opera manuum hominum. 20. Orauerunt igitur, Ezechias rex, & Isaias filius Amos prophetes, aduersum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt vsque in cælum. 21. Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regis Assyriorum: reuersusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filij qui egressi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. 22. Saluauitque Dominus Ezechiam & habitatores Ierusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit eis quietem per circuitum. 23. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Ierusalem, & munera Ezechiæ regi Iuda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. 24. In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuitque eum, & dedit ei signum. 25. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius: & facta est contra eum ira, & contra Iudam & Ierusalem. 26. Humiliatusque est postea, eò quòd exaltatum fuisset cor eius, tam ipse, quàm habitatores Ierusalem: & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 27. Fuit autem Ezechias diues, & inclytus valdè, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, 29. & vrbes ædificauit sibi: habebat quippe greges ouium & armentorum innumerabiles, eò quòd dedisset ei Dominus substantiam multam nimis. 30. Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorẽ fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem Vrbis Dauid: in omnibus operibus suis fecit

cit prosperè quæ voluit. 31. Attamen in legatione principum Babyloniis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quòd acciderat super terram, dereliquit eum Deus vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. 32. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & misericordiarum eius, scripta sunt in visione Isaiæ filij Amos prophetæ, & in Libro regum Iuda & Israel. 33. Dormiuitque Ezechias cum patribus suis, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum Dauid: & celebrauit eius exequias vniuersus Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: regnauitque Manasses filius eius pro eo.

HOc caput explicui Isaiæ 36. 37. & 38.

VERS. 1. POST QVÆ ET HVIVSCEMODI VERITATEM VENIT SENNACHERIB] q. d. post hæc ab Ezechia verè gesta, & à me verè enarrata, Deus volens probare, exercere & perficere pietatem, virtutem & confidentiam Ezechiæ, quam habebat in Deum, permisit vt veniret Sennacherib, ac Iudæam inuaderet.

VERS. 4. RIVVM (fontem Gihon, vt patet v. 30.) QVI FLVEBAT IN MEDIO TERRÆ] scilicet illius quæ adiacebat Ierosolymæ, q. d. Ezechias aquas, ac præsertim fontem Gihon partim obturauit, vt castra Sennacherib siti conficeret, partim perfodiendo rupem, in puteos vrbis auertit, vt obsessi Iudæi haberent aquã ad potũ, & cæteros vsus. vide dicta Eccl. 48. 19.

VERS. 21. MISIT DOMINVS ANGELVM] Hanc historiam Herodotus in Eutorpe deprauauit, dicens Sennacherib Ægyptum inuasisse, sed à sacerdote Vulcani fugatum per inductos mures, qui arcus & arma Assyriorum corrodebant; nam pro Iudæa supponit Ægyptum, pro Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro Angelo mures. Porrò Sennacherib ipse in tantâ suorum clade solus penè, *idcircò seruatus est*, ait S. Hier. in cap. 38. Isaiæ, *vt sciret potentiam Dei, & blasphemantium ora comprimeret, fieretq; testis illius maiestatis, quam paulò antè contempserat. Pharao quoque in decem Aegypti seruatur plagis, vt nouissimus pereat: quod & iste passus est.* Oportebat hominem puniri grauissimâ iacturâ maximi florentissimique exercitus, & diuitiarum maximarum; quam iacturam non sensisset, si momento cum suis periisset. Oportebat incredibilem apud suos subire ignominiam, cuius aut culpa, aut imperitia, tanta strages regnum potentissimum perculisset. Oportebat denique longè illum acerbiore morte, & modis omnibus exercenda consumi: multis quippe, vt appareat, gladiorum ictibus confodiendus erat, & à filiis, & in loco diuinitati consecrato. ita Sallanus: non dubium in hac clade ab Angelo cæsum, & magis excruciatum fuisse Rabsacen, vtpote in Deum blasphemum, & in Ezechiam maledicum: porrò opimis tot cæsorum Assyriorum spoliis ditati sunt Ezechias & Iudæi.

FILII (Adramelech & Sarazar) INTERFECERVNT EVM GLADIO] Causam dat R. Salomon & ex eo Lyran. quòd Sennacherib ad placandos Deos tantæ stragis auctores, voluerit eis immolare hosce duos filios: sed illi id subodorati patrem præuenerunt & necarunt. Porrò Sennacherib accepta clade in Iudæa fugit rediitque in suam Niniuen, vbi sæuiit in Iudæos, multosque occidit; adeò vt Tobias eos sepeliens, bonis omnibus exutus mortem fugiendo euaserit, à qua fuga post dies 45. Sennacherib à filiis occisus est, quæ omnia narrantur Tobiæ cap. 1. v. 21. & seq. Eandem R. Salomonis causam tradit S. Hier. in Tradit. Eamdemque ex textu Hebræo Tobiæ cap. 1. refert Serarius, ac Genebr. in chronol.

Aliam causam afferunt Lyran. & Abul. in lib. 4. Reg. cap. 19. q. 31. scilicet Sennacherib occisum esse à duobus filiis senioribus, quoniam patet eis postpositis, Assar Addonem minorem natu successorem regni esse vellet. Cuius electionis causam refert historia scholastica in amorem, quo Sennacherib matrem Assarhaddonis prosequebatur. Quæ fuisse putatur causa, cur pridem Roboam, Abiam filium Maacha reliquis filiis suis antetulerit, vt patet 2. Paralipomenon 11. 21.

Verior certiorque causa est, quam affert Theodor. in lib. 4. Reg. dicens: *Quoniam aduersus Deum, qui ipsum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipso procreati fuerant, fuit interfectus.*

DE PORTENTO] retrocessionis solis & VERS. 31. vmbræ in Horologio Achaz, de quo fusè egi Isaiæ 38.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Manasses ob idololatriam & scelera vinctus in Babylonem traducitur, vbi pœnitens regno restituitur, & Dei cultum restaurat. Succedit ei impius filius Amon, ac huic pius filius Iosias.

1. DVodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem. 2. Fecit autem malum coram Domino, iuxta abominationes gentium, quas subuertit Dominus coram filiis Israel: 3. & conuersus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius: construxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam. 4. Ædificauit quoque altaria in domo Domini,

de qua dixerat Dominus: In Ierusalem erit nomen meum in æternum. 5. Ædificauit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini. 6. Transireque fecit filios suos per ignem in Vallebenennom: obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos, & incantatores: multaque mala operatus est coram Domino, vt irritaret eum. 7. Sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius, dicens: In domo hac & in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et mouebo non faciam pedem Israel de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem & ceremonias, atque iudicia per manum Moysi. 9. Igitur Manasses seduxit Iudam, & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. 10. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt. 11. Idcircò superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. 12. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. 13. Deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quòd Dominus ipse esset Deus. 14. Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem Gihon in conualle, ab introitu portæ piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis: 15. & abstulit deos alienos, & simulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem. 16. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitque Iudæ vt seruiret Domino Deo Israel. 17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo: 18. Reliqua autem gestorum Manasse: & obsecratio eius ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel. 19. Oratio quoque eius & exauditio, & cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificauit excelsa, & fecit lucos & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. 20. Dormiuit ergò Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnauitque pro eo filius eius Amon. 21. Vigintiduorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit in Ierusalem. 22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius: & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit atque seruiuit. 23. Et non est reueritus faciem Domini, sicut reueritus est Manasses pater eius: & multò maiora deliquit. 24. Cumque coniurassent aduersus eum serui sui, interfecerunt eum in domo sua. 25. Porrò reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Iosiam filium eius pro eo.

VERS. 3. ADORAVIT OMNEM MILITIAM CÆLI] A puta Solem, Lunam, cæteraque sidera quæ quasi milites Dei ordinata acie incedunt, ac pro Deo cùm opus est pugnant, vibrantq; in hostes tonitrua & fulmina. ita S. Hier.

VERS. 10. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD EVM] non per se, sed per Isaiam, aliosque prophetas. 4. Reg. 21. 10.

VERS. 11. VINCTVM CATENIS DVXERVNT IN BABYLONEM] Manassi in carcere dabatur panis ex furfuribus, paruo pondere, & parua mensura aquæ cum aceto, vt viueret, aiunt quidam Codices Græci hîc & Auctor imperfecti hom. 1. in Matth. & S. Clemens lib. 2. constit. c. 22.

VERS. 16. IMMOLAVIT SVPER ILLVD VICTIMAS (holocausta & hostias pro peccato) ET PACIFICA (id est hostias pro pace, id est salute tum sua, tum populi) ET LAVDEM] Hebr. תּוֹדָה *toda*, id est hostias eucharisticas, in Dei laudem, & gratiarum actionem pro libertate recepta, ait Caiet. & Vatabl.

ORATIO QVOQVE EIVS] extat oratio Manassis pœnitentis pia & proba, sed non habet authoritatem Canonicæ Scripturæ ideoque in calcem Bibliorum reiecta est. VERS. 19.

SCRIPTA SVNT IN SERMONIBVS HOZAI] Hebræi apud S. Hier. censent *Hozai* esse Isaiam prophetam. Sept. *Hosai* accipiunt vt nomen non proprium, sed appellatiuum, vertuntque: *videntium*, id est prophetarum. sic & Vatabl.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iosias omnem idololatriam succidit, Dei templum cultumq; instaurat, ac fœdus nouum inter Deum & populum sancit.

1. OCto annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset, & triginta & vno anno regnauit in Ierusalem. 2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulauit in viis Dauid patris sui: non declinauit neque ad dextram, neque ad sinistram. 3. Octauo autem anno regni sui, cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid: & duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundauit Iudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptilibus. 4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: & simulacra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit: & super tumulos eorum, qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. 5. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundauitque Iudam & Ierusalem. 6. Sed & in vrbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon, vsque Nephthali, cuncta subuertit. 7. Cumque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contriuisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de vniuersa terra Israel, reuersus est in Ierusalem. 8. Igitur anno octauodecimo regni sui, mundata iam terra, & templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, & Maasiam principem ciuitatis, & Ioha filium Ioachaz à commentariis, vt instaurarent domum Domini Dei sui. 9. Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregauerant Leuitæ, & ianitores, de Manasse, & Ephraim, & vniuersis reliquiis Israel, ab omni quoque Iuda, & Beniamin, & habitatoribus Ierusalem, 10. tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, vt instaurarent templum, & infirma quæque sarcirent. 11. At illi dederunt eam artificibus, & cæmentariis, vt emerent lapides de lapicidinis, & ligna ad commissuras ædificij, & ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Iuda. 12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Iahath & Abdias de filiis Merari, Zacharias & Mosollam de filiis Caath, qui vrgebant opus: omnes Leuitæ scientes organis canere. 13. Super eos verò, qui ad diuersos vsus onera portabant, erant scribæ, & magistri de Leuitis ianitores. 14. Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos Librum legis Domini per manum Moysi. 15. Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inueni in domo Domini: Et tradidit ei. 16. At ille intulit volumen ad regem, & nuntiauit ei dicens: Omnia quæ dedisti in manu seruorum tuorum, ecce complentur. 17. Argentum, quod repertum est in domo Domini, conflauerunt: datumque est præfectis artificum, & diuersa opera fabricantium. 18. Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cùm rege præsente recitasset, 19. audisseque ille verba legis, scidit vestimenta sua: 20. & præcepit Helciæ, & Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, & Asaæ seruo regis, dicens: 21. Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquiis Israel & Iuda, super vniuersis sermonibus Libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillauit super nos, eò quòd non custodierint patres nostri verba Domini, vt facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine. 22. Abiit ergo Helcias, & hi qui simul à rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, vxorem Sellum filij Thecuath, filij Hastra custodis vestium: quæ habitabat in Ierusalem in Secunda: & locuti sunt ei verba, quæ suprà narrauimus. 23. At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me: 24. Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, & super habitatores eius, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Iuda. 25. Quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt diis alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis operibus manuum suarum, ideircò stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur. 26. Ad regem autem Iuda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quoniam audisti verba voluminis, 27. atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es

in

in conſpectu Dei, ſuper his quæ dicta ſunt contra locum hunc, & habitatores Ieruſalem, reuerituſque faciem meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me: ego quoque exaudiui te, dicit Dominus. 28. Iam enim colligam te ad patres tuos, & inferêris in ſepulchrum tuum in pace; nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius. Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. 29. At ille conuocatis vniuerſis maioribus natu Iuda & Ieruſalem, 30. aſcendit in domum Domini, vnaque omnes viri Iuda & habitatores Ieruſalem, Sacerdotes & Leuitæ, & cunctus populus à minimo vſque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis, 31. & ſtans in tribunali ſuo, percuſſit fœdus coram Domino, vt ambularet poſt eum, & cuſtodiret præcepta, & teſtimonia, & iuſtificationes eius, in toto corde ſuo, & in totâ anima ſua, faceretque quæ ſcripta ſunt in voluminе illo, quod legerat. 32. Adiurauit quoque ſuper hoc omnes, qui reperti fuerant in Ieruſalem & Beniamin: & fecerunt habitatores Ieruſalem iuxta pactum Domini Dei patrum ſuorum. 33. Abſtulit ergo Ioſias cunctas abominationes de vniuerſis regionibus filiorum Iſrael: & fecit omnes, qui reſidui erant in Iſrael, ſeruire Domino Deo ſuo. Cunctis diebus eius non receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum.

VERS. 3. DVODECIMO ANNO, &c. MVNDAVIT IVDA] id eſt mundare cœpit; nam mundationem hanc perfecit poſt ſex annos anno regni ſui 18, vt dicitur v. 8.

VERS. 5. OSSA PRÆTEREA SACERDOTVM (idolorum, v.g. vitulorum aureorum) COMBVSSIT IN ALTARIBVS IDOLORVM] ſcilicet vt contactu & combuſtione cadauerum hominum tam impiorum altaria ipſa contaminarentur, infamarentur, & horrori forent, ne quis deinceps in iis victimas idolis immolaret.

VERS. 15. INVENI LIBRVM LEGIS IN DOMO DOMINI] Genebr. in chronol. cenſet fuiſſe hoc exemplar, quod à Moyſe vel ab alio eo viuo ſcriptum fuerat, & in ſanctuario poſitum ante 800. annos, vt propterea maiore deuotione acceptum & maiore fructu lectum fuerit. Porrò non eſt dubium alibi in Iudæa, & in aliis prouinciis apud Iudæos pios & doctos extitiſſe plures libros legis: incredibile ergo videtur quod nonnulli aiunt, omnes libros S. Script. cum templo à Chaldæis fuiſſe combuſtos, ac ab Eſdra ex memoria reſtitutos.

INFERERIS IN SEPVLCHRVM TVVM IN PACE] Dices, Ioſias in prælio occiſus eſt à Pharaone Nechao, ergo non pacificè, ſed violenta morte occubuit. Reſp. pacem non priuatam Ioſiæ, ſed publicam Reip. hîc intelligi: viuente enim Ioſia & moriente, Iudæa gaudebat pace & rerum abundantia, at poſt mortem eius inuaſa fuit à variis gentibus, præſertim Babyloniis, qui illam ſub Sedecia filio Ioſiæ funditus euerterunt. Hunc eſſe ſenſum liquet ex ſequentibus, vbi ſicſe Script. explicat.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ioſias celebrat Phaſe ſolemne: idem Pharaoni occurrens, in prælio occiditur ſummo omnium luctu, ſed præcipuè Ieremiæ.

1. FECIT autem Ioſias in Ieruſalem Phaſe Domino, quod immolatum eſt quartadecima die menſis primi: 2. & conſtituit Sacerdotes in officiis ſuis, hortatuſque eſt eos vt miniſtrarent in domo Domini. 3. Leuitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Iſrael ſanctificabatur Domino, locutus eſt: Ponite arcam in ſanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius Dauid rex Iſrael, nequaquam enim eam vltrà portabitis: nunc autem miniſtrate Domino Deo veſtro, & populo eius Iſrael. 4. Et præparate vos per domos & cognationes veſtras, in diuiſionibus ſingulorum, ſicut præcepit Dauid rex Iſrael, & deſcripſit Salomon filius eius. 5. Et miniſtrate in ſanctuario per familias turmaſque Leuiticas, 6. & ſanctificati immolate Phaſe: fratres etiam veſtros, vt poſſint iuxta verba quæ locutus eſt Dominus in manu Moyſi facere, præparate. 7. Dedit prætereà Ioſias omni populo, qui ibi fuerat inuentus in ſollemnitate Phaſe, agnos & hœdos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia, hæc de regis vniuerſa ſubſtantia. 8. Duces quoque eius, ſponte quod vouerant, obtulerunt, tam populo, quàm Sacerdotibus, & Leuitis. Porrò Helcias, & Zacharias, & Iahiel, principes domus Domini, dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos. 9. Chonenias autem, & Semeias, etiam Nathanael, fratres eius, nec non

non Haſabias, & Iehiel, & Iozabad, principes Leuitarum, dederunt ceteris Leuitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boues quingentos. 10. Præparatumque eſt miniſterium, & ſteterunt ſacerdotes in officio ſuo: Leuitæ quoque in turmis, iuxta regis imperium. 11. Et immolatum eſt Phaſe: aſperſeruntque Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Leuitæ detraxerunt pelles holocauſtorum: 12. & ſeparauerunt ea vt darent per domos & familias ſingulorum, & offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi: de bobus quoque fecerunt ſimiliter. 13. Et aſſauerunt Phaſe ſuper ignem, iuxta quod in lege ſcriptum eſt: pacifica verò hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & feſtinatò diſtribuerunt vniuerſæ plebi: 14. ſibi autem, & Sacerdotibus poſteà parauerunt: nam in oblatione holocauſtorum & adipum vſque ad noctem ſacerdotes fuerunt occupati: vnde Leuitæ ſibi, & ſacerdotibus filiis Aaron parauerunt nouiſſimis. 15. Porrò cantores filij Aſaph ſtabant in ordine ſuo, iuxta præceptum Dauid, & Aſaph, & Heman, & Idithun, prophetarũ regis: ianitores verò per portas ſingulas obſeruabant, ita vt nec puncto quidem diſcederent à miniſterio: quam ob rem & fratres eorum Leuitæ parauerunt eis cibos. 16. Omnis igitur cultura Domini ritè completa eſt in die illa, vt facerent Phaſe, & offerrent holocauſta ſuper altare Domini, iuxta præceptum regis Ioſiæ. 17. Feceruntque filij Iſrael, qui reperti fuerant ibi, Phaſe in tempore illo, & ſollemnitatem azymorum ſeptem diebus. 18. Non fuit Phaſe ſimile huic in Iſrael à diebus Samuelis prophetæ: ſed nec quiſquam de cunctis regibus Iſrael fecit Phaſe ſicut Ioſias, Sacerdotibus, & Leuitis, & omni Iudæ, & Iſrael qui repertus fuerat, & habitantibus in Ieruſalem. 19. Octauodecimo anno regni Ioſiæ hoc Phaſe celebratum eſt. 20. Poſtquam inſtauraſſet Ioſias templum, aſcendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten: & proceſſit in occurſum eius Ioſias. 21. At ille, miſſis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi & tibi eſt rex Iuda? non aduerſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinatò ire præcepit: deſine aduerſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. 22. Noluit Ioſias reuerti, ſed præparauit contrà eum bellum, nec acquieuit ſermonibus Nechao ex ore Dei: verùm perrexit vt dimicaret in campo Mageddo. 23. Ibique vulneratus à ſagittariis, dixit pueris ſuis: Educite me de prælio, quia oppidò vulneratus ſum. 24. Qui tranſtulerunt eum de curru in alterum currum, qui ſequebatur eum more regio, & aſportauerunt eum in Ieruſalem, mortuuſque eſt, & ſepultus in mauſoleo patrum ſuorum: & vniuerſus Iuda & Ieruſalem luxerunt eum. 25. Ieremias maximè: cuius omnes cantores atque cantatrices, vſque in præſentem diem, lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus. 26. Reliqua autem ſermonum Ioſiæ & miſericordiarum eius, quæ lege præcepta ſunt Domini, 27. opera quoque illius prima & nouiſſima, ſcripta ſunt in Libro regum Iuda & Iſrael.

VERS. 3. PONITE ARCAM IN SANCTVARIO TEMPLI] Tradunt Hebræi apud S. Hier. arcam è Sancto ſanctorum ablatam eſſe tempore Manaſſis vel Amon, ne ſimul cum eorum idolis conſiſteret in templo. Quare tranſlatam eſſe in domũ Sellum, qui erat auunculus Ieremiæ; & maritus Oldæ prophetiſſæ c. 34. v. 22. nunc verò idolis ablatis à Ioſia arcam templo locoque ſuo fuiſſe reſtitutam. Quo facto Ioſias ait Leuitis: *nequaquam eam vltra portabitis*, id eſt arcam ampliùs è templo non exportabitis; quare deinceps vos coram arca *miniſtrate Domino*, ac ſimul, *populo eius Iſrael*; vt populum in lege cultuque Dei inſtruatis & dirigatis.

AD FACIENDVM PHASE, &c. BOVES TRECENTOS] Hinc patet *Phaſe* ſignificare non tantùm Agnum Paſchalem, ſed & boues, cæteraſque victimas quæ in paſchate Deo immolabantur.

VERS. 11. ASPERSERVNTQVE SACERDOTES MANV SANGVINEM] in altari holocauſtorum, vti lege erat præſcriptum. Omnis enim ſanguis Deo debebatur, ideoque effundebatur in altari vel iuxta altare. Altare enim repræſentabat Deum.

ET LEVITÆ DETRAXERVNT PELLES HOLOCAVSTORVM] vt deinde ſacerdotes carnes in fruſta conciſas altari imponerent, & ſubiecto igne Deo cremarent.

ET SEPARAVERVNT EA] ſcilicet holocauſta (vt habent Hebr.) iam dicta; vt illa integrè *offerrentur Domino*, & tota cremarentur. *ſeparauerunt*, inquam, holocauſta à cæteris victimis, vt eas *darent* (id eſt diſtribuerent) *per domos & familias ſingulorum*; vt ſcilicet ſinguli eas offerrent Deo in victimas pacificas, ac deinde ex eiſdem epulum ſacrum inſtruerent, & conuiuia celebrarent. Patet ex dictis verſ. 7. & ſeq.

ASAPH ET HEMAN ET IDITHVN PROPHETARVM REGIS] id eſt Cantorum Dauidis. Prophetæ enim vocantur Cantores, qui Deo laudes & Pſalmos canebant. ita Hebr. apud S. Hier.

S. Hier. Erant tamen aliqui ex eis veri prophetæ, vti Asaph, qui instinctu Dei plures psalmos composuit & dictauit.

VERS. 21. CONTRA ALIAM PVGNO DOMVM] scilicet contra regem Assyriorum, vt patet 4. Reg. 23. 29. Abul. in 4. Reg. cap. 23. q. 41. & 42. censet, *aliam domum*, siue aliam familiam, aliumque regem, contra quem se pergere dicit Pharao, fuisse Adadremmon regem Syriæ Iosiæ fœderatum, ideoque Iosiam prohibuisse Pharaonem transitu per Iudæam, vt suo amicique regno consuleret. Id hausit Abul. ex Herodoto lib. 2. sub finem, qui ait regem Ægypti nomine *Necum* filium Psammitichi confluxisse cum Syris, & in Magdalo victoria potitum: vbi videntur nomina esse corrupta, vt *Necum* ponatur pro *Nechao*, Syri pro Assyriis, Magdalo pro Mageddo. Verùm hæc sententia est improbabilis; tum quia nemo huius Adadremmon regis Syriæ meminit; tum quia Pharao pergebat contra Assyrios habitantes iuxta Euphratem, non contra Syros habitantes iuxta Libanum.

Alij censent Pharaonem perrexisse propriè contra regem Assyriorum; verùm nec hoc dici potest; nam Asarhaddon filius Sennacherib post cladem patris ab Angelo acceptam in Iudæa, tantùm decem annis regnauit, ac cum eo & in eo quasi vltimo rege desiit regnum Assyriorum sub annum Ezechiæ regis Iudæ 25. qui hunc annum 31. & vltimum Iosiæ antecessit nonaginta annis. Quare deficiente Asarhaddon & regno Assyriorum (vnde post Asarhaddon in Script. nulli nominantur reges Assyriorum, sed Babyloniorum dumtaxat) surrexit regnum Chaldæorum per Merodach, cui successit Ben Merodach, huic Nabopolassar, qui alio nomine dictus est Nabuchodonosor senior, qui dominabatur Assyriis æquè ac Babyloniis: vnde nunc Assyriorum, nunc Babyloniorum rex vocatur. Atque hic est contra quem pugnauit Pharao Nechao, cùm occidit Iosiam, ac videtur eum superasse. Vnde hanc patris sui cladem vlturus eius filius Nabuchodonosor iunior cognomento Magnus, qui Iudæam, Asiam, multaque alia subegit, sesequè fecit Monarcham, inuasit Ægyptum, conflixit cum Nechao, eumque occidit, ac Ægyptum occupauit, vti eidem prædixerat Ieremias cap. 46. & Ezechiel cap. 29. vide ibi dicta. ita Salianus & alij. Plura hac de re dixi 4. Reg. 24. 1.

AD QVAM ME DEVS FESTINATO IRE PRÆCEPIT] per oracului Ieremiæ non scriptum, sed viua voce editum, quod ipse Ieremias per nuntium Pharaoni significauit, vt tradunt Hebræi apud S. Hier. Vnde & S. Iustin. q. 89. ad Orthodoxos docet Iosiam ideò occisum, eò quòd monitis Ieremiæ, vt Pharaoni sese non opponeret, minimè paruerit.

MORTVVSQVE EST] non in Ieruſalem, vt vult Ioseph. sed in Mageddo occisus; vnde eum mortuum transtulerunt in Ieruſalem, vt in sepulchro regum sepelirent. VERS. 25.

ET QVASI LEX OBTINVIT IN ISRAEL] q. d. Mos apud Israelitas obtinuit adeò fixus & certus, vt instar legis esse videretur; vt scilicet cantores & cantatrices, dum ob lugubrem aliquem casum funebre vel triste carmen vel næniam canere volunt; vsurpent canantque lamentationem Ieremiæ de morte Iosiæ, quam si nosse cupis: *Ecce scriptum est in lamentationibus* Ieremiæ: Ieremias enim in Threnis sub finem videtur lugere mortem Iosiæ, vt censet Chald. Ioseph. Hebr. apud S. Hier. Lyran. Abul. & Hugo, quamuis, vt ibi dixi, verius sit Threnos Ieremiæ de morte Iosiæ alios fuisse ab eius Threnis qui extant in S. Script. quare Threni de morte Iosiæ iniuria temporum intercidérunt. VERS. 25.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Patri Iosiæ succedit filius Ioachaz, quem Nechao in Ægyptum abducit. Huic succedit frater Ioakim, huic filius Ioachin, huic patruus Sedecias, qui omnes cum maiore populi parte in Babylonem abduciuntur à Nabuchodonosor. Hic enim Ieruſalem cum templo succendit, vt Iudæa manserit desolata vsque ad annum primum Cyri primi Persarum Monarchæ.

1. TVlit ergo populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & constituit regem pro patre suo in Ieruſalem. 2. Viginti trium annorum erat Ioachaz cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ieruſalem. 3. Amouit autem eum rex Ægypti cùm veniſſet in Ieruſalem, & condemnauit terram centum talentis argenti, & talento auri. 4. Constituitque pro eo regem, Eliakim fratrem eius, super Iudam & Ieruſalem: & vertit nomen eius Ioakim: ipsum verò Ioachaz tulit secum, & abduxit in Ægyptum. 5. Vigintiquinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ieruſalem: fecitque malum coram Domino Deo suo. 6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem. 7. Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo. 8. Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum eius, quas operatus est, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in Libro regum Iuda & Israel. Regnauit autem Ioachin filius eius pro eo. 9. Octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpisset. & tribus mensibus

sibus, ac decem diebus regnauit in Ieruſalem, fecitque malum in conspectu Domini. 10. Cumque anni circulus volueretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. Regem verò constituit Sedeciam patruum eius super Iudam & Ieruſalem. 11. Viginti & vnius anni erat Sedecias cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ieruſalem. 12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini. 13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deum: & indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israel. 14. Sed & vniuersi principes sacerdotum, & populus, præuaricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ieruſalem. 15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo & habitaculo suo. 16. At illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. 17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. 18. Vniuersaque vasa domus Domini, tam maiora, quàm minora: & thesauros templi, & regis, & principum transtulit in Babylonem. 19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ieruſalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demolisti sunt. 20. Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi & filijs eius, donec imperaret rex Persarum, 21. & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni. 22. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per scripturam, dicens: 23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ est in Iudæa: quis ex vobis est in omni populo eius? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.

VERS. 6. ET VINCTVM (Ioakim) CATENIS DVXIT IN BABYLONEM] scilicet anno tertio regni Ioakim, qui in Babylone res suas componens, & fœdus cum eo renouans, solitumque tributũ promittẽs, ab eo liber dimissus est in Ieruſalẽ. vbi anno vndecimo regni sui rursùm rebellãs, à Chaldæis occisus est, vt dixi Ierem. 22. 19. A tertio regni, ideoq; eodẽ anno à Chaldæis abductus est in Babylonem, vnde tunc successit ei filius Ioachin nouem vel decem annorum: sed pater Ioakim rebus in Babylone compositis, illicò rediit, ac alios octo annos cùm filio regnauit: quibus exactis anno vndecimo regni sui rursùs rebellans, interemptus est à Chaldæis: vnde tunc solus plano & pleno iure regnans successit eius filius Ioachin, qui iam octodecim erat annorum, ac tribus tantùm mensibus regnauit, quibus exactis abductus est & ipse in Babylonem à Chaldæis, qui ei substituerunt Sedeciam patruum. ita Abul. Salian. Torniellus & alij.

VERS. 8. ET QVÆ INVENTA SVNT IN EO] Lyran. Abul. q. 39. in cap. 25. lib. 4. Reg. Vatab. Magister histor. Scholastic. Pererius lib. 1. in Danielem, sub initium, & alij ex Hebræis referunt, in cadauere huius regis inuentas fuisse quasdam notas impressas, & quædam stigmata inusta in honorem Deorum suorum, quorum ipse adhuc viuens se stigmaticum seruum profitebatur. Quid miserius & infelicius, quàm Regem diademate coronatum eò se abiecisse, vt stigmaticum diaboli mancipium redderetur? Contrà verò Diuus Paulus: *De cætero*, inquit, *nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto*. Galat. 6. v. 17. B

VERS. 9. OCTO ANNORVM ERAT IOACHIN CVM REGNARE COEPISSET] scilicet cum patre Ioakim, qui anno secundo regni sui filium Ioachin octennem regem creauit, & regni socium asciuit, adeoque cum eo decem annis regnauit. Causa fuit, quòd vereretur si quid humanitùs sibi accidisset, Sedeciam excluso puero Ioachin, inuasurum regnum. Iam tum enim videbatur meditari rebellionem, vt iugo Chaldæorum se eximeret; quod fecit anno C

CVM ANNI CIRCVLVS VOLVERETVR] VERS. 10. Hebr. *In reuolutione anni*; cùm scilicet anno currente finiente, vel finito nouus annus inchoaretur à mense Nisan, q. d. cùm annus currens tenderet ad finem, sine in fine anni abductus est Ioachin in Babylonem, quod fuit tertio mense regni sui: cœpit enim ipse regnare non in initio anni, sed tribus mensibus ante finem anni, v. g. in Nouembri vel Decembri. Nam Hebræi annum inchoabant à Nisan, id est Martio.

QVI ADIVRAVERAT EVM PER DEVM] VERS. 13. vt sibi fidem datam & subiectionem promissam seruaret, minans ei Dei iudicis vindictam, si illam violaret, ideoque pro *Matthania*, vocauit eũ, *Sedeciam*, id est *iustitia Dei*, vt huius semper eum memorem redderet. 4. Reg. 24. 17.

De

VERS. 15. DE NOCTE CONSVRGENS] Hebr. *manicando*, id est manè, tempestiuè, sollicitè eos admonuit, instar boni patrisfamilias, qui manè suos famulos instruit, & dirigit ad opus diurnũ.

EO QVOD PARCERET (id est quòd parcere cuperet & summè optaret) POPVLO] sed cùm is monita Dei sperneret, ei non pepercit, & Chaldæis vastandum tradidit.

VERS. 16. ET ESSET NVLLA CVRATIO] q.d & nulla esset spes curationis & emendationis vitæ, eò quòd Iudæi in idololatria & scelcribus suis essent obstirmati.

VERS. 21. ET CELEBRARET TERRA SABBATA SVA] id est feriarètur & quiesceret ab aratione, qua sulcatur, occatur, seritur, metitur &c. quibus terra agitari, & quasi vexari solet.

CVNCTIS ENIM DIEBVS DESOLATIONIS EGIT SABBATVM] id est inculta quieuit, agens quasi sabbati otium. Notant Hebræi, Iudæos violasse festum sabbati, illudque profanasse operibus seruilibus & illicitis, ideoque Deum in pœnam eos è Iudæa abduxisse, vt ipsa ageret sabbatum sibi à Iudæis negatum per 70. annos.

Anni captiuitatis cur 70.

Resp. primò.

VSQVE DVM COMPLERENTVR SEPTVAGINTA ANNI] Cur fuêre captiuitatis Iudæorum in Babylone anni 70. non 80. non 90. non centum? Causam dat Theodor. Leuit. 26. 34. ad illa: *Placebunt terra sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, eò quòd non requieuerit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.* Sic enim ait: *Septuaginta annos seruierunt in Babylone: Atqui à regno Saulis vsque ad captiuitatem numerantur anni 490. quorum septimam partem faciunt septuaginta. Hoc ergo vult dicere: Septuaginta annos terra manebit inculta, & non seminata, vobis terram alienam incolentibus, propterea quòd vna cum reliquis etiam sabbati præceptum transgressi estis.* q. d. Terra Iudææ iuxta legem septimo anno arari non poterat, sed quiescebat & suum agebat *sabbatum*, id est otium & quietem, quam quia vos (multi vestrûm) ô Iudæi ei abstulistis ex auaritia, septimo anno eam arantes vt fructus meteretis, idcircò Deus quietem ei debitam restituet in 70. annis captiuitatis vestræ, quibus illa colonis suis destituta quiescat. 70. enim sabbata ei ademistis, totidem ergo ei reddet Deus. Nam in 490. annis qui ab initio regni Saulis (si ei demus annos viginti, ac alios viginti Samueli, qui iuncti faciunt 40. de quibus Actor. 13. 21.) vsque ad vltimum annum Sedeciæ fluxerunt, pariter fluxerũt 70. sabbata terræ: hæc enim semper quolibet anno suũ ex lege exigebat sabbatum. Septimus enim annus in 490. annis recurrit septuagies. multiplica enim 70. per 7. inuenies 490. Eadem causa hîc insinuatur dum dicitur: *Et celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum vsque dum complerentur 70. anni.*

Secundò.

Rursum, Hebræi per sua scelera varia & multa contaminarunt Iudæam, quæ erat terra sãcta per 490. annos: vnde Deus totidẽ annos pœnitentiæ & captiuitatis potuisset eis iniungere, sed noluit, & pœnam imminuit, vt è septem annis vnum tantùm pœnitentiæ eis affignaret, quo pariter terra sabbatizaret: quare dedit eis annos 70. captiuitatis: hi enim septies in 490. continentur, vt his 70. annis terra quiescens & quasi sabbatum agens, à scelcribus 490. annorũ in ea à Iudæis commissis expiaretur, & præsertim ab idololatria, quę in ea diu, sed per 70. annos acriùs & ardẽtiùs viguit.

Tertiò.

Alia causa litteralis fuit, quòd Chaldæorum Monarchia durarit per 70. annos; Chaldæi autem Iudæorum fuêre hostes & flagella Dei, qui eos in Babylonem abduxerunt, ibique toto tempore monarchiæ suæ detinuerunt: quo finito in anno 70. surrexit Cyrus Chaldæorum hostis & Iudæorum amicus, qui Chaldæos euertit, & Monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Iudæos è Babylone liberauit. Rursùm, hi 70. anni desolationis respondent 70. hebdomadibus Danielis cap. 9. quibus exactis venturus erat Christus, cuius typus fuerat Cyrus, qui eos à seruitute peccati & diaboli liberaret, ac Ierusalem cælesti restitueret.

Quarti potissima.

Prima & potissima causa fuit, Dei ita decernentis voluntas, & iudiciorum eius profundorum abyssus. Hanc causam dat Esdras lib. 4. cap. 3. vbi narrat se anno trigesimo desolationis Ierusalem in Babylone coram Deo questum esse, quare tamdiu Iudæos fideles suos in Babylone captiuos detineret, & inter alia se Deo dixisse v. 27. *Tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Numquid meliora faciunt qui habitant Babylonem, & propter hoc dominabitur Sion?* Et rursùm: *Factum est cùm veniissem huc, & vidissem impietates quarum non est numerus, & delinquentes multos vidi: anima mea hoc 30. anno.* Ac Vrielem Angelum ei respondisse cap. 4. dixisseque: *Vade ponderam mihi ignis pondus, ac mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem quæ præterijt.* Quod cùm Esdras fieri non posse diceret, vrget Angelus: *Si*, inquit, *interrogarem te, quanta sunt habitationes in corde maris, aut vena in principio abyssi*, vnde scilicet aquæ indesinenter scaturiunt, vel venæ pluuiarum in cælo, *aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi fortasse, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cælum vmquam ascendi. Nunc autem non interrogaui te nisi de igne, & vento & die per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis, & quomodo poteris capere Altissimi viam?*

Tropol.

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hier. Ierem. 29. 10. quòd septuagenarius numerus sit symbolum pœnitentiæ, quam tota hac vita agere debemus, vt ad cælestem gloriam perueniamus. Nam vt dicitur Psal. 89. *Dies annorum nostrorum, in ipsis 70. anni.* Hinc & Ecclesia à Septuagesimã commemorando lapsum Adami & posterorum, inchoat tempus luctus & pœnitentiæ. Denique voluit Deus per 70. annos, omnes senes Iudæorum vitiis suis assuetos, & in iis inueteratos emori, ac nouam sobolem succrescere, quam per Esdram, Danielem, Iesum, Zorobabel, & alios in pietate & vero Dei cultu efformatam, in terram sanctam reduceret, vti dixi Ierem. 29. 10.

VERS. 22. ANNO AVTEM PRIMO CYRI] Hæc ad verbum repetuntur lib. sequenti Esdræ initio primi capitis, vbi ea quasi suo loco explicabo. Hinc colligunt Interpretes, Esdram esse lib. Paralipomenon Auctorem. Eius enim finis idem planè est cum principio Esdræ.

FINIS. INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ IN HOC LIBRO EXPLICANTVR.

Littera T. significat Tomum, A. B. C. D. litteras medias inter vtramque columnam. Primus numerus post litteram T. designat tomum primum vel secundum; secundus numerus paginam eiusdem tomi; tertius verò numerus columnam primam vel secundam.

EX GENESI.

Cap. 27. p. 29. ESto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. *Tomo 2. pag. 33. col. 1. ad litteram.*

33.10. Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. t.1.355.a.2.

33.18. Et Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem. t.2.324.b.2.

49.10. Non auferetur sceptrum de Iuda. t.1.279.c.2.

49.15. Vidit requiem quòd esset bona. t.2.307.b.1.

EX EXODO.

Cap. 12.40. Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum. t.1.92.c.1.

EX LEVITICO.

Cap. 19.14. Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum. t.1.21.a.1.

EX LIB. IVDICVM.

Cap. 11.3. Congregatique sunt ad eum (Iephte) viri inopes & latrocinantes. t.2.12.a.1.

EX LIB. RVTH.

Cap. 3.9. Expande pallium tuum super famulam tuam. t.2.205.b.2.

EX LIB. III. REGVM.

Cap. 4.5. Zabud filius Nathan sacerdos amicus regis. t.2.34.a.1.

11.1. Rex Salomon amauit mulieres alienigenas, & filiam Pharaonis. t.1.10.d.1.

EX LIB. I. PARALIPOM.

Cap. 3.5. Nati sunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quattuor de Bethsabee.

15.20. In nablis arcana cantabant. & v. 21. in citharis pro octaua canebant epinicion. & v. 22. Chonenias autem princeps Leuitarum prophetiæ præerat. & v. 26. Cumque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri & septem arietes. t.2.22.b.1. & seqq.

17.18. Quid vltra addere potest Dauid, cùm ita glorificaueris seruum tuum, & cognoueris eum. t.2.29.c.1.

19.18. Et interfecit Dauid de Syris septẽ millia curruum, & quadraginta millia equitum. t.2.37.a.1.

20.1. Percussit Ioab Rabba. t.2.47.d.1.

20.2. Tulit Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in eâ auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque inde sibi diadema. t.2.47.d.2.

21.5. Omnis numerus Israel mille millia & centum millia virorum. t.2.91.c.2.

21.25. Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. t.2.91.b.1.

29.24. Sed & vniuersi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & subiecti fuerunt Salomoni regi. t.2.14.a.1.

EX LIB. II. PARALIPOM.

Cap. 2.8. Ligna arceuthina. t.2.123.a.1.

2.13. Hiram patrem meum. t.2.144.c.1.

3.3. Longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta. t.2.127.b.1.

3.4. Porrò altitudo centum viginti cubitorum erat. t.2.127.c.1.

3.16. Nec non & quasi catenulas in oraculo. t.2.138. c.2.

4.5. Capiebatque (mare) tria millia metretas. t.2. 141.d.2.

6.41. Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, & Domine Deus ne auerteris faciem Christi tui: memento misericordiarum Dauid serui tui. t.2.149.c.2.

13.2. Nomenque matris eius Michaia, filia Vriel de Gabaa. t.2.55.d.2.

EX LIBRO IOB.

Cap. 7.5. Induta est caro mea putredine. t.1.127.c.1.

31.26. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. t.2.205.a.2.

34.30. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. t.2.165.d.2.

EX LIBRO PSALMORVM.

Cap. 3.8. Percussisti omnes aduersantes mihi sine causa. t.1.171.b.1.

6.1. In finem in carminibus Psalmus Dauid pro octaua. t.2.22.c.1.

6.7. Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo. t.2.44. d.2.

11.1. In finem pro octaua Psalmus Dauid. t.2.22.c.1.

17.1. Eripuit eum de manu hostium, & de manu Saul. t.1.10.d.1.

59.10. Moab olla spei meæ. t.2.32.c.1

59.10. In Idumæam extendam calceamentum meum. t.2.33.c.1.

71.10. Reges Arabum & Saba dona adducent. t.2.155.b.1.

88.5. In æternum præparabo seruum tuum. t.1. 279.c.2.

117.22. Factus est in caput anguli. t.1.190.c.1.

131.9. Sacerdotes tui induantur iustitiam. t.2.355. a.2.
131.17. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. t.2.53.c.2.
133.2. In noctibus extollite manus vestras in sancta. t.2.149.a.2.

EX ECCLESIASTE.

Cap.12.3. Tenebrescunt videntes per foramina, & obsurdescunt omnes filiæ carminis, & dissipatur capparis. t.2.74.a.2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap.39.18. Quasi Libanus odorem suauitatis habete,&c. t.1.5.a.2.
48.8. Qui vngis reges ad pœnitentiam. t.2.204. d.2.
48.14. Et mortuum prophetauit corpus eius. t.2. 269.b.2.

EX ISAIA.

Cap.14.29. De radice enim colubri, egredietur regulus. t.2.383.d.2.
21.5. Surgite Principes, arripite clypeum. t.2.4.b.2.

EX IEREMIA.

Cap.9.2. Docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum. t.2.3.d.1.
14.2.& seq. Luxit Iudæa,&c.& afflicti operuerunt capita sua. t.2.59.c.1.

EX EZECHIELE.

Cap.16.8. Expandi amictum meum super te. t.2. 205.b.2

EX DANIELE.

Cap.13.23. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. t.2.92.c.2.

EX AMOS.

Cap.7.11. In gladio morietur Ieroboam. t.2. 272. a.2.

EX IONA.

Cap.1.3. Fugeret in Tharsis. t.2.159.a.2.

EX MICHÆA.

Cap.1.10. In domo pulueris, puluere vos conspergite. t.2.307.d.2.

EX ZACHARIA.

Cap.10.4. Ex ipso angulus. t.1.190.c.1.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap.6.v.34. Sufficit diei malitia sua. tom.1.1344. c.2.
16.23. Vade post me Satana. t.2.73.d.1.
19.7. Moyses mandauit dare libellum repudij. t.2. 62.a.1.

EX S. MARCO.

Cap.16.7. Dicite discipulis eius & Petro. t.1.10. d.1.

EX S. LVCA.

Cap.4.25. Cùm facta esset fames magna in omni terra. t.2.189.b.2.

EX S. IOANNE.

Cap.8.44. Ille (diabolus) in veritate non stetit. t.1. 12.c.2.
13.27. Quod facis, fac citius. t.2.216.c.2.

EX EPIST. II. AD TIMOTHEVM.

Cap.2.19. Cognouit Dominus qui sunt eius. t.2. 20.d.1.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap.9.4. In qua vrna aurea habens manna. t.1.73. b.2.
11.30. Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. t.1.28.b.2

EX EPIST. I. S. PETRI.

Cap.2.9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium. t.2.34.a.1.

EX APOCALYPSI S. IOANNIS.

Cap.5.10. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. t.2.34.a.1.



INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Abela oraculum sapientiæ. to.2.pag.77. col.1. erat academia. a.2.
Abias rex Iuda, quomodo tribus annis regnarit. t.2.108.a.1. colit idola. 181. c.1. vincit Ieroboam in bello. a.2.
Abiathar indirectè amotus à pontificatu per Salomonem. t.2.109.b.1. est nomen familiæ. 33.b.2.
Abimelech filius legitimus Gedeonis. t.1.139.b.2. regnum ambit malis artibus. 142.a.1. auspicatur à sacrilegio & fratricidio. c.1. non fuit verus Princeps, nec à toto Israele receptus. c.2. ingloriâ morte iustè punitus. 148.a.1.
Abisag cur data Dauidi. t.2.100.b.1. fuit vxor Dauidis. 101.b.2. significat sapientiam. 100.b.2.& seqq.
Abner non peccauit procurando Isbosetho regnum. t.2.7. c.1. sed peccauit prouocando milites Ioab ad duellum. ibid.c.2. occasione contumeliæ acceptæ ad Isbosetb, eius regnum transfert ad Dauidem. 10.b.2. iustè occidit Asaëlem. 106.a.2.
Abraham nunquam coluit idola. t.1.86.a.2.
Absalom filius Dauidis ex Maacha filia Regis Gessur, sed proselyta. t.2.10.a.1. quare Dauid cor suum verterit ad Absalom. 53.a.1. fuit in periculo idololatriæ in Gessur. 54.c.1. non debuit occidi propter necem fratris Amnon. d.2. semel in anno tondebatur. 55.c.1. non tamen erat Nazareus, sed comæ studiosus, ideoq; ex ea suspensus. d.1. ducenti sicli pondus sunt, non pretium comæ Absalomi. a.2. eius vnica filia Thamar fuit vxor Roboam, vel mater vxoris eius. d.2. eius ambitio & parricidium. 57.a.1. tyrannidem suam tyrannide patris excusat. 58.a.1. cur populus eum fuerit secutus. 58.b.1. per ingressum ad concubinas patris intendit excludere reconciliationem. 63.c.1. ingressus ille fuit publicus, sed non ipse actus turpis. a.2. publicus ingressus aggrauauit incestum. ibid. plectitur in capite, quod contra patrem extulerat. 68.a.2. eius pœna, congrua culpæ. 69.a.1. eius cor congruè transfixum. c.1. est damnatus. b.2. eius monimentum execrabile. 70.d.1. fuit typus Iudæ. 58.b.2.
Abstinentia commoda. t.1.160.d.1.
Abulensis opinio de Deo mouente ad peccatum veniale, reprobatur. t.1.11.d.1.& seqq. item docens Iehu licitè inuitasse Baalitas ad idololatriam. t.2.261.d.1.
Academia prima orbis fuit Cariath-Sepher in Chananæa. t.1.69.b.2.
Achab rex Israel inducit cultum Idolis Beli. t.2.184.d.2. eius tempore homines sceleratissimi. 185.b.2. ipse est causa famis in Israel. 195.a.2. subditum habet Benadad. 208.d.2. inuadit vineam Naboth occisis omnibus filiis. 211.c.2. & prætenso iure fisci. 212.a.1. seruus peccati & vxoris. a.2. eius pœnitentia fuit attritio tantùm. 213.a.1. mortem ei prædicit Michæas. 215.d.2. punitur mendacijs pseudoprophetarũ. 216.b.2. & seqq. mutat vestem territus prophetiâ Michææ. 217.b.1. sagitta casu iacta ab homine dirigitur à Deo ad eum feriendum. c.1.& 370.a.2.
Achan alij damnatum putant, alij saluum, dubitat Augustinus. t.1.37 a.1. eius furtum 400. aurei. b.2. primò lapidatus fuit, deinde combustus. 38.a.1.
Achaz rex Iuda omnes filios suos consecrauit idolo Moloch. t.2.277.a.1. peccauit diffidens Deo & confidens in homine. b.1. idolis Damasci erexit altare in templo Hierosolymitano. a.2. contemnit Deum & eius altare. c.2.& 278.a.1. diruit septum, quod laicos diuidebat à sacerdotibus ex contemptu. c.2. anno 14. ætatis genuit Ezechiam. 284.a.1. combussit libros legis. 292.a.2. impius sine exemplo. 386.b.2.
Achitophelis prudentia, sed diabolica. t.2.63.b.2. typus Iudæ proditoris. 66.b.1.
Adad Idumæa rex fugit in Aegyptum. t.2.164.a.1. recuperat regnum suum. b.1.
Adam protoplastus, non fuit gigas. t.1.65.d.1.
Adeodatus qui Goliath percussit, non est Dauid. t.1.310. d.1.
Admonitiones acerbæ, charitate dulcorantur. t.2.238.c.2.
Adonias ambit regnum. t.2.102.b.1.& 107.a.2. idq; ex consilio Ioab. b.2. contra legem petit Abisag vxorem, ideoq; potuit occidi à Salomone. 107.d.2.& seqq. iustè occisus est à Salomone. 108.d.2.
Adonibezec 70. regulis pollices amputavat. t.1.95.c.1. punitus pœna talionis. d.1. videtur pœnituisse. b.2.
Adrianus malè permittit simulationem extrinsecam idolatriæ. t.2.242.b.1.& 260.b.1.
Adrichomius malè ponit Sarthan iuxta Bethabara. t.1. 17.d.1. item Cariathiarim malè ponit in tribu Dan. 184.b.2. item Bethsames in tribu Dan. 240.d.1. item malè distinguit mare æneum à Lutere. t.2.141.a.2.
Aduersarius humiliate placatur. t.1.136.b.1.
Aduersis & prosperis bene vtendum. t.1.106.c.2.
Adulatio aulici Henrici VIII. Angliæ regis. t.2.108 c.1. eius mala. 169.d.1.
Aod secundus Israelis Iudex. t.1.106.c.1. fuit ambidexter. a.2. eius gladius duas habebat acies. 107.a.1. Dei instinctu Eglon occidit. 108.c.1. euasit per posticum. a.2.
Aetas hominum vix decreuit post tempora Dauidis. t.2. 100.a.1.
Affinitas in primo gradu lineæ rectæ, impedimentum matrimonij, in quo hactenus non dispensatum. t.2.107. c.2.& seqq.
Agricolæ vacant studiis. t.2.324.b.2.
Agriculturæ laus. t.1.267.d.1.
Ἀλαλάζειν significatio duplex. t.1.32.a.1.
Alberici Gentilis impia sententia, quod Turca iustè possideat regna quæ Christianis eripuit. t.1.153.a.1.
Allegoria quæsita in adulterio Dauidis non est propria. t.2.40.b.1.
Altare extra Tabernaculum licebat ædificare, dummodò non fieret ad sacrificandum. t.1.82.b.2.& 126.d.1.
Amalec ter iussus à Deo deleri. t.1.293.b.1. nepos Esau. c.2. iussus deleri, quia Hebræos recenter Deo copulatos, voluit ab eo auertere. 294.c.1. non omnes Amalecitæ interfecti à Saule. 296.c.2
Amalecites mentitur dicens se occidisse Saulem. t.2.2.b.1. detulit tamen diadema Saulis ad Dauidem. ibid.c.1.

Iccitè occisus est à Dauide. t.2.3.a.1.
Aman de stirpe Agag. t.1.300.c.1.
Amantes cur maximè oderint amatas post copulam ratio naturalis. t.2.50.c.2. *ratio prouidentiæ diuinæ.* 51.a.1.
Amasa cur solicitatus à Dauide per promissa. t.2.73.a.1. *dat pœnas perfidiæ.* 76.d.2.
Amasias rex Iuda, bonus initio regni. t.2.270.b.1. *permisit tamen subditis idololatriam.* a.2. *in senio in eamdem incidit.* ibid. *idq; post victos Idumæos.* b.2. *vincit auxilio Dei Idumæos.* 27.a.1. *quod non agnouerit, sed victoria elatus prouocat Ioam regem Israel ad bellum.* c.1. *iustè à Deo punitus, probabiliter tamen post pœnitentiam.* c.2.
Ambidextri fortes, sed viri tantùm, numquam feminæ. t.1.206.b.2.
Ambitio insatiabilis. t.58.b.2. *ambitio regnandi furiosa.* 242.c.2. *ambitio excæcat etiam prælatos.* t.2.57.a.1. & seqq. *item ambitio regnandi.* 183.a.2. *ambitio Athaliæ punita.* 264.b.2.
Ammonitica pars, quam bello eis ademerat rex Basan, Hebræi occuparunt, & licitè possederunt. t.1.61.d.2. & 152.a.2. & seqq.
Amnon quare post copulam, exosam habuerit sororem Thamar quam oppressit. t.2.50.c.2. *quomodo plus peccarit eiiciendo Thamar, quàm opprimendo.* 51.c.1. *debebat eum castigare Dauid, sed non necessariò morte.* a.2.
Amon mortuus est sine pœnitentia ob præsidentiam. t.2.291.a.2.
Amor diuinus quid possit. t.2.24.a.2. *amor plus trahit quàm timor.* 204.b.1. *amorem debent Superiores subditis* 193.a.1.
Amphibologia in casu licita, numquam mendacium. t.1.211.a.2. & 107.d.2.
Ampulla olei calitus delata ad vngendum Clodouæum. t.1.211.c.1.
Amri rex Israël quinque annis pugnauit cum æmulo Thebni. t.2.184.d.1. *transfert regiam ex Thersa in Samariam,* a.2.
Anathemata in templis Deo dicanda. t.1.327.d.1.
Andreæ Masius in Iosue cautè legendus. t.1.3.b.2. *probat Iosue non esse libri sui auctorem.* 1.b.2. & 56.a.2.
Angelus bonus fuit qui pestem populo Israel instruxit. 93.d.1. *quomodo eam instruxerit.* a.2. *Angeli custodes præsunt exercitibus fidelium.* t.1.26.b.2. *Angelo viso, hominem moriturum, vulgi opinio apud Hebræos, mala fundata & falsa.* 126.b.1. *Angeli percellunt Philistæos, & ituant Dauidem in prælio.* t.2.48.c.1. & alios multos. 18.c.2. *Angelorum ope nitantur Duces in bello & periculis.* 66.a.2. *Angeli milites Dei.* 246.c.2.
Anima similis agni. t.2.53.b.2. *sit pura instar templi.* 144.d.2. *eius immortalitas.* t.2.193.c.2.
Annæ interpretatio. t.1.214.c.2. *significat Ecclesiam & vitam contemplatiuam.* d.2. & 225.b.1. *Annæ votum fuit de filij Nazareatu, si ei detur.* 216.c.1. *quia flens inconditos gestus edebat, ebria reputabatur.* b.2. *eius modestia.* d.2. *Samuelis mater & pater.* 217.a.1. *iram omnem quam contra Phenennam conceperat, coram Deo effudit.* ibid. *accipit fiduciam, preces suas exauditas esse.* d.1. *non tenebatur lege puerperij de primogenito redimendo, quia Leuita.* 18.d.1. *donum prophetiæ accepit.* 221.a.1. & 225.b.1. *prima nomen Christi expressit.* 228.d.1.
Annulus à S. Arnulpho in Mosellam proiectus, ei redditus in signum remissionis peccatorum. t.1.129.b.2.
Anni vitæ computandi qui bene exacti. t.1.275.b.1.
Ante annum trigesimum ætatis nulli Hebræo licebat prophetare. t.2.225.d.2.
Antagonistas opponit Deus hæreticis. t.2.186.a.2.
Antiochus Seleuci filius amans Stratonicæ nouercam, eam à patre obtinet. t.2.50.b.1.
Antipathia inter sanctitatem & iniquitatem. t.2.192.c.1.
Antoninus Caracalla, Getam fratrem quem occidit, inter duos retulit. t.2.118.a.2.
S. Antonius de Padua arca testamenti. t.2.221.c.1.
Apes libenter mellificant in ore animalium. t.1.165.b.1. *apum & vrsorum pugna.* 288.a.2.
Apologus primò propositus à Ioatham Sichimitis ante omnes gentium apologos. t.1.143.b.1. *eius explicatio.* d.2. & seqq.
Apostoli significati per duas columnas. t.2.40.a.1. *per boues maris ænei.* 141.d.1.
Arca fœderis ordinariè portabatur à Caathitis; at in regrani à sacerdotibus. t.1.15.b.1. *arca mystice significat Christi humanitatem.* 15.b.2. *arca stetit in medio Iordanis, non in ripa, dum Iosue cum suis transiret.* 16.b.1. *reuerentia Hebræorum erga arcam.* 15.c.1. *significat sanctos.* 16.c.2. *arca cur capta à Philisthæis.* 239.b.1. *arca ponitur iuxta Dagon tamquam ab eo debellata.* 241.a.1. *illam iniuriam vindicat Deus.* 242.a.1. *arcam indarunt Betsamitæ, & ideò sunt percussi.* 247.a.1. *arca Dei transfertur è Gabaa ad arcem Sion.* t.2.19.a.1. *vehebatur plaustro errore Dauidis vel Leuitarum peccato.* 20.a.1. *solis sacerdotibus licebat eam tangere, idq; sub pœna mortis, & ideò percussus Oza.* a.2. *est symbolum sacræ Scripturæ, & virorum in ea eruditorum.* 21.c.1. & *B. Virginis.* d... *ponitur in domo Obededom.* 2...a.2. *quæ domus ideò benedicitur.* b.2. *vnde eam adduxit Dauid in Sion.* c.2. *non tamen iterum in plaustro, sed in humeris Leuitarum.* d.2. *significat Ecclesiam militantem.* 23.b.2. & *Ecclesiam triumphantem.* ib. c.2. *item humanitatem Christi & B. Virginem.* d.2. *arca fuit in castris Ioab obsidentis Rabba.* 40.b.2. *Dauid fugiens, eam remittit Ierosolymam ne secum exulet.* 58.c.2. *arcam posuit Salomon in Sancto Sanctorum.* 131.b.1. *solam arcam posuit in templo, cetera vasa templi innouauit Salomon.* 144.a.2. *arca quare vocetur arca fortitudinis.* 149.c.2. *non erat in templo tempore Esdræ.* 353.a.1. *translata sub Manasse vel Amon è templo in domum Selbuæ propter idola.* 397.a.1. & *postea in locum restituta à Iosia.* ibid.
Arcus quem docuit Dauid filios Iudæ est planctus incipiens à nomine arcus. t.2.3.c.1.
in Arduis consulendus Deus & viri docti. t.1.46.b.2. *in arduis, Deo parendum.* 287.d.1.
Areuna rex Iebusæorum factus proselytus. t.2.94.b.2. *eius area cur electa ad sacrificium pro peste auertenda.* c.2. *est symbolum Ecclesiæ gentium.* ibid.
Arias non bene affirmat Salmon & Salomon esse idem nomen. t.1.206.a.2.
Ariopharius indicium suspectæ fidei. t.2.187.d.2.
Aristotelis sententiæ de Pygmæis refutatur. t.2.36..b.2. & seqq.
Arma Dei sunt fulgura, tonitrua, &c. t.1.112.a.1.
Armæ prisciorum brachia, vngues, &c. t.1.277.d.1. & *instrumenta ruralia.* 282.b.2.
Arrianus thronum S. Athanasij confringens, è fragmento eius occisus. t.1.244.a.1.
Asa rex Iuda pius ex impia matre. t.2.181.c.2. *eam amouet à sacerdotio Priapi.* ibid. *eius pietatem remuneratur Deus.* 182.b.1. *fuit in fide perfectus, sed in multis aliis peccauit.* 182.a.2. *regnauit 41 annis propter pietatem.* 184.a.2.
Asili origo. t.2.352.a.2.

Assy-

Assyriorum regnum deficit. t.2.287.b.1.
Astaroth Philisthinorum est Venus. t.1.100.c.1.
Athas Hebræorum est alphabetaria reuolutio. t.1.271.a.2.
Athalia nepotes suos ex ambitione occidit. t.2.263.b.1. *occiditur circa palatium.* 264.b.2. *ei similis Brunichildis.* ibid.
Atheismi causa. t.1.229.b.2.
Athenis pepercit Sylla, ob idq; semper gauisus. t.2.77.a.2.
Atria tria, Sacerdotum, Laicorum & immundorum. t.2.133.a.1. & seqq.
Attributum Dei nobilissimum sanctitas. t.1.222.d.1.
Auaritia difficulter prohibetur. t.1.37.b.2. *auaritia vitis.* 143.d.2. *ex auaritia Hiel ædificauit Iericho.* t.2.185.b.2. *auaritiæ insatiabilitas.* 210.a.1. & seqq. *eius typus Iezabel.* 211.b.2.
Aureliani Imp. ira mitigata. t.1.345.d.2.
Auxilia hereticorum non quærenda in bellis. t.2.381.c.1.

BAal est Iupiter Belus siue Nemrod. t.2.184.d.2. *eius cultus inducitur per Achab in Israel.* ibid.
Babyloniorum regnum incipit à Baladan. t.2.287.a.1.
Babylonica captiuitas cur 70. annis durarit. t.2.400.b.1. & seqq.
Bacchum coluit Salomon. t.2.162.c.2.
Barac non fuit consanguineus Debboræ, sed externus. t.1.111.c.1.
Barlaami morientis pulcherrimum monitum datum Iosaphato. t.2.106.b.1.
Beata Virgo est arca testamenti. t.2.21.d.1. & 23.a.1. & 23.d.2. *exempla variè punitorum, quòd eam inhonorarint.* ibid. & seq. *est cisterna Bethlehem.* 67.d.2. *eius festum purificationis quomodo institutum.* 93.c.2. *debemus eam orare, quia Christus ei nihil negat.* 108.b.2. *ipsam liberè amasse Deum in somnis est probabile.* 114.b.1. *eius puritas significatur per lilium impositum columnis.* 140.a.2. *significatur per thronum Salomonis.* 158.d.2. *eius typus Iahel.* t.1.113.b.2. *item Debbora.* 115.a.2. & *vellus Gedeonis.* 128.d.1. *titulus matris admirabilis ei gratissimus,* 161.c.1. *ad eam confugiendum in periculis.* 287.a.1. *Abigail eius typus.* 347.b.2.
Beelzebub Deus muscæ. t.2.220.a.2.
Belli Belgici origo & occasio. t.2.76.a.2. *eo durante viginti duæ militum regiorum rebelliones ob tardata stipendia,* b.2.
Belli duces specie honoris amouendi. t.2.76.c.2. *belli duces periti, non delicati ponendi.* 208.a.2.
Bellum pœna peccati. 181.a.2. *in bello cur pij cadant.* t.2.109.b.2. *in bello celeritas valet plurimùm.* t.2.65.a.1.
Benadad rex Syriæ filius Adad rebellis. t.2.207.a.1. *quo iure petierit aurum &c. Samariæ.* a.2. *est typus diaboli.* 208.d.2. *subdit se Achabo, ibid. reus mortis.* 209.b.2.
Beniamin tribus minima numero & infamis. t.1.258.c.2.
S. Bernardus sedens meditabatur. t.2.28.d.1.
Bethel & Bethauen sunt loca distincta. t.1.34.c.2. *vnica fuit Bethel, eaq; in tribu Ephraim.* 96.d.2. *est limes regni Israel.* t.2.171.a.1.
Bethsabee neptis fuit Achitophel. t.2.39.a.1. *post pœnitentiam fit prophetissa.* b.1. *Eliam eius pater vnus ex fortibus Dauid.* 89.b.1.
Biblia regia malè vertunt verbum Chaldæum challetha. t.2.4.a.2.
Blasphemia peccatum horrendum. t.2.211.b.2. *Iudæi ne nominabant quidem.* c.2. *blasphemia punita.* t.2.393.b.1. & c.2.
Bona huius vitæ vana sunt & malis permista. t.2.55.a.1.
Bona temporalia cur data Salomoni. t.2.160.b.2. *fuerunt ipsi causa lapsus.* 162.c.2.
Booz castitas. t.1.203.c.1. *eius laudes.* 206.a.1.
Boum capita in mari æneo fusa, præter boues quibus sustentabatur. t.2.352.a.1.
Brunichildis peccata & pœna. t.2.264.b.2.
Burgundiones vnde dicti. t.2.368.a.2.

CAecos & claudos quare Iebusæi constituerint in arce Sion, & qui illi cæci & claudi. t.2.15.c.2. & seqq. *occisi à Dauide quia eum odiebant.* t.2.16.a.2. *sunt figura Scribarum & Pharisæorum, & infidelium, hæreticorum, & fidelium malè viuentium.* b.2.
Cælum fortitudinis expugnandum. t.2.85.d.2. *significatum per templum.* 129.a.2. & *per cochleam templi.* 130.a.1. & *per Sanctum Sanctorum.* 131.a.2. *cæli gaudia.* 156.b.1. *cæli idea, gloria Salomonis.* 160.b.2.
Caietani sententia de mendis Scripturæ reiicitur. t.2.80.b.1. *eius sententia de duobus Eliis refutatur.* 374.c.1.
Calebi senectus præmium virtutis. t.1.64.b.1. *eius pietas.* d.2.
Calepinus malè confundit scruta & scutra. t.2.143.d.2.
Caluini error blasphemus de Deo vitium non imputante ad culpam. t.1.11.c.1. *alius eius error de obduratione.* 56.d.2.
Calui dicuntur lunulæ. t.2.228.b.1.
Caluities capitis deformitas. t.2.227.a.2. *libido eius causa.* c.2. *sed non in omnibus.* d.2. *aliqui eam habent ex hereditate, alij aliundè.* 228.a.1. *secundùm alios est decus senij.* b.1.
Calumnia redit ad calumniantem, & quid operetur in calumniato. t.2.61.b.2. & c.2. *quomodo in calumnia considerandum quid intendat Deus.* 62.c.1. & *in memoriam reuocanda propria peccata.* ibid.
Calumniatoribus non facilè credant Principes. t.2.61.b.1.
Cantare non decet Magnates. t.2.25.a.2. *sed omninò decet in diuinis.* ibid.
Cantus Ecclesiastici fructus. t.1.263.a.1.
Capilli capitis ornamentum. t.2.227.a.2.
Capitella tria ponunt architecti in columnis. t.2.139.a.1.
Capræ iecur palpitat ipsâ occisa. t.1.321.a.2.
Captiuitas prima quinque tribuum Israelis in Assyriam sub Teglatphalasar. t.2.275.c.1. *secunda reliqui Israelis sub Salmanasar.* 281.a.1. *multi eam euaserunt.* a.2. *prædicta fuit à Prophetis.* b.2.
Captiuitas Babylonica Tribus Iudæ, à quo anno incipiat. t.2.299.b.1. *secunda captiuitas.* a.2. *tertia captiuitas.* b.2.
Cardamas currit ad opera charitatis. t.2.8.b.1.
Carmeli duo in Palæstina. t.1.344.c.1.
Carmelitarum Ordo ortus ex Elia. t.2.198.c.1. *eius laus.* d.1. *patroni Elias & Elisæus.* ibid. *adhuc hodie spheluncam Eliæ in Carmelo inhabitant.* d.2.
Carnifex vnius regis, rex alter. t.2.183.a.2.
Carolus V. Imper. fructum summum cepit ex lectione librorum Regum. t.1.210.a.1. *cur toties victor.* 231.a.2. *omnium nationum hominibus æqualis.* t.2.76.a.2.
Cassinenses alunt progenies corui qui S. Benedicto obediuit. t.2.189.d.2.
ob Castitatem ius primogenituræ datum Iosepho, ablatum ob incestum à Ruben. t.1.63.c.1. *castitas*

Ll 3 *Booz.*

Booz. 203.c.1. castitatis studioso, quid facto opus. t.2.38.c.1. ob castitatem occisa S. Dymna à patre. 108.b.1.
Castra figendi modus. t.1.45.c.2. iuxta etymon sint casta. t.1.238.b.1.
Caudati in Anglia ob amputationem caudæ equi quo vehebatur S Thomas Cantuariensis. t.1.244.a.2.
Cedreni error de Schamane Iudice post Samsonem. t.1.181.c.1.
Celeritas necessaria in belli duce. t.1.51.c.2.
Cerethi & Phelethi erant milites prætoriani. t.2.33.c.2.
Chaldæus paraphrastes fabulosus. t.2.316.b.2.
Chamos est Bacchus. t.2.162.c.2.
Chananæa iure hereditario erat Hebræorum. t.1.8.a.1. ideoq; per Iubilei buccinas expugnata Iericho.28.d.1. Chananæa non omnino tota à Iosue subacta. t.1.57.a.2. eius longitudo & latitudo, fuitq; minor Belgio. 58.2.c. Satrapiæ Philisthiim ad Chananæam pertinent; nec eos Hebræi possederunt, nisi fortè exiguo tempore.60.c.2. Tyrus & Sidon ad eam quoque pertinent, quas Hebræi numquam possiderunt.61.b.1. tota Chananæa Hebræis data quoad dominium. 80.c.2.
Chananæorum lingua affinis Hebraicæ.t.1.12.c.1. multi eius incolæ patriam deserentes ob timorem Iosue, varias mundi partes habitarunt.56.c.1. cur à Deo non totaliter eiecti è terra.101.a.2.& 105.a.1. tempore Salomonis non debebant occidi. t.2.152.d.1.
Charitas primò sibi prouidet, mox aliis. t.1.130.a.1. eâ vincuntur inimici.341.b.2. ad omnes se extendit.t.2.231.b.2. quæ amara erant, reddit dulcia. 238.d.2.
Cherubini Mosaici & Salomonis quales essent, & qualiter collocati.t.2.131.a.2.& seqq.& 132.a.1. erant in altari thymiamatis, sed duo tantùm. t.2.345.b.2.
Chirotheca proiiciebatur à Regibus obsidentibus in vrbem obsessam. t.2.33.c.1.
Chrammus propter affectatum regnum cum vxore & filiis à patre Clotharío exustus. t.2.69.c.2.
Christi passio adumbrata per fimiculum coccineum. t.1.13.c.1 Crucifixus in cruce visibiliter, diabolus inuisibiliter. 43.b.2. typus Christi Iudices Israelis.104.a.1. item Othoniel. d.2. clauorum Christi typus, clauus ferreus quo percussus Sisara.120.d.1. Christi typus, petra Gedeonis.125.a.2. item vellus eiusdem.128.d.1. item filia Iephte.154.c.2.& 155.a.2. item ipse Iephte. 156.a.2. in Christo omnia sunt mirabilia. 161.c.1. eius typus Leo à Samsone occisus. 166.c.2. & ipse Samson V. verbo Samson. Christus priuatim cultus ab Alexandro Seuero, cum aliis idolis.182.a.1. maleficia Iudæorum beneficiis superauit. 320.a.2. vide verbo Dauid typus Christi. ter vnctus.t.2.15.c.1. Rex fuit triplici iure.ib.d.1. eius crux designatur per Geth. 21.b.2. eius iudicium adumbratum per Dauid. 32.b.1. regnat in carnalibus gentium cordibus. 33.d.1. contemptos eligit & exaltat. 35.b.2. illusos à diabolo per peccata, ad pœnitentiam adducit. 36.a.1. eius corona quæ.48.a.1. Christi typus Seshaam.86.c.2. eius passio & resurrectio per labrum maris ænei. 141.b.2. est rex Israelis & totius mundi.165.b.2. eius crux significata.190.d 2. per Eliam. vide Ind. verbo Elias. crux Christi significata per iuniperum.201.c.1. Christi typus Eliæus.227.c.1. & Isaias.290.b.1. & Iosias. 296.b.2.
Christiani omnes sunt sacerdotes.t.1.233.b.2.& t.2.34. numquam sine armis incedant. 236.b.2.
Chronologia gestorum Iosue. t.1.63.d.2. chronologia Iudicum annorum.356. vel 360.91.c.2. anni seruitutis Hebræorum, includendi annis quibus Iudices præfuerunt.105.d.1. canon pro chronologia sacræ Scripturæ. 92.c.1. chronologia Israelis ex Aegypto ad templi ædificationem.480. annorum, singulis principibus partita. 105.b.2. in chronologia maxima sententiarum diuersitas.t.2.267.a.2. chronologiæ canones. 288.c.1.
Cilicio vsi pœnitentes. t.2.248.c.2.
Cinæi vnde. t.2.307.c.2.
Circumcisio in deserto omissa ob incertitudinem quando castra mouenda erant. t.1.24.a.1.
Clamor vtilis in bello. t.1.18.d.2.
Clementiæ laus.t.2.168.c.1. clementia erga hostes captiuos. t.2.386.a.1.
Climactericus annus. t.2.38.c.2.
Clodouæus rex Franciæ vnctus oleo cælitùs misso.t.1.261.c.1.
Clypeus regum vngi solebat, & quo fine. t.2.4.b.2.
Collyrida quid sit. t.2.24.b 2.
Colocyntis est cucurbita agrestis. t.2.238.a.2.
Columna nubis quæ solebat castra præcedere euanuit. t.1.15.d.1.
Columnæ duæ erant in Porticu.t.2.139.a.2. eorum nomina Bootij & Iachin quid significent. b.2.
Communitas tota ob vnius peccatum punitur. t.1.289.c.2.
Conciliantur diuersa tempora tribus modis in Scriptura. t.2.180.a.1.
Concionator loquax fructu carebit. t.1.225.b.2. vanus. 282.d 1. qualis esse debeat.t.2.27.b.2. opere & non solâ voce præcat. 268.d.1. sit illuminatus & perseuerans. b.2.
Concubinarij impœnitentia in Italia. t.2.163.a.2.
Conditionalium scientia in Deo, probatur ex Scriptura. t.1.336.a.1.
Confessio peccatorum, Deum glorificat. t.1.36.b.2.
Coniugium puellarum portas, ne castitatis faciant naufragium. t.1.202.a 1.
Consanguinei in beneficiis postponendi extraneis aptioribus. t.1.4.c.1.
Consilia senum bona, non iuuenum. t.2.169.a.1.& seqq.
Consilia politica perniciosa. t.2.170.d.1.& seqq.
Constans vultus, index animi constantis. t.1.217.a.2.
Constantinus Copronymus punitus ob inhonoratã B. Virginem. t.2.21.d.1.
Constantius Imp. de tribus in morte doluit. t.2.170.c.1.
Consulere diabolum grauissimum peccatum. t.2.221.d.1.
Contemplatio imperfectiones absumit. t.1.52.d.2. ea omissa labitur homo in peccata carnis. t.1.176.b.2.
Contemptus mundi. t.1.5.b.1.
Contritio delet omnia peccata.t.2.45.c.1. magna debet esse in peccatore. 141.a.1.
Contumelia iuuat nos, ideoq; ei gratia debetur. t.2.62.a.2.& 63.b.1. contumelia illata Abner ab Isbosetho occasio translati ab eo regni ad Dauidem.t.2.10.b.2. contumeliæ illata Achitophel à Dauid vitiante eius neptem Bethsabee per adulterium, fuit ratio quare coniurauerit cum Absalomo. 39.a.1.& 59.b.2.
Conuersationis malæ incommoda. t.1.230.c.2.
ad Conuitia surdescendum. t.1.265.c.2.
Conuiuij funebris antiquitas. t.2.11.a.1.
R. P. Cornelius, auctor horum Commentariorum filius agricolæ. t.2.324.b.2.
Corpora Sanctorum sunt curæ Deo. t.2.175.a.1. sunt viuifica. 192.b.2.
Correctio sit mixta seueritate & lenitate. t.1.321.b.1. eius necessitas. 282.b.1.

Corui attulerunt cibum Sanctis. t.2.189.c.2.
Crotoniensium 100000. cæsa, à 15000. Locrensium, eiusq; causa. t.2.8.c.2.

Dagon Philisthinorum est Venus.t.1.241.a.2. fatetur se victum ab arca. 242.c.1.
Damascus vrbs pulcherrima describitur. t.2.240.b.2.

De Dauide historica.

Dauid immediatè à Deo, ius regum accepit. t.1.255.b.2. vir secundùm cor Dei.280.b.1. vnctus secretò à Samuele coram patre & fratribus. 302.a.2. habuit septem fratres. d.2. vnctus vigesimo ætatis anno. 303.c.1. ex lætitia vultus agnitus. b.2. fuit ter vnctus.d.2. in vnctione accepit spiritum fortitudinis bellicæ, animi regij, poëticæ & musicæ, prudentiæ, & spiritum prophetiæ, idq; stabiliter & subitò. 304.c.1. & seqq. etymon Dauidis ab amore. b.1. cithara eius partim naturaliter, partim supernaturaliter curauit Samuelem.305.d.1.& seqq. fuit procerus corpore.311.b.2. 329.d.1. instinctu Dei iniit certamen cum Golia. 312.c.2. fuit peritus fundibularius. 313.b.1. Goliam suo ipsius gladio occidit. a.2. caput per vrbes circumtulit. c.2. gladium Deo sacrauit.d.2. percussit totum exercitum Philisthæorum; percutiendo Goliath. 315.a.2. non potuit psallendo Saulem curare, quia inuidus manebat Saul. 316.c.2. septies eum persecutus est Saul. d.2. ex omni persecutione, gloriosior euasit.317.b.1. amonetur ab aula.d.1. fit Chiliarcha.a.2. duo quæ præstitit vt fieret gener regis sunt cædes Goliæ & 100. præputia Philisthinorũ. 318.c.2. optimè instruxit ad se conuenientes.332.b.1. quindecim eius fugæ.b.2. non fuit causa occisionis sacerdotum, sed occasio 334.a.2. meretur coronam ciuicam ob liberationem Ceilæ.335.a 1. numquam absolutè voluit occidere Saulem. 338.d.1. conscientia eum mordet propter abscisionem chlamydis Saulis. b.2. glorioſior fuit eius victoria de Saule, quàm de Goliath.339.a.1. regius eius animus. c.1. Saulem occidere ei non licebat secundùm quosdam d.1. secundùm alios licebat.a.2. dicendum non decuisse. ibid. appellat Saulem ad iudicium Dei.340 b.1. Saul se ei submittit, & filiorum suum facit tutorem. 341.b.2. plura præstat quàm promiserat.c 2 non poterat iustè occidere Nabal.345.c.2. Dei erga eum prouidentia. 349.b.2. Dauid non erat omnino certus de regni possessione.350.b.1. exit cum suis aulam regis Geth propter periculum idololatriæ.351 b.1. vt eum tueatur Deus inaduertentiam immittit regi Achis.d.2. nunquam intendit pugnare contra Israelem.353.a.1. Dei erga Dauidem prouidentia. 355.a.1. Dauid regnante Saule, plus rexit populum quàm ipse Saul. t.2.15.a.1. ter est vnctus in regem.ib.c.1. fuit iunior Ionatha.ib.d.1. capit arcem Sion anno 38. ætatis.t.2.16.c.1. adiuuatur à Deo in prælio contra Philisthæos. t.2.18.d.1. errauit Dauid vel Leuitæ dum arca Dei imponitur plaustro.20.a.1. illectus benedictione Obededom per arcam, eam ex eius domo adduxit in Sion.21.c.2. fecit tabernaculum nouum pro arca. 23.d.2. occupat Geth, & per hoc frænauit Philisthæos. 31.b.1. per omnes mundi plagas victricia arma circumfert. ibid. d.1. debellat Moabitas. b.2. iustè inuasit Sobam. 32.b.2. fit famosus per illam victoriam.33.a.1. victor possidet Idumæam. b.1. eius filij quo sensu sacerdotes.33.d.2. & seqq. rependit Hanon misericordiam quam à patre eius Naas rege Ammon acceperat. Amon contra legatos Dauidis contumelia afficit. 36. a.1.& seqq. quare Dauid eum bello aggressus, cæsidit eum ad octoginta septem millia.37.a.1.& 2. Caronotaxis gestorum eius.46.d.2. ex corona Melchom quomodo sibi fecerit diadema.47.d.2. cur fugerit Absalomum.58.d.1. fames triennalis eius tempore quare immissa. 79.b.1. quatuor eius prælia contra Philistheos, quando contigerint.80.c.2. eius vires deficiunt in senio, quare ei succurrit Abisai.80.c.2. Dauid non est Adeodatus.81.a.1. domus eius illustris & secunda. 85.a.1.& b.1. omnia ad votum Dauidi proceduntt. 85.d.1. cur recusêt bibere aquam de cisterna Bethlehem.87.a.2. eligit pestem.92 a 2. ex visione Angeli & dolore populi percussi, incurrit morbum incurabilem.94.b.1. cur ei data Abisag. 100.b.1. prima & secunda vnctio Dauidis non est facta oleo sacro, sed sola tertia.102.b.2. transfert adhuc viuens, regnum in Salomonem. 103.d.1. non tamen omne ius regium. a.2. cur non occiderit Ioab, sed id mandarit Salomoni. 106.c.2. eius elogium apud Iosephum. 107.c.1. infelix in filiis. 108.d.2. idq; in pœnam adulterij. 109.a.1. relinquitur ei lucerna. 165.d.1. per contemptum vocatur filius Isai.169.a.2. promissio de regno in eius posteris continuando, fuit conditionata. 330.a.1. in aurem ei Deus loquitur vti amicus amico. a.2. summa quam pro templi fabrica reliquit 2400. milliones.335.d.2. Dauid non vt rex, sed vt propheta constituit ordines Sacerdotum & Leuitarum: 337.c.1. eius prudens politia in re militari. 343.a.1.

Dauidis virtutes.

modestia.t.1.305.b.2. humilitas. 318.c.1. eius patientia.320.b.1.& 332.b.2. pietas. 335.a.2. in Deum fiducia. 336.b.2. eius clementia & reuerentia erga Saulem.338.d.2.& 359.c.1.& d.2. martyrium.340.b.1. charitate fregit duritiem Saulis.340.b.2. Dauid iniuriarum immemor, inimicum suum honorauit. t.2.5.b.1. & etiam vltus est.13.b.2. humilitas eius coram arca saltantis.22.b.2.& seqq. eam pulchrè ponderat S. Gregorius.23.a.1.& 24.b.2. vouit ædificare templum.26.a.1. placuit id totum Deo quoad rem, non quoad personam.27.a.1. cur non permissus id implere. ibid. amicitiam amico exhibet post mortem. 34.b.1. eius resignatio.58.c.2. eius humilitas & ad Deum recursus. 59.c.1. gratiam habet Deo in fuga. 59.a.2. eius oratio in monte Oliueti. 59.b.1. patienter fert calumniam Semei. 61.a.2.& seqq. eius pietas erga Absalom parricidam. 68.a.1. flet æternam eius mortem.70.c.2. per clementiam non statim occidit Semei, per iustitiam autem iussit à Salomone occidi propter maledicentiam.73.a.2. imitatur exemplum Resphæ.80.b.2. eius heroica charitas erga inimicum Saul.ibid. eius mortificatio & aliæ virtutes, in effusione aquæ de cisterna Bethlehem.87.b.2. eius humilitas, pœnitentia & charitas post numeratum populum.94.c.1. recta intentio. 347.a.2.

Dauidis excusatus à peccato.

non peccauit fingendo stultitiam in Geth.t.1.330.b.2. nec recipiendo oppressos ære alieno. 332.b.1. nec abscindendo partem chlamydis Saulis. 338.b.2. petens vindictam Saulis.340.c.1. occidens Gessuritas, Gerzæos & Amalecitas dum esset apud Achis.351.b.2. Dauid quâ auctoritate occiderit Amalicitam.t.2.3.a.1. non peccauit ducendo in vxorem Maacham filiam regis Gessur. 10.a.1. quo sensu maledixerit Ioab ob interfectum Abner. d 2. quare non occiderit Ioab.11.c.2. acerbè puniens Ammonitas excusatur à peccato. 48.b.2. non peccauit in iudicio Thecuitis deprecantis vt filius suus fratricidã occideretur. 53.d.2. non pec-

cauit parcendo Absalomo fratricidæ. 54.d.2. nec mandando Salomoni vt occidat Semei. 73.a.2. non peccauit tradendo posteros Saul Gabaonitis ad crucifigendum. 79.d.2. nec mandando vt corpora remanerent insepulta vsque dum plueret. 80.d.1.

Dauid peccans,& punitus.

mendacium officiosum.. t.1.328.b.1. peccat iurando se occisurum Nabal cum tota domo.345.b.2. aliud mendacium. 351.c.2. Dauid adulter primò quia otiosus. t.2.38.a.1. secundò, quia aspexit mulierem seminudam.a.2. tertiò, quia nimis prosper.c.2. quartò, quia præsumptuosus. 39.a.2. peccauit peccato iniustitiæ, dum vult suam prolem supponere Uriæ. 40.c.2. & inebriando Uriam.ibid. & homicidij curando occidi Uriam. 41.a.1. proditorie occidit Uriam. b.1.& c.1. consummat homicidium.c.1. causæ lapsus.ibid. peccauit ducendo Bethsabee quam polluerat per adulterium.d.2.& 42.a.1. fuit nouem mensibus in peccatis sine pœnitentia. 43.a.1. eius peccata Deus publicauit.44.c.1. peccatum quomodo punitum.43.d.2.& seqq. mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementiâ.45.d.2. fuit punitus per grauem morbum. ibid. punitur eius adulterium per stuprum illatum Thamar ab Amnon. 50.b.2. peccauit non puniendo Amnon propter stuprum. 51.a.2. fuit punitus per rebellionem Absalomi. 57.b.1. &58.c.1. Dauid peccauit temerè spoliando Miphiboseth suis bonis. t.2.61.a.1. Dauidis peccata punita per maledicentiam Semei.61.d.2. adulterium Dauidis per violationem concubinarum.63.b.1. auferendo Miphiboseth dimidium bonorum peccauit iniustitiæ,& violauit amicitiam Ionathæ. 74.a.1.& seqq. id factum ex verecundia.ibid. peccatum Dauid punitum per seditionem Sebæ.76.a.1. numerans populum peccauit superbia.91.a.2. mordet eum conscientia. 92.d.1.

Dauid pœnitens.

pœnitentia Dauidis.t.2.44.d.1. fuit continua.b.2. magna fuisse probatur ex secutæ statim remissione. 45.c.1. per eam euasit pœnam talionis.a.2. eius satisfactio pro peccatis. 87.b.2. eius pœnitentia ob numeratum populum. 94.c.1.

Dauid typus Christi.

Dauid typus Christi patientis in colore rufo. t.1.303.c.2. eius cithara typus Crucis Christi.307.a.1. eius pugna cum Goliath, pugna Christi contra diabolum. 311.d.2. persecutiones eius à Saule,typus persecutionum Christi à Iudæis. 317.c.1. benefaciens Sauli. 320.c.2. recipiens oppressos ære alieno. 332.c.1. fugiens Dauidem.d.2. ducens Abigail vxorem.347.a.2. Dauid typus est Christi in trina vnctione. t.2.15.c.1. & in regno quod trigesimo anno auspicatus est, & quadraginta administrauit. ibid.a.1. in translatione regni ad arcem Sion. 17.b.1. transferens arcam,significat Christum transferentem Euangelium.24.a.2. Christum iudicem. 32.b.1. Christum regnantem in carnalibus cordibus. 35.d.1. Christum contemptibilia mundi eligentem vt confundat fortia. 35.b.2. Christum inducentem peccatorem ad pœnitentiam. 36.a.2. Christum aufereuntem regnum diaboli.48.a.1. Christum transeuntem torrentem Cedron.58.b.2. Christum orantem in monte oliuarum.59.a.1. Christum se immolantem pro peccatis nostris. 95.a.1. Christum reiicientem synagogam, & desponsantem sibi Ecclesiam.101.a.2. Dauidis Chytrei commentum de etymo Palladis. t.1.161.d.1.

Debbora vxor Lapidoth non Barac. t.2.110.c.1. non fuit iudex,lites tamen composuit ex dono prophetiæ,non vi iurisdictionis. 111.a.1.

Debellatis ciuitatibus parcentes laudantur. t.2.77.c.2.

Decem tribus licitè elegerunt alium regem. t.2.169.c.2. idq; ex decreto Dei. d.2.

in Dedicatione templi Salomonis quæ miracula. t.2.150.b.2.

Deliciæ vnguentorum & odorum cauendæ. t.1.254.c.2.

Delicioſi sæpè crudeles. t.1.300.c.2.

Θεὸς ὰ ϑεώδεν, id est videre. t.1.223.b.1.

Derelinquit Deus se derelinquentes. t.1.6.a.1.

Desperati milites acerrimè pugnant. t.2.8.a.1. confirmatur exemplis. ibid.

Desperato humano auxilio,adest diuinum. t.2.372.a.2.

Deus fidelis in promissis seruandis.t.1.2.a.2.& 4.b.2. in veteri lege semper per Angelos,numquam per se,hominibus apparuit.4.b.1. Angelus vice Dei apparens repræsentabat filium; non Patrem aut Spiritum sanctũ. t.1.6.a.1. exigit memoriam beneficiorum. 19.a.1. non deest in necessariis,nec redundat in superfluis.25.c.1. Deus manifestè Iericuntem expugnauit, non autem homines.28.b.2. vult homines sibi cooperari.29.b.2. omnia à Deo pendent in sui conseruatione. 32.c.1. Deus numquam iubet occidi filios ob peccata parentum mortuorum. 38.d.1. Deo duce quæuis superamus.64.b.2. Deus pœnam in gloriam conuertit.80.a.1. eius liberalitas in pios,vindicta in impios. 91.b.1. peccata permittit,non intendit.99.b.1. tyrannos permittit tamquam lictores vt malos castiget 103.quomodo confortet tyrannos aduersus populum Hebræorum. 105.a.1. audit imprecationes iustorum contra impios.145.d.2. quomodo immittat spiritum discordiæ. 146.b.1. ad eum confugiendum in periculis. 200.a.2.& 222.a.2. sanctitas eius nobilissimum attributum. 222.d.1. semper habendus in memoria. 229.a.2. in Deum Scriptura omnia refert,& quare.231.b.2. in solo Deo quies.349.c.1. concedit quod malè petitur in vindictam petentium. 255.c.1. eius omnipotentia ad omnia se extendit.286.c.1. peccata seruat in memoria. 293.a.2. eius pœnitentia non propria,sed antropopathos.295.c.2. est cardiognostes. 302.c.2. Deus inuocatus à Dauide,eum iuuat in prælio.t.2.18.d.1. ædificat Dauidi domum,& quam.27.a.2. dilexit Salomonem & ardenter. 28.a.1. Dei scientia qualis. 29.d.1. permittit homines labi in peccata,& quare. 41.c.1. permisit violari Thamar ab Amnon fratre, in pœnam adulterij Dauidis. 50.b.2 statuit vt peccator sibi ipsi sit pœna.51.a.1. partitur sua bona, dans singulis aliquid, non omnibus omnia.55.b.1. Deo expugnato,exarmatus erat Absalom.59.c.1. variis modis insatuat Deus consilia prudentum.59.b.2. quomodo præcepit Semei vt malediceret Dauid.61.d.2. vtitur impijs ad puniendæ peccata iustorum. 62.a.1. propter peccata regis punit populum. 78.a.1. Deus potest punire patres nocentes in filiis innocentibus. 79.b.2. quare voluerit occidi posteros Saulis.ibid. honoratur Deus executione iustitiæ. 80.b.1. quomodo commouit Dauid vt numeraret populum. 91.a.1. ignem mittit in signum quod sacrificium ei sit gratum.95.a.2. designat locum templo.ibid. ad Deum caligat omnis creatura. 114.d.1.& 128.d.1.& 48.b.1.& seqq. Deus in spatiis vacuis. 149.a.1. Deus poscit totum cor.151.b.1. Deus per se locutus Salomoni.163.c.2. solebat in igne apparere. 196.a.1. Deus in sibilo auræ tenuis repræsentat suam longanimitatem. 203.c.1. eius clementia. c.2. decipere alienumià Deo,216.c.1. permittit mala,d.2. adest in desperatis. 372.a.2.

Deuteronomium dabatur regi in inauguratione. t.2.264.b.1.

Diabolus superbus,multos capit.t.1.95.c.2. est tyrannus suorum cultorum. 100.c.2. ei traditur homo vt humilietur. 103.b.2. significatur per Madian. 122.2.b. est fur.139.b.1. diabolus generosis formica est,non leo,164.c.2. multos vincit continuando tentationem. 174.b.2. vult excæcare homines ne spiritualia aspiciant. 266.b.2. aufert bonos conciónatores, dum procurat vt vana concionentur. 282.d.1. vritur melancholia ad homines tentandos.306.d.1. inuidia ei propria. 316.b.2. vulneratur hominum clementia.340.a.1. turpia facta quæ suasit, postea reuelat.t.2.36.a.2. eius inuidia. 196.b.2. non permittitur ignem mittere ad bouem paratum à prophetis Baal.d.2. cum eo pax nulla facienda. 108.d.2. decipit pseudoprophetas. 215.a.2. eius officium est decipere. 216.a.2. nil potest nisi Deo permittente.d.2. diabolus musca. 221.a.1. significatur per Benadad. 250 a.1. per contemptum vocatur Beelzebub. 257.b.1. festum diaboli in exequiis Lutheri 261.a.1. eius impostura. b.2.

Dies Iosuanus 28.horarum. t.1.52.d.2. longior Ezechiano. 53.b.2.

Dij gentium colebantur sub figura vtriusque sexus. t.1.241.b.2. omnibus rebus præficiebantur. 220.b.2.

Dionysius Tyrannus irrisor idolorum. t.1.173.a.1.

Doctores Ecclesiæ repræsentati per duas columnas. t.2.139.d.2.

Dominus vobiscum primus vsurpauit Booz pro salutatione. t.1.200.b.1.

Domus saltus Libani.t.2.136.b.1. non in Libano. c.1.

Dona Dei occultanda. t.2.223.a.1.

Donatistæ schismatici instar Ieroboam. t.2.170.c.1.

Dux belli vni Deo nitatur t.1.8 b.2. præcat in periculis. 20.c.1. habere curet à tergo ventum & solem. 53.a.1. quomodo hostes fugientes insequi debeat.c.2. victoria vtatur.54.c.1. præeat exemplo.317.a.2. duces abstinentes à potu exercitu sitiente.t.2.87.a.2. Vide verbum Principes.

Duellum aliquando licitum. t.1.310.a.2.

Duo summi Pontifices Sadoc & Abiathar tempore Dauidis,& vnde.t.2.33.d.1.& seqq. ita tamen & Sadoc esset primarius. b.2.

Ebrietatis mala. t.2.40.d.2.

Ebriosi sunt filij Belial. t.1.217.b.1.

Ecclesia est specula & quare. t.2.17.b.2. Ecclesia ex gentibus colligenda significatur per aream Areuna Iebusæi.t.2.94. Ecclesiæ sapientia & firmitas significata per duas columnas. t.2.139.d.2.

Educatio prolium.t.1.218.a.2.& 231.a.1. permittantur religionem intrare. 219.d.1.& 220.b.1.

Effeminato Salomone Idumæam suam recuperat Adad rex. t.2.164.b.1. effeminati, id est,scorta mascula in Iudæa sub Roboam. 178.c.2.

Eglon roboratus à Deo ad bellum Israeli inferendum.t.1.105.a.1.

Eleazar pontifex dignior Iosue. t.1.63.a.1.

Elementa saluti hominum & Dei gloriæ libenter inseruiunt. t.2.189.c.1.

Elias missus ad Achab vt impediret idololatriam. t.2.186.a.1. eius elogia.187.a.1. eius etymon. ibid. Elias græcè sonat solem.b.2. eius virtutes. ibid.& seqq. fuit typus Christi. 188.a.1.& 190.d.1.& 199.b.1. igne vestiri videtur. d.1. non videtur fuisse sacerdos.a.2. habet Deum sibi præsentem.189.b.1. factus dominus aëris. ibid. fugit Achabum. d.2. pascitur à coruis pane & carnibus.c.2. propter eius gloriam ægrotat filius Sarephtanæ. 192.a.1. cur incubuerit mortuo filio,varia causa.a.2. primus mortuum resuscitauit. 193.d.2. eius libertas in arguendo Achab.195.a.2.& 212.b.2. ædificauit altare in Carmelo. 196.b.1. prædicit Achabo pluuiam.198.a.1. ponit faciem inter genua ex humilitate & attentione. b.1. ex eo ortus Ordo Carmelitarum. c.1. est cum Eliseo patronus Carmelitarum.d.1. ipsius castitas & paupertas.c.2. honorat regem suum Achab. 199 c.2. permittitur timere Iezabelem ad custodiam humilitatis.201.d.1. mortem fugiens à Iezabele infligendam, optat mortem à Deo, vt finem miseriarum, & ne occisus à Iezabele, victa putetur Dei religio.c.2. zelotypia eius.202.d.2. morte punit Ochoziam ob consultum dæmonem. 221.d.1. eius habitus.a.2. ignem è cælo euocat in vindictam iniuriæ Deo & sibi illatæ b.2. vult occultare suum raptum. 223.a.1. eius triumphus in curru igneo. c.2.& seqq. quomodo in cælum vectus,224.c.1. incertum vbi sit.a.2. eius vita iam qualis.d.2. an mereatur nec ne,est problema.225.a.1. quo anno & die raptus. b.2. è paradiso scribit litteras ad Ioram. 374.d.1.

Eliseus oriundus ex Manasse.t.2.205.b.1. in eius natiuitate mugiit vitulus aureus.ibid. affecit idololatras morte corporali. c.1. erat dines agricola.a.2. fuit celebs. d.2. est exemplar religiosorum. 206.a.1. prophetauit per annos 60. mortuusq; est anno ætatis 106.225.d.2. luget Eliam.226.a.1. pallium Eliæ ei relinquitur in solatium. b.1. aquæ Iordanis prima vice non diuisæ ne superbiret. ibid. est typus Christi. 227.c.1.& 228.d.2.& 229.a.2.& 237.c.1.& 238.c.1.& d.2.& 247.d.2.& 269.b.2. fuit Nazaræus.228.d.1.Nazaræatum ei exprobrant pueri idololatræ in Bethel b.2. ideò pueris maledixit.229.a.1. eius libertas. 231.d.1. recolligit se dum Psaltes psallit. b.2. erat necessariis contentus, & superfluæ spernebat. 236.a.1. gestabat baculum b.2. eius paupertas. 238 a.2. non communicat immundis. 240.c.1. ab aula abstrahitur vt Deo vacet.ibid.contemptor terrenorum d.1.contemnit munera. 241.c.1. idq; cum fructu. d.2. absens videt peccata Giezi. 243.c.2. Syros percutit cæcitate 247.a.1. excusatur à mendacio.a.2. charitas eius erga inimicos.c.2. consilium dedit de Samaria obsessa non tradenda. 249.a.2. non acceptauit munera Benadad. 252.c.1. pater Israelis. 268.b.1. significat se vita functum,etiam auxiliaturum Israel. ibid. orat & prædicit Ioas victoriam contra Syros d.1. fuit 80.annis religiosus.269.b.1. eius sepulchrum horrent dæmones. ibid. eius ossa mixta ossibus brutorum per Iulianum. a.2.

Emathalia maior,alia minor. t.2.32.d.2.

Embryonis situs.in ventre matris. t.2.198.b.1.

P.Emmanuel Paz Soc.Iesu. conuertit Imperatorem Aethiopiæ. t.1.157.a.1

Epaminondas laudatur ob vigilias.t.2.12.a.1. excusat se ob occisum vigilem dormientem. ibid.b.2.

Episcopi qui se immiscent secularibus, similes rhamno. t.1.144.d.2.

Epijkâ exploratores interpretantur legem Dei de delendis omnibus Chanæis, vt Rahab eximant. t.1.12.b.2.

S. Equitius liberauit quamdam monialem ab impuro amore Diaboli se monachum simulantis. t.2.50.b.1.

Eremitæ particulariter sunt Deo curæ. t.2.190.b.1.
Ἔρως morbus ex amoris vehementia. t.2.50.b.1.
Error in numeris non spectat ad fidem vel bonos mores. t.2.376.b.2.
Esdras ex memoria non restituit S. Scripturam. t.2.396.a.2.
Eucharistia quàm purè accipienda. t.2.20.c.2. *quàm reuerenter colenda.* 22.b.2. *significata per farinam quam Elias multiplicauit.* 191.d.2. *Eucharistia significata per panem Eliæ.* t.2.202.d.2. *in Eucharistia substantia panis & vini consumitur.* 221.d.1. *Eucharistiæ symbolum dedit Elisæus.* 237.c.2.
Eucherius & S. Eucherius Lugdunensis non sunt idem. t.2.13.a.1.
Eunuchorum vilitas & vitia. t.1.255.a.1. *Eunuchi sunt aulæ præfecti.* t.2.345.a.1.
Examen quotidianum conscientiæ. t.1.271.a.1.
Excalceatio duplex, alia in pœnam, alia in signum cessionis iuris. t.1.205.c.1.
Excæcatio mentis & eius mala. t.176.b.2. *Excæcatio Salomonis.* t.2.166.a.1. *Ieroboam regis Israel.* 165.a.2. & 173.d.1. *Hielis qui Iericho reædificauit.* 185.c.2. *Regum Israel.* 183.a.1. & 221.b.1. & *Iehu.* 261.c.2. *Ioas regis.* 269.d.2.
Excelsa in Scripturis quid significent. t.2.111.a.2. *erant duplicia.* 112.b. *excusantur pij reges qui excelsa tolerarunt.* d.1. & c.2. *fuêre illicita post templum ædificatum.* c.2. *Excelsa sunt templa ab Hebræis dicata Deo, contra suum præceptum.* 182.c.1.
Excommunicationis figura. t.2.173.a.2.
Excusatio peccati, Deo exosa. t.1.279.c.1.
Exedræ, Gazophylacia & Pastophoreæ, idem. t.2.133.a.2.
Exemplum pumicorum superstitum plus mouet quàm viuorum. t.1.95.b.1. *Exemplorum vis, maior quàm verborum.* t.1.133.d.2. *Exemplo Saul in posteris puniti, discant patres non peccare.* t.2.79.c.2.
Exploratoribus vtatur dux militiæ. t.1.10.b.1. *ars detegendi exploratores hostium.* c.1.
Ezechias tollit materiam superstitionis. t.2.284.b.1. *contemptim serpentem æneum appellat Nohestan, id est æmulum.* c.1. *secundum Anastasium Nicæn. abstulit libros Salomonis de plantis &c.* d.1. *nullus rex Iuda ei similis, & in quo.* ibid. *fisus Deo, rebellat contra Assyrium.* b.2. *cur vetuerit responderi Rabsaci.* d.2.

Fabius Max. à cunctatione laudatur. t.2.65.c.1.
Fabrica exhaurit opes regias. t.2.152.b.1.
Fabula Rabbinica de Phinees & Caleb exploratoribus Ierichuntis refutata. t.1.9.a.2. *alia de inuisibilitate Sacerdotum.* 11.b.1. *alia de Boreâ, qui non florit 40. annis peregrinationis Hebræorum in deserto.* t.1.23.c.2. *alia quod Iudæis non licuerit expugnare Ierusalem.* 71.b.2. *alia quod Luzæ non habuerit portas.* 97.a.1. *error eorum de filia Iephte non immolata, sed facta religiosa.* 156.a.1. *Fabula obscæna de Samsone molente apud Philisthæos.* 177.a.1. *alia de statione solis impetrata ab Elimelech.* 195.c.1. *alia de nomine Samuelis.* 218.d.1. *alia de duobus vltimis filiis Annæ exoratis à Phenenna.* 225.a.1. *alia de Dauide in senio non calefacto vestibus, ob abscisionem oræ chlamidis Saul.* 338.c.2. *alia de castitate Phalti & Michol.* 347.c.2. *alia quòd Saul seipsum non interfecerit.* 357.c.1. *de occisore Saulis.* t.2.2.a.1. *de excalceatione Abner.* 8.c.2. *de freno Isaac.* 31.b.1. *alia de libello repudij dato vxoribus à militibus ad bellum euntibus.* 39.b.2. *alia de Ammon.* 5.c.1. *aliæ de Zara.* 77.b.2. *de frigore Dauidis.* 100.a.1. *alia de Salomone intelligente voces brutorum.* 115.c.1. *alia de sanguine Ianni vermiculi, secante lapides templi.* 129.d.1. *alia de apertis & clausis portis templi.* 150.b.2. *alia de boue Baalitarum fugiente ad Eliam.* 196.b.1. *alia de aqua manante è manibus Eliæ.* 195.c.1. *alia de zona Eliæ.* 221.a.2. *alia de Exechia volente occidere filium Manassen.* 290.d.2. *alia de floribus natis in sepulchro prophetæ Dei in Bethel.* 296.a.2. *alia de Elimelech sistente solem.* 310.a.2. *alia de portantibus arcam.* 327.b.2. *alia de animæ Naboth.* 370.a.1.
Fabula Argonautarum occasione velleris Gedeonis. t.1.129.c.2. *Fabula Herculis ex historia Samsonis.* 163.a.1. & 178.a.2. *sacra Vulpinalia Romanorum, à Vulpibus Samsonis.* 169.a.2. *Fabula de coma Nisi, ex coma Samsonis.* 176.c.1. *vti & pleraque gentilium fabulæ* b.2. *fabula Acaci ex historia Samuelis.* 272.a.2. *item fabulæ de Heroibus ex historia fortium Dauid.* t.2.89.b.2.
Fac multa, dic pauca. t.1.145.b.1.
Facinorum funestus exitus. t.1.176.d.1.
Familiæ etiam regiæ ob peccata, euersæ. t.2.175.c.2.
Femoralibus non vtebantur Iudæi laici sed soli Sacerdotes. t.2.36.b.1.
Fenestræ templi quales. t.2.128.b.1. *significant Doctores.* d.1. *nullæ erant in sancto sanctorum & quare.* ib.
Ferdinandi secundi Imp. resignatio. t.2.58.c.2.
Feruor necessarius ad docendos subditos legem Dei. t.1.6.c.2.
Feruidi exiliunt ad bona opera. t.2.23.d.1.
Festa corroborant hominem. t.2.147.a.1.
Fictio non semper est peccatum. t.1.330.b.2.
Fides hostibus seruanda. t.1.48.a.2.
Fides vera Reip. fundamentum, eius neglectus excidium. t.1.91.b.1. & 209.d.2.
Fiducia in Deo habenda. t.1.55.b.1. & 312.d.2.
Filij sæpè parentibus degeneres. t.1.253.a.1. *vanum in iis gloriari.* t.2.58.d.1. *Filius Magistratum gerens priuatum patri, non publicum honorem debet.* 108.d.1. *Filius pius Asa ex impia matre.* 181.c.2.
Fluxus maris cessauit in solstitio Iosuano. t.1.52.b.2.
Fœdera cum impijs toti regno perniciosa. t.2.215.b.1. & 218.a.2. & 370.b.1.
Fœminæ cauendæ. t.2.162.c.2. *propagant idololatriam & hæresim.* 178.b.2.
Fornicationis tentatio, laboribus vincenda. t.1.311.b.2. *Fornicatio iuuenum punitur per vxores molestas* t.2.44.b.1. *Fortitudo bellica, gratia gratis data.* t.1.104.b.2.
Fortitudinis virtus deest peccatori. t.2.3.a.1. *tentatus eam à Deo petat.* ibid. *eâ Cælum expugnandum.* t.2.85.d.2. *Fortitudo & Prudentia omnibus necessaria.* t.2.140.a.2.
Fortuna contraria vtilior prosperâ. t.2.163.a.1.
S. Francisci documentum contra præsumptionem. t.2.39.b.2.
Fratricidarum exempla. t.1.142.b.2.
Frugalitas priscorum. t.1.200.c.2. & 259.d.1.
Fugiunt dignitates, deuoti, studiosi S. Scripturæ & verè humiles. t.1.144.c.2.
per Fulmina contriuit Deos varios exercitus. t.1.250 c.2.
Funiculus cœquans terræ quid t.2.31.b.2.

Gabao-

Gabaonitæ postulantes omnes posteros Saul ad crucem non excusantur ab iniustitia, nisi fortè per instinctum Dei. t.2.79.d.1. & seqq.
P. Gaspar Barzeus Armuzij Samson. t.1.177.b.1.
Gaza à Iosue capta, mox occupata à gigantibus. t.1.54.c.2.
Gedeonis fortitudo. t.1.123.d.2. *licitè petit signum ab Angelo.* 124.a.2. *non sacrificauit dum carnes Angelo obtulit.* 125.a.1. *à Deo factus est Sacerdos.* 126.b.2. *accipit donum fortitudinis.* 127.c.1. *non peccauit petendo signum roris in solo vellere.* 127.a.2. *qui instar canum biberunt, manu aquam iniicientes, à Gedeone electi in milites* 131.c.1. *appositè significatus per panem hordeaceum.* 132.d.1. *eius fides promerita est victoriam contra Madian.* 135.a.1. *typus Christi.* a.2. *placauit Ephraimitas humiliando se.* 136.b.1. *eius peritia in bello.* b.2. *offertur ei Monarchia post debellatum Madian, quam non habebat.* 138.a.1. *sed eam recusat.* b.2. *Ephod quod fecit fuit vestis Pontificalis.* b.2. *Serarius opinatur eum etiam post victoriam per se sacrificasse.* d.2. *non peccauit faciendo Ephod.* 139.a.1. *nisi fortè venialiter, ob eamq; culpam punitus est deletione posterorum.* c.1. *mortuus in senectute bona.* d.2.
Gehenna significatur per arborem Absalom. t.2.69.a.1.
Geisa dux Hungariæ non permittitur à Deo ædificare Ecclesiam. t.2.27.b.2.
Gelboë Montes vbi siti t.2.3.d.2. *eis videtur maledicere Dauid.* ibid. *sed non serio maledixit.* t.2.4.a.1. *sunt multis locis steriles* ibid. b.1. *sed super eos aliquando pluit.* ibid. c.1. *significant superba Iudæorum corda.* ibid. *item tepidos & irreligiosos.* ibid.d.1.
in Genealogiis scriptura aliquorum generantium nomina sæpè tacet. t.1.207.a.1.
Genu virumque flectendum in oratione. t.2.149.a.2.
Germani auspicia obseruabant olim ex duellis. t.2.7.b.2.
Geth, id est, torcular significat crucem Christi. t.2.21.b.2.
Gethæi Dauidis milites sic dicti non à loco natiuitatis, sed à loco habitationis. t.1.350.b.2. *Iudæi erant, non Philisthæi.* t.2.58.a.2.
Giezi non suscitauit mortuum, quia inobediens, honoris cupidus & irrisor. t.2.237.a.1. *non fuit propriè Simoniacus munera petens à Naaman.* 243.a.2. *peccauit simonia mentali.* c.2. *dat ei Elisæus quæ suo nomine à Naaman acceperat.* 244.a.1. *leprâ punitur, & ab Elisæo dimittitur.* b.1. & seqq.
Gladius in Scriptura quid significet. t.2.93.a.2.
Gloria bonorum operum debetur Deo. t.2.47.b.2.
Gratiæ agendæ Deo in ærumnis. t.2.59.a.2.
Gregorius de Valentia malè sentit Naaman idololatram ab Elisæo recessisse. t.2.242.a.1.
Gulæ incommoda. t.1.107.d.1. *mater aliorum peccatorum.* 229.c.2. *destruit virtutes animæ.* t.2.301.c.1.

HAEresis incipit à vilibus ministris. t.2.371.c.1. *Hæretici designati per vulpes Samsonis.* t.1.169.b.2. *inter eos periculosum habitare.* 197.a.2. *hæretica vxor periculosa.* t.2.162.a.1. *hæretici multi fiunt athei.* 171.a.2. *opponit illis Deus suos Antagonistas.* t.2.186.a.2.
Hai tempore Esdræ reædificata. t.1.43.a.2. *infideliter eius excidium narrat Iosephus.* b.2.
Hamula est vas infusorium. t.2.144.a.1.
Hebræi aliqui in deserto manna conuenti non fuerunt, sed emptis carnibus vescebantur. t.1.7.c.1. *præignauia neglexerunt occupare aliqua loca sibi debita.* 45.a.1. *Hebræorum verba sæpè actum inchoatum tantùm significant, non perfectum.* 86.b.2. *eorum prima seruitus sub Chusan propter idololatriam.* 103 a.2. *variis seruierunt Tyrannis* 411. *annis.* 106.a.1. *inermes, armatissimos milites Sisaræ debellarunt.* 116.c.1. *virgines eorum poterant viris alterius Tribus nubere.* 143.a.1. & 152.a.1. *iuramentum.* 198.a.1. *tota gens, magnus Propheta.* 210.c.1. *filij eorum, triennio lactabantur.* 218.b.2. *vix habebant equites in exercitu, sed pedites.* 239.a.1. *ob quatuor causssas petierunt regem.* 253.b.1. *sed peccarunt petendo.* c.1. *prisci assidebant mensæ, non accumbebant.* 259.a.1. *ceremoniæ eorum in vnctione regis.* 261.a.2. *comburebant regum suorum cadauera.* 359.a.1. *Hebræa vxor septem diebus plangebat maritum mortuum, post quod tempus poterat alij nubere.* t.2.41.c.2. *Hebræa pœsis periit.* 121.a 2. *Hebræorum error quòd Semei fuerit pater Ieroboam.* 164 b.2. *eorum gnome de quatuor bonis.* t.2.169.a.1. *Hebræa nomina, multa significant.* t.2.143.d.2.
Hebron à Iosue expugnata, mox recuperata à gigantibus. t.1.54.c.1. *est locus sanctissimus.* t.2.58.b.1.
Heli primus pontifex ex stirpe Ithamar. t.1.2.5.a.1. *fuit simul princeps Ecclesiasticus & secularis.* b.1. *interpretatio nominis, quadrat eius moribus.* c.1. *peccauit non corripiendo suos filios.* 231.a.1. *promisit Deus successionem pontificatus eius filiis, sed conditionatè.* 232.d.1. *punitus propter peccata filiorum.* 236.b.1. *resignat se in manus Dei puniturì.* 236.d.1. *maiorem habebat curam Arcæ quàm filiorum.* 239.b.2. *aliqui asserunt damnatum.* c.2. *melius alij saluatum.* d.2. *in principatu ei succedit Samuel, in pontificatu Achitob.* 240.b.2.
Henricus VIII. rex Angliæ punitus ob incestum cum Bolena. t.2.108.c.1.
Hereditaria bona posteris transmittenda. t.2.211.c.1.
Heredotus depravat res Iudaicas. t.1.242.c.2. *item historiam de cæsis Assyriis sub Sennacherib.* t.2.393.b.1. *item de Pharaone Necao.* 398.a.1.
Heroica opera, calumniis exposita. t.1.137.b.1.
Hethæi viri pugnacissimi. t.1.5.c.2.
Hiberni aliqui currunt celeriùs quàm equi. t.2.8.a.1.
S. Hieronymus non temerè addidit aliqua verba Iud. 3. v.16. t.1.107.a.1. *dum videtur destruere sensum litteralem S. Scripturæ, quomodo explicandus.* t.2.100.b.2.
P. Hieronymi Prado sententia de Cherubinis arcæ refutata. t.2.345.c.1. & seqq.
S. Hilarium recusat accipere munera in pauperes distribuenda. t.2.241.d.1.
Hiram rex Tyri cognouit Deum verum. t.2.122.a.2. *fuit vsufructuarius vrbium Galilææ.* 151.b.2. *secundùm Iosephum vrbes non acceptauit.* 152.a.1.
Hispani rustici iusta de causa incedunt gladiati. t.1.108.d.2.
Historiæ sacræ & prophanæ differentia. t.1.209.c.2.
Historici gentiles imperfectè res Iudaicas tractant. t.2.189.b.2.
Homerus poëta sapientissimus quando natus. t.2.166.a.2. *Græcorum Salomon, Salomoni coætus.* t.2.302.a.1.
Homilia de Absolomo inter opera Chrysostomi, non videtur eius, sed Latini auctoris. t.2.58.b.1.
Homo à natura inclinatur ad amorem filiorũ, vt eos gloriosos post se relinquat. t.2.29.b.1. *homines ad Deum dirigere finis templi.* 148.a.2. *homo mortuus per peccatum.* 193.c.1. *summum opus sacrificium.* t.2.195.b.2. *non ad hominem, sed ad Deum confugiat.* 202.a.1. *non ponit legem Deo, sed accipit.* 204.b.2.

Mono-

Honorum & dignitatum pericula. t.1.253.a.1. mutant mores. t.2.252.a.2.
Horeb est mons Sinai. t.2.202.b.2.
Hospitalitas laudata. t.2.191.b.1.
Humanæ vitæ brevitas. t.1.324.a.1.
Humilitatis exempla. t.1.77.d.2.& seqq. humilitas vera gloria. t.2.24.b.2. humilitas Miphiboseth coram Dauid.35.b.1. humilitas Iesbaam.86.b.2. & sanctorum. ibid. humilitas B.Iuniperi Franciscani. t.2.200.a.2. humilitas conservatur in Sanctis à Deo per subtractionem gratiæ.201.d.1. humilitas & resignatio Moysis. 337.a.2.
Hungarorum laus ob innocatum nomen Iesu ante conflictum. t.1.134 c.1.

Iabin rex Asor princeps aliorum Chananæa regulorum. t.1.56.b.1. erat nomen commune omnibus regibus Asor. ibid.
Iagello Polonos docuit legem Christi. t.1.6.c.2.
Iahel non obstante pace,potuit Sisaram occidere.t.1.112. d.1. fecit id instinctu Dei. a.2. typus fuit Ecclesiæ & B.Virginis. 113.a.1.& seqq.
Ianitorum Templi magna dignitas. t.2.342.a.1.
Idololatria maximum peccatum. t.1.122.a.1.
Idolorum vanitas. t.1.173.a.1.
Idumæi primò habuere duces: mox reges, deinde iterum duces.t.2.305.c.2. regnum Idumææ non fuit hereditarium.ibid. Iob secundus rex Idumææ.ibid. Idumæi transfigurati in Ammonitas oppugnant Iudam. t.2.372.a.1.
Iehu bis unctus in regem Israel.t.2.255.a.2. dissimulat se unctum ne periculum vitæ incurrat. 256.b.1. est vindex Dei. b.2. iubens occidi 70. filios Achab non peccauit. 259.a.1. fuit probus ante regium. d.2. excusatur à peccato eius mendacium de colendo Baal. 260.a.1.& seqq. eius mira cæcitas.261.c.2. præmium occisionis Baaliturum à Deo ei datur per Elisæum, non per Ionam. d.2.& seq. punitur propter idololatriam vitulorum. 262.b.1. Iehu propheta & martyr. t.2.184.b.1. Iehu liber continet chronica regum Israel. t.2.375.a.2.
Ieiunij commoda.t.1.250.a.1. parit victoriam de hostibus. 288.d.1.
Iephte spurius.t.1.151.a.1. filius Galaad.a.2. accipit donum fortitudinis. 153.a.2. vouet immolare primum animal viuens, è domo sua sibi occursurum. c.2. votum illud multi censent impium. d.2. alij pium. 154.c.1. alij votum damnant, sed intentionem excusant. d.1. mysteria latent in filiæ Iephte immolatione.c.2. animositas filiæ eius.155.c.1. Iephte typus Christi. 156.a.2.
Iericho ob fœcunditatem ædificata ab Hiel. t.2.185.a.2.
Ieroboam non est filius Semei.t.2.164.b.2. peccauit rebellando Salomoni.c.2. est figura hæreticorum.165. c.1. mira eius infidelitas. a.2. quare Deus ei suum cultum sic inculcet.c.2. datus Israeli rex in pœnam peccatorum. ibid. eius consilium politicum de vitulis adorandis sibi & suis perniciosum.170.a.1.& seq. eius stoliditas & impietas. b.1. est exemplar Machiauellistarum. ibid. cur vitulos colendos proposuerit.170.c.2. eius idololatria & scandalum.171.b.1. viles constituit sacerdotes. c.1. se facit caput Ecclesiæ.c.2. eius obduratio.173.d.1. expellit sacerdotes Aaronicos.175.c.2. eius familia euersa ob idololatriam. ibid. & eius filius occisus ob idololatriam. 177.d.1. fuit filij sui parricida. a.2.
Ierusalem urbis varia nomina. t.1.51.a.1. eius descriptio.d.1. pertinet ad tribum Beniamin,sed iure belli occupata est à tribu Iuda conuenientibus Beniamitis. 69.b.1.&95.c.2.aliqua eius pars verè pertinet ad tribum Iuda,sed potior ad Beniamin.d.1. fuit expugnata à Iosue,sed non eius arx. 71.b.2. combusta ob rebellionem,& vt purgetur ab idololatria. 95.d.2. est à Domino electa. t.2 178.d.1. capitur à Sesac. 178. d.2. diripitur,sed non euertitur.179.b.1. cur Sesac eam inuaserit. t.2.361.a.1.
Iesbaam filius Hachamoni princeps fortium Dauid. t.2. 86.c.1. eius sapientia. d.1. eius humilitas. b.2. typus Christi. c.2.
Iesse alio nomine vocatur Naas.t.2.67.a.1. numquam peccauit mortaliter contra Hebræos. ibid.b.1.
Iesu nomen quid possit. t.1.273.c.1.
Ierichuntis descriptio,laus & etymon. t.1.10.d.1.& a.2.
Iezabel impia & typus auaritiæ. t.2.211.b.2. eius vana animositas in morte.256.d.2. eius etymon à stercore. 257.b.1.
Ignis à Deo missus in signum quòd sacrificium sit gratum. t.2.95.a.2. symbolum Deitatis. 196.a.1.
Imperfectiones aliquæ manent in homine ad eius vtilitatem. t.1.101.d 1.
Impij à sacris non defenduntur,sed puniuntur. t.1.239. d.1. sunt lictores Dei ad puniendæ peccata iustorum. t.2.62.a.1. pendent à prouidentia diuina.b.1. eorum regna breuia. 184.a.2.&185.a.1.
Imprecationes piorum exaudit Deus. t.1.145.d.2.
Impuri sacerdotes grauissimè puniendi. t.1.242.d.1.
Incipiendum à Deo. t.1.24.c.1. sed benè incipere, non sufficit,nisi benè finiatur. 295.b.2.& 296.b.2.
Inconstantia hominum. t.1.321.a.1.
Indi aliqui celerius currunt equis. t.2.8.a.1.
Infatuat Deus consilia prudentum. t.2.59.b.2.
Infidelitas Regum. t 2.165 a.2.
Infideles aulici erecti à Constantio. t.2.260.c.2.
Ingloriam mortem mortui. t.1.148.a.1.
Ingratitudinem impiorum, sanctis compensat Deus. t.1. 341.d.1.
Inhospitalitas est crimen Sodomæ. t.1.187.c.1.
Inimici charitate expugnandi. t.1.341.b.2.
Initium dissensionis Iuda & Israel. t.2.74.c.2.
Iniuriæ condonatio,vera magnanimitas.t.1.341.d.1. quomodo ferenda.342.b.2.& 346.a.1. sunt contemnendæ. 265.d.2.
Inobedientiæ mala. t.1.230.d.2.
Inobedientia similis idololatriæ & magiæ. 297.d.2. eius mala. 298.d.1.
Inobediens similis ariolo.298.a.1. propria voluntas eius idolum. c.1.
Inobedientia punita. t.2.174.b.2.& seq.
Inspirationibus obediendum. t.1.235.b.2.
Interrasile opus idem quod sculpturæ, coronulæ & plectæ. t.2.142.b.2.
Interregna fugienda in libris Regum vt chronologia seruetur.t.2.273.a.2. ponendum in Israele. 274.d.1. & 280.a.1.
Inuidia est malum diabolicum. t.1.316.b.2. est comes virtutis. 320.a.1. eius mala. 333.b.1.
Ioab peccauit acceptando duellum quod eius militibus obtulit Abner.t.2.7.c.2. occidit Abnerem Dauid eum præficiat exercitui,loco suo. t.2.10.b.2. pœna quam ideò meretur. ibid.d.2. primus intrauit arcem Sion per scalas,omnesq; occidit excepto Areuna,inde confirmatur in principatu militiæ.t.2.16.d.1.& a.2. perita belli. 36.b.2. eius modestia & fidelitas. 47.a.2. peccauit occidendo Absalom,licet aliqui excusent. 69. a.2. erat suspectus Dauidi. 73.b.1. cur occiderit Amasam. 76.d.2. in eo tamen peccauit.ibid. cur non numeretur inter fortes Dauidis.88.d.1. proditoriè occidit Abner & Amasan. 106.d.1. cur Dauid non per se,sed per Salomonem,cum occiderit.c.2. ex eius consilio Adonias ambit regnum.102.b.2. licitè occisus in tabernaculo. 109.c.2.
Ioachaz rex Israel orans impetrat salutem Israeli dandam non sibi,sed filij tempore. t.2.269.a.1. miser status Israelis eius tempore.ibid. eius fortitudo.b.1.
Ioakim maior licet natu, postponitur à populo fratri Ioachaz in regno Iudæ.t.2.297.a.2. à Pharaone tamen rex constituitur amoto Ioachaz.b.2. eius scelera.d.2. differentia inter Ioakim & Ioachin.299. c.1.
Ioakim à Chaldæis capitur, soluitur, rursumq; rebellans occiditur.t.2.399.a.1. stigmata in honorem idolorum inuenta in eius cadauere. ibid.
Ioannes Lucidus malè affirmat Adam fuisse gigantem. t.1.65.d.1.
Ioannis Simplicis Belgæ lepida simplicitas. t.2.173.d.2.
S.Ioannes Chrysost.improbabiliter arguit Eliam crudelitatis.t.2.201.a.2. item zeli nimij.203.d.1. ipse est martyr. 211.d.2.
Ioas rex Iudæ in inauguratione accipit Deuteronomium. t.2.264.b.1. iussè priuat sacerdotes receptura pecuniæ, ob negligentiam & iniustitiam.265.a.2. ob idololatriam à Zacharia arguitur,quem ideò occidit. 266.a.2. eius tempore Carthago conditur, Lycurgus fert leges & Olympiades incipiunt. 267.a.1.
Ioas regi Israel promittit Elisæus auxilium post mortem. t.2.268.c.1. ter tantùm percussit terram propter peccata.d.2. coluit Deum & simul vitulos. 270.d.1.
Iob secundus rex Idumææ. t.2.305.c.2.
Ioiada pontifex iustè amouit Athaliam, regnumq; dedit Ioas suo nepoti. t.2.264.c.1. fuit summus sacerdos. 278.a.1. eius elogium. a.2.
Ionas propheta non est filius Sarephtanæ viduæ. t.2.192. a.1. prædixit Ieroboamo regi Israel victoriam de vrbibus quas Syri abstulerant Israeli. 271.d.2. sub quibus & cum quibus prophetauerit. 272.a.1.& 274.b.1.
Ionathas Philistheos præsidiarios è Gabaa eiecit.t.1.277. b.1. instinctu Dei cum armigero inuasit castra Philisthiim.285.a.1. eodem instinctu capit omen.286. d.1. ipsius conspectus, hostibus formidabilis. d.2. Philisthæos vnitos aggressus est.287.a.1. miraculoso terræmotu eos turbauit Deus. b.1. non peccauit comedendo mel,sed patris legem reprehendendo coram populo.288.d.2. voluit Deus eius comestionem manifestari, vt scandalum cesset, & quia malè patris legem reprehenderat.288.b.2. amor eius in Dauidem fundatus in similitudine morum.315.a.1. patri dissimilis. a.2. plus dilexit Dauidem, quàm impium patris mandatum. 320.a.1. vaticinatur Dauidi regnum.325.c.1. mentitur vt saluet Dauidem.326. b.2. est saluatus. 538 c.2. typus Christi. 286. d.2.
Ionathan vnus ex fortibus Dauid secundi ordinis. t.2.87. b.1.& 88.b.1.
Ioram rex Israel licet infidelis cilicio vult placare Deum. t.2.248.c.2. iurat se occisurum Elisæum d.2. flatim eum pœnitet mandati de Elisæi cæde. 249.b.1.
Iordanis diuisio miraculosa. t.1.16.d.1. mons ex aqua natus, visus ad viginti leucarum spatium. 17.c.1.
Iosaphat rex Iudæ peccauit, eò quòd amicitiam & fœdera,& fecerit cum impio Achab.t.2.215.a.1. ideoq; punitur. b.1. non absolutè excelsa Deo dicata, sed idolorum tantùm. 218.a.1. eius zelus, reformatio Iudicum,& victoria precibus obtenta. b.1.& 368.c.1. mausoleum in valle. 218.b.2. vnicum eius peccatum. 396.a.2.
Iosephi error de altari à Iosue facto de lapidibus Iordanis,t.1.20.c.2. falsò narrat excidium vrbis Hai. 43.b.2. error chronologicus. 105.b.2. eius mendacium. 168.c.1. aliud eius figmentum. 287.a.1. ornat suorum gesta.291.b.2. aliud mendum.294.d.2.
Iosephus Scripturæ contrarius. t.2.2.b.1.& 55 c.1. alius error.86.c.2. iterum alius.91.c.2. alius.129.b.1. alius.164.c.1. alius.175 c.1. malè numerat annos ab egressu Israelis ad templum ædificatum.126.a.2. alius error in computu Iosephi.c.2. ridicula sunt quæ narrat de fonte aquarum ab Elisæo sanatarum, si non impia. 226.d.2.
Ioseph Patriarcha habuit possessiones in Aegypto. t.2.316. a.2.
Iosiæ nomen prædictum.327. annis ante natiuitatem.t.2. 292.a.1. sacerdotes qui idolis sacrificarant,prohibet Deo sacrificare. 295.a.1. similis ei in extirpandis idolis,nullus.296.c.2. eius temeritas in bello contra Pharaonem punita. 297.a.1. pia nomina dat filiis, sed frustra. 209.d.2. occisus à Pharaone tempore pacis publicæ. 396.b.2. idq; propter inobedientiam. 398.b.2. perierunt threni de eius morte compositi. c.2.
Iosue exemplar optimi Imperatoris. t.1.c.1. conscripsit sua diaria.b.2. eius laudes. 2.a.1. primus hominum seruauit virginitatem.b.1.& 89.d.1. eius nomen miraculosum. c.1. in nullo culpabilis,in omnibus laudabilis.d.1. septem annis debellauit Chananæam.3.a.1. electus immediatè à Deo,non ab hominibus.4.c.1. Iosue typus Christi. 6.b.1. ob virtutes eligitur à Deo dux Israelis. b.2. eius vexillum, exemplum legis. d.2. vt Propheta, non vt Princeps, sacerdotibus imperauit. 15.d.2. eius animositas. 25. d.2. apparet ei Angelus Michael.26.a.2. eius religio erga Angelum. d.2. Dei instinctu Ierichuntem combussit.31.d.1. licitè iniit fœdus cum Gabaonitis.46.c 2. mandat soli in virtute Dei.52.c.1. quia solem stitit,sol eius sepulchro insculptus. 53.b.2.& 88. d.2. quasi rex cælorum illis imperat. 53.d.1. non ex insolentia iussit suos, colla quinque regum calcare, sed ob iustas causas.54.a.1. sapienter vsus victoria. 54.c.1. eius victoria. b.2. non omnino totam Chananæam subegit.57.a.2. chronologia gestorum eius. 63.d.2. nihil dedit carni & sanguini.74.a.2. eius modestia.77.d.2. exemplar principum.78.a.1. chronologia ætatis eius. 88.a.2. miracula duo in eius memoriam. 89.b.1.
Ira coram Deo effundenda. t.1.217.a.1. est cos virtutis. t.1.267.c.2. eam lepidè mitigauit Aurelianus Imp. t.1.345.d.2. modi eam placandi. 347.a.1.
Isboseth rex Gessuri. t.2.7.a.1. non tenebatur regnum cedere Dauidi. ibid. b.1. regnauit annis septem & dimidio.ibid. d.1.
Israelitæ reliqui à captiuitate iunxerunt se Iudæ. t.2. 297.b.1.
Iuda regnum potius regno Israelis. t.2.270.b.1.
Iudæi Christo vellentes genas,repræsentantur per Hanon. t.2.36.c.1. Iudæi & Arabes ex complexione fœtent. 73.c.2. Iudæi poterant ducere gentiles vxores proselytas. 111.b.1. à Deo abiecti irreuocabiliter. 281.d.2.
Iudices Israelis populi vindices. t.1.91.a.1. eorum officia in bello præesse, & lites iudicare. c.1. regimen eorum erat Monarchicum. b.2. præfuerunt annis 356.vel 360. c.2. omnes sancti præter Abimelech. 92.b.1. auctor libri incertus,sed tamen aliquis prophetæ.

pheta. b.2. durante eorum regimine, idololatria in Dan tolerata. 185.c.2. typi Christi Saluatoris. 193. b.2. & 104.a.1.

Iudices monentur iustè iudicare t.2.371.a.1. eis necessaria vigilantia & fortitudo. t.2.159.b.1.

Iudicia Dei alia, alia hominum. t.1.303.a.1. sunt iusta. t.2.184.b.1. & abyssus multa. 197.c.1.

Iudicia varia quæ veritatem manifestarunt, ad exemplum iudicij Salomonis de infante meretricum. t.2. 117.a.2.

Iulianus Apostata contemptibile reddidit imperium. t.2. 160.b.1. occisus à S. Mercurio. 217.d.1.

Iuppiter stator vnde. t.2.311.d.1.

Iurandi forma qua vsus Elias. t.2.189.a.1. & 189.c.1.

Iurantes falsa ad S.Stephanum & Martinum à Deo puniti. t.2.149.b.1.

Iusti patiuntur, vt in virtute perficiantur. t.1.318.b.1.

Iustitiæ executione honoratur Deus. t.2.80.b.1.

S. Iustinus prophetiam Ieremiæ citat quæ non extat. t.2. 297.c.1.

Iuuenes pro senio sibi comparent sapientiam. t.2.101. c.1.

Lapides olim positi vt vias indicarent, & locorum distantiam. t.1.326.b.1. è Lapide cultros acutissimos faciunt Arabes, t.1.22.b.2.

Lapsus in peccatum non desperet, sed pœniteat.t.2.41.a.2. acrior ad currendum resurgat. b.2.

Laqueos Syri se profitentur meritos ab Achab. t.2.108. c.2.

Latrocinantes *videtur in textum irrepsisse. t.1.152. b.1.*

Laudatus, defectus suos inspiciat. t.1.198.a.2.

Legio fulminatrix. t.1.112.a.1.

Leo insigne tribus Iudæ & Christi. t.2.159.b.1.

Leuitæ bis numerati à diuersa ætate incipiendo. t.2.337. b.2. ex dispensatione Dei sacrificant. 389. b.1. & 2.

Lex humana patitur epiikiam, non diuina. t.2.174. d.1.

Libanus & Antilibanus idem mons. t.1.5.d.1. libani etymon. a.2.

Liber Iustorum intercidit. t.1.52.b.2.

Liber legis inuentus tempore Iosiæ, quis? t.2.396.b.1. exemplaria legis extabant multa apud Iudæos. a.2.

Librorum Regum ordo cum aliis scripturis t.1.209.a.1. vtilissimè leguntur à Principibus. d.2 eorum auctor. 210.c.1.

Liberè arguuntur peccatores à sanctis. t.2.195.a.2. & 231.d.1.

Libertas arguendi regem in Sacerdotibus. t.2.383.d.1.

Libido acceleranit mortem Salomoni. t.2.47.b.1. Libido variè punita. 50. per totum caput. 2.Reg.13. Libido execrabilis Diogenis Cynici. 63.a.2. Libido fructus idololatriæ & hæresis, 178.d.2. V.verbo Luxuria.

Lilium impositum Columnis t.2.140.d.1. quid significet. ibid.

Litaniæ antiquitas. t.2.372.a.2.

Litteræ Uriæ. t.2.40.d.2. fuerunt occasio fabulæ Bellerephontis. 41.a.1.

Litterati portant litteras mortis suæ, qui non faciunt quod docent. t.2.41.b.1.

Lobnæ rebellat regi suo Ioram. t.2.374 a.1.

Longanimitatem Dei imitetur vir sanctus. t.2.203.c.1.

Luci vetiti & quare. t.2.178.a.1.

Lucrum ex qualibet re. t.2.158.a.1.

S.Ludouicus dat prandium pauperibus,priusquam sibi.t.2. 191.b.1. eius morientis pietas. 297.a.2.

Luteres decem. t.2.142.c.1. significant pœnitentiam. 143.b.2.

Lutherus hoc sæculo primus negauit pœnitentiam. t.2. 143.c.2. solemnes habuit exequias ab omnibus diabolis. 261.a.1.

Luxuria significatur per caput canis. t.2.10.d.1. per consuetudinem roborata pænè insuperabilis. t.2.163. a.2.

Luxuriosi colunt Beelzebub. t.2.21.b.1.

Machabæorum etymon. t.2.197.a.2.
Machiauellistarum exemplar Ieroboam. t.2.170. b.1.

Machiauelli error. t.2.242.b.1.

Madrid in Hispania academia Maurorum. t.1.69.c.2.

Magna operatur Deus, per res viles. t.1.171.d.2. ad Magna destinati priùs exercentur. 349.a.1.

Magnates quomodo corripiendi. t.2.53.a.2.

Malleus auditus in templo Salomonis dum claui infigerentur, nisi fuerint tornatiles. t.2.130.d.2.

Malogranatum speciem habet regis. t.1.285.d.1.

Malos mores vincere debemus. t.2.224.b.1.

Manahem inuadit regnum Israel. t.2.274.a.1. eius crudelitas. ibid.

Manasses idolum cum luco ponit in templo. t.2.290.a.1. occidit Isaiam. b.1. occidit arguentes suam impietatem b.2. eius etymon factis quadrat. c.2. abducitur in Babylonem à Merodach Baladan. 291 a.1. eius tempore neglectus Dei cultus. 292.c.1.

Manus significat causam instrumentalem. t.2.191.d.2. eius osculatio genus adorationis idolorum. t.2.205. d.1.

Mare æneum quale. t.2.140.c.2. significat pœnitentiam. d.2.

Margaritæ in Lotharingia purificantur per columbas. t.2.248.d.1.

Marisca ficus insipida & morbus ani. t.1.242.b.2.

Mariti olim debebant emere vxores. t.1.318.d.2. poterant primo anno ad bellum procedere, sed non poterant ad hoc cogi. 319.a.2.

ad S. Martinum peierantes puniti. t.2.149.b.1.

Martyres fuere ciues Nebo, propter Dauidem occisi. t.1. 334.a.1.

Masphath quatuor in Iudæa. t.1.250.d.1.

Matris admirabilis *titulus B. Virgini gratissimus. t.1. 161.c.1.*

Mater & pater Samuelis Anna. t.1.217.a.1.

Mater per se debet lactare prolem. t.1.218.d.2. ab eâ pendet educatio prolium. t.2.217.c.2.

S.Maternus resuscitatus baculo S. Petri. t.2.236.d.2.

Matthaniæ nomen mutatur in Sedeciam. t.2.399.c.2.

S.Mathiæ gnome de exemplo bono dando proximis. t.1. 34.c.1.

Matrimonia cum infidelibus noxia. t.1.164.b.1.

Maximilianus I. Imp. ab Angelo in viam reductus. t.1. 337.a.1.

Melancholicorum varia phantasmata. t.1.305.a.1.

Melancholia vtitur diabolus ad tentationes. t.1.306. d.1.

Melchior Canus omnes annos seruitutis numerans vt chronologicos, impugnatur. t.1.105.d.1.

Mendacium subinde esse licitum, quidam veteres opinati. t.1.11.d.1. sed probatur nullo casu licitum mentiri. a.2.

Mendum in libro Paralip. correctum. t.2.376.a.2.

à Mensæ orandum. t.1.216.a.1. & ante iter. 217. b.2.

Mensuræ rerum omnium in templo à Sacerdotibus asseruatæ ad vitandam fraudem. t.2.338.a.1.

Mentum inter animalia, solus homo habet. t.2.77.a.1. illud tangendo olim salutabant. ibid.

Meretricum regina Maacha. t.2.182.a.1. cur aromatibus vtantur. 367.b.2.

S.Michael est princeps exercitus Domini. t.1.26.d.1. & seq.

Michol Dauidem amat maritaliter. t.1.321. c.1. eius prudentia in procurando spatio vt fugiat Dauid. d.1. mentitur vt saluet vitam mariti. d.2. propter superbiam sterilitatis damnata. t.2.25 a.1. repræsentat irrisores cæremoniarum Ecclesiæ. ib.c.1.

Milites pugnæ præmittant confessionem. t.1.131.a.1. sint similes agnis. t.1.294.d.2. quo sensu dicantur latrones. t.2.12.a.1.

Miles quod facit, Dux facit. t.2.81.c.2.

Miphiboseth quia filius Ionathæ amici Dauid, accipit ab eo agros patris. t.2.34.b.1. humiliat se coram Dauid.b.2. in qua mensa comederit. 35.b.1. excusatur ab affectato regno, vti calumniabatur Siba 61.a.1. & 74.a.1. temerè spoliatur à Dauid omnibus suis bonis 61.a.1. iniustè spoliatur dimidia parte bonorum. 74.a.1. non videtur contra Deum murmurasse. c.1. & seq. significat infirma mundi quæ verus Dauid Christus eligit. 35.b.2. orat Dauid Gabaonitas ne occidant Miphiboseth cum suo filio. 79. d.1.

Misericordia præit alia opera. t.2.191.b.1. varia exempla misericordiæ præstitæ. b.2.

Moab mancipium Dauidis vilissimum. t.2.32.c.1.

Monachi veteris testamenti. t.2.198.c.2.

Mons oliuarum. t.2.59.a.1.

Moritur homo sensim, & quo ordine. t.2.2.b.2.

Mors cita beneficium peccatoris. t.1.294.a.1. acceleratur propter peccata.358.c.2. eius memoria. t.2.106. a.1. est somnus.107.b.1. iustis aliquando contingit mors mala. 174.c.2.

Mortariola quid. t.2.144.c.2.

Mortificatio religiosorum quorumdam. t.1.342. b.1. Sanctorum. t.2.140.b.2.

Mortui ob scelera possunt puniri. t.2.296.b.2.

Moyses in principatus successione prætulit extraneum Iosue, propriis filiis. t.1.4.c.1.

Mulieres prophetissæ.t.1.110.a.2. aliquarum infidelitas. 166.a.2. variæ formæ.167.a.2. malitia.174.c.1. epitheta malæ mulieris. 176.a.1. origo idololatriæ in Israel. 181.b.2.

Mulier Sarephtana præfertur viris. t.2.191.b.1.& seqq.

Mulier Holda consulitur in reprehensionem virorum. 292.b.2.

Munera respuere, sanctitatis indicium. t.1.270.d.2.& t.2.241.c.1.

Munsteri hæretici testimonium pro suffragiis defunctorum. t.1.346.d.2.

Mures quas clades subinde intulerint. t.1.243.a.1. & seqq.

Musach sabbati est conopæum regium, cui rex insidebat, dum sacris intererat. t.2.278.b.2.

Musica excitat animi affectus. t.1.305.c.2. lethargum ex tarantulæ morsu curat. 306.a.1.

Musica instrumenta mentes sanctorum in Deum eleuant. t.2.231.b.2.

Musoritæ hæretici à muribus. t.1.243.a.1.

Naaman leprosus à Deo humiliatur. t.2.240.b.2. famulorum suorum pater. c.2. conuertitur ad Deum per sanctitatem Elisæi. 241.d.2. excusatur ab idololatria. 242.a.1. & à scandalo. b.2. fit fidelis, sed non Iudæus. 243.a.1.

Naas fecit misericordiam cum Dauid fugitiuo. t.2.36. a.1.

Naboth fuit vir probus. t.2.210.a.1. typus Christi. 211. c.1. & d.2. lapidatur & eius filij occiduntur. c.2.

Nathan erranit, quia Deum non consuluit. t.2.26.a.2. fuit ita amatus à Dauide, vt filium suum eius nomine vocarit.43.b.1. est altus à Ionatha. 81 a.2.

Nationem nationi Princeps non præferat. t.2.76.a.1.

Nebula in templo Salomonis Deum tegit & repræsentat. t.2.148.b.1. qualis fuerit. c.1.

Nestorius blasphemans B. Virginem punitus. t.2. 21. d.1.

Nilus fluuius turbidus.t.1.60.c.1. ratione cuiusdam sui rami est terminus terræ promissæ.d.1. fœcundat Aegyptum. b.2.

Nobiles imitentur Salomonem orantem vtroque genu flexo. t.2.149.a.2.

Nobilitas omnis ex vili initio. t.1.257.d.2.

Nomina propria in Paralipomenis, differunt à nominibus quæ aliis in libris ponuntur. t.2.305.a.1. vertuntur etiam in significata latina 310.c.1.

Nouitios à religione abstrahere, magnum scelus. t.1.294. d.1.

Nouum altare thymiamatis, mensam propositionis, & candelabrum fecit Salomon pro templo. t.2.130.c.2.

Nox signum mali ominis. t.2.114.a.2.

Nudipedum religiosorum laus. t.1.203.c.2.

Numerus rotundus assignatur in scriptura, etiamsi ei aliquid desit vel superfit. t.1.142.a.2.

Obededom Getheus fuit Leuita. t.2.21.a.2.quâ benedictione benedictus propter arcam. b.2.

Obedientia melior victimis.t.1.297.a.1.& seqq.eius fructus. 53.c.1. & t.2.241.a.1.

Obediendum Deo statim etiam in arduis. t.1.111.c.2. & periculis. 116.d.1. & vt caro nobis obediat.280. a.1.& c.2.& t.2.225.a.2. non obedire Deo, stultissimum. t.1.279.a.2.

Obdurationis suæ caussa Chananæi, non Deus. t.1.56.d.2.

Obrizum aurum vnde. t.2.153.a.2.

Occasiones lapsus cauendæ. t.2.41.a.2.

Occulta peccata hominis quo fine diabolus manifestet. t.2.36.a.2. Deus autem ea manifestat congrua tælione. 44.c.1.

Ochozias rex Israel cadit. t.1.220.a.1. eius lapsus significat lapsum hæreticorum. b.1. percutitur morbo ob consultum dæmonem. 221.d.1.

Oculi vltimum viuens, primum moriens. t.2.2.b.2. sunt duces amoris, & custodiendi, aut castitas est impossibilis. t.2.38.a.2.

Oleo sacro vngebantur Reges Iudæ t.2.102.d.1. sed non sacerdotali. b.2.

Olympiadum initium. t.2.274.a.2. & 288.b.2. omnes historiæ ante Olympiades, incertæ. c.2.

Ophel describitur. t.2.384.b.2.

Ophir vnde aurum habuit Salomon est India Orientalis. t.2.152.d.2. inde aurum dicitur obrizum. 153. a.2.

Orandum non certo aliquo situ corporis, sed eo qui aptus est ad excitandam deuotionem. t.2.28.c.1.& seqq.

Orationis vis. t.1.53.a.2. silens ex intimo corde. t.1. 216.d.1. eius fructus.217.a.2. vt exaudiatur, ne inimici odio obfuscari potest. t.1.273.c.2. debet esse assidua. 282.a.1. in arduis sit feruens & assidua. t.2.192.c.2. Oratione sua impetrat Anianus Episcopus

*Scopus liberationem Aurelia obsessæ.*199.*a.*2. *oratio Ioachaz regis Israel exauditur pro salute Isr.ael danda,non suo,sed filij tempore.*269.*a.*1. *orationis communis vtilitas.* *t.*2.372.*a.*2.

Ornatus modestus decet matronam honestam. *t.*1.202. *b.*1.

Ornatus exterior signum internæ deformitatis. *t.* 2. 55. *b.*1.

Osee rex Israel permittit suos subditos ire ad templum Ierosolymitanum. *t.*2.280.*a.*2.

Othoniel fortitudine bellica donatur à Deo. *t.*1.104.*b.*2. *primus princeps Israælis post Iosue.* *a.*2.*&* *c.*2. *typus Christi.* *d.*2.

Otium malum. *t.*2.38.*a.*1.

*Oza fuit Leuita.t.*2.20.*b.*1. *quare à Deo percussus. ib. c.*1.*&* *seqq.* *censent aliqui eum mortem æternam euasisse.c.*2. *Ozæ percussio,& diuisio quid.* *ib.*

P

Palmiram munit Salomon. *t.*2.152.*c.*1. *eam postea Hadrianus vocat Hadrianopolim.* *d.*1.

Palmus & palma mensuræ sunt, & quomodo differant. *t.*1.107.*c.*1.

Panico tumultu Syri soluunt obsidionem Samariæ. *t.*2. 250.*a.*2.

Paralipomenon libri sæpè maiorem numerum recensent quàm libri Regum. *t.*2.142.*c.*1. *continent acta regum Iuda,non Israel.* 303. *auctor librorum,Esdras. ibid. mendum in iis correctum.* 376.*a.*2.

Parentes permittant filios religionem intrare. *t.*1.219. *d.*1.*&* *d.*2. *eius fructus Dei benedictio.*230.*c.*1. *parentes incesti suo exemplo causa filiorum incestorum.* *t.*2.50.*b.*2. *parentum peccata morte filiorum puniunt Iapones.* 79.*a.*2.

Parochiæ studiosus Thomas Morus. *t.*2.25.*b.*2.

Parua mandata non contemnenda. *t.*2.174.*d.*2.

Passionis comes est gloria. *t.*1.317.*b.*1.

Pastores Ecclesiæ solliciti sint pro filiis spiritualibus. *t.*2. 80.*a.*2.

Pastoritiæ vitæ laus. *t.*1.276.*a.*2.

*Patientia.t.*1.215.*b.*2. *patientia in conuicio.* 216.*d.*2. *in aduersis.*236.*a.*2. *exempla eius. ibid. acuitur persecutionibus.* 318.*b.*1.*&* 333.*a.*1. *patientia in mortificationibus.* 242.*a.*1. *patientia & pietas Rsphæ.t.*2.80.*a.*2. *patientiæ speculum S.Ludvina.*192. *a.*2.

Paterfamilias erat sacerdos in ordine ad immolationem agni paschalis. *t.*2.389.*a.*2.

*Patris spes in filiis vana.t.*1.139.*a.*2.*&* 185.*b.*1. *patris affectus inuincibilis.* *t.*2.70.*d.*2. *optat superari à filio in gloria.* 103.*d.*2. *filij patribus degeneres.*168. *c.*2. *pater Hebræis multa significat.* *t.*2.144.*c.*1. *SS.Patres dicentes filium in veteri testamento apparuisse,explicantur.* *t.*1.6.*a.*1.

Pauci si generosi,multa possunt. *t.*1.285.*c.*2.

Paupertas spiritus,omnium est domina. *t.*1.5.*b.*1.

*Paupertas Eliszi & Prophetarum.t.*2.238.*a.*2. *priscorum religiosorum.* 245.*a.*1.

Pauperum oppressio displicet Deo. *t.*2.97 *b.*2.

Peccata Hebræorum punita. *t.*1.5.*d.*2. *Iericho exusta propter peccata.* 31.*b.*1. *peccatum Achan punitum.* 34.*a.*1.*&c.* 2. *peccati grauitas.*38.*d.*1.*&* *seqq. peccata Israælis punita per varias seruitutes.*91.*a.*1. *eorum idololatria punita.*100.*d.*2. *eadem punita seruitute.* 103.*a.*2.*&* 122.*a.*1. *Gedeonis Ephod fabricantis inaduertentia, deletione posterorum.* 139.*c.*1. *ambitio Abimelech,morte ingloriâ.* 148.*a.*1. *petulantia linguæ.*157.*a.*2. *Samsonis concupiscentia,execrationes.*176.*a.*2. *Heli.*232.*a.*2.*&* *seqq.* *&* 236. *b.*1. *Philisthinorum ponentium arcam tanquam debellatam iuxta Dagon.*242.*a* 1.*&* 243.*d.*2. *præcipitatio Saulis.*278.*d.*2. *eiusdem inobedientia.* 280. *a.*1.*&* *b.*2.*&* 298.*a.*2. *impietas.* 340.*a* 2. *peccatum Dauidis punitum,& quomodo.* *t.*2.43.*d.*2.*&* 44.*a.*1.*&* *seqq.* *mors infantis ex adulterio concepti fuit pœna temperata clementiâ.* 45.*d.*2. *fuit punitus per morbum grauem. ibid. punitur libido variè per totum c.*13.*lib.*2.*Reg.fol.*53. *comæ studiosus Absalon per comam punitur.*55.*d.*1. *peccatum regis fuit populus.*78.*a.*2. *peccata patrum puniuntur in filiis.* 79.*a.*2.*&* *seqq.* *punitur peccatum in loco vbi perpetratum.*80.*c.*1.*peccata populi causa lapsus Principum.* 91.*a.*1.*&* *seqq.* *peccatum Salomonis punitum.* 163. *b.*1.*&* *d.*2.*&* 164.*c.*1. *peccatum Ieroboam euersionis familiæ,& aliorum regum Israel.* 175.*c.*2. *quatuor plagæ peccati Ieroboam.*178.*b.*1. *idololatria Roboam punita.c.*2.*&* 361.*a.*1. *peccata regum Israel punita.* 185.*a.*1.*&* *seqq.* *idololatria fame punita.* 189. *b.*2. *peccatum mors hominis.* 193.*c.*1. *peccatum Iosaphat punitum.* 215.*b.*1. *peccata Achab punita.* 216.*b.*1. *peccatum Ochoziæ morte punitum.* 221. *d.*1. *peccatum duorum quinquagenariorum igne de cælo punitum.a.*2.*&* *d.*2. *peccatum puerorum exprobrantium Eliszo caluitiem.*229.*a.*1. *idololatria regum Israel.* 183.*a.*1.*&* 231.*b.c.* *peccatum Giezi lepræ.*244.*a.*1. *schisma Samariæ fame.* 248.*b.*2. *incredulitas ducis in Samariâ morte.*250.*b.*1. *peccata Benadad regis Syriæ morte.*252.*b.*1.*&* *d.*2. *Achabi morte filiorum.* 256.*b.*2. *idq; congruè in cophinis ad exemplum aliorum.*259.*b.*1.*&* *c.*1. *Iezabelis peccata.* 257.*a.*2. *Athaliæ parricidia & ambitio.*264. *b.*2. *Ioas regis Iudæ peccata.* 266.*a.*2. *Ioas regis Israel.*268.*d.*2. *Amasiæ idololatria.*270.*b.*2.*&* 271. *d.*1.*&* *c.*2. *confidentia in homine regis Achaz.*277. *b.*1. *idololatria tribus Iudæ.* 284.*c.*2. *&* *perfidia Sennacherib.ibid. Amon præsidentia.*291 *a.*2. *peccatum Ioas regis Iudæ grauissimè punitum.* 380.*a.*1. *sacrilegium Oziæ multipliciter punitum.* 383.*a.*2. *blasphemia Sennacherib.*393.*b.*1.*&* *c.*2. *inobedientiæ Iosiæ.* 398.*b.*2

*Peccatum trahit ad peccatum.t.*2.40.*c.*2. *excæcat.*43. *a.*1. *vulnus peccati sentire signum bonæ mentis.* 44. *c.* 2.

Peccator ex homine sit quasi bestia. *t.*1.279.*b.*2. *eius miseria.* *t.*2.4.*d.*1.*&* 40.*d.*1. *seipsum punit.*51.*a.*1. *eius scala est pœnitentia.*84.*a.*2. *peccatorum interitus.*85.*a.*2. *instar spinarum igne comburentur. ibid. peccator est cadauer mortuum.* 193.*b.*2.

Peccaui *alio sensu dixit D.uid,alio Saul & Iudas.* *t.*2. 44.*d.*2.

Peccandum potiùs contra homines quàm contra Deum. *t.*2.92.*c.*2.

Pecuniæ summa 2400. *millionum à Dauide Salomoni relicta ad templum ædificandum.t.*2.335.*a.*2. *cui Salomon multa addidit.* 336.*b.*2.

ad Perfectionem vitæ incipit à timore iudicij &c. perducens ad contemplationem. *t.*2.204.*d.*1.

in Persecutione dolendum non propter seipsum,sed propter exitium persequentium. *t.*2.62.*d.*2.

Pestem cur Dauid elegerit. *t.*2.92.*a.*2. *duravit 3 triduo.*93.*b.*1. *pestis quomodo sedata à S.Gregorio M. b.*2. *pestis vniuersalis à B.Virgine remedium. ibid. & à S.Sebastiano.* 94.*a.*1. *quid contra pestem egerit. S.Carolus Borr.* 94.*d.*1.

B.*Petrus Damiani Phineem putat esse Eliam.* *t.*1.83. *d.*1.

Phœnicia pertinet ad terram promissam, sed numquam fuit subacta. *t.*1.103.*c.*1.

Philistrij locus restitutus. *t.*1.243.*a.*1.

Philisthinorum quinque Satrapiæ pertinebant ad tribum Iuda. *t.*1.69.*a.*2.

Philo biblicus nugator & erro. *t.*1.104.*a.*2.

Philonis error dicentis stirpem Salomonis defecisse in Ochozia. *t.*2.263.*d.*1.

Philosophia, Mathesis, Poësis, &c. necessariò subseruiunt doctrinæ sacræ contra gentiles & hæreticos. *t.*1.282. *d.*1.

Phocas malus fit imperator ob peccata plebis. *t.*1.255 *a.*2.

Phul cum Arbace, capit Niniuen, & diuidit monarchiam Assyriorum. *t.*2.274.*a.*1. *vocatur in auxilium à Manahem.* *c.*1.

Pij quinti Pontificis laus. *t.*2.368.*b.*1.

Piorum regna prolongat Deus. *t.*2.184.*a.*2. *aliquando pij principes frustrantur euentu, quia impiorum operâ vtuntur.* 373.*a.*2.

Pinedæ opinio de Tharsis improbatur. *t.*2.159.*b.*2.

*Pœna vt auferatur à Deo, priùs peccata auferenda per Principes à populo.t.*1.35.*d.*2. *Pœnas immittit Deus, vt ad se recurratur.*123.*a.*1. *Pœna peccati soluenda post remissam culpam & pœnam æternam.* *t.*2.45.*c.*1. *Pœna huius vitæ parua, respectu æternæ.* 177.*b.*2.

Pœnitentiæ typus Iordanis. *t.*1.21.*b.*1. *eius vis.* 37.*b.*2. *non differenda in senium.* *t.*2.*a.*2. *Pœnitentiâ etiam non stabili placatur Deus.* *t.*2.362.*a.*2.

Politia excæcauit Iehu. *t.*2.261.*c.*2.

Politica Consilia perniciosa. *t.*2.170.*a.*1. *&* *seq.*

Politici Consiliarij in aulis Principum. *t.*2.63.*b.*2.

Pollices amputati Adonibezec. *t.*1.94.*b.*2.

Polonorum laus ob inuocatum nomen Iesu ante conflictum. *t.*1.134 *c.*1.

Polluto templo per necem Zachariæ desinunt oracula. *t.*2. 380.*b.*2.

Poltronis etymon. *t.*1.94.*c.*2.

Pontificum Synagogæ series. *t.*1.232.*b.*1. *Pontifices duo in Israel tempore Dauidis.* *t.*2.329.*c.*2. *Pontifices erant* 24. *siue Principes Sacerdotum quibus vnus summus Pontifex præerat.* 338.*a.*2.

Populus & rex vna persona. *t.*1.273.*c.*2.

de Porticu sententia Abul. Titelm.& Iansenij impugnatur. *t.*2.128.*b.*1.

Possessio adibatur calcando rem possessam. *t.*2.33.*c.*1.

Præcipitationis mala. *t.*1.278.*d.*2.

*Prælatum spernens,Deum spernit.t.*1.253.*c.*2. *eius est orare pro populo.*273.*a.*2. *sit bonus, licet subditi sint mali.* 282.*c.*2.

*Prælaturam nemo ambiat,sed exspectet donec cogatur.t.*1. 280.*a* 2.

Præsentia Dei. *t.*2.189.*b.*1.

Præsentia Principis ad multa vtilis in bello. *t.*2.31.*a.*2. *confirmatur exemplo Caroli V.* *ib.*

Præsentia viri magni, virtutis stimulus. *t.*1.229.*c.*1.

Præsumptionis mala. *t.*2.39.*a.*2. *contra eam monita. b.*2. *ne quidem de virtute præsumendum.* 175.*c.*1.

Preto-Ianes filius Salomonis. *t.*2.156.*b.*2. *eius tituli.* 157.*d.*1.

Priapi Sacerdotissa Maacha. *t.*2.178.*b.*2. *amouetur à sacerdotio.* 181.*c.*2. *sacerdotium Priapi augustum. d.*2. *horrendus Priapus.* *ibid.*

Primæuus spiritus in Religiones & viros Ecclesiasticos reuocandus. *t.*1.129.*d.*1.

in Primis statuit Deus exempla, vt sequentes sint cautiores. *t.*1.280.*c.*2.

Principes peculiariter tenentur seruare legem Dei. *t.*1.6. *d.*1. *& plebem docere Dei legem seruare.* *c.*2. *soli Deo nitantur.*8.*b.*2. *non sternant in multam lucem.* 14.*a.*1. *principes politici sacris se non immisceant.* 15.*d.*2. *à Deo incipiant.* 24.*c.*1. *in bellis innocent angelos custodes.*26.*b.*2. *suos subditos laboribus exerceant.* 28.*d.*2. *fidem hostibus seruent.* 32.*b.*2. *publicas calamitates deprecentur.* 35.*c.*1. *scelera auferant è populo, vt Deus auferat scelerum pœnas.* *d.*2. *imitentur modestiam Iosiæ.* 78.*a.*2. *fidem veram tueantur vt basin Reip.* 91.*b.*1. *inconsulto Deo bellum non suscipiant.*94.*c.*1. *diu cum eodem hoste non pugnent, ne artem militarem hostis discat.* 10.*d.*2. *non se immisceant sacris.* 139.*d.*1. *quomodo debeant regere.*143.*b.*2. *vtilissimè legunt libros Regum.* 209. *c.*2. *sunt bases Reip.* 226.*b.*2. *puniuntur propter peccata subditorum.*236.*b.*1. *castra eorum sint casta.* 238.*b.*1. *quomodo debeant Rempadministrare.* 251. *a.*2. *quid iniustè vsurpent & quid iustè eis competat.* 254.*b.*1. *eminere debent in magnanimitate.*259.*d.*2. *eminere debent aliis.* 265.*c.*1. *norint multa dissimulare.* *c.*2. *regnum incboent in clementia.* 268.*c.*1. *eorum potestas debet dirigi à sacerdotali.* 279.*a.*1. *sciant à Deo dari victoriam.* 289.*d.*1. *benignitas eorum virtus.* 293.*a.*1. *pulchritudo arguit eos bene imperaturos, deformitas malè.* 312.*d.*1. *vehementissimè desiderant regnare.* 316.*b.*1. *dedecet eos vindicta.*346.*d.*1. *æmulationes Nationum sopire debent. t.*2.76.*b.*1. *omnibus sibi subiectis sint æquales.* *c.*1. *eorum lapsus propter peccata populorum.*91.*c.*1. *imitentur pietatem Salomonis.*148.*c.*2. *eorum dos lenitas.* 168.*b.*1. *eorum officia.* 225.*d.*1.

Priuata persona sibi potest viuere, non publica. *t.*1.143. *d.*2.

Propheta magnus tota gens Hebræorum. *t.*1.210.*c.*1.

Propheta missus in Bethel contra idola Ieroboam non est Iadon. *t.*2.173.*a.*1. *verisimilius est Ioas. ib. tria facit miracula.* *d.*1. *præceptum à Deo ei datum de comedendo in Bethel, obligabat eum ad mortem.* *a* 2. *mors eius permissa in testimonium veritatis.* 174.*a.*1. *peccauit comedendo, sed venialiter tantùm.* *c.*1.

Propheta in Bethel fuit fidelis. *t.*2.173.*c.*2. *mentitur officiosè, & venialiter tantùm.* 174.*a.*1. *sepelivit prophetam Dei.* 175.*c.*1. *falsò affirmat Iosephus eum impedivisse Ieroboami conuersionem ad Deum.ibid. cur sepultus sit in sepulchro prophetæ Dei.* *b.*2.

Prophetæ aliqui, erant quasi religiosi laudibus Dei vacantes, non futura prædicentes. *t.*1.262.*c.*2. *subinde errant & quare.* *t.*2.26.*a.*2. *habentur insani ab Idololatris.* 256.*a.*1.

Prophetiæ spiritus impiis etiam datur. *t.*1.322.*b.*2.

Prophetia est melodia, & prophetare est laudare. *t.*2.22. *c.*1.

Prophetia de Iosia 300. *annis ante eius natiuitatem.* *t.*2. 173.*b.*1.

Prosperis & aduersis bene vtendum. *t.*1.106.*c.*2.

Prosperitas periculosa. *t.*2.38.*c.*2. *&* 41.*b.*2. *&* 163. *a.*1.

Prudentia mater felicitatis. *t.*1.7.*a.*1.*&* *t.*2 106.*d.*1. *omnibus necessaria.* 140.*a.*2.

Prudentia diabolica. *t.*2.53.*b.*2. *&* *seqq.*

Psalmus nonus quando compositus. *t.*2.327.*a.*1. *item trigesimustertius.* *t.*1.329.*b.*2. *item quinquagesimus primus.* 333.*d.*2. *item quinquagesimus tertius.* 336.*c.*1. *item quinquagesimus quintus.* 329 *b.*2. *item quinquagesimus sextus.*339.*c.*2. *item quinquagesimus octauus.* 321.*c.*2. *nonagesimus sub noctem recitatur contra dæmones.* 51.*d.*2. *non omnes psalmos composuit Dauid, sed Asaph etiam aliquos.* *t.*2.388. *b.*1. *eorum laus.* 84.*a.*2.

Ptisana quid? t.2.65.c.2. ptisanæ medicæ salubritas. 66.a.1.

à Pueritia Deo seruiendum. t.1.220.b.1.

Puerorum bona institutio, eorum salus & Reip. t.1. 206.b.1.

Pulchritudo in rege indicat eum bene imperaturum, deformitas malè. t.1.312.d.1.

Puniri à Deo satiùs, quàm ab hominibus. t.2.92.c.2.

Puniti in re qua excellebant. t.1.95.b.1.

è Purgatorio nuper liberatum Salomonem concionator Italus dixit ex reuelatione facta mulieri. t.2.163. c.2.

Pusillanimitas est seipsum occidere. t.1.358.d.1.

QVadraginta annis quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto, defuerunt quinque dies. t.1.20.b.2.

Qualitas quælibet & gratia in Scriptura significatur per Spiritum. t.1.104.b.2.

Quatuor acceperunt nomen à Deo ante natiuitatem. t.2.46.c.1.

Quies nusquam, nisi in Deo. t.1.249.c.1.

RAbba à Philadelpho capta, dicta est Philadelphia. t.2.38.b.1. alio nomine vocatur Vrbs aquarum, & quare. 47.d.1.

Rabbi Salomonis error quòd tribus Simeon non habuerit sortem vt reliquæ tribus. t.1.77.a.1. est fabulator. t.2.7.c.1.

Rahab fuit meretrix. t.1.10.c.2. eius etymon. ibid. fuit à Deo illuminata, vt exploratores Hebræos reciperet, &c. d.2. eius mendacium fuit tantùm veniale. 11.c.1. eius fides & conuersio. b.2. reuelatio à Deo illi facta. 12.b.1. illuminatur à Deo vt eius diuinitatem cognoscat. 12.d.1. & seqq. cum illa liberati omnes cognati & affines. 13.d.1. typus est Ecclesiæ. 13.d.2. & exemplum peccatorum. 14. a.1. eadem quæ in genealogia Christi. 32. b.2. nupsit Salmoni. d.2.

Raptus Siluestrarum virginum licuit Beniaminitis. t.1. 193.b.1.

Razon Rex Syriæ. t.2.164.c.1.

Rebellio præcauenda ne oriatur: si orta est remova ei inicienda. t.2.65.b.1. in rebellione capita plectenda, multitudini parcendum. 69.d.2. & seqq. statim in ortu comprimenda. 76.a.2. in principiis ei obstandum. 207.a.2.

Regni cupido vehementissima in regibus. t.1.316.b.1. terrena regna parui pendenda. t.2.297.a.2. regnum Assyriorum deficit in Asarhaddon. t.2.398. b.1. in Merodach incipit regnum Chaldæorum. c.1.

Regillianus per lusum fit verus rex. t.1.139.c.2.

Religio vera fundamentum Reip. t.2.170.d.1.

Religio obseruata felicia regna: neglecta facit infelicia. t.2.382.a.2.

Religionis status, est holocaustum. t.1.297.d.1.

Religionis status repræsentatus per Carmelum. t. 2. 198.b.2.

Religionis causa multi Israelitæ migrarunt in Ierusalem. t.2.368.c.2.

Religiosi primi orbis sunt Prophetæ laudibus Dei vacantes, non semper futura prædicentes. t.1.262.d.2.

Religiosus magnæ virtutis potest versari in Aula. t.2. 230.a.2. religiosi prosunt exercitibus. b.2. religiosi mali & se & aulas perdunt. 321.a.1.

Religiosus debet se omnibus accommodare. t. 2. 238. b.1.

Reliquiæ Sanctorum veneratione dignæ. t.1.344.b.1.

Remmon est Venus. t.2.243.b.1.

Reuelationes feminis factæ examinandæ sunt, nec iis facilè credendum. t.2.163.c.2.

Reum indicare superiori vt corrigatur, est actus sanctitatis. t.1.290.b.2.

Rex deus terrestris. t.1.138.b.1. Reges Iuda typi Christi. 210.c.1. regia potestas duplex finita & infinita. 253.a.2. inter reges Saul & Dauid immediatè à Deo ius regium nacti, non posteri Dauidis. 255.b.2. rex & populus vna persona. 273.c.2. sit pastor populorum. t.2.15.a.1. eius dignitas consistit in pompa. 160. b.1. aliquorum regum mira infidelitas. 165.a.2. abundant omnibus, præterquam veritate. 169.d.1. duo præcepta eis danda. 170.c.2. regum Israel peruersitas & excæcatio. 183.a.1 & 231.b.1. & 261.c.2. reges non inuadant sacra. 383.c.2. Reliqua vide verbo Principes.

Romæ etymon. t.2.89.a.2. primitus vocabatur Valentia. ibid. Romana fides via ad cælum. ibid. roman vocatus S. Dunstanus, id est in cælum. b.2. quando Roma condita. 276.a.1. & 288.b.2.

Romani multos habebant Sacerdotes. t.2.34.a.2.

Ros in vellere & in area Gedeonis litteraliter Dei opem significat. t.1.128.b.1. alleg: Christi humanitatem & B. Virginem. d.1.

Rudolphus Habspurgensis, castè osculabatur virgines ob sanitatem. t.2.100.a.2.

Rusorum laus. t.1.303.b.2.

Rupertus visione cælesti inuitatur ad sacerdotium. t.2. 237.d.2.

Rustici bello viles. t.1.109.a.1.

Ruth historia contigit tempore Abimelech. t.1.195.c.1. eius conuersio ad Iudaismum. 197.a.1. amor erga Noemi. b.2. humilitas. 200 c.2. officiositas. 201. a.1. proiiciens se ad pedes Booz ab aliquibus accusatur, ab aliis excusatur. 202.c.1. & b.2. eius elogia. 202.d.1. & 203.a.1. typus Ecclesiæ gentium. 198. b.1. & 206.d.1.

SAba duplex alia in Arabia, alia in Aethiopia. t.2.155. a.1. hæc postea vocata est Meroë. b.1.

Saba regina venit ex Aethiopia. t.2.155.c.1. eius nomen proprium varium secundùm varios. b.2. fuit longo tempore apud Salomonem, ex quo filium concepit. 156. a.2. fuit legitima vxor Salomonis. 157.c.1. filius nascitur in Aethiopia. 156.c.2. ad Salomonem vadit ab eo q̃ in regem inauguratur. d.2.

Sabbati violatio punita per captiuitatem Babylonicam. t.2.400.b.1.

Saccari in tota Scriptura nulla mentio. t.1.167.b.2.

Sacerdotes Iudeorum dispersi per omnes tribus, vt omnes legem docerent & cultum Dei. t.1.80 a.1. sacerdotes impuri grauissimè puniendi. 242.a.1. sacerdotum peccatum grauius ratione scandali. 229.d.2. difficulter remissibile, si sit contra res sacras. 231.d.1. sacerdotes quomodo fuerint filij Dauid qui erant ex Iuda oriundi. t.2.33. d.2. & seqq. sacerdotes nudis pedibus ministrabant in templo. 140.c.2. sacerdotes viles non sunt constituendi. 171.c.1. liberati à cura temporalium, vt toti vacent Deo. 391.a 1. & b.2.

Sacra vasa quando liceat distrahere. t.2.266.b.2.

Sacræ res sacrilegos non tuentur, sed puniunt. t.1.239.d.1.

Sacrificare licebat Hebræis extra tabernaculum, sanctæ locum Angelo indicante. t.1.99.b.2.

Sacrilegia punita. t.1.38.b.2.

Salij sacerdotes Martis. t.2.23.b.1.

Salomonis thronus quomodo sempiternus. t.2.27.c.1. ipsum esse damnatum quorundam sententia. 30.a.1. & 2.

Salomon, id est pacificus, & quare. 46.b.2. alio nomine vocatur Iedidia. 46.d.1. conceptus est statim post mortem infantis ex adulterio nati. 46.c.2. non tam diu vixit quàm ceteri propter libidinem. 47. b.1. anno vigesimo ætatis creatur rex. 103.b.1. regnat viuente patre. d.1. Salomonis pacifici nomen à variis principibus, sua lingua mutuatum. 103.b.2. Salomon bis vnctus. c.2. parcit Adoniæ conditionatè. 104.a.2. iustè eum postea occidit. 108.d.2. Salomon auctoritate non sua sed Dei, amouit Abiatar à pontificatu. 109 c.1. cur duxerit filiam Pharaonis. 111.a.1. in eo non peccauit. ibid. quando eam duxerit. a.2. eius pietas auspicantis regnum. 112.d.2. somnium in quo sapientiam accepit, probabiliter fuit naturale. 113.a.1. sed diuinum fuisse & exstasin etiam est probabile. c.1. est immissum Salomoni per Angelum. 114.c.1. quare id factum de nocte. d.1. sapientia Salomonis, comprehendit scientias naturales, mysteria fidei, donum prophetiæ, &c. 115.a.1. & seqq. sapientior fuit Adamo, Dauid, &c. d.1. non tamen B. Virgine & Apostolis in mysteriis fidei. a.2. superauit Salomon omnes omnino reges gloriâ & diuitiis. c.2. simulatè, non seriò mandauit diuidi infantem. 117.d.1. termini regni Salomonis. 120.a.1. eius equorum copia excusatur à peccato. 121.a.1. Salomon poëta. 121.a.2. eius scripta de iumentis cur perierint. b.2. ex Salomone docti omnes gentium sapientes. ib. docuit publicè physicam. ibid. Salomon rex magnus. 122 a.1. fecit nouum altare thymiamatis, mensam propositionum & candelabrum pro templo. 130.c.2. Salomon omnia vasa tabernaculi reposuit, & noua alia fecit pro templo præter arcam. 144.a.2. quinque candelabra fabricauit pro templo. b.2. orat facie versa ad templum. 148.a.2. eius pietas imitanda à principibus. c.2. flexit vtrumque genu in oratione. 149.a.2. excusatur à peccato fabricans plura altaria in templo. 150.b.1. dedit Hiram vrbium Galilææ vsumfructum, dominium autem dare non poterat. 151.b.2. omnes opes expendit in fabricam. 152.b.1. munit palmyram. c.1. fecit omnes Chananæos tributarios, nec peccauit non occidendo. d.1. quando instruxerit classem pro colligendo auro. b.2. ex Ophir, id est India Orientali habuit aurum. d.2. concepit ex eo filium regina Saba. 156.a.2. aurum ei allatum. 157.b.2. eius diuitiæ. 158.a.1. eius thronus eburneus. 158.b.2. gloria tanta ei data ob virtutem, vt eam alij æmularentur. 160.b.2. eius fama versa in infamiam. c.2. peccauit ducendo mulieres Chananæas, & gentiles non proselytas. 162.a.1. lapsus eius in sex scelera. b.1. verè coluit idola vt suis concubinis morem gereret. a.2. Moloch filium immolauit secundùm aliquos. b.2. coluit Bacchum. c 2. Salomonem damnatum alij aiunt, alij negant. 163.c.1. & seq. nuper è Purgatorio liberatum dixit Romæ quidam concionator, ex reuelatione mulieri factâ. 163.c.2. Salomonis excæcatio. 166. a.1. eius forma. b.1. eius epitaphium. b.2. eius libri de plantis &c. sublati per Ezechiam secundùm Anastasium Nicæn. 284.d.1. secunda Salomonis vnctio fuit publica. 347.b.2.

Salomon typus Christi.

Salomon pacificus ædificans templum typus est Christi exstruentis ecclesiam fidelium. t.2.27.a.1. & 46.b.1. vnctus in Gihon significat Christum pacem nostram. 103.b.2. ducens Aegyptiam significat Christum desponsantem sibi Ecclesiam. 111.c.1. eius regni felicitas typus Ecclesiæ. 119.a.2. sedens in throno significat Christum iudicem. 158.c.2. gloria Salomonis idæa æternæ. 160.b.2.

Saltant Christiani in Syria, in solemnitatibus t.2.23.c.1. item Hispani & Indi coram Ven. Sacramento. ibid.

Saltus inconditus Baalitarum instar amentium. t.2.196. c.1.

S. Saluius quid dixerit rediuius. t.2.166.c.2.

Samaria sit vrbs regia Israelis per Amri. t.2.184.b.2.

Samaritarum stolida & stulta idololatria. t.2.282.b.1. eorum inconstantia. c.2.

Samgar tertius Israelis iudex. t.1.108.b.2. per se solus 600 percussit. c.2. typus Christi. 109 b.2.

Samson Danita. t.1.159.c.1. destinatus à Deo liberator Israelis. c.2. fuit Nazaræus tripliciter, non autem in vtero sanctificatus. 160.b.1. non plenè liberauit Israel nisi fortè in morte. d.1. nomen institutu Dei accepit, eusq; etymon. 162.c.1. dispensante Deo duxit Philisthinam. 164.b.1. primus actus fortitudinis, fuit occasio leonis. d.2. iustè occidit 20. Ascalonitas. 167.c.2. tangendo mortuorum corpora non peccauit contra leges Nazaræatus. d.2. eius calliditas. 169.b.1. binis vulpibus singulas faces illigauit d.1. ab hoc eius facto vulpinalia Gentilium. a.2. illustre dedit exemplum iustitiæ legalis. 170.c.2. à Deo fuit confortatus dum occidit mille Philistheos, vti & maxillâ. 171. a.1. non arroganter, sed gratias Deo agens cecinit carmen. a.2. per fornicationem non perdidit fortitudinem, quæ erat gratia gratis data. 173.a.1. Dalila eius vxor secundùm quosdam. 173.b.2. verius concubina. 174.a.1. fortitudo ei data cum pacto Nazaræatus. 174.c.2. & 175.a.2. inebriatum à Dalila multi affirmant, alij negant. b.2. iustè punitus in oculis, quibus peccauerat. 176.a.2. domus in qua Philistheos oppressit erat templum Dagon. 177.c.2. non peccauit se occidendo. 178.a.1. nec physicè nec moraliter se occidit. b.1. indirectè se occidendo fortiter egit & pro culpis satisfecit. c.1. non tamen fuit martyr. d.1. est gentilium Hercules. a.2. eius elogia. 179. c.2. figura Christi. 162.d.1. & 170.d.2. & 177.a.2. resurrectionis. 173.b.1. velationis in passione. 176.a.2. Christi morientis. 177.b.2. & 179.c.1.

Samuel oriundus ex tribu Leui, non ex Ephraim. t.1.214. b.1. ex Dei dispensatione sacrificauit. c.1. & 232.d.1. & 250.b.2. & 258.d.2. est ex posteris impij Core. d.1. etyma eius nominis. 217.c.2. tota vita seruiuit in templo. 220.a.1. non tenebatur voto matris. b.2. eius Ephod lineum vestis Leuitica, non sacerdotalis. 230. b.1. eius sanctitas inter improbos. c.2. non fuit summus pontifex. b.1. & 285. d.2. per obedientiam meruit prophetiam. 235.c.1. crescit in virtutibus. 236.c.2. omnia euenerunt quæ prædixit. d.2. sæpius ei apparuit Dominus in Silo. 237.a.2. dispensante Deo sacrificauit extra tabernaculum. 250.b.2. idæa perfecti Iudicis. 251.d.1. retinuit iudiciariam potestatem regnante Saule. a.2. vixit ad annum 77. ætatis, 252.a.1. filios suos fecit Iudices, sed non ex carnali affectu. b.1. non punitus propter peccata filiorum vt Heli. b.2. adest Sauli pugnaturo contra Naas. 268. b.1. quasi se abdicat principatu. 270.a.1. eius senectus laboribus accelerata. 270.b.2. integritatis exemplum dat populo. d.1. ipse & Moyses ex omnibus sanctis veteris legis pro inimicis orarunt. 272.b.2. charitatis speculum pro inimicis orans. 273.b.2. separat se à Saule, vt eum ad pœnitentiam flectat. 281.d.1. ex zelo occidit Agag. 300.d.2. post hæc non amplius inuisit Saulem, vidit tamen ibid. luget Saulem, quem timet vita æterna priuandum. 301.a.1. eius charitas. a.2. præest prophetantibus in Naioth. 322.b.2. quando mortuus incertum. 244.a.1. populi erga eum amor. b.1 ossium translatio sub Arcadio Imp. ibid.

verè suscitatus fuit. 353.a.2. non tamen per pythonissam,sed per Deum eam præuenientem. b.2. mortem Saulis prædicit,non eumdem statum post mortem. 354 a.1. typus Christi. 212.
Sanchez suspicio improbatur. t.2.66.b.2.
Sanctitas nobilissimum Dei attributum. t.1.222.d.1.
Sanctitas antipathiam habet cum iniquitate. t.2.192. c.1.
Sancti cur in bello iusto aliquando cædantur ab impiis & iniustis.t.1.190 b.2. tentari permittuntur ne superbiant.201.d.1.& 226.b.1. sanctorum Doctorum laus. 257.d.1. Sanctorum humilitas & fortitudo.t.2.86. b.2. sanctorum ordines significati per sortes Dauid. 88.d.2. inter eos primò Apostoli,2. Martyres,3. Confessores. ibid. sanctorum felicitas significatur per lilium. 140.c.1. refutant munera. 241.c.1. vident absentia. 243.c.2. etiam mortui nos iuuant.268.c.1.
Sanctum & Sanctum sanctorum,v. Templum.
Sanitas corporis à paucitate ferculorum. t.1.259.b.2.
Sapientia quantum Dei donum. t.2.115.d.2.
Sarephtana vidua gentilis erat,sed pia. t.2.190.c.2. duo ligna quæ collegit significant crucem Christi.d.2. panis subcinericius quem coxit significat satisfactionem pœnitentium. 191.b.1. eius laudes. ibid. meretur farinæ additionem. d.1. eius filius permittitur ægrotare ad gloriam Eliæ. 192.a.1. eius humilitas & spiritus pœnitentiæ. c.1. eius filius est primus resuscitatus. 193.d.2.
Saul immediatè à Deo ius regium accepit. t.1.255.b.2. fuit insigni corporis forma & vir probus. 257.d.1. melior singulis è populo. a.2. miserandi eius lapsus caussa.b.2. nihil vnquam de regno cogitarat. 258. b.2. eius humilitas meruit regnum. c.2. mutatur in alium virum. 263.c.1. in periculis belli, monetur se recipere in Galgala. a.2. silet de regno præ modestia, & secretum seruet, & ne sibi inuidiam conciliet. 264.a.2. non ex humano affectu à Samuele constitutus rex. 264.d.2. præ humilitate fugit regnum. 265.b.1. fuit procerus & quasi gigas. ibid. publicè vnctus & rex declaratus. a.2. rex & arator. 267. b.1. quamdiu Samuelis monita secutus est,bonus fuit, eis neglectis reprobus.268.b.1. dignior Samuele,non sanctior.ibid. boues minatur se occisurum non homines, vt regnum auspicetur à clementia. c.1. eius prudentia & celeritas. a.2. pro tertia vice vnctus in regem in Galgalis. 269.a.1. peccauit non exspectando Samuelem vsque ad finem diei septimæ.278 b.2. eius præcipitatio. d.2. auxit peccatum excusando.279. c.1. ipse & posteri fuissent reges, si fuissent Deo obedientes. c.2. mansit rex tota vita sua. d.2.& 298. c.2. propter inobedientiam priuatur regno.280.a.1. & b.2. ieunij lex dum Philistheos insequitur,ab aliquibus laudatur.287.d.2. ab aliis damnatur seueritatis & stultitiæ.288.a.1. sed licet fuerit dura, fuit tamen iusta. b.1. hactenus vir pius & bonus, posthac grauiter peccauit inobedientia.a.2. iuramentum eius de occidendo eo qui caussa fuit silentij Dei, arguitur ab aliquibus.289.d.2. ab aliis laudatur. 290.a.1. dicendum est,fuisse incautum.b.1. morti addicens Ionatham,excusatur à peccato.291.b.2. eius felicitas bellica.d.2. pepercit regi Agag, ex superbia, vel auaritia ex humana commiseratione. 295.c.1. eius secunda inobedientia.d.1. miserandus lapsus.b.2. si pœnituisset,gratia ei fuisset reddita, non tamen regnum. 296.a.1. adulatur Samueli. c.1. auaritiam suam velat specie religionis d.1. tenacia iudicij eum perdit.b.2. auget inobedientiam excusando. c.2. priuatur regno propter inobedientiam. 298.a.2. pœnitentia eius non fuit seria. d.2. sed humana.299.b.2. probabiliter anno septimo regni, lapsus est. 300.a.1. spiritus fortitudinis ab eo recedit. 304.d.2. possidetur à dæmone corporaliter. 305.c.1. cithara Dauidis partim naturaliter, partim supernaturaliter curatur. 306.d.1. liberatus fuit à dæmone per citharizationem Dauid,sed mox iterum possessus. 307.c.2. timet sibi à Dauide de regno: 316.b.1. prophetat vt solent energumeni. d.1. non curatur per psalterium Dauidis,quia permanens in peccato inuidiæ. c.2. eius ingratitudo in Dauidem. ibid. septies eum est persecutus.d.2. amouet Dauidem ab aula.317.d.1. creat eum Chiliarchum sperans in bello occidendum. a.2. proficit in peius. d.2. infidiosè despondet filiam Dauidi pro centum præputiis. 319.a.1. quia per se non potuit,nititur per alios occidere Dauidem. 320.a.1. eius inconstantia. 321.a.1. vult Dauidem coram se occidi, idq; per sententiam Iudicis. b.1. prophetans non omnino omnibus vestibus nudauit se, sed tantùm regiis. 322.d.1. cecidit in terram Deum adorando. a.2. eius crudelitas, maior aliis peccatis. 333.a.2. suam ipsius damnat malitiam & ingratitudinem. 341 a.1. colligit Dauidem regnaturum quòd videat eum Deo esse curæ. a.2. submittit se Dauidi. b.2. immittit ei Deus soporem. 349.a.2. seipsum occidit. 357.b.1. idq; iusto Dei iudicio. b.2. laudant hoc Rabbini.c.2. sed hoc damnat fides orthodoxa. 358. b.1. ipse Saul est damnatus. b.2. potissima ratio occisionis & mortis acceleronis, est consuluisse Pythonissam. c.2. pro anima eius ieiunarunt septem diebus viri Iabes Galaad.359.b.2. typus Christi.258. a.1.& 265.d.1.
שבת Sabats quid significet. t.2.2.c.1.
Scandali granitas. t.2.45.b.1.
Scandalosa peccata punit Deus. t.2.181.d.1.
Scelera auferenda,vt pœnæ auferantur. t.1.35.d.2.
Scientia sine praxi parum prodest. t.2.121.b.1.
Scissio vestium in luctu vsitata, & ob sceleris detestationem. t.1.35.b.1.
Scorpiones quibus flagellati Martyres, erant virgæ ex spinis. t.1.137.b.1.
Scripturæ S.diuisio secundùm Hebræos.t.1.1 a.2. numeri perfecti ponuntur in Scriptura, licet aliquid supersit vel desit. 42.a.2. in Scripturæ libris aliquæ particulæ compositis libris additæ. 210.d.1. S.Scriptura omnia refert in Deum, vt manifestetur eius prouidentia.231.b.1. est arca testamenti. t.2.21 c.1. à mendo defenditur contra aliquos Doctores Catholicos. t.2.366.b.1.
Scrutarij quales. t.2.143.d.2.
Scutra est vas profundum circulare. t.2.143.d.2.
S.Sebastianus patronus pestis. t.2.94.a.1.
Secretum nulli fidendum. t.1.165.a.1.
Sedecias nomen suum accepit à Nabuchodonosor, qui antea vocabatur Matthanias. t.2.29 c.2. iustè ab eodem damnatur. 301.a.1.
Sedendo anima fit sapiens. t.2.28.c.2.
Sedens orare quomodo quis posit. t.2.28.c.1.
Semei non est idem qui Nabath. t.2.61.c.1. conuicia quinque conuicit in Dauidem.d.1. eius stultitia.a.2. quomodo Deus ei præcepit vt malediceret Dauid. 61. c.2. occisus à Salomone propter maledicentiam in Dauidem,præterexuit tamen transitum Iordanis.73.a.2. quinque eius conuicia in Dauidem secundùm Hebræos. 106.d.2. eius maledicentia non fuit absolutè remissa à Dauide. 107.a.1.
Senectus Caleb virtutis præmium. t.1.64.b.1. senectus bona.139.d.2. senectutis mala. t.2.74.a.2.

Sennacheribi perfidia punita. t.2.284.c.2. cum exercitu non periit,quia seruatus ad maiores plagas 393.b.1. cur à filiis interfectus. a.2.
Septenarius numerus sacer ob quietem sabbati. t.1.29. d.1.
Septuaginta conciliati cum Vulgata. t.1.5.d.1. in Septuaginta mendum. t.1.24.c.1.& 45.d.1.& 83.b.1.& 84.a.1.& 86.a 1. aliter legunt quàm Vulgata. 96. d.1.& a.2. aliud mendum. 116.d.1.& 240.b.1. addunt aliquid.288.d.1. aliud mendum in Complut. 291.d.2. aliud.294.d.2. aliud mendum.326.d.2. aliud. 333.c.2.
Septuaginta annis cur durarit captiuitas Babylonica. t.2. 400.b.1.& seqq.
Sepulchris carent superbi quæ sibi exstruxerunt. t.2.701 a.2.& seqq.
Serarius malè numerat annos ab egressu Israel ad templum ædificatum. t.2.126.b.2. verbum ex margine in textum irrepsisse docet. 311.a.1.
Seruitutes Hebræorum varie simul ascendunt ad III. annos. t.1.106.a.1.
Seruitutis Dei & hominis differentia. t.2.179.b.2.
Sextus Tarquinius primores Gabinorum occidit. t.2.70. a.1.
Siba calumniator. t.2.61.a.1.& 74.a.1.
Sidon magna cognomine, non relatiuè ad aliam minorem.t.1.55.b.1. eius etymon. ibid.
Simulare fugam in bello licet. t.1.40.b.2.& seqq.
Sion figura Ecclesiæ. t.2.17.b.1.
Soba vbi sita.t.2.32.d.1.& seqq. iure diuino erat Iudæorum,ideoq; iustè eam inuasit Dauid. ibid.b.2.
Societatis bonæ vtilitas. t.1.264.b.1.& 322.c.1.
Solem tacuisse, id est,Pythagoricè non ceciniss in solstitio Iosuano fabulatur R.Salomon.t.1.52.c.1. sole stante, steterunt reliqui cælestes orbes.a.2. tempus tunc non fuit,sed duratio. b.2. bis miraculosè stetit, non ter. t.2.311.c.1.
Solis equi qui & quales. 295.b.1. ablati à Iosia. ibid.
Solduriorum laus. t.2.4.d.2.
Solymanni ambitio. t.1.153.d.1.
Somnium Salomonis fuit diuinum & exstaticum.t.2.113. c.1. potest per Deum,homo in somnis vti ratione.c.2. somnia multa vera in Scripturis. 116.b.1.
Somnus matutinus castis periculosus. t.2.38.c.1.
Sors triplex,aliquæ licitæ,vna illicita. t.1.36.a.2.
Spectra audacter inuadenda. t.1.26.c.1.
Spei efficacia.t.1.4.c.2.& seqq &52.b.1. facit nos contemnere inferiora. t.2.127.b.2.
Spiritualia pluris facienda quàm temporalia. t.1.276. a.1.
Spiritus in Scriptura quamlibet qualitatem significat.t.1. 104.b.2.
de Spirituum apparitionibus, multa narrantur fabulosa. t.1.126.c.1.
Stellæ pugnarunt contra Siſaram per ventos,fulgetra,&c. t.1.118.b.2.
S.Stephanus protomartyr apparens Giezæ,vult eius filium suo nomine nominari, qui fit Hungarorum Apostolus & primus Rex.t.2.27.c.1. ad S.Stephanum peierantes puniti. t.2.149.b.1.
ex Sterilibus multi viri magni sunt nati.t.1.159.a.2. sterilium quæ ex voto conceperunt exempla. 218.a.1.
Stigmata inusta in honorem idolorum inuenta in cadauere Ioakim. t.2.399.a.1.
Stratagemata militaria Hannibalis & aliorum. t.1.133. b.1.& seqq.& 134 c.1.
Striæ quid. t.2.141.c.1.
Stuprum Lucretiæ Tarquinium regno priuauit. t.2.53.a.1.
Subditi boni,malos Prælatos non contemnunt.t.1.338.c.2. sed reuerentur. 339.c.2. patiuntur asperitatem Superiorum.341.d.1. & improbitatem. 349.a.1.
Subterranea loca plurima sub templo. t.2.133.c.2.
Sulpitij error de Iudice Simmichar post Samsonem. t.1. 181.c.1.
Summus Pontifex solus intrabat in Sanctum sanctorum semel in anno in festo expiationis. t.2.132.d.2.
Superbia nascitur ex nimia potentia. t.2.383.c.1.
Superiores puniuntur propter peccata subditorum. t.1. 236.b.1. superiores nulli dantur in vindictam peccatorum populi. t.1.255.c.1.& seqq. superiorum ira à Deo est,quando corrigunt subditos. 267.d.2. superiori reum iudicare vt corrigatur, est actus sanctitatis. t.1. 290.b.2. eorum præcepta etiam rigida, à subditis debent seruari. 291.c 1. Deo sint obedientes,vt subditi illis obediant. 293.b.1. superiores à subditis non sunt reprehendendi.t.1.21.a.1. superioribus debetur obedientia ab inferioribus, ipsi illis debent charitatem. 193.a.1.
Suscitatio seminis fratri defuncto, fuit in vsu ante legem Moysi,& post eum obseruata à Gentilibus.t.1.197.a.1.
Syrus textus ex Græco Septuaginta translatus est, non ex Hebræo. t.1.90.a.1.

Tabernaculum Moysis, & Dauidis & omnia vasa ad spectantia à Salomone reposita in tabulato templi. t.2.148.a.1.
Talenti Hebræi valor. t.2.184.b.2.
Talionis pœnæ exempla. t.1.95.d.1.
Tamerlanes cur Baiazetum ferreæ caueæ incluserit. t.1. 95.c.1.
Tarantulæ morsus,sola musica curabilis. t.1.306 a.1.
Templarij erant milites sacri. t.2.368 b.2.
Templum Deo ædificare vouit Dauid.t.2.26.a.1. placuit id votum quoad rem,non quoad personam. 27.a.1. quare Dauid prohibitus illud ædificare. ibid. cur Iosue aut quis alius Iudex id non ædificarit. ibid.d.1. cur Salomon iussus ædificare.a.1. significat Ecclesiam triumphantem.c.1. quo fine fuerit ædificatum. 112. a.2.& 148.d.2. numerus operariorum templi. 123. a.2. idea templi.125.a.1.& seq. atria templi.c.1. templi mensuræ. a.2. quid significet mysticè. d.2. templi magnificentia ex variis capitibus.126.a.1. decem miracula in templo secundùm Hebræos dict. templi ædificatio duravit septem annis & septem mensibus. c.2.& 134.a.1. ædificatum est in monte Moria, in tribu Beniamin. 127.a.1. altitudo templi ad primam contignationem 30.cubitorum,ad summam 120. ibid. c.1. templum secundum à Iudæis readificatum habuit tantùm 60.cubitos altitudinis. a.2. templum erat conuersum ad Orientem vt sol oriens æquinoctialis arcam posset perfundere. 128.a.1. cellæ circa templum.a.2. malleus in templo non auditus,quia lapides dolati in monte. 129.c.1. significat cælum. a.2. ecclesia templi.b.2. parietes templi vestiti cedro.130. b.1. fornix cedrina Sancti sanctorum. a.2. pauimentum templi tectum auro. 132.d.1. ostia Sancti sanctorum pentagona. a.2. tres partes templi descriptæ. 132 c.2. atria tria templi. 133.a.1. Exedræ Gazophylacia,Paſtophoria sunt idem.a.2. sub templo subterranea loca plurima ad varios vsus. c.2. occulta receptacula aquarum in templo, & eorum vsus & magnitudo. 143.b.2. multa millia vasorum recenset Iosephus præter ea quorum meminit Scriptura. 144.d.1. præter arcam Salomon omnia nouæ fecit pro templo.a.2. in templo sola pretiosa videri poterant.d.2. templum perfectum mense octauo,& dedi-

catum mense septimo. 147.b.1. *idea templi à Deo Dauidi data & explicata.* 346.a.1. *templum Dei postulat seueram castimoniam.* t.2.178.a.1.
Temporalium bonorum vanitas. t.1.273.b.1.
Tenacia proprij iudicij, causa lapsus in Saule. t.1.296.b.2.
Tentationum omnium remedium, nomen Michaelis. t.1.161.a.2. *consolatio post eas superatas.* 165.c.2. *semper durant vt sint occasio præmij.* 278.b.1.
Terræ promissæ termini secundùm omnes mundi plagas. t.1.5.d.1. *tota Hebræis non fuit data propter eorum peccata.* d.2. *comprehendit Phœniciam, quæ nunquam fuit subacta.* 103.c.1.
Terra sancta cur capta à Turcis. t.1.239.b.1.
Tertulliani locus explicatus. t.1.19.c.2.
Testamenti veteris spiritus vindictam: noui veniam precatur occisoribus. t.2.379.a.2.
Tharsis est mare mediterraneum & vnde. t.2.159.a.2.
Theatrum vitæ humanæ narrat iudicium Ariopharnis sine auctore. t.2.117.d.2.
Theodoretus sic vocatus, quia à Deo datus. t.1.218.a.1. *penè examinis, sanatus per baculum S. Macedonij.* t.2.237.a.1. *eius locus restitutus.* t.1.243.c.2.
Theodosius Imp. expleuit pœnitentiam à S. Ambrosio impositam. t.2.45.d.1.
Theraphim erant idola domestica. t.1.182.a.1.
Thomas Morus Cancellarius Angliæ, cantat & crucem præfert in processionibus suæ parochiæ. t.2.25.b.2.
S. Thomas caluus & castus. t.2.228.a.1.
Threni Ieremiæ de morte Iosiæ perierunt. t.2.398.c.2.
Thyina ligna quæ? t.2.156.c.1.
Timidos à se reiicit Christus. t.1.131.b.1.
Timor Dei in veteri testamento significat omnem Dei cultum. t.1.20.d.2.
Timoris Dei fructus. t.1.271.b.2. *habere debet admixtam spem.* 272.c.2.
Tonsuræ Religiosorum à Nazareis. t.2.228.d.1.
Torniellus impugnatur scribens Iosiæ transisse Iordanem nonæ diæ mensis primi. t.1.20.b.2.
Tribus Israel omnes inter se consanguineæ. t.2.14.a.2.
Tributa nimia noxia populo & regi. t.2.168.b.1. *occasio sunt seditionis.* 169.d.2.
Tributorum grauitas causa defectionis Israelis. t.2.152.b.1.
Triumphus non canendus ante victoriam. t.2.208.b.2.
Troglodytæ sunt Aethiopes vicini Aegypto. t.2.361.a.2. *de illis scribens Aristoteles fallitur.* 362.a.1.
Τρωγλη quid? t.2.361.b.2.
Turcam iustè possidere regna Christianorum, est impia sententia Alberici Gentilis. t.1.153.a.1.
Tyranni lictores Dei. t.1.103.c.2. *rarò senescunt.* t.2.185.c.1. *sunt similes suibus.* d.1.
Tyrus insula obsessa à Nabuchodonosor per 13. annos sit peninsula. t.2.123.c.1.

VAlens Imperator à subditis quos Arrianos fecerat, combustus est. t.1.145.b.2. *filij sui parricida per hæresim.* t.2.177.a.2.
Valentinianus punitus quia S. Martino non assurrexit. t.1.108.c.1.
Vanitas bonorum huius vitæ ex gloria Salomonis. t.2.160.c.2.
Vanitas omnium terrenorum. t.2.166.b.2.& 257.b.1.
Vasorum millia multa in templo secundum Iosephum. t.2.144.d.1.
Vellus Gedeonis occasio fabulæ Argonautarum. t.1.129.c.2. *item institutionis ordinis Velleris aurei, à Philippo Burgundo factæ.* d.2.
Velum templi scissum in passione. t.2.130.c.2. *Velum habebant Sanctum, & Sanctum Sanctorum, Porticus non habebat.* 132.b.2.
Venialia peccata morte punita. t.2.174.a.2.
Veneris stimuli qui. t.2.38.b.1. *sibi blanda, aliis crudelis.* 41.b.1.
Venus in Syria tam Deus quàm Dea. t.2.243.b.1.
Veritas alia iustitiæ, alia loquelæ. t.1.12.c.2. *est sanctitas.* 290.d.1.
Vermis conscientiæ damnatorum. t.1.146.a.2.
Vespertinum & matutinum tempus, optimè ordinanda. t.1.296.b.1.
Victorem decet iustitia. t.2.32.a.1.
Victoria vtendum. t.1.54.c.1. *victoriæ variæ à Deo & Sanctis concessæ fidelibus contra infideles.* 118.d.1. *victoria à Deo.* 289.d.1.& 299.a.2. *victoria maior seipsum vincere, quàm hostem.* 339.a.1.
Villalpandi coniectura de gladio idoli ab Achan sublato leuis est & incerta. t.1.37.b.2.
Vindicta diuina in milites Absalom. t.2.68.a.2. *Vindicta sumenda, non de propria, sed de Dei iniuria.* 173.c.1. *non ex ira, sed ex amore iustitiæ capienda.* 203.a.2.
Virginius laudatur à gentilibus eò quòd filiam occiderit ne violaretur. t.2.53.b.1.
Virginitas olim dedecori, nunc decori. t.1.155.b.2. *figurata per rhammum.* t.2.201.a.1.
Virgo est arca spiritualis Christi. t.2.20.d.2.
Viri sancti labuntur & reprobantur. t.1.257.a.2.
Virtus vsque ad finem perseuerat. t.1.296.b.2.
Virtutis iter laboriosum. t.2.130.a.1. *ad cælum ducit.* 225.c.1.
Vitæ breuitas in Principibus. t.1.108.b.2. *vita hominis fluxa instar aquæ.* t.2.54.c.1. *vita Sanctorum qualis.* 187.d.1.
Vitia in nobis supprimi possint, non tamen moriuntur. t.1.96.c.2. *vitia hominem eneruantia.* t.2.162.c.1.
Vitulum aureum mugisse in natiuitate Elisei affirmant S. Epiphanius & Isidorus. t.2.205.b.1.
Vnctionis regum antiquitas & causa. t.2.261.a.1.
Vnius ob peccatum, tota punitur communitas. t.1.289.c.2.
Volseus gratiam Dei perdidit & sui Regis. t.2.63.d.2.
Voluntas propria est Deus inobedientiæ. t.1.298.c.1.
Voluptas mundi, anxia in fine. t.1.288.b.2.
Vrbes fundandæ vbi aër bonus & aquæ salubres. t.2.226.a.2.
Vrias Hetheus non erat Chananæus, sed ex Heth in regione Hebron. t.2.39.c.1. & d.1. *eius latus.* 39.d.1.& 40.a.2.& b.2.
in Vulgata mendum esse nonnulli suspicantur. t.1.192.a.2. *Vulgata defenditur.* 219.a.1. *Vulgata versio propugnata.* t.2.160.a.2.
Vxores olim emebantur. t.1.318.d.2. *vxor molesta est pœna peccati.* t.2.44.b.1. *vxor haretica periculosa.* 162.a.1. *vxores Salomonem fecerunt idololatram.* a.2. *vxor infidelis perniciosa.* 178.a.2. *vxor infidelis quantum malum.* 254.b.2.

S. WEnceslaus Bohemiæ rex hosti in duello parcit. t.1.310.a.2.

XEnophontis error de Cyro inuentore falcatorum curruum. t.1.74.a.2.

ZAmbri innuisor regni Israel, se occidit ne veniret in potestatem hostium. t.2.184.b.1.
Zelosus quid facere debeat. t.2.193.b.2.& 200.b.1.
Zelus vnius religionis auitæ seruandæ inter Iudæos. t.1.82.c.2.& 83.b.1. *zelus Saülis stultus.* t.2.79.b.1. *zelus Eliæ.* 187.d.2. & 188.b.2. *Iosaphat.* 218.b.1. *Eliszi.* 229.a.1. *zelus Iosaphat pro religione & aliorum regum Christianorum.* 368.c.1.

INDEX
MATERIARVM MORALIVM
AD
EVANGELIA DOMINICARVM
AC FESTORVM ALIQVOT
ET FERIARVM
PER ANNVM ACCOMMODATARVM.

DOMINICA I. ADVENTVS.

EVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA ET STELLIS. Signa tempore Iosue. t.1.52.a.2.

VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM. Veniens Iesus mundum vincit. t.1.29.a.1. In secundo aduentu se vlciscetur de suis aduersariis. 53.a.1. & de iis qui neglexerunt pœnitentiam. 293.a.2. figura aduentus Christi. t.2.18.c.2.

CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT. Vanitas gloriæ mundi. t.1.29.d.2.

DOMINICA III. ADVENTVS.

TV QVIS ES. Hæc verba sæpè dicenda ab iis quos Deus ex vilibus assumpsit ad magna. t.2.28.d.2.

EGO VOX. Quàm potens sit vox piorum. t.1.340.c.2.

IN NATIVITATE DOMINI.

NATVS EST VOBIS HODIE SALVATOR. Elias adumbrauit Christum se homini commensurantem & eum viuificantem. t.2.193.b.1.& seq.

PLENVM GRATIÆ ET VERITATIS. Nos ab illa plenitudine gratiæ multum distare significatum per arcam. t.1.15.b.2.

IN FESTO S. STEPHANI.

QVOTIES VOLVI CONGREGARE FILIOS TVOS, QVEMADMODVM GALLINA CONGREGAT PVLLOS SVOS SVB ALAS. Ad alas diuinæ protectionis confugiendum. t.1.200.a.2. & t.2.202.a.1.& seqq.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

VT CIRCVMCIDERETVR PVER. Mens a vitiis circumcidenda. t.1.22.c.2. in Religione est scientia circumcisionis. t.2.198.b.2.

VOCATVM EST NOMEN EIVS. Deus dans alicui nomen, dat simul rem nomine significatam. t.1.124.a.1. pia nomina filiis danda vt admoneantur pietatis. t.2.299.d.2.

IESVS. Nomen Iesus est formidabile dæmonibus. t.1.104.a.1.& seqq. Iesus est nomen magnum. 273.c.1.

IN EPIPHANIA DOMINI.

OBTVLERVNT EI MVNERA. Sancti refutant munera hominum, & ambiunt diuina. t.2.241.c.1. & seqq.

DOMINICA I. POST EPIPHAN.

CVM FACTVS ESSET ANNORVM DVODECIM SECVNDVM CONSVETVDINEM DIEI FESTI. Agi potest de educatione prolium, de qua vide t.1.206.b.1.& 220.b.1.& t.2.229.a.1.& seqq. Vide Indicem rerum verbo *Educatio.*

ET ERAT SVBDITVS ILLIS. Sic Deus obediuit Iosue. t.1.53.c.1.

SVBDITVS. Qui Deo obedieris est, obedientes habet subditos. t.2.225.a.1. Inobedientiæ mala & pœnæ. t.1.230.d.2.& 232.b.2.& 280.a.1. Vide verbo *Obedientia* & *Inobedientia.* Iosue electus in ducem Israelis propter obedientiam. t.1.6.b.2. Hebræi propter inobedientiam excluſi à terra promissa. 8.a.2.

DOMINICA II.

VOCATVS EST IESVS AD NVPTIAS. Nuptiæ Catholici cum hæretica periculosæ. t.1.164.b.1.

DOMINICA III.

VIDE NEMINI DIXERIS. Dona Dei quæ pertinent ad excellentiam personæ, occultanda sunt. t.2.223.a.1.

DOMINE PVER MEVS. Herus paterno affectu sit erga famulos exemplo Naaman Syri. t.2.240.c.2.

TANTVM DIC VERBO. Quid possit vox Christi. t.1.32.c.1.

FILII AVTEM REGNI EIICIENTVR IN TENEBRAS EXTERIORES. Reprobationis Iudæorum figura in velleri Gedeonis. t.1.128.d.2.

DOMINICA IV.

DOMINE SALVA NOS PERIMVS. Deus immittit hominibus tribulationes vt ad se redeant. t.1.106.b.1.

IMPERAVIT VENTIS ET MARI. Similia facit Deus in gratiam Sanctorum. t.1.19.a.2.

DOMINICA V.

CVM AVTEM DORMIRENT HOMINES. Superiores quando possint dormire, quando non. t.2.12.a.2.

SINITE VTRAQVE CRESCERE. Potest Deus omnes impios

impios perdere, sed id non sinunt regulæ æternæ prouidentiæ. t.2.203.b.1.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

EXIIT PRIMO MANE. Tempus matutinum optimè ordinandum. t.1.296.b.1.

IN VINEAM SVAM. Vinea designat humiles. t.1.144.c.2.

AN OCVLVS TVVS NEQVAM EST? Inuidia est scelus diabolicum.t.1.316.b.2. Inuidia multorum malorum mater. 333.b.1.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

ALIVD CECIDIT SVPRA PETRAM. Terra dura cordis nostri scindenda vomere pœnitentiæ. t.1.109.b.1.

VENIT DIABOLVS ET TOLLIT VERBVM DE CORDE EORVM. Huius rei figura est Madian deuastans segetes Israelis. t.1.122.b.2.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

CÆCVS QVIDAM SEDEBAT SECVS VIAM. Samson excæcatus typus excæcationis Iudæorum. item de mentis excæcatione. t.1.176.a.2.

FERIA IV. CINERVM.

Cinis assumitur in signum luctus & pœnitentiæ. t.1.35.b.1.

CVM IEIVNATIS. Ieiunis parcunt belluæ, deuorant non ieiunantes t.2.174.c.2. Ieiunium parit victoriam de hostibus.t.1.288.c.1. strictè debet seruari. 291.c.2.

NOLITE THESAVRIZARE VOBIS THESAVROS IN TERRA. Diuitum huius sæculi inexplebilis cupiditas.t.2.210.a.1.& seqq. A terrenis cupiditatibus cor euacuandum, vt gratia impleatur. 235.b.1.

FERIA VI. POST CINERES.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. Exemplo Samuelis Prophetæ. t.1.273.a.2. & Elisæi Syris epulum apponenti. t.2.247.c.2.

TE AVTEM FACIENTE ELEEMOSYNAM, &c. Eleemosyna ob amorem Dei facienda. t.2.235.d.1.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

VT TENTARETVR A DIABOLO. Sancti permittuntur tentari vt cognoscant se, non suis viribus, sed diuina gratia stetisse. t.2.201.d.1. Homo sæpè tentatur & quare? t.1.278.b.1.

CVM IEIVNASSET, &c. Ieiunium assumendum ad corpus domandum. t.1.55.a.2. reddit hominem inexpugnabilem. 175.c.2. eius commoda. 250.a.1.

ACCEDENS TENTATOR. Intrepidus sit homo aduersus tentationem.t.1.26.c.1. nam Deo duce quæuis superamus. 64.b.2. Plura vide verbo *Diabolus*.

ILLI SOLI SERVIES. Deus suos seruos ditat. t.2.179.b.2. Diabolus suorum est tyrannus. t.1.100.c.2.

ECCE ANGELI ACCESSERVNT ET MINISTRABANT EI. Post tentationes consolatio. t.1.165.d.2.

FERIA III.

EIICIEBAT OMNES VENDENTES, &c. Christi Iudæos eiicientis typus fuit Ionathas cædens Philisthæos. t.1.286.d.2.

FERIA IV.

REGINA AVSTRI SVRGET IN IVDICIO. De Regina Austri V.t.2.155.a.1.& seqq.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

APPARVERVNT ILLIS MOYSES ET ELIAS. De Elia vide t.2.187. & seqq. & 374.d.1, & Indicem rerum V. *Elias*.

ECCE NVBES LVCIDA. Christus in lege noua apertam attulit veritatem, non vmbra vel nube velatam. t.1.15.d.1.

FERIA III.

SVPER CATHEDRAM MOYSIS. Prælati honorandi. t.1.253.c.2.

FERIA V.

EPVLABATVR QVOTIDIE SPLENDIDE. Pœna ventri deditorum. t.1.242.b.2. Mors in ollâ gulæ. t.2.238.b.2.

HABENT MOYSEN ET PROPHETAS AVDIANT ILLOS. Homo docendus per hominem. t.1.235.c.1.

NEQVE SI QVIS EX MORTVIS RESVRREXERIT, CREDENT. V. verbo *Excæcatio*.

FERIA VI.

HIC EST HERES, &c. Huius rei typus Naboth propter vineam occisus. t.2.211.d.2.

DOMINICA III. QVADRAG.

IN BEELZEBVB PRINCIPE DÆMONIORVM EIICIT DÆMONIA. Consulere diabolum crimen est grauissimum. t.2.221.d.1.

CVM FORTIS ARMATVS, &c. Fortitudine opus contra tentationes. t.2.3.a.2.

FERIA II.

SAREPTA SIDONIÆ AD MVLIEREM VIDVAM. Vide historiam de eâ. t.2.190.c.2.

FERIA III.

CORRIPE EVM INTER TE ET IPSVM SOLVM. Correptionis fraternæ figura. t.1.282.b.1. Reum Superiori indicare vt corrigatur, est actus sanctitatis. 290.b.2.

DOMINICA IV. QVADRAG.

QVINQVE PANES HORDEACEOS. De pane hordeaceo Gedeonis V.t.1.132.d.1.& seqq. De frugalitate primorum Christianorum. 259.d.1.

VT RAPERENT EVM ET FACERENT EVM REGEM. Quis verè dicendus rex.t.1.114.b.1.& seq. Gedeon etiam recusat regnum Israelis sibi oblatum. 138.b.1. contrà Abimelech eius filius regnum non oblatum inuasit. 142.a.1.& seqq. regnum Christi quale? t.2.15.c.1.& seqq.

FE-